Universidad de Deusto
Biblioteca

DRIEDONIS

OPERA

1

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMVS TOMVS

OPERVM D. IOANNIS DRIEDONIS A TVRNHOVT

SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS apud Louanienſes, De eccleſiaſticis ſcripturis & dogmatibus Libri quatuor.

Mendis quàm plurimis denuò ſublatis, & prioribus in ſuum locum repoſitis, ad archetypi integritatem proximè reſtituti.

FACULTAD DE TEOLOGIA
Univ. de Deusto
BILBAO

Et in ſole poſuit tabernaculum ſuum.

Louanij
Ex officina Bartholomei Gravij
1556.

Cum gratia & priuilegio C.M.

Esta dela Compª de Jesus de Palª Duq. et Sª don
Francisco de Reynoso abbad de Villos. Mayo 1592
y de su sobrina
xta pro co.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tenor priuilegij Cæsarei.

CAROLVS QVIN=

tus diuina prouidentia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarũ, Castellæ, &c. Rex Exhibita fuit nobis supplicatio à Bartholomæo Grauio librario Louanienſi iurato, & secundũ nostrã proximã ordinationem typographo, qua indicabat se imprimere cupere omnia opera Ioannis Driedonis à Turnhout magna sua cura correcta, & à Domino Ruardo Tapper sacræ Theologiæ professore, Academiæ Louanienſis Concellario & Decano S. Petri comprobata. His rebus moti, illius supplicationi consensimus, annuimus, & tribuimus his nostris literis, vt eadem opera Ioannis Driedonis excudere pergat, excusos vendat, & distrahat per omnes nostras ditiones, vt latius patet in literis illi à Cæsarea M. conceſſis. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimoſexto, primo Octobris, Imperij nostri 27. Regnorum autem nostrorum Castellæ, & aliorum trigeſimoſeptimo.

IN PLANO STABAT.

Per Cæsarem ad relationem
Consiliariorum,

Et signatum à P. de Lens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Illustrissimo ac potentissimo

Principi Iohanni Tertio Lusitaniæ & Algarbiorum citra & vltra mare in Africa Regi. Domino Guineę & expeditionis, nauigationis, ac commerciȝ Æthiopię, Arabię, Persidis ac Indiæ, &c̄.

Iohannes Driedo.
S. P. D.

LIbros quos pro Christiana religione, nimiū tēporibus nostris perturbata cōscripserā Rex inuictissime, cùm emittere in publicū suadētibus id amicis, statuissem, faciēdū putaui, vt principi alicui viro nominatim dedicarē, vt hac videlicet via authoritatē simul & gratiā aliquā ipsis cōpararē apud eos, qui contēnere alioqui possent, vt lectioni indignos. Vetus enim hic iam mos est, & cōsuetudo studiosorū hominum, hoc modo opuscula sua lectoribus cōmendandi. Cùm igitur sperassem, Dei præsertim auxilio fretus, multa me in libros istos cōgessisse, quę vtile esset cognoscere, maximè si animo simplici legerentur, & eo quo me scripsisse cōfido, putaui & ego simili cōsilio vtēdū mihi esse. Inter multos autē tua in primis maiestas occurrit, qua ad publicā hominū vtilitatē cōmodissimè vti me posse cū bona tua venia crederē: atq; hoc multis sanè de causis. Primū, quod decētissimū esse iudicabā, vt opus instaurandæ Christianæ religioni conscriptum, eius etiā regis nomen præfixum gereret, cuius bene hæreditarium officium est, Christianam religionē propagare. Nullū autem in tota Europa regnū iam seculis aliquot fuit, in quo tot reges ordine inuicem succedentes dilatādis finibus Christianis operam dederint, quot fuerunt in tuo isto Lusitanico regno, hanc ipsam ob causam certè nobilissimo. Neq; verò hoc tantummodo curæ vobis fuit, vt terras nouas & peregrinas ditiones imperio vestro adijceretis, sed magis laborastis homines ipsos Christo lucrifacere, tradita ipsis, & per idoneos viros prædicata fidei nostræ verissima professione. Qua laude certè maxima tu antecessoribus etiā tuis antecellere contendis, maxima diligentia procurans, vt ad infideles nationes regno tuo subiectas è Lusitania proficiscantur homines docti, & in catholicæ fidei rebus benè exercitati. Atq; hoc demū veræ est Christianæ religionis fines & terminos dilatare, Siquidem de terris ipsis & ditionibus nō est curæ ipsi Christo sed de animabus. Has quicunq; fide Christiana rectè atq; legitimè imbuēdas curat, is reuera dici meretur Christianæ religionis propagator, coronā sine dubio cōsequuturus à Christo deo immortalē. Accedit præterea causa alia. Nam & alioqui vnicè faues omnibus quidē honestis studijs, sed pręcipuè tamen theologicis, verè ac prudēter cogitās, hoc potissimū modo principatui tuo verum ornamentū te allaturum, si quàm plurimos habeas in regno viros excellenter doctos. Ac propterea non solū in tuæ terræ ac finitimę academijs tuo sumptu benignissimè alis plurimos studiosos, verùm etiam Parisijs atque Louanij, tanto licet locorū interuallo a Lusitania dissiti. In quorum numero est doctissimus, vitaq; integerrimus vir, in præsentiarū conuictor meus Iacobus à Murtia. S. Theologiæ professor eximius, quē omnino confido magno vsui tibi breui futurum, & patriæ ipsi ornamento. Neq; verò ista facis, quia ita fieri consuetū est iam ab alijs, sed tua ipsius incitatus voluntate & iudicio, Aut nulli enim, aut perquàm pauci hoc seculo reges erga studia similiter sunt affecti. Vtinā autē episcopos saltē multos huiusmodi habeamus, quos in primis tamē dicebat tales curas suscipere. verū quò minus suscipiunt, in causa est, quòd de studijs non vt æquū est, sentiant. Sentirent autem & de ipsis vt æquū est, si libris & literis à prima sua ętate ex animo vacassent, & proprio experimento (quo nullum efficacius magisterium est) didicissent, quātus fructus & vtilitas ex studijs redire ad Christianam Remp. posset. Quo magis tibi gratulandum est Rex sereniſſime, quòd Emanuelis patris tui optimi, optimeq́ue de religione nostra meriti, & propterea inter Christianos reges famatissimi, contigerit tibi pueritiæ tuæ annos in literarum studio cōsumere, vocatis ad hoc è longinquis etiā nationibus præceptoribus doctissimis. Sic enim narrare apud nos solet, generosus vir, ac literarum cultor fautorq́; candidissimus Damianus Goes, puer olim in aula regia diu sub patre versatus, ac nuper ad eandem à tua etiam celsitudine reuocatus, amplissimo functurus apud te munere. His igitur rationibus adductus sum, vt libros hos tuo potissimum nomini dicare non dubitauerim, confidēs non ingratos maiestati tuæ futuros, si non alio certè pietatis & Christianæ fidei respectu. Bene vale in Christo Iesu, qui te diu Reip. tuæ Christianæq́ue fidei tenendæ ac augendæ conseruet incolumem, Louanij quinto Idus Iunias. Anno M.D. XXXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX EARVM

RERVM QVAE IN HISCE QVATVOR libris annotatu dignæ viſæ ſunt, iuxta alphabeticũ ordinem digeſtus, iam denuò auctior ac caſtigatior factus, in quo numerus, folium, literæ autem à & b faciem ſignificant.

A

A vel ab præpoſitiones quid 94.b
Abdiæ prophetæ ortus 176.a
Abrahæ verum ſemen & veri Iſraëlitæ qui 125.a
Abſtinentiæ diuerſi modi 250.a
Abſtinentiam & ciborum moderatã ſumptionem eiuſdem eſſe meriti, antiqua hæreſis eſt ibid.
Aduentui vtriuſq; Chriſti multa aptari poſſe ſcripturarum teſtimonia. 160.a
De Aduentu vtroque Chriſti promiſcuè loqui ſcripturam. 159 b.136.a
Contra aduentum Chriſti carnalium Iudæorum obiectio, & eiuſdem ſolutio. 162.b
Æmulus quis dicatur. 85.a
Æquiuoca propriorum nominum, & nomina regum vet. teſt. 76 b
Ætates mundi quatuor defluxiſſe vſque ad deſolationem Hieruſalem. 177.b
Ætas prima mundi. 1656. annorum. ibidem
Ætas ſecunda mundi 292. annorum. ibidem
Ætas tertia. 942 annorum. ibidem
Ætas quarta mundi 484. annorum. ibidem.
Ætas quinta. 596. annorum. ibidem.
Ætas ſexta quot annorum erit, occultum. ibidem.
Ætates & tempora vt nos ſecundùm annos ſolares ſupputant Hebræi. 188.a
Allegoria duplex. 116.a
Allegorica eſſe geſta veter. teſta. ibid.
Amphibologiam diuerſis modis cõtingere. 101.a
Amphibologia propter incertitudinem caſuum. ibidem.
Amphibologia ob eundem eiuſdem dictionis ſonum in diuerſis caſibus etc. 102.a
Amphibologia propter incertitudinem antecedentis & ſuppoſiti. 103.b.
Amphibologia ob diuerſam pronunciationem & diſtinctionem. 106.a
Annorum à mundi creatione vſque ad Chriſtum diuerſa ſupputatio. 173.a
Annorum ſupputatio Hebræorum alia à Græcorum. ibid.
Annorum ſupputationem à Græcis non eſſe petendam. 174.a. linea 1.
Annorum ſupputatio ex ſacra ſcriptura ibid.b
Anni 1656. ab Adam vſque ad diluuium. ibid.
Anni. 292. a diluuio vſque ad Abraham. ibid.
Anni. 3969. à mundo condito vſque ad Chriſtum. 185.a
Anni 2317. à diluuio vſque ad Chriſtum. ibid.b
Annorum ſupputatio à diluuio vſque ad Chriſtum ex ethnicorum chronicis. 179.a
Annis à diluuio vſque ad Cyrum concordant chronica ethnicor. & ſcriptura. 181.b
Anni. 360. ab Abraham vſque ad mortem Ioſeph 175.a
Anni. 145. à morte Ioſeph vſque ad legem ibid.
Anni. 505. ab ortu Abrahæ vſque ad legem. 175.b
Anni. 2025. ab Abraham vſque ad Chriſtũ. 173.b
Anni. 480. à lege vſque ad ædificationem templi. ibidem
Anni regum Iuda à Dauid vſque ad Ioas. 176.a
Anni. 138. ab ædificatione tẽpli vſque Ioas. Ibid.
Anni regum Iuda à Ioab vſque deſolationem Hieruſalem. ibid.b
Annorum 6000 à condito mundo nondũ fuiſſe completa tempore Auguſtini. 174.a
Annorum ſupputatio à deſtructione Hieruſalem vſque ad Cyrum. 178.b
Anni deſolationis Hieruſalem quomodo ſupputentur. 179.a
Anni 3443. ab Adam vſque ad Cyrum 181.b
Anni. 1787. à diluuio vſque ad Cyrum & Darium. ibid.
Annorum à diluuio vſque ad Cyrum epilogus. ibidem.
Anni à Cyro vſque ad alexandrum Magnum: & ab illo ad Chriſtum. 182.a
Anni. 335. ab Alexand. vſque ad Chriſtum. 185.a
Annorum ab ætate qualibet ac regno epilogus. 177.b
Annorum omnium epilogus à principio mundi vſque ad Chriſtum. 185.a
Annorum numerus à principio mundi vſque ad Chriſtum ad oculum oſtenditur. 220.a
Anni pontificum & eorum catalogus à capliuitate Iudaica per Cyrum ſoluta, vſque ad Alexandrum Magnum. 183.& 4.a
Anni Geneſis, 2308. fol. 178.a
Anni Exodi 100.& 46. ibidẽ.
Leuitici tempus. ibidem.
Numerorum ac Deuteron. tempus. 178.b
Annus lunaris. ſolaris. biſextus. 188.a
Annorum emboliſmi. ibid.
Animæ officia nominibus rerũ corporalium ſignificati. 76.b
Animas ſanctorum ſentire beneficia viuorum, iuxta Athanaſium. 259.
Animæ gemina excitas. 124.a
Animæ pedes, pennæ, ſcalæ, & ext. 124.b
Animalis homo quid. 103.b
Antiochi multi. 77.a
Apparitionũ Chriſti ordo à reſurrectione 170.a

Apparuiſſe

Apparuiſſe Chriſtum decies. 171.a
Apocal. Iohannis. 4.a.b.5.a.14.a
Apocal. ſcripta ante Iohannis euangelium. 15.a
Apocal Irenæo probatur. 4.b
Apocalyp. laus 120 b
Apocryphum quid. 205.a
Apocryphorum varia acceptio. 21.a
de Apocryphis Hieronymi ſententia. 269.
Apocryphorum teſtimonijs quatenus vtendum. 206.a
ex Apocryphis aſſumpta teſtimonia. 205.a
Apocrypha quamobrem tantopere ſemper vitarit eccleſia. 206.a
Apocrypha cauenda & amplexanda patrum ſcripta. 205.a
Apocrypha non eſſe patrum ſcripta. ibid.
Apoſtolorum officium 243.a
Apoſtoli in quibus locis predicauerint. 205.b
Apoſtolorum doctrinæ authoritas. 236.b
Apoſtoli quomodo inter ſe pares fuerint. 236.b
Apoſtoli teſtes illorum quæ viderunt. 239.b
Aquila ſcripturæ verſor prauus. 25.b.
Aquilæ auis conditio. 128.b
Arca quæ continebat. 3.a
Aſſueri multi. 76.& 77.b
de Aſſuero & Artaxerxe variæ diuerſorum ſententiæ. 10.b.11.a
Auris, Os, Oculus interior quid. 79.b.

B

Balaam quo tempore prophetauerit. 236.b
Balthazar rex quando regnauerit. 180.b
Balthaſar rex non fuit filius Nabuchodonoſor. 181.a
Baptiſmus ſacramentum. 282.b
Baptizare in nomine S. Trinitatis quid. 97.a
Baptiſmi formam non haberi matthæi. 28. Iolio. 97.a 10- 97.a
Baptizandi actus cur exprimi debeat in baptiſmo ibidem.
Baptiſmi ritus. 256.b
Baptizati olim inungebantur chriſmate 248.b
Baruch citauerunt veteres 6.a
Benedicit nos Deus aliter quàm nos illum. 106.a
Beroſi laus. 174.a
Beſtiæ quatuor apud Danielem. 199.a

C

Calicis nomine quid accipiatur. 116 b
Calidum, frigidum, tepidum eſſe, quid. 80.a
Canonizatio ſanctorum. 207.a
Carnem non prodeſſe quicquam ſine ſpiritu fidei. 251.b
Carthaginenſi concilio interfuit Auguſt. 3.b
Caſtitas fundamentum vitæ monaſticæ. 255.b
Cathedra moyſi. 213.a
Cauſa peccari quæ. 105.a
Cauſales coniunctiones variè in ſcripturis accipi. 105.a
Cœlibatus epiſcoporum & ſacerdotum. 250.b
Cœlorum nomine quid intelligendum. 84.a
Celebrandum ieiuno ſtomacho. 259.
Charitas quid 71.a
Charitatem dei accipi bifariam. 105.a

Chriſti appellationes. 119 2.78.b
Chriſti ſortiri appellationes iuxta appellationes eccleſiæ. 120.a
Chriſti deitas. 146.b.152 a
Chriſti teſtimonium dat Ioſephus. 193.a
Chriſtus in carnem veniens vt eſſet medicus humani generis. 64.b
Chriſtus iuſtitia, ſanctus ſanctorum, Meſſias nuncupatur. 189.a
Chriſti natiuitatem inſtare conijciebant Iudæorum ſapientes. 186.b
Chriſtus quatenus dicatur ſpeculum, imago, ſplendor, & candor patris. 152.b
Chriſtum prædicaſſe tribus annis & ſex menſibus 192 a
Chriſtum bis ſumpſiſſe calicem in cœna. 114.b
Chriſtum occiſum anno 32. regni Herodis 191.b
Chriſtum aliter eſſe fundamentum eccleſiæ quàm eſt Petrus. 228.a
Chriſtum quotidie offerri in altari. 261.
Chriſti participatione propria ſpiritus ſancti communia facta apoſtolis. 219.a
Chriſtum animæ noſtræ panem eſſe. 123.a
Chriſtum quibuſdam verbis non præcipere voluiſſe ſed prædicere. 90.a
Chriſtum loqui pro ſe & ſuo corpore. 143.b
Chriſtianos recte dici filius Abraam & Iſrael. 163.b
Chronographi probatiores qui 174.a
Ciuitas Dauid, 78.a
Clerici nec comam nec barbam nutriant. 254.a
Climatera quid. 109.b
Colere nomen Ieſu quid. 106.b
Coloſſenſes. 17.a
Conciliorum authoritas & veracitas. 209.
Confeſſio in ſcripturis gemina. 79.a
Confeſſio occulti peccati. 248.a
Conſuetudinum eccleſiaſticarum duplex genus. 264.
Conſuetudo quam vim habeat à temporibus apoſtolorum cuſtodita. 254.b
Conſuetudo eccleſiæ confirmatrix & cuſtos fidei 248.b
Conſuetudo eccleſiæ habet vim legis. 247.b
Contraria contrarijs curantur. 64.b
Credentes ex Iudæis omnia initio habebant communia. 214.a
Cupiditas quid. 71.a
Cupiditatis euerſio. ibidem.
Curioſa inueſtigatio in parabolis vitanda. 129.b
Cyrus quando Babyloniorum rex factus. 180.b.

D

Daniel cur ab hebræis non connumeretur inter prophetas. 17.b
Daniel quando prophetauerit. 196.
Daniel cur obſcurus. 189.a
Danielis prophetiæ diſcuſſio. 101.a
de Daniele Hiero. ſententia. 9.b.
Darij multi. 77.a
Dauid in euangelio propheta dictus. 18.a
Dauid figura Chriſti & illius regnum figura huius 156.b.
Deus quid. 64.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deum dare quicquid natura generat. 58.b
Diaboli appellationes. 119.b
Dialectica vtilis theologiæ discipulo. 68.a
Diem dominicum signari per primam sabbati. 170.a
Dilectionis mandatum qua ratione nouum dicatur. 217.b
Diligendi modus de corporibus & nobis diligendis, intimandus erat. 65.b
Diligenda à nobis quatuor ex charitate. 65.a
Dilectionis affectus 145.b
Distinctiones & pronunciationes ambiguæ 69.b
Diuitis appellatio. 80.a
Docere, delectare, flectere, quid differant. 74.b
Docendum clarè. 74.a
Doctorem ecclesiasticum non semper debere res magnas granditer dicere. 75.b
Doctrinarum duplex genus apud ethnicos. 68.b
Docendi genera alternanda. 75.b
Doctoris bona vita quantum ponderis habeat. 75.b
Dogmata non euidenter ex scripturis illata. 267.
Dubitare non licet de sententia in scripturis affecta. 1.b
Duces qui Iudæis præfuerunt à soluta captiuitate vsque ad Alexandrum magnum. 18.a

E

Ecclesia quid. 112.b
Ecclesia catholica quid. 213.a
Ecclesia Christi vera quæ. 223.a
Ecclesiæ apostolicæ. 53.a
Ecclesia post Christum dicitur noua & apostoli. 218.a
Ecclesia regnum Christi. 163.a
Ecclesiæ Christi typus fuit reædificatio templi Salomonis. 157.a
Ecclesia omnis originem episcopatus sui habet ab ecclesia apostolica. 224.b
Ecclesia Romana an vnquam deficiat à fide. 233.b
Ecclesia quomodo domus sit Iacob, & perpetuò permansura. 213.b
Ecclesia sua habet incrementa & ætates sicut corpus humanum. 214.a
Ecclesiæ octo status. 212.b
Ecclesia quæ nunc est ex scripturis sacris cognoscitur. 61.a & b
Ecclesiæ claues. 64.b
Ecclesia appellatur exercitus. 121.a
Ecclesiæ ætates & incrementa. 121.b
Ecclesia venientibus apostolis eundem scripturæ canonem habuit. 13.b
in ecclesia eadem esse dogmata quæ semper fuerunt à tempore apostolorum. 242.b
in Ecclesia duplex potestas. 243.b
Ecclesiæ Christi testes Iudæi. 2.a
de Ecclesia cur variè scriptura loquitur. 116.a
Ecclesia cuius authoritate probatur scriptura canonica quæ sit. 2.a
cui ecclesiæ factæ sint promissiones. 213.b
Ecclesiæ fundamentum, caput, & angularis lapis, quatenus sit Christus. 216.b
Ecclesia separans se à cathedra petri, non est Christi. 219.b.
Ecclesiam ibi esse non oportet vbi est vnius dei verus cultus, vbi sacramenta, vbi 4. euangelia. 220.a
Ecclesiam non esse inuisibilem. 220.b
Ecclesiam semper crescere quatenus ex scripturis tenendum. 222.b
Ecclesiam catholicam noui ac vet. testa. esse vnam 215.a. linea 4.
Ecclesia semper vna & eadem manet. 217.a
Ecclesiæ vnitatem perseuerantissimè seruauit Cyprianus. 60.a
Ecclesiæ vnitati contraria argumenta & illorum solutiones. 216.a
Ecclesia apud quos sit & qui sint in eadem. 218.a
Ecclesiæ filij multi sunt & pauci. 222.b
de Ecclesia quosdam possunt separari præpositi. 246.b
in Ecclesia quomodo sint mali, & quàmdiu in ea maneant. 218.b
vt ecclesiæ pars recusans viuere est schismaticus. 218.a
extra Ecclesiam quàmuis vera sint sacramẽta non tamen iurisdictio. 220.b
Ecclesiæ membra non loco conueniunt sed spiritu & fide. 213.a
Ecclesiæ vox in hæreticos. 54.a
Ecclesiasten transferens Hiero. precipuè secutus est. 70. interpretes 42.a
Eclipsis solis, & terræ motus in morte Christi. 193.a
Ego pro te rogaui, quomodo intelligendum. 233.a
Egressum Israel ex Ægypto propheticum fuisse. 122.b
Eloquentia sine sapientia. 74.a
Enoch quædam scripsisse. 205.b
Ephesi. 17.a
Episcopus ordinandus ne sit, bigamus. 26.a
Episcoporum potestas. 246.a
in Episcopis malis honoranda spiritus dona & ministeria. 235.a
Episcopi depositi confugerunt ad sedem Petri. 229.b
Epistolæ Apostolorum. 15.b
Epistolarum Pauli ordinis ratio. 16.b
Epistolæ scriptæ à Paulo priusquam vinctus Romam duceretur. 16.a
Epistolæ scriptæ ex vrbe Romana. 16.a
Epistola ad Romanos ex Corintho scripta, Prisca & Aquila Romæ commorantibus. 16.a.b
Epistolam ad Romanos scripsit Paulus hospitatus apud Caium. 16.b
Epistolam ad Romanos eiusdem argumenti cum epist. ad Gala. 17.a
Epistola ad Hebræos. 4.b 5.a. 14.a
Epistolæ ad Corinth. scriptæ ante epist. ad Roma, & prior ex Epheso. 16.a.b,
Epistola secunda ad Timotheum quando scripta. 16.a
de Epistola ad Heb. Apocalyp. & tribus epistolis Iohannis, testimonium Origenis. 5.a
Epistolæ canonicæ Iohan. & Petri. 14.b
Epistolæ Iacobi vsos patres proximos Apostolis. 4.a
Error amicorum Iob 134.a
Error Irenæi super ætate Christi. 69.a
Error Iudæorum de terreno regno Messiæ. 118.a
Error Iudæorum de Christo. 125.b
Error eorum qui putauerunt nullam esse per se iustitiam. 72.a
Esdras instaurat legem. 3.a
Esdras & Neemias sub quo Dario reuersi sint ex Babylone. 10.b
Essentiæ diuinæ singularissima vnitas. 148.a
Euangelium quid. 60.b
Euangelia diuersorum 205.b
Euangelia tantùm quatuor ab initio esse recepta. 14.a
Euangelia Matth. Marc. Luc. & Iohan. quando scripta. 14.b:15.a
Euangelium Matth. Hebraicè scriptum. 4.a.b. 209.b
Euangelium Marcus Petri interpres ex auditu post eius mortem scripsit. 4.a.b
Euangelium an tempore Apostolorum in toto orbe prædicatum fuerit. 211.a
Euangelium Iohannis cur scriptum sit. 146.b
Euangelium Ioan. in Asia scriptum. 4.b
Euangelicam historiam dirigendi regula. 113.b
Euangelistas concordandi regula. 168.a
Euangelistæ quare neglexerint rerum gestarum ordinem. 114.b
Euangelistæ cur aliter scripturas citent, quàm habentur in veteri testamento. 115.b
Euangelistas non debuisse nomina dicta, sed res gestas enarrare. ibid.a
Excommunicatio quid operetur 219.a
Ezechielis principium difficillimum. 51.b

F

Facinus quid. 71.a
Fermentum quid. 11.b
Festa publicè celebrari non poterant ethnicis imperantibus. 249.a
Fidei Christianæ fundamenta. 64.b
Fidei Trinitatis expositio. 146.b
Fidei pietas quid. 206.a
Fidei symbolum ab Apostolis traditum. 260.
Fides Christi non debet pati vllas calumnias propter diuersas sanctorum interpretantium sententias. 8.b
Fides & spes pereunt, sola charitas manet. 66.b
in Fide non fuerunt omnes patres pares. 57.b
in Fide & religione an solis scripturis nitendum. 204.a
Figuratas locutiones dinoscendi regula. 117.a
de Figuratis locutionibus duo documenta. 70.b
in Figuratis locutionibus vt scripturæ sensus inueniatur regula. 72.a
Figuratè intelligenda quæ messiæ regnum extollunt. 122.b
Filij excussorum qui. 128.b
Filij à patre processio generatio est. 151.b
Finis diuersimodè accipitur. 79.a
Finem hominis beatificum deum esse, docet philosophia Platonica. 2.a
Flagitium quid 71.a
Frui quid, & quid vti. 63.b
Fruendum quibus, & quibus vtendum. 63.b
Frui seipso non debet homo, quia sibi non sufficit. 65.a
Frui interdum pro vti cum delectatione. 66.a

G

Galatia galatæ. 16.a
Gehenna vnde. 177.a
Genera hominum duo quandoque consideranda. 108.a
Genethliaci qui dicantur. 68.b
Gesta regum Israel à diuersis prophetis in vnum volumen collecta. 9.b
Græcia maior 16.a
Græcarum literarum inuentio. 25.a:175.b
Græcos codices aliquando esse ambiguos. 105.a
Grammaticæ cognitio ad intellectum scripturæ necessaria. 67.b
Gratiam præuenire voluntatem hominis. 172.b
de gratia & libero arbitrio scripturarum contrarietas. 167.b

H

Habitare in nobis quomodo dicatur Deus. 106.b
Hagiographorum duo genera. 18.b
Hæresis & contemptus patrũ vnde incrementum sumpserit. 1.a
Hæreses multæ quæ non possunt scriptura improbari. 241.a
Hæreses variæ iam olim damnatæ ab ecclesia. ibidem.
Hæresis & schisma quomodo differant. 264.
Hæreticis obijcienda regula. 248.b
contra Hæreticos patrum machina. 52.b
Hæretici falluntur per scripturas. 53.b
Hæreticorum præscriptio. 53.a
Hæreticus à se damnatus. ibid.
Hebdomada quid. 188.a
Hebdomadæ abbreuiatæ quid ibid.
Hebdomadæ geminæ in scripturis. 79.a
Hebdomadæ Danielis. 62.b
Hebdomadarum. 62. Danielis supputatio. 185.
& illarum interpretatio. 187.b
Hebdomadarum. 70. initium vnde sumendum. 189.a: 190.a.b
Hebdomadas 70. esse in Christo completas. 192.b
Hebræi. 17.a
Hebræa lingua & characterum eius inuentio. 25.a
Helias & Helizæus quando extiterint. 176.a
Herodes tres in scripturis. 76.b
Historiæ gentilium vtiles ad intellectum scripturæ. 8.b
Hoc est corpus meum, non esse tropicè accipiendum. 127.b
Homo qualis per peccatum factus sit. 149.
Humilitas duplex. 92.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hymni à Christianis cantabantur temporibus Traiani. 248.b
Hymnus trium puerorum. 8.b
Hyperbolicæ locutiones. 110.b

I.

Iacobus à Petro ordinatus episcopus Hierosolymorum. 230.a
Iacobi Apostoli nomina 78.a
Iacobo testimonium dat Iosephus. 193.b
Idololatras quosdam adhuc superesse. 195.b
Iechoniæ fuêre diuersi 77.a
Ieiunia seruanda pro locorũ consuetudine. 253.a
Ieiunia statuta non esse obseruanda, Arrij hæresis. 241.b
Ierusalem nomina 78.a
Ierusalem muri sub quo ædificati. 77.b
Ierusalem accipi quatuor modis. 124.b
Ierusalem, Syon, filij Israel, quid. 126.a
Ierusalem extrema desolatio anno quadragesimo secundo à morte Christi. 191.b
Ierosolymitanum templum sub Dario consummatum. 190.a
Imaginum vsus in primitiua ecclesia. 249.a
Imaginis crucifixi miraculum ibidem.
Immolationem quotidianam corporis sui docuit Christus. 251.a
Imperatiui modi verba, quo modo in scripturis debeant accipi. 84.a
Inabsoluti sermones in scripturis 112.a
Incarnationis Christi ratio quæ. 149.b
Incarnationis Christi opus cur tribuatur spiritui sancto. 151.b
Incarnationis Christi expositio. ibidem
Indurare quid. 107.a
Indurare hominem & excæcare quomodo Deus dicatur. 166.a
In nomine alicuius quid in scripturis. 96.b
In nomine Iesu facere. 96.a
In gloriam Iesu facere. ibidem
In nomine Iesu habere gratiam. ibidem.b
In nomine Iesu petere. ibidem.b
Interpretandi genus optimum. 42.b
Interpretis boni officium. 31.a
Interpretes sacræ scripturæ 25.a
Interpretationum varietas spiritui sancto prouidente facta. 50.a
Interpretantes contrariè non arguendi. ibidem.
Inter doctores interpretantes scripturas duo genera dissensionum. 49.b
Interpretum multitudo iuuat. 64.b
Interpretes 70. & de illarum æditione. 25.26.b
Interpretum 70. æditionem Dei nutu factam & diuinam. 27.a
In interpretibus 70. loquens spiritus sanctus cur quædam præterierit. 28.29.30.a
Interpretum 70. æditio olim authoritatẽ habuit, qua vsi sunt Christus & Apost. 39.a
Interpretes 72. transferentes Biblia, separati fuerunt. 23.b: linea 39.
contra Interpretes 70. obiectio. 27.28.b
& pro illis. 29.b: linea 10.
Ioachim generationes. 184.b
Iohanni Baptistæ testimonium dat Iosephus. 193.a
Ioseph sponsus Mariæ quomodo dicatur filius duorum 193.b
Iosue post Moysen scripsit verba Dei. 3.a
Ironia in scripturis 117.a
Isaac cum Ismaele, & lactatio infantiæ quid. 45.b
Iudæos non habere verum scripturæ intellectum. 8.b
Iudæis sceptrum ablatum ante natum Christum. 76.b
Iudæos frustra expectare carnalem Messiam. 193.b
Iudæorum synagoga facta schismatica, exuta est omnibus spiritualibus donis. 213.b
Iudicari à Deo quomodo orent sancti. 82.b
Iudicium quid. ibidem.a
Iudicia Dei. ibidem.b
Iudicia oris Dei. ibidem.
Iudicij acceptio, & multiplex iudicandi modus. 81.b
Iudicij communem quandam rationem considerandam in omnibus sermonibus. ibidem.
Iudicij diem præcessura signa, & in eo futura. 197.a
Iudicium extremum immediatè præcessuros Enoch & Heliam. 198.b
de Iudicio extremo loquentium scripturarũ concordatio. 199.a
de Iudicij die scripturæ contrariæ. 172.b
Iudith historia. 11.b
Iustitia quid. 82.a
Iustitia Dei, ibid.
Iustitiam Dei bifariam intelligi 105.b
Iustificamur gratis non tamen sine nostra voluntate. 251.a

L

Latinorum & Græcorum codices varios esse. 103.b
Latinarum literarum inuentio. 176.a
Legis nomen generale. 81.a
Legis nomen variè accipi in scripturis. 81.a linea 11.
Legis Moysi officium. 81.b
in Lege Moysi contenta. 81.a
Legem non seruandam post diuulgatum euangelium statuit Petrus. 229.b
Leges statuendi facultas erat apud prælatos synagogæ. 266.
Lex variè in scripturis nuncupatur. 78.b
Lex virtus peccati. 81.a
Lex quomodo occidat. ibidem.
Lex quatenus propter transgressionem posita. 107.a
Lex Moysi quatenus comparetur legi euangelicæ. 81.b
Lex noua quomodo dicatur lex fidei. ibid.
Lex non est iusto posita: &, Legẽ pone mihi Domine. non contrariantur. 172.a
Liberum esse à peccato quid 80.a

Liberum arbitrium adesse homini. 268.
Libri Bibliorum non semper intitulantur à suis authoribus. 9.b
Libri canonici veteris testamenti. 3.b
Librorum canonicorum quadruplex ordo. 6.a
Libri quos Hebræi à canone separant. 11.b
Librorum veteris testamenti scriptores. 9.a
Libri Iudicum author. ibid.
Libri Regum author. ibid.
Libri Paralip. 9.b
Liber Hester & eius autho. 10.b.11.a
Libri Ecclesiastici autho. 12.a
Liber Sap. Eccle. & Iudith. 5.b.6.a
in Libro Eccle. Salomon loquitur secundùm diuersas personas. 37.a
Liber Sapien. apud Hebræos nusquam est. 12.b
in Libro Sapient. recitari sententias Salomonis 19.20.a
Liber Iob & sentẽtia Hiero. de S. Iob. 9.b.10.a.21.a
Librum Iob transtulit Moyses ex Syro in Hebraicum 9.b
in Libro Canticorum nihil carnaliter sapiendum 144.b
Liber bellorum domini. 9.a
Liber iustorum domini. 9.a
Libri Machabæorum 6.7.a. linea 24. & 13.a
Liber secundus Machabæorum Iasonis quinque voluminibus collectus 13.a
Libri canonici noui testamenti 3.b.6.b.13.b
Libri noui testamenti quibus temporibus æditi 14.b. linea 23.
Liber Act. Apostolorum. 15.a
Librorum omnium veteris & noui testamenti catalogus 23.a linea 16.
de Libris sacræ scripturæ Ruffini sententia 5.a
Libri falsò intitulati Petro 205.b
de Libro repudij scripturarum contrarietas. 166.b
Libidinis causa non cocundum 256.a
Lingua loqui quid 93.a
Linguarum confusionem propter peccatum accidisse 25.a
Linguarum peritiam insufficientem ad intelligendam scripturam 63.a
Linguarum varietas 24.b
Loca & festa in honorem Martyrum dedicata. 249.a

M

Magdalenę duę 77.b
Magdalenam bis Christi pedes vnxisse 168.a
Mariam nostram esse mediatricem 127.a
Mariam virginem inuocandam 127.b
Mariæ rectè applicari, de ecclesia tropicè prædicata. 126.b
Maria quomodo cognata Elisabeth 194.b
Maria quando obierit 171.a
Maritos plures habere nunquam vni mulieri licuisse. sed bene econtra 72.a
Martyres venerandos & illorum reliquias 250.b
Mathusalæ obitus 177.b
Mel de petra fluxum quid signet 245.a
Messias ex psal. 44. conuincitur esse verus Deus 101.a
Metaphoricè accepta vocabula. 79.b
Metaphoricè accepta vocabula intelligẽdi regula. 80.a
Metaphoricè vna res variis nominibus significatur. 111.b
Metra esse in quibusdã libris veteris testamẽti. 5.b
Misericordiæ & veritatis acceptiones. 83.a
Misericordia & veritas quomodo sibi obuiauerunt. 83.a
Missam à Christo institutam & à patribus auctam 254.a
Mixtio vini cùm aqua antiqua obseruatio. 293.b
Monasticæ vitæ status ex traditione apostolorum 255.b
Monialis aut Deo consecrata si nupserit adultera fit 260.
Monarchiæ quatuor sibi succedentes. 187.a
Mortem variè in scripturis accipi. 80.b
Mori peccato variè accipi. 81.a
Mortuum esse mundo quid. 105.b
Mortem non fecit deus quomodo intelligendum 166.a
vix Moritur quis pro iusto quomodo intelligendum 102.b
Morituri an sint omnes homines. 104.a
Mutatio personarum. 136.b
Mutatio occulta personæ loquentis. 137.b
Mutationem personarum esse in diuersis capitibus Isaiæ 137.b
Mutationem personarum esse in psalmis. 140.b
Mutationes personarum in Canticis 144.b
Mutatio singularis numeri in pluralem. 145.b
Mutatio affectuum. 145.b
Mystica captum humanum excedentia. 152.b
Mystica sunt quæ deus egit cum Israel in Ægypto. 154.b

N

Nabuchodonosor multi 76.b
Nabuchodonosor apud Græcos Cambyses dictus. 12.a
Nabuchodonosor magni facinora 180.a
Nathan multi 77.b
Naturas rerum in tropis accipiendas vt vestigia quædam diuinitatis 126.b
Naturalium rerum cognitio vtilis ad Theologiam ibidem.
Necessarij & impossibilis acceptiones. 87.b
Necessitas multiplex. 87.b
Necessitas ex suppositione 89.a
Necessitas scandali 89.a
Nomen domini in scripturis quid 96.b
Nomine vno diuersa significari 78.a
Nomina & verba communia variè in scripturis accepta 79.a
Noe ab ethnicis vocatus Ogyges, Ianus & Noam. 179.a
Nox in scripturis quid 122.a
Numerus annorum mundi quomodo accipiendus 177.b
Numerus aureus ad quid valeat 188.b

O

Obedientia quomodo præpositis exhibenda. 263.
Non obedire, negligere, & contemnere ecclesiam differunt 264.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Obseruationes ecclesiasticæ ex Hiero. 259.
Obtenebrari solem & stellas quid 111.a
Ochosias trinominis. 78.a
Oculi ecclesiæ gemini 120.a
Oculus interior quid. 79.b
Odire patrem quid 117 b
Omnia mihi licent,& cæt.quid. 108.b
Omnia probate,& cæt.quid 109.a
Omnis qui occiderit Cain,&c.quid. ibid.b
Opera conditionis sex diebus consumpta. 2.a
Opera trinitatis indiuisa. 149.a
Opera Christi triplicia. 150.a
Opera restaurationis. 2 b
Opera redemptionis tractat tota scriptura sacra. 2.b
Opera quatenus iustificent. 167.b
ex Operibus,aut non ex operibus quid. 98.b
Opera incarnationis, amoris, charitatis & gratiæ, spiritui sancto attribuuntur. 151.b
Orandum theologiæ studioso, vt intelligat quæ legit. 73.a
Orandum pro defunctis. 260.
Orant pro nobis sancti & angeli. ibidem
Orandum non esse nec offerendum pro mortuis, Arrij hæresis est. 241.b
Orare spiritu & mente,quid. 83.b
Orans oratione non intellecta. 94.a
Oratione dominica docuisse Christum non verba,sed res petendas 115.b
Os Dei,& os hominis quid. 79.b

P

Parabola quid. 129.a
Parabolarum comparationes quatenus respondere debeant. 133.b
Parabolæ quomodo intelligendæ. 129.a
Parabolarum duo genera. 130.b
Parabolarum ex rebus corporalibus assumptarum diuersi fines. ibidem
Parabola de seminante ibidem
De zizaniis. 131.a
De sinapi & fermento. ibidem
De thesauro abscondito. ibidem
De sagena. ibid.b
De rege rationem ponente cum seruis. ibid.b
De patrefamilias plantante vineam. 132.a
De rege qui fecit nuptias filio. ibidem
De volente turrim ædificare. ibid.b
Parabolæ quibus mysteria euangelij per similitudinem insinuantur. 133.a
Parabola de iniquo iudice. ibidem
De petente tres panes. ibidem
De villico iniquo. ibidem
Paschæ celebratio. 46.a
Pascha celebrandi tempus,& de eo error. 188.b
Passio Domini in libro Sapientiæ prophetatur. 13.a
Passionis dominicæ dies annua, cur feria sexta celebretur. 253.b
Passus quomodo dicatur Christus propter peccata nostra. 99.a
Paulus Romæ occisus eodem tempore quo Petrus. 15.b
Paulus bis Romæ vinctus. 16.a
Pater quatenus per filium operetur. 97.b
Patrem per Christum nos saluare. ibid.
Pater generat filium. 147.b
Pater & filius eiusdem potentiæ. ibidem
Patrum modestiæ laus. 206.a
Patrum scripta quo loco habenda. 266.
à Patribus dissentire licet habita ratione. 267.
Patrum scripta quatenus sint ab ecclesia recepta. 206.b
Patrum ecclesiasticorum eloquentia. 73.b
Patres non esse traducendos propter quosdam suos lapsus. 235.a
Peccatum originale vtrùm habuerit ante diluuiũ corporale signum pro remedio, 215.a
Peccatum variè in scripturis capi. 80.b
Peccatum pro diabolo poni. ibid.b
Peccati Cain grauitas. 110.b
Peccatores bifariam perire. 117.b
Personæ cuiusque in diuinis attributa. 148.b
Petri primatus ex quibus scripturis intellectus à patribus. 227.b
Petrum eiusque successores exercuisse primatum docent scripturæ & historiæ. 229.b
de Petro variè loquitur scriptura. 235.b
Philippenses 17.a
Philones duo 12 b
Philosophos quædam docuisse fidei catholicæ accommoda. 69.b
Picturæ an sustinendæ. 281.a
Pignus quid differat ab arrabone 35.b
Pœnitentia duplex. 257.a
Pœnitentiæ triplex genus. 261.
Pontifices alienigenas constituisse Herodem 189.a
Pontifices à captiuitate Iudaica per Cyrum soluta. 182.b
Pontifices plures summos esse non posse. 231.b
Pontificem Romanum pascere posse totum orbem. 232.a
Pontifex an subsit authoritati totius ecclesiæ vel generalis concilij. 240.a
Pontificis corruptam vitam neminem debere tutare,aut ab ecclesia separare. 235.a
Pontificem Romanum offerre super ossibus Petri & Pauli. 260.a
Potestas sacerdotalis vnde instituta. 224.a
Præcepta in veteri lege triplicia. 46.a
Præcepta cæremonialia quæ. ibidem
Præcepta iudicialia quę. ibidem.b
Præcepta Mosaica triplicia. 81.a
Præcepta veteris legis quomodo nõ bona. 135.b
Præpositionum, in,à,ab,de,ex,per,& similium vires. 94.b:97.a:98.a.b:99.a
Præposterus ordo seu recapitulatio in scripturis. 113.b
Prima sabbati quid. 142.a
Prophetare & propheta variè accipi. 93.b
Prophetarum ordo ac tempus. 195.b
Prophetarum ordo iuxta tempora quibus prophetauerunt. 196.b
Prophetas neminem absque doctore & magno studio posse intelligere. 51.b
Prophetarũ oim scopus Christus. 149.b.118.b

Prophetata

Prophetata promiscuè,successiuè impleri 136.a
Prophetiæ omnes de Messia completæ in Christo. 192.b
in Prophetis obseruandã historiæ veritatem 136.a
Prouerbia Salomonis sparsa, in vnum volumen postmodum fuisse collecta. 19.a
Proximus quis. 66.a
Psalmorum author. 10.a
Psalmorum liber cur nõ sit inter prophetas apud Hebræos. 17.b
Psalterium latinum quadruplex. 26.b
Psalmos rectè intelligendi regula. 156.a
Psalmos spiritualiter intelligendos 155.a
Psalmi titulum non semper eius authorem designare. 155.a
Psalmorum tituli quomodo intelligendi. 155.b
Psalmos de Christo & eius ecclesia ad literam loqui. 153.155.b
Psalmorum de Christo loquentium enumeratio. 146.b
Psalmos non tãtum historiam, sed etiam prophetiam continere. 140.b
Purgatorium esse. 261.a

Q

Quadragesimalis ieiunij ortus? 254.a
Quadragesimam Christus exemplo docuit, Apostoli tradiderunt. 249.b
Querite & inuenietis, dicitur credentibus. 53.b
Quia,& quoniam,quid significent in scriptu. 100.a
Qui fidelis est in minimo.&c. 133.a
Quomodo intelligantur dicta Christi, Matthæi quinto. 171.a

R

Reciprocę locutiones. 106.a
Rediisse quosdam ex mortuis. 261.
Regis veri officium. 84.a
Reges Babyloniorum à Sardanapalo vsque ad Cyrum 179.b
Reges duo sibi contrarij & duo populi 119.a
Reges multi vt vno nomine,ita vnus pluribus appellatur. 77.b
Regni nomine quid intelligatur. 84.a
Regni cœlorum voce quomodo multa intellecta, 83.84.a
Regnum cœlorum quatuor modis dici. 83.b
Regnum cœlorum domus Iacob. 83.b
Regnum Christianorum. 84.a
Regnum Christi. 118.a
Regnum diaboli. 118.b
Regnum dei vnicum esse 84.b
Regnum quatenus comparetur fermento. 84.b
Regni Christi appellationes. 119.b
Regnum Christi perpetuum in ecclesia. 195.a
Regnum Christi & beatorum. 199.a
Regnum Christi solis Iudeis esse promissum 125.a
Regnum Antichristi quale futurum. 198.a
Regnum Antichristi quàmdiu duraturum. 195.b
Regnorum omnium successiuus interitus. 197.a
Regnum Israel sub quo extinctum. 177.a.176.a
Regnum Iudæorum quando à Romanis occupatum. 186.b
Rex Iudæorum constituitur Herodes. 186.b
Reliquiæ sanctorum venerandæ. 250.b:260.
Reliquiæ sanctorum honorandæ exequijs & sepulturis. 261.
Rhetoricam vtilem doctoribus veritatis. 73.b
Rhetorica quomodo & à quibus discenda. 73.b
Refurgere omnes quid. 104.a
Rituum ecclesiasticorum genus triplex. 252.b
Ritus ecclesiæ ex Clemente, 256.a
Ritus ecclesiæ ex Philone. 255.b
Roma quando condita. 177.a:linea 6.
Romanum imperium defiturum. 198.a

S.

Sacramenta ecclesiæ septem. 243.a
sub Sacramentis visibilibus Deum operari inuisibiliter. 247.b
Sacramentum ordinis. 243.b
Sacramentum confirmationis quod non est necessitatis,à solis datur episcopis. ibidem.
Sacramentum eucharistiæ ex scripturis concessum ab omnibus,& de veritate corporis Christi. 243.b:249.b
Sacramenti eucharistiæ manducandi modus. 244.b
Sacramentum eucharistiæ omni cautela seruandum. 257.b
Sacrament. euchar. diaconi à presbytero vel episcopo sumere debent. 925.
Sacramentum eucharistiæ an quotidie sumendum 248.a
Sacramenta iterabilia quæ. 243.b
Sacramenti matrimonij dissolubilitas Auicennæ placuit. 57.a
Sacramentorum iurisdictionem non esse extra ecclesiam. 220.b
contra Sacrificium missæ obiectiones, & illarum solutiones. 250.b
Sacrificia veteris legis quatenus deo placebant 135.b
Sagittæ Christi & diaboli. 123.a
Salem multæ in scripturis. 77.b
Saluandos quomodo elegerit Deus per Christum. 95.b
Scribarum stylus mendax. 36.b
Scriptores qui tempore Apostolorum. 254.b
Scriptura sacra quæ. 1.3.b
Scripturæ sacræ eminentia. 69.b
Scriptura sacra de quibus tractet. 2.a
Scripturarum peculiaris fœcunditas. 116.b
Scriptura sacra cur pura,stabilis,integra. 1.b
Scriptura sacra omnium aliarum scientiarum norma. ibidem
Scriptura sacra multis modis ab aliis distinguitur 2.a
Scripturæ sacræ scopus. 2 b
in Scripturis sacris veram esse sapientiam. 74.a
Scripturas non esse per Hebræos corruptas seculo Hieronymi. 33.b
Scripturarũ nostrarũ captarios esse Iudæos. 34.a
Scripturæ sacræ authores eloquentes. 38.a
Scripturæ canonicæ à quibus acceptæ. & quomodo dinoscantur. 1.b

Scriptu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scriptura cur testamentum vocetur. 2.b
Scripturis veteris test. ijsdem quibus nunc vtimur, Christus & Apostoli vsi sunt. 3.b
Scripturarum duo ordines. 2.b
Scripturæ addere vel minuere quid. 266.
Scripturas veras apud nos esse qua ratione constet. 3.a
de Scripturis sacris quomodo liceat disputare. 1.b
Scriptura sacra insidiatur nobis diabolus. 241.b
Scripturæ diuersitas vnde prouenerit. 43.a linea penultima.
Scripturæ sacræ cur obscuræ. 63.67.146.a.199.b
Scripturarum obscuritas à spiritu sancto facta. 51.b
Scripturas obscuras facit, quòd Græci pro ablatiuo vtantur datiuo. 105.b
in Scripturis frequenter eadem repeti. 78.a
Scripturæ totius finis dilectio Dei & proximi. 66.b
Scripturæ in speciem contrariæ, quomodo concordandæ. 165.a
Sufficientia Christi. 251.a
Sedem Apostolicam consulunt Episcopi Aphricæ. 227.a
Sensus gemini in scripturis origo. 116.a
Sensus scripturæ triplex. 46.b
Sensus literalis & mysticus. 44.a
Sensus mysticus. 47.b
Sensus historicus hyperbolicè expressus, quid sibi velit. 111.a
Septenarium numerum esse perfectum & sacrum. 109.b
Signum quid. 67.a
Signa naturalia. ibidem.
Signa visibilia. ibidem.
Signa audibilia. ibidem.
Signa vocalia. ibidem.
Signa gemina quæ difficilem faciunt scripturam. 66.76.b
Signorum ignorantia, qua via nõ posset quis decipi. 67.b
Sion in scriptura quid. 126.a
Solicitudo duplex. 79.a
Solicitudo sanctorum pro nobis in cœlo. 274.a
Sperandum in Deo doctum à prophetis. 196.b
Spiritum accipi multifariam. 79.a:90.91.a.b. 92.b
Spiritus absolutè positus significat spiritum sanctum. 92.a
Spiritum extingui quid. 92.b
Spiritum sanctum hominem per hominem docere. 75.a
Spiritum sanctum verum Deum esse. 147.a
Spiritus sancti à patre & filio processio. 148.a
Spiritus sanctus per multos loquitur. 59.a
Spiritus charitatis, fidei, & prophetarum. 38.b
Spiritu pauperes. 93.a
Superstitiosum quid. 68.b
Superstitiosa nõ esse omnia instituta gentiliũ. 69.a
Symmachus & Theodotion infideliter transtulerunt. 26.a

T.

Tempus Antichristi. 195.b
Tepidum esse quid significet. 80.a
Terram tremere quid sit. 159.a
Thessalonicenses. 17.a
Ticonij regulæ septem de varijs. 72.73.a.b
Tobiæ historia. 11.b
Traditionibus non scriptis inhærere apostolicum est, teste Basilio. 259.
Transferri res corporales ad mysticas. 118.b
Transitus à litera ad spiritum quando fiat, & eius exempla. 156.157.158.a
Transitus de tempore in tempus. 134.a
Transitus temporum quomodo sit accipiendus. ibidem.b
Transitus de parte regni aut prouinciæ ad totum. 158.a
Transitus de vno Christi aduentu in alium. 158.b
Transitus à regno Christi in hoc seculo ad regnũ futuri seculi. 162.a
Trãsitus de mẽbris Diaboli ad ipsum caput. 164.a
Translatè acceptæ voces. 116.b
Translatæ locutiones de iusto. 123.a
Translatę locutiones de Deo. 123.b
Translatæ locutiones de animâ rationali 124.a
Translationes & additiones variæ in scripturis 25.b.linea 29.
Translatio latina olim gemina. 26.b
cur Transtulerit Hieronymus vetus testamentum immediatè ex Hebræo. 31.a.linea 19.
Translationis vulgatæ quis author. 24.a
Translationis vulgatæ authoritas 31.a.34.b.35.a
Translationi vulgatæ secundùm quosdam prorsus adhærendum. 24.b
Translatione vulgata vtendum in publicis studijs & lectionibus. 44.a
Troporum cognitionem theologo necessariam. 72.b
Tropus quid. 115.b
Tropicæ & hyperbolicæ locutionis differentia. 128.a
Tropicæ locutionis species. 72.b
Tropicæ locutionis emphasis 116.a
Tropicis locutionibus abundare scripturam. 115.b
Tropicæ locutiones de Hierusalem. 124.a
Turris euangelica quæ. 132.b

V

Vasorum & vestium consecratio. 249.a
Velle vnum propter aliud quomodo deus dicatur. 100.b
Vendiderant ne omnia sua tempore apostolorum omnes fideles. 255.b
Veritas dei quid. 83.a
Vestimenta ouium quæ. 53.a
Vestis preciosa Aaron. 55.a
Veteris testa. codices Babylonico igne consumpti. 3.a
Veteris testamenti canonem in tres ordines distinguit Hiero. 5.b

Vetus testamentum videtur diuidere saluator in tres ordines. 18.a
Veteris testamenti quartum esse ordinem apud Christianam ecclesiam. 20.a
Virginitas à patribus approbata. 56.b
Virtus quomodo accipiatur in scripturis. 103.a
Vita æterna quæ 58.b
Voluntas dei. 82.b
Voluntas Dei erga genus humanum. 166.a
Voluntates duæ in Christo. 150.a
Voluntatis bonæ Initium nobis à deo inesse 107.b
Vniuersaliter accipi quæ particulariter dicuntur. 109.a
Vniuersales propositiones non tam generaliter intelligendas quàm sonant 108.a.222.b
Vt, quomodo in scripturis accipiatur. 99.a
Vti quid sit. 63.b
Vti quomodo conueniat deo. 65.a

Z

Zelari quid. 84.85.a.b
Zelus quid. 84.b.85.a.b
Zelus quid secundùm Suidam. 78.a
Zelus Iudæorum contra Christianos. 86.b
Zelus dei arripiendus contra hæreticos. 241.b
Zizania in euangelio quid velint. 131.a
Zorobabel figura Christi. 157.b

INDEX TRACTA-tuum & capitum quatuor librorum de *scripturis & dogmatibus ecclesiasticis.*

Primus liber ostendit qui nam sint libri canonici sacræ scripturæ, continens quatuor capitula

Primum caput. Viam docens quæ scriptura sit sacra, quæ differentia illius ab aliis, diuisio & ordo librorum sacræ scripturæ. Fol. 1.a
II. Difficultates sanctorum patrum subortæ super canone sacrarum scripturarum. 8.1.b
III. Authores qui nam fuerint singulorum librorum sacræ scripturæ. 9.a.b
IIII. Absolutio difficultatũ ex sententiis S. patrũ de numero sacræ scripturæ exortarum. 17.b

Secundus liber tractat translationum, expositionumq; sacræ scripturæ varietatem & multitudinem, continens tria capita. 23.a

Primum caput. Quæ & ad quid sit multitudo interpretum & translationum sacræ scripturæ. 23.b
II. Tractat de multitudine sensuum sacræ scripturæ. 44.a
III. Quis sit modus intelligendi sacram scripturam, falsumq; esse scripturam per se esse facilem ad intelligendum. 50.b
Tertius liber, Modos tradit ad intelligendum locos sacræ scripturæ obscuros, partitus in tractatus tres.
Tractatus primus ostendit generales studioso cuilibet, & necessarias regulas, quasdamq; sententias pro intellectu sacræ scripturæ facientes, diuisus in capitula quatuor.
Primum caput tractat modos ad inueniendum intellectum rerum quarundam sacræ scripturæ ex verbis S. Augustini. 63.a
II. Explicat signa sacræ scripturæ obscura. 66.b
III. Quænam obseruanda ad inueniendum sententias scripturarum. 96.b
IIII. Doctoribus sacræ scripturæ quæ nã necessaria & proficua ad erudiendum populum 73.a
Tractatus secundus, obscuritates scripturarum propter dictionem & sermonem expẽdit, in quinque capita distributus.
Primum caput, De homonymis & æquiuocis verbis, nominibus, coniunctionibus & præpositionibus variè acceptis in sacra scriptura. 76.a
II. Orationes ambiguas, reciprocas, & obscuras locutiones scripturarum explicat 101.a
III. Locutiones vniuersales, hyperbolicas, ironicas, inabsolutas, & præpostero ordine locutas expendit. 108.a
IIII. Orationes tropologicæ, metaphoricæ, & parabolicæ scripturarum expenduntur. 115.b
V. Loquutionibus obscuris, propter mutationem temporum, affectuum, personarum, numerorumq; in vtroq; testamento, satis facit. 134.a
Tractatus tertius, Obscuritates scripturarum propter res ipsas difficiles, etiã si plano tradantur eloquio, explicat, in quinque capitula dissectus.
Primum caput tractat de trinitate personarum, de incarnatiõe filij Dei, in scripturis traditis. 146.a
II. Elucidat loca obscura sacræ scripturæ propter transitum literæ ad spiritum 153.a
III. De gemino Christi aduentu aliisq; rebus diuersis, sub eodem sententiarum contextu promiscuè positis 158.b
IIII. Apparentes scripturarum contrarietates exponit. 165.a
V. Exponit loca ambigua scripturarum, propter numerum annorũ, hebdomadarũ, & dierũ 173.a

Quartus liber tractat de dogmatibus ecclesiasticis extra canonem sacræ scripturæ cõstitutis, & de libris apocryphis, continet capita sex.

Primum caput, ventilat appocryphas scripturas authoritatemq; librorum, quos ædidêre sancti & ecclesiastici patres. 204.a
II. Tractat de vera Christi ecclesia, & quæ sit illa, apud quos sit, quaq; rõe internosci poterit. 112.b
III. De ecclesia cathedræ D. Petri, sit ne illa caput cæterarũ ecclesiarum, anq; oporteat oẽs Christianos huius ecclesiæ authoritati se subiicere. 223.b
IIII. Potestas quænam ecclesiæ catholicæ, vtrumúe oporteat nos adhærere definitionibus ecclesiæ tanquam scripturis canonicis. 237.b
V. De multis sententiis pro orthodoxa fide tenendis, quæ ex scripturis sacris euidenter monstrari non possunt. 241.a
VI. Hæreticorũ multa dirimũtur argumẽta. 264.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omnibus theologiæ ſtudioſis S.

A diuuandis veſtris ſacrarum rerum ſtudiis candidiſsimi Lectores, omnia celeberrimi olim profeſſoris Ioannis Driedonis opera huic præſertim ſeculo contra hæreſes neceſſaria, ad primos illos fontes, vnde manarunt (quo certè facto maximè opus erat) reſtituta, officioſiſsimis indicibus, diſtinctionibus, & neceſſarijs adnotationibus, quibus hactenus caruerant, adornauimus. Et vt ea ſemel omnia eiuſdem prorſus formæ haberetis, cum hoc de eccleſiaſticis ſcripturis & dogmatibus opere, quo & verâ Theologiæ methodus, & prima huius ipſius neceſſaria fundamenta primo ac optimo ordine traduntur, ſeorſim impreſsimus. At poſtea quò ſtudioſorum animos nobis amplius conciliaremus, opuſcula quoque peritiſsimi eiuſdem vniuerſitatis nuper ſacræ ſcripturæ profeſſoris Iacobi Latomi aduerſus Lutheranos & Sacramentarios perutilia, breui in lucem ædenda præ manibus habemus. Nam vterque horum in his libris Theologiam illam recondiram (quæ ſcholaſtica vocatur) huic hæreticoſo tempori ſtudioſis cognitu neceſſariam, adeò facili ſtylo, & familiaribus verbis conſcripſit, vt omnium ingenijs & eruditionibus meritò diuinitus ſe accommodaſſe videantur. Omnibus ſtudioſis Lectoribus Deum Opt. Max. precor propicium, & hos noſtros conatus & ſumptus boni conſulant, & in ſuum referant vſum rogo. Louanij ex noſtris ædibus Anno. 1550. quinto Calend. Febru.

Operum Driedonis Catalogus.

De ſcripturis eccleſiaſticis & dogmatibus.	Libri 4.
De captiuitate & redemptione humani generis.	Liber vnus
De gratia & libero arbitrio.	Libri 2.
De concordia liberi arbitrij, & prædeſtinationis diuinæ.	Liber vnus.
De libertate Chriſtiana.	Libri 3.

Catalogus operum Iacobi Latomi.

Reſponſio ad articulos Lutheri.
De primatu pontificis aduerſus Lutherum.
De fide & operibus, & votis monaſticis.
De confeſsione ſecreta.
De quæſtionum generibus, quibus eccleſia certat foris & intus.
Pia viuorum opera defunctis prodeſſe.
Viuos ſanctorum ſuffragiis adiuuari.
Chriſti ſanctorumq; imagines honorandas eſſe.
De ciborum delectu & ieiunijs.
De miſſa, Et alia, quæ pro tempore non offerebantur.

DE CATALOGO LI-
BRORVM SACRÆ SCRI-
PTVRAE IOHANNIS DRIEDO-
nis de Thurnhout, ſacræ Theologiæ apud Louanienſes profeſſoris, Liber primus.

B TRACTATVRI de rebus fidei, & de religionis Chriſtianæ myſterijs, ſacramentis, conſuetudinibus atque dogmatibus, ſuper quibus iam hoc noſtro infeliciſſimo ſeculo turbatur eccleſiæ vnitas, rumpitur pax, ſoluitur Chriſtianorum concordia (quos oportebat tanquam vnius corporis membra, & tanquam fratres vnanimes habitare in domo Dei, quæ eſt eccleſia) hunc modum in omnibus libris per nos ædendis in lucem (Deo adiuuante) ſeruare conabimur, vt ſententias & concluſiones colligamus ex ſcripturis ſacris, ex vniuerſalibus ſacroſanctæ eccleſiæ concilijs, ex venerãda patrũ antiquitate: quibus demonſtremus & fidei, & ſcripturarum, & ſacramentorum vnitatem ſecundam ſeriem ſucceſſionis cuſtoditam ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad hæc vſque tempora. Et quia inter tantos diſſenſionum tumultus, magna ſumpſit incrementa temeritas quorundam hominum indoctorum, qui ſacram ſcripturam in linguam vulgarem ſuo ſpiritu transferentes, diuerſis annotationibus, præfationibus & prologis contemptibiles reddiderunt pleroſque ſcripturæ libros: ex quibus tanquam canonicis totus antiquorum patrum chorus citauit ſententias, tanquam à ſpiritu ſancto profectas. Quibus factum eſt vt etiam idiotæ, plebs, indoctæ mulierculæ habentes iam ſacratiſsimos libros verſos in vernaculam linguam, in tantam proruperint audaciam, vt nihili faciant venerandam patrum antiquitatem, catholicæ eccleſiæ authoritatem, contemnentes elaboratiſsimas ſanctorum interpretationes. Proinde primum hunc noſtrum librum ab ipſis fundamentis exordiemur, oſtenſuri qui nam ſint Canonicæ ſcripturæ libri. Diſtribuemus autem totam huius libri materiam in quatuor capita: In quorum primo commonſtrabimus viam ex qua diſcimus ſcripturam eſſe ſacram & diuinam, inſuper & differentiam eius ab alijs: & numerum, ordinem ac diuiſionem librorum eiuſdem, ſecundum traditionem eccleſiæ: non eius ſolùm quæ nunc eſt, ſed & eius quæ ſecundum ſucceſſionem patrum à temporibus Apoſtolorum hactenus eſt continuata. In ſecundo enarrabimus ſuper hac materia difficultates quaſdam ex ſententijs patrum emergentes. In tertio pro diſſolutione earundem difficultatum ſtatuemus generalis quædam documenta de authoribus librorum ſacræ ſcripturæ, ac de eorundem authorum temporibus. Poſtremum ipſas difficultates ex ſententijs patrum de catalogo Canonicorum librorum exortas abſoluemus.

C Hæreſis & cõtemptus patrũ vnde incremẽtum ſumpſit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT PRIMVM.

Scriptura sacra quæ.

OPeræprecium est igitur primùm tractare de scripturis sacris, & ostendere quænam sint scripturæ sacræ atque diuinæ, & qua via demonstretur scriptura aliqua esse sacra, & honoranda tanquam diuina atque canonica. Sola illa scriptura est diuina, quæ per spiritum Dei est aspirata, & per eos qui spiritu dei sunt loquuti, administrata, pura, integra, stabilis. Pura quidem, hoc est, absque commixtione vllius falsitatis. Stabilis, quia verum Dei verbum permanens in æternum. Integra autem omnia quæ sunt ad salutem necessaria humano generi commonstrans. aut per se ipsam plano sermone, aut per ecclesiam catholicam: quam vt veritatis magistram indicat, iussitque audiri omnium aliarum scientiarum regula, mensura, & norma: secundum quam quicquid vel in philosophicis, vel in moralibus, vel in liberalibus artibus, vel in poetarum carminibus, vel in Oratorum historijs, reperitur aut cognitione dignum, aut humano generi vtile, flectere oportet atque interpretari, proposita omnibus tanquam eiusdem spiritussancti fidele depositum, certissimis suis definitum voluminibus. Ex quibus tota sanctorum schola, tota Prophetarũ & Apostolorum ecclesia, fidei nostræ assertiones constare voluerunt, & quarum sententias in dubium reuocare iudicauerunt esse nefarium. Ex quibus tota salutis nostræ via discenda est, ex quibus quotidianus vitæ nostræ panis est colligendus, ex quibus haurienda sunt sapientiæ salutaris pocula, ex quibus Dei voluntas, sapientia, misericordia, bonitas & iustitia est inuestiganda, ex quibus etiam corroboranda est omnis orthodoxę fidei veritas. De quibus vtrùm verum & rectum sit, quicquid illic assertum reperitur, omnino dubitare non licet. Est quidem inter ecclesiasticos patres pia quędam diuersitas & disputatio, non de hoc, an in huiusmodi scripturis assertæ sententiæ sint veræ & rectæ: Sed de hoc, quòd earundem scripturarum verba, vnus sic, alius aũt non sic, sed aliter exponit atq; interpretatur. Quibus fit vt sit sancta inter eos quædam altercatio super earundem scripturarum intellectu: Sed hęc in vnitate spiritus, fidei, pacis & vnitatis concordat, dum pro congruentia temporũ, locorum & personarum audientium, vnus sententias quasdã catholicas ex propositis scripturis, alius autẽ sententias alias, tamen congruas etiam fidei, & verisimiles, aut catholicas intellexit, quod in sequentibus (Deo dante) planiùs ostẽdemus. Nunc aũt ad demonstrandum catalogum, seu canonem diuinarum scripturarum accedamus. Sciendum est ergo quòd canonicas scripturas dignoscimus per successionem sibi inuicem ecclesiarum & sanctorum patrum testimonia. Sunt enim (iuxta Irenęum) quas Apostoli à Christo, & ecclesiæ primitiuæ ab Apostolis, & cęterę exinde ecclesiæ per vniuersum orbem ab ecclesijs secundem seriem successionis antiquioribus, acceperunt: quas & deinceps nos habemus diligentia patrum secundum seriem successionis in hæc vsque tempora custoditas, prouidẽte Dei spiritu: qui olim loquutus est populo in patribus & prophetis, nouissimè nobis, & in Christo filio & in Apostolis spiritu Christi plenis. Scripturæ igitur sacræ, cùm sint eloquia diuini spiritus loquentis per Prophetas & Apostolos sibi inuicem succedentes, & de rebus diuinitus secundum temporum successiones gestis, non totę simul, sed paulatim per succedentes sibi inuicem patres, Prophetas videlicet & Apostolos sunt nobis administratæ: quò fit vt secundum successiones temporum, creuerit canon diuinorũ voluminum, donec consummarentur reparationis humani generis opera, per verbum incarnatũ, in quod & pendebant omnia vota Prophetarũ, & tota tendit materia harũ scripturarum. Demonstramus itaq; scripturam esse diuinam & canonicã per testimonium ecclesiæ, non illius solius quæ nunc

Scriptura sacra cur pura, stabilis, integra.

Scriptura sacra est omniũ aliarũ scientiarum norma.

De sententia in scripturis asserta dubitare nõ licet.

Quõ liceat de scripturis sacris disputare.

Canonicæ scripturæ quomodo dignoscãtur.

Irenęus lib. 3. aduersus hæreses Valentinorum.

A quibus acceptæ scripturæ canonicæ.

nunc est, sed intellectæ secundum successiones ecclesiarum, seriemque ipsorum patrum ab initio ad hæc vsque tempora sibi succedentium. Hac via patres qui ante nos fuerunt, vt Dionysius, Clemens, Polycarpus, Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Athanasius, Basilius, Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, & cæteri æstimarunt doctrinã esse sanctam & canonicam, per easdem ecclesias, quas & ipsi fundauerant Apostoli, docentes aut viua voce, aut epistolis ad illas conscriptis. Hæc est sola religionis Christianæ machina, quæ cunctas hæreses semel aboleuit, ipsa, inquam, communis omnium sanctorum patrum professio secundum suorum temporum successiones, concorditer reddentium testimoniũ verbis spiritus sancti, scriptis in euãgelijs alijsq; libris canonicis. Vnde & Deus misericordię suę gratiã demonstrauit ecclesiæ etiam per inimicos ipsius Iudæos, qui legis & prophetarum codices in hodiernum vsque diem proferunt per omnes gentes dispersi: quod Dei prouidentia factum est, vt ecclesia Christi in omnibus gentibus dispersa, haberet testes veracium prophetarum, qui de Christi aduentu fuerant vaticinati. Bene, inquit Augustinus cum ecclesia actũ est, quòd non vniuersi Iudęi fuerint occisi, sed dispersi virtute Dei, ne quando obliuio fiat legis & populi Dei. Ex hoc itaq; fundamento nos tenemus scripturas illas esse diuinas, quas ab ecclesijs nos prędecentibus custoditas accepimus integras & inuiolatas. Ecclesiæ autẽ quæ nos præcesserunt tales doctrinas & sanctas & diuinas tenuerunt, quales à patribus custoditas ab ecclesijs primitiuis acceperant. Ecclesiæ primitiuæ doctrinas canonicas & diuinas deputauerunt eas quas hauserant ex ore Apostolorum, qui à Christo testes constituti, in Iudæa & Samaria, vsque ad vltimum terræ innumeras fundauerunt ecclesias, ex quibus cæteræ exinde ecclesiæ suam fidem mutuabantur. Hactenus de via qua probatur scriptura aliqua esse canonicae iam de differentijs quibus ab alijs disciplinis differ videamus. Distinguuntur autem hę scripturę ab alijs multis quidem modis: Primò, quòd nulla est scriptura vllius authoris quàmlibet illustris, sic custodita, quemadmodum scriptura canonica, tot linguarum, literis, & ordine, & successione celebrationis ecclesiasticæ conseruata. A patribus vsque ad nos (inquit Augustinus) authoritas scripturarum veracium certissima & notissima successione peruenit. Deinde non est vlla scriptura alia quantumuis probati authoris, quam oporteat sic haberi vt puram & incontaminatam absq; vlla suspicione commixtę falsitatis, tanquam de nulla sententia illic asserta, an falsa sit liceat suspicari aut dubitare. Vnde diuina Platonicorum philosophia, quæ iuxta sententiam Augustini proximè accedit Christianæ philosophiæ, docens Deum ipsum esse rationalis naturæ beatificum bonum, fontemq; bibendæ fœlicitatis, multas habet commixtas falsitates, & neq; viam qua ad talem beatitudinem perueniamus docet, ignorãs Christum, qui dicit: Ego sum via, veritas & vita. Tertiò scripturæ aliæ, quas vocamus liberales artes, quantumuis veritatem quandam doceant, illam tamen, in qua salus est animæ, veritatem, non commonstrant: quæ sola facit animum verè liberum, quemadmodum scripturæ nostræ author ad quosdam ait: Si manseritis in sermone meo cognoscetis veritatem, & verè discipuli mei eritis, & veritas liberabit vos. Quartò, omnes philosophorum & sapientum huius mundi disciplinę, de moribus & virtutibus, & beatitudine hominum, multa quidem tradiderunt, sed veram lucem, sine qua totum corpus est tenebrosum, non inuenerũt. Totum corpus in anima, est tota mortalium virtutum seu operum congeries, quæ absente Christo, in anima viuere non possunt. Tractat tota scriptura sacra de Deo secundum gemina illius opera super humanum genus, conditionis videlicet & restaurationis. De conditionis operibus differuerunt quidem & gentiles sapientes huius mundi, sed restaurationis opera non cognouerunt. Conditionis opera sunt

Quæ sit ecclesia cuius authoritate probatur scriptura canonica.

Iudæi hostes ecclesiæ Christi testimoniũ præbent scripturis ecclesiæ Christi.

Aug. super Psalm. 58.

Act. primo

Multis modis scriptura sacra ab alijs distinguitur.

Primò.

Secundò.

Philosophia Platonica docet Deum esse finẽ hominis beatificum.

Tertiò.

Ioan. 8

Quartò.

Matth. 6.

De quibus tractat sacra scriptura.

Cõditionis opera sex diebus cõsumpta

Universidad de Deusto
Biblioteca

creatio mundi cum omnibus elementis suis, quæ facta sunt vniuersa propter ho- A
minem, quem ab initio condidit deus rectum, & ad imaginem ac similitudinem
suam, vt illi per iustitiam stanti vniuersa subessent: cui & dederat virtutem conti-
nendi omnia. Hæc opera in breui tempore, id est, in sex tantùm diebus sunt con-
Gen. 1. summata. Homo autem, quia in iustitia & in veritate quam acceperat non per-
mansit, totus perijt, lapsus in lacum mortis, factus & peccati & diaboli seruus, à
Restaurationis opera. qua seruitute nequit sese eripere, nisi gratia Dei miserentis illum erexerit. Et ita re
staurationis opera sunt, quibus reparatum est hominum genus quod perierat, quę
in longiori tempore. i. sex ætatibus, multifariã multisq; modis, ad præparanda ho-
minum corda sunt prænunciata in corporalium rerum vmbris, & figuris adum-
brata, & tandem in fine temporum per Christum in carne veniẽtem consumma-
Tota scriptura sacra de operibus redemptionis. ta. Et huiusmodi sunt opera, de quibus tractat tota scriptura sacra: per quæ & ab B
omnibus alijs disciplinis discernitur, quæ tradentes conditionum opera, nihil de
huiusce modi reparationis operibus docuerunt, non fuisset proinde opus hac scri-
ptura, si non peccasset humana natura. Hæc est igitur diuinarum scripturarum ab
alijs discretio. Consueuimus autem hunc scripturarum canonem appellare vetus
Cur scriptura vocatur testamentum. Lactant. de vera sapiẽt. ca. 20 ac nouum testamentum aut instrumentum. Testamentum est quo bonorum de-
fertur hæreditas, intercedente testatoris morte. Idcirco Moyses & Prophetæ le-
gem Iudæis datam, testamentum (inquit Lactantius) vocant: quia nisi testator
mortuus fuerit, nec confirmari potest, nec sciri quid scriptum in illo sit, cùm sit
clausum & obsignatum. Itaque lex testamentum dicitur, quia hæredes ipsa insti-
tuit cœlestium bonorum, clausa & obsignata, donec Christi morte promissione
cœlestis mysterij fierent apertæ ac reuelatæ, quando velum templi scissum est in
duo, à summo vsq; in deorsum, vt sibi adoptionis iam facti, spe salui, legant se hæ- C
redes Dei esse, & cohæredes Christi, cum Christo regnaturi: si tamen Christo
Cur scriptura vocatur instrumentum. obtemperent, & cum illo sustineant. Earundem scripturarum canonem eruditis-
simi viri instrumentũ vocant, quia illic instruitur quisque pro sua salute, quid cre
dere, quid sperare, quid agere debeat. Deinde & non absurdè forsitan sortitur no-
men instrumenti, ob id, quòd sit scriptura authentica probatissimis scribis ac te-
Ordines duo scripturarum. stibus obsignata, non suspectis falsitate vlla. Ex quibus consequens est canonem
diuinarum scripturarum in duos ordines, siue in duo testamenta esse diuisum, quę
tamen diuersa non sunt. quia nouum veteris est adimpletio, & in vtroque idem te-
Prior. stator Christus, qui pro nobis morte susceptа, nos hæredes æterni regni fecit: de-
relicto & exhæredato incredulo Iudæorum populo. Prior ordo est veteris testa-
menti, continens libros de sapientia & bonitate Dei, vt creatoris omnium crean-
tis vniuersa propter hominem: quem formauit bonum & rectum ad imaginem
Gen. 1. & 2. & similitudinem suam, in principio libri Geneseos vsque ad caput tertium. Item D
de iustitia dei vindicantis voluntarium eiusdem hominis peccatum, in capite
tertio, & in capitulis libris que sequentibus, de gratia ac misericordia eius pro-
mittentis semen, in quo benedicerentur omnes gentes, hoc est, saluatorem ac li-
Scopus in quẽ tendit totus scripturarum canon. beratorem Christum, sine quo nemo potest fieri saluus. Et est iste scopus in quem
tendit totus scripturarum canon veteris testamenti, loquentis super aduentu
Messiæ seu Christi olim venturi, & super statu veteris Israelitici populi, quem
certè canonem magna ex parte Iudæi vnà nobiscum communem secundum lite-
Alter ordo. ram, sed non secundum spiritum habent. Alter est ordo instrumenti noui, con-
tinens libros super aduentu Christi iam manifestati in mundo, & super statu
noui populi Christiani, quorum omnium voluminum finis est, vt doceatur hu-
manum genus in Christiana fide, spe, & charitate, hoc est, vt doceatur huma-
num genus credere & agnoscere Deum, timere, sperare, atque diligere illum,
non modò vt creatorem aut conditorem, verùm etiam vt gratuitum liberato-
rem

rem per Iesum Christum. Vtrunque testamentum designauit Hieremias prophe- A
ta: Consummabo super domum Israel testamentum nouum, non secundum te- Hier. cap. 31.
stamentum quod feci cum patribus eorũ in die qua eduxi eos de terra Ægypti,
quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, id est, in lege mea tunc illis
data. Testamentum nouum dabo illis. & quodnam hoc sit aperit, subiungens: Le-
gem meam scribam in visceribus eorum. Hæc est lex fidei, seu lex Euangelij,
quæ nouum testamentum appellatur à Saluatore, cùm dicit: Hic est enim san-
guis meus noui testamenti, id est, nouæ legis sanguis, designatus in sanguine agno-
rum, vitulorum, cæterorumque animalium veteris testamenti. Hęc sunt Dei te-
stamenta, quæ habemus ex certissima ecclesiarum successione. Paganis igitur &
infidelibus interrogantibus nos. Qua ratione constat veras Prophetarum, E- Qua ratione constat veras scripturas apud nos esse.
uangelistarum, & Apostolorum scripturas apud nos esse, cùm non habeamus ori- B
ginales eorum codices? Respondemus hoc constare ex ipsius ecclesiæ testimo-
nio. Verùm, inquit Augustinus, Euangelium apud nos esse docet ecclesia, non
hominum eorum solùm qui nunc sunt Christiani, sed ecclesia illa, quæ ab ipsis Auguſt. 18. lib. contra Faustũ cap. 4.
Matthæi temporibus, ad hoc vsque tempus certa successionum serie declaratur.
Etiam si haberemus apud nos verorum Euangelistarum codices descriptos suis
ipsorum manibus, illos non alio argumento cognosceremus tales esse, quàm ex
ecclesiarum sibi inuicem succedentium testimonio, quod sanè est testimonium
spiritus sancti loquentis in Dei ecclesijs & Prophetis. Canonem ergo sacrarum
scripturarum nouæ legis cognoscimus ex ipsius ecclesiæ testimonio. Quem-
admodum & canonem scripturarum veteris testamenti ex traditione habemus
Hebræorum, quæ seruabatur, inquit Augustinus, in templo Hebræi populi,
succedentium diligentia sacerdotum. Vnde Deuteronomij trigesimo primo, Deut. 31.
C sic legimus: postquam scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque
compleuit, præcepit Leuitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens:
Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri,
Sic & Iosue post Moysen omnia verba quæ loquutus est ad ipsum Dominus, scri- Iosue post Moysen scripsit verba Dei Iosue vltimo.
psit in volumine legis Domini, quemadmodum legitur Iosue vltimo. Sic & cæ-
teri secundum successionis seriem prophetici viri, diuino spiritu scripserunt
volumina, quæ diligentia sacerdotum integra, illæsa, incontaminata custodie-
bantur, vnà cum libris Moysi, in latere ipsius arcæ sepositis. Arca autem ipsa Quę erant in arca.
custodiebatur in secundo tabernaculo, quod sancta sanctorum dicebatur, in qua
recondita erat, & aurea vrna habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, Ad Heb. 9
& tabulæ testamenti, quemadmodum dixit ad Hebræos nono Apostolus. At
verò dum procedente tempore à Chaldæis Iudæa subuertitur, omniaque templi Veteris testamenti codices Babylonico igne consumpti. Esdras instauravit legem.
D vasa diripiuntur, templum incenditur, simul fertur & volumen legis Moysi in
arca Dei custoditum, hostili igne consumptum, & postmodum eodem spiritu,
quo fuerat scriptum, restitutum ab Esdra sacerdote, qui sola, vt inquiunt, memo-
ria, legem reparat deperditam. Sed hoc vtrùm sic sit, an non sit, ex scripturis sa-
cris videtur incertum, quemadmodum enim potuerunt plura esse Isaię super eis-
dẽ rebus volumina scripta, ita & lex ipsa in quibusdam libris potuit forsitan inte-
gra conseruari, consumptis originalibus, quæ erant in templo, voluminibus.
Proinde & Hieronymus ambiguis verbis super hac re loqui videtur aduersus Hieronymus aduersus Heluidium.
Heluidium. Siue Moysen, inquit, dicere volueris authorem Pentateuchi, siue
Esdram eiusdem instauratorem operis, non recuso. Verùm Irenæus, Tertullia- Tertullianus
nus, & plerique antiquorum, arbitrantur omne instrumentum Iudaicæ litera-
turæ in Babilonica expugnatione deletum, & per Esdram restitutum. Proinde
qualitercunq; hoc sit factum, nihil refert: in hoc vnum consentiunt omnes, etiam
ipse Hieronymus, quòd Esdras spiritu Dei plenus, post captam Hierosolymam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& instaurationem templi, scripturas sacras dispersas, vixque Babylonico igne superstites, eodem spiritu quo antè scriptæ fuerant, restituit, aliasque literas Hebraicas, quibus nunc vtimur, repperit. Vnde & quod in calce Deuteronomij dicitur de morte & sepultura Moysi, & quòd sepulchrum eius nemo nouerit, vsque in diem illum, & quòd filij Israel fleuerunt eum triginta diebus, & reliqua in calcem vsque libri, ipse Esdras adiecisse creditur. Neque enim verisimile est, Moysen scripsisse eam historiæ partem, quæ post mortem illius acciderat. Iusta ergo ratione, Esdras scriba instaurator dicitur veteris instrumenti, quod & Christus atque Apostoli approbarunt tanquam diuinum, & Dei spiritu æditum, citantes in corroborationem suæ doctrinæ euangelicæ ex eiusdem instrumenti voluminibus sententias tanquam verisimas & diuinas. Omnem ergo canonem veteris testamenti, qui à patribus ad nos verisima & certissima successione descendit, designamus: Genesim, Exodum, Leuiticum, Numerorum, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duos Paralipomenon, duos Esdræ & Hester, Iob, librum Psalmorum, Isaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem, & libros duodecim Prophetarum. Hæc sunt quæ non simul, sed paulatim secundum successionis seriem suut ædita, de quibus nulla prorsus est dubitatio, neque in Hebræorum, neque in Christianorum schola. Hebræi quicquid extra hos libros, inquit Hieronymus, est, à canone sacrorum voluminum secant. Ex quo consequens est, sapientiam, quæ vulgò Salomoni adscribitur, & librum, qui vulgò Iesu filij Sirach, item Iudith, Thobiam, & Machabæorum libros, non connumerari ab Hebræis inter canonicas scripturas: quorum sententia vtrùm sit approbanda in Christianorum schola, iam mox dicemus. Canonem autem qui noui testamenti volumina continet. quem Iudæi, Iesum negantes, prorsus reiciunt, sic designamus. Primùm omnium Euangeliorum cœlestis quadriga nobis iungatur. His actus Apostolorum copulentur. Post hos Pauli epistolæ socientur. Deinde Petri prima, Iohannis prima. Hi sunt libri sine contradictione, ab antiqua Christianorum ecclesia recepti, de quibus nulla vnquam prorsus extitit dubitatio. Sequenti iam loco sunt, de quibus olim à nonnullis dubitatum est, vt reuelatio Iohannis, epistola Iacobi, & epistola Iudæ, Petri secunda, Iohannis secunda & tertia. De his autem an sit nunc rationabiliter dubitandum, & vtrùm inter canonicas scripturas habendi sint, an non, iam mox ostendemus. Et quia tumultuante hoc seculo nostro, & hæresibus turbantibus vniuersam ecclesiam, hæreticorum quisque aut reprobat, aut approbat quod libet, ductus vel animi sui voluntate, vel sophistica quadam ratione, Alius Sapientiæ & Ecclesiasticí libros reiicit, Alius Tobiæ & Iudith, Alius Machabæorum libros, Alij alteram Petri, & Iohannis duas, Alij epistolam Iacobi, Alij epistolam ad Hebræos, Alij Apocalypsim Iohannis, extra sacrarum scripturarum canonem locant, non erit inutile demonstrare etiam venerandam patrum antiquitatem, citasse sententias ex huiusce modi libris tanquam catholicis, Diuino spiritu æditis, & super canone librorum scripturæ sacræ dissoluere ingentes quasdam difficultates, quæ possent hac in re, sacræ Theologiæ studiosis, occasionem dare interioris scandali, atq; erroris, dum legerint, quòd inter veteres scriptores & sanctos patres, alius sic, alius autem aliter supputauerit earundem canonicarum scripturarum, & ordinem, & volumina. Quanquam in dignoscendis canonicis libris vnicuique sufficere debuit & ecclesiæ, & sanctæ sedis Apostolicæ authoritas, quæ iam olim ante annos mille per Innocentium & Gelasium Papas, per Carthaginense & Laodicenum concilia, in ordinem digessit, eosdem libros canonicos, quos in hodiernũ vsq; diem custodit Christianorũ schola, altiùs tamen & à patribus exordiemur. Et quia ex supradictis manifestum nobis esse oportet, scripturam sacram & canonicam esse eam, quam Ecclesia primitiua

Christus & Apostoli vsi sunt scripturis veteris legis eisdem quas nunc habemus

Libri canonici veteris testamenti.

Libri canonici noui testamẽti

A quibusdam fuit dubitatũ an Apoca. & epistola Iacobi vna, Iudæ vna, Petri secũda, Iohannis cũda & tertia sint in canone scripturarum.

Innoc. in epistola ad Exuperium. Carthaginensi concilio interfuit August.

Scriptura sacra quæ dicitur.

à pro-

A à prophetis, à Christo, & Apostolis receptam, suis filijs tribuit, & hanc, vt inquit Irenæus, oportere esse eam quam per successiones presbyterorum & episcoporum habemus in ecclesia fidelis populi custoditam. Idcirco pro huius rei fundamentis stabiliendis, operæpretium est primùm ostendere ea quæ hodie habemus scripta tanquam diuina testimonia, olim sic esse habita à veteribus sacræ Theologiæ tractatoribus, qui fuerunt Apostolorum temporibus, & illos probasse ea, quæ sunt fidei ex eiusdem scripturis, quas in hodiernum diem vsque, per vniuersum orbem Christianorum ecclesia honorat & prædicat: quod clara luce deprehendemus, si primùm recensuerimus antiquissimorum patrum hac de re sententias, & eorum præcipuè, qui fuerunt, aut sub ipsis Apostolorum seculis, aut illis vicinissimi. Discipulus Pauli Dionysius tertio capite Hierarchiæ ecclesiæ, in totius scripturæ sacræ textu cõcludit, arcanam illam & mysticam visionem di-
B lecti discipuli Iesu, hoc est Apocalypsim Iohannis euangelistæ, apertè subindicans sanctam Apocalypsim esse euangelistæ Iohannis. Sumit insuper testimonia ex his quibus vtitur nunc Ecclesia canonicis scripturis. Meminerunt autem huius Dionysij Iohannes Damascenus ante annos mille, & Gregorius papa. Ignatius amabilis discipulus Iohannis euangelistæ in diuersis suis epistolis, quarum & meminit D. Hieronymus in lib. de viris illustribus, passim sibi testimonia sumit ex eisdem, quas habemus canonicis scripturis, tam veteris testamenti, quàm noui. Neque sententias fidei probat scripturis alijs, quàm his, quas habemus in quatuor Euangelijs, & in Apostolicis epistolis, & in propheticis scripturis nobis traditis, quas habemus per successiones presbyterorum custoditas. Sumit testimonia ex euangelio Iohannis, & ex aliis item Euangeliis, ex epistolis Pauli, ex Actibus Apostolorum. Sunt & in eisdem epistolis sententiæ quædam, quæ videntur
C desumptæ ex epistola Iacobi, & ex epistola Iohannis prima: sed nominatim authores non citat. Clemens vir apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit ecclesiam, scribens ad Corinthios, ad Iacobum fratrem domini, & ad alios, iisdem vtitur scripturis, quibus & hodie vtitur ecclesia, sumens diuersa passim testimonia, ex Euangelio Matthæi, & nonnulla etiam scripta in solo euangelio Iohannis, quale est illud. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, in epistola ad Iulium & Iulianum, cæterosque confodales diuersas citans scripturas, sub eadem sententiarum serie, quam in diem vsque hodiernum custodit tota Christianorũ schola.

Papias sub ipsis Apostolorum temporibus, de quo & Irenæus testatur, quòd fuerit apostoli Iohannis auditor, Policarpi condiscipulus, de Euangelijs Matthæi &
D Marci sic loquitur: Marcus interpres Petri fuit, & conscripsit quæcunque memorat ab eo dicta, non tamen per ordinem cuncta digessit, quia non ipse auditor Domini fuit, sed nouissimè Petro adhæsit ad vsum & ministerium prædicandi, non ad Domini conscribendos sermones. Nihil itaq; peccauit in eo, q̃ ita quędam scripsit, quasi quæ passim audita recordari videatur, & hoc solùm satis egit, ne aut quid ex auditis omitteret, aut falsum scriberet. Matthæus autem Hebræo scripsit sermone. Hæc de Marco & Matthęo Papias: qui vtitur scripturis tam veteris quàm noui testamenti, sine contradictione receptis ab omnibus Christianorum ecclesijs, sed & epistola Iohannis prima, & Petri similiter prima.

Post Christi resurrectionem & ascensionem, cùm per aliquot annos doctrina Christi cœpisset viuis Apostolorum vocibus crescere in vniuersum mundum, nondum vllis Euangelijs scripto traditis, spiritu Dei prouidente, Matthæus primus omnium in Iudæa scripsit Euangelium Hebraicum. Deinde Marcus in Italia. Postea Lucas. Postremò Iohannes in Asia. Præterea beatus Anacletus post Clementem Romanæ ecclesiæ pontifex, in epistola quam scripsit omnibus ecclesijs. Item successores illius Euaristus & Alexander suis in epistolis, quas diuersis

Irenæus.

Dionysius.

De Apocalyps. Iohannis.

Ignatius.

Clemens.

Papias.

Marcus interpres Petri ex auditu Euangeliũ scripsit.

Matthæus hebraicè scripsit

Anacletus, Euaristus, Alexander, proximi temporib⁹ Apost. vsi sunt epistola Iacobi, etc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scripserunt ecclesijs, pluries sumsunt testimonia ex epistola Iacobi apostoli, ex libro Sapientiæ & Ecclesiastico, ex epistola Petri prima, de qua (vt inquit Eusebius) nullus omnino vnquam dubitauit, quàmuis de secunda multis (inquit) incertum est. Verùm & Anacletus beati Clementis successor, sententias sumit ex epistola Petri secunda, & ex epistola Iudæ. Sed de hoc infrà latiùs. Cæterùm antiquissimus Irenæus auditor Polycarpi martyris, libro tertio aduersus hæreses Valentini: Matthæus in Hebræis (inquit) ipsorum lingua scripturam ædidit Euangelij, cùm Petrus & Paulus euangelizarent Romæ, & fundarent Ecclesiam. Post horum verò excessum, Marcus discipulus, & interpres Petri & Christi, quæ à Petro audierat præscripta, nobis tradidit. Postremùm Iohannes discipulis Domini Euangelium ædidit, & Epheſi Asiæ commorans. Hæc Irenæus capite 11. Deinde in lib. 4. aduersus hæreses Valentini ostendit, quòd neque plura, neque pauciora quàm quatuor possunt esse Euangelia, secundum quaternarium numerum Euangelistarum, qui designantur in animalibus quatuor. Vtitur & scripturis omnibus, & epistolis Pauli, & Apostolorum Actibus à Luca descriptis, tanquam diuino spiritu æditis. Insuper meminit primæ Epistolæ Petri, & primæ Iohannis, pluresque sumit ex ipsis sententias. Vtitur & testimoniis de Sapientia Salomonis, & de Apocalypsi, de qua dicit, quòd ipsa non ante multum temporis facta est, sed iam penè nostra (inquit) ætate, prope finem Domitiani Cæsaris.

Irenæus lib. 3. cap. 1.

Marcus post mortem Petri scripsit Euangelium.

Iohannes in Asia scripsit Euangelium.

Irenæ. de Sap. & Apoca. Iohannis.

Deinde Clemens Alexandrinus superstes, non longè à temporibus Iohannis euangelistæ, eisdem vtitur veteris & noui testamenti scripturis, quas in hodiernum vsque diem tota Christianorum schola honorat & prædicat, & dum ex scripturis eisdem ad corroborandam fidem citat testimonia, tanquam diuinas & irrefragabiles sententias. Simul vtitur & sententiis ex sapientia, quæ dicitur Salomonis, & ex Sapientia Sirach, & ex epistola Iudæ, & ex epistola ad Hebræos, de qua dicit, quòd ipsa manifestè sit Pauli apostoli, scripta quidem Hebræo sermone, tanquam Hebræis, sed à Luca in Græcum versa. Ad hæc Tertullianus eisdem vtitur veteris & noui testamenti scripturis propheticis, quatuor Euangeliis, & Apostolorum epistolis, quibus in hodiernum diem vtitur tota Christianorum schola: reijciens alia Euangelia aliorum Apostolorum nominibus inscripta. & in libro de Habitu muliebri meminit epistolæ Iudæ apostoli Domini, quæ ex libro Enoch sumit testimonium. In lib. de præscriptionibus hæreticorum, & in aliis quibusdam locis sumit testimonia ex lib. Sapientiæ, tanquam ædito à Salomone.

Clemens Alexandrinus.

De epist. ad Hebræos.

Tertullianus.

Item Origenes in expositione (vt inquit Eusebius) Psalmi primi, canonem veteris testamenti ab Hebræis designatum explicat, quemadmodum vsque in hodiernum diem custodit Christianorum schola. Non ignorandum (inquit) est, viginti & duos libros in canone esse veteris testamenti, qui sunt: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Naue, Iudicum, quatuor Regum, Paralipomenon, Esdras primus & secundus, liber Psalmorum, tres Salomonis, duodecim Prophetarum liber vnus, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Hester. In hoc canone quàmuis non meminit aut libri Sapientiæ, aut Ecclesiastici, aut Tobiæ, aut Iudith, de libris Machabæorum dicens, quòd Hebræi libros illos extrinsecus habent, tamen in diuersis voluminibus à se compositis sumit testimonia ex prætatis libris, tanquam scripturis sacris & diuino spiritu æditis. Item in libro Commentariorum super Matthæum, canonem librorũ noui testamenti explicans, hoc modo scribit: Ex traditione (inquit) didici de quatuor Euangeliis, quòd hæc sola absque vlla contradictione suscipi debent ab omnibus quæ sub cœlo sunt Dei ecclesijs, ita enim tradiderunt patres: quia primum omnium scriptum est Euangelium à Matthæo Hebraicis literis. Secundum verò scriptũ est à Marco, iuxta ea quæ ipsi tradiderat Petrus, de quo & in epistola sua commemorat

Origenes, Euseb. Eccles. hist. li. 6. ca. 11.

Orig. ex libro Sap. Ecc. Tobiæ, Iudith, & Macha. vtitur scripturis tanquam diuinis testimoniis.

Recitat Euseb. vbi supra eccle sia. hist. lib. 6. cap. 8.

Euangelium Matth. Hebraicè scriptum.

morat dicens: Salutat vos filius meus Marcus. Tertium secundum Lucam, quod Paulus collaudat, tanquam his qui ex gentibus crediderint scriptum. Super omnia verò Euangelium Iohannis. Pauli quatuordecim solas epistolas suscipit Ecclesia, quàmuis nonnulli de ea quæ ad Hebræos scripta est, dubitauerunt: propterea quòd in ea non videatur seruari sententia quam de se pronũciauit, dicens se imperitum esse sermonis. Sed ego (inquit) dico sicut mihi à maioribus traditum est, quòd ipsa manifestissimè est Pauli apostoli: & semper omnes antiqui maiores nostri, eam vt Pauli apostoli susceperunt epistolam, & opinio ad vsque nos peruenit, quòd sermo eius est Græco sermone compositus, vel per Clementem Romanæ vrbis episcopum, vel per Lucam, qui Euangelium & Acta apostolorum conscripsit: & ita Paulus quatuordecim scripsit epistolas. Petrus verò super quem Christi fundatur ecclesia, duas tantùm: super quibus de secunda à nonnullis dubitatur. Iohannes qui supra pectus Domini recubuit, post Euangelium suum scripsit Apocalypsim, & tres epistolas: in quibus sunt duæ breues, de quibus à quibusdam dubia est sententia. Hæc (vt inquit Eusebius) tradidit Origenes, qui etsi non meminerit illic epistolarum Iacobi & Iudæ, nec Tobiæ & Iudith, non tamen inde consequens est libros istos extra canonem esse ponendos, quod ex sequentibus fiet manifestum. Post hunc Cyprianus passim in diuersis suis epistolis sententias fidei probat ex omnibus scripturis sacris, & solis his quas in hodiernum vsque diem tota custodit Christianorum schola. Insuper sumit testimonia ex libro Sapientiæ, Ecclesiastici, quorum sententias planè afferit à Salomone dictas. In epistola ad Rogatianum probat ex Ecclesiastico tanquam Salomonis libro, sacerdotes esse honorandos. Sed & Salomon in spiritu sancto constitutus (inquit) testatur & docet quæ sit sacerdotalis dignitas dicens: Ex tota anima tua time Deum, & sacerdotes eius sanctifica. Rursus in eadem epistola sententias sumit ex Tobiæ & Machabæorum libris, & prima Petri epistola, & ex Apocalypsi Iohannis. In tractatu de singularitate prælatorum, & in sermone de oratione Dominica, & in sermone de lapsis, probat ex Apocalypsi Iohannis, iustum posse à iustitia cadere, & rursus per pœnitentiam redire in salutem. Scriptũ enim (inquit) est: Tene quod habes, ne alius accipiat tibi coronam tuam pœnitentiam age. Rursus ex Daniele 13. & 14. & alijs sequentibus capitulis sumit testimonia de idolo Bel, & de Susanna: cùm tamen apud Hebræos non inueniatur liber Danielis, nisi vsq; in cap. 13. Rursus in libello de exhortatione martyrij, sumit testimonium ex 2. Machabæorum 9. De hoc ipso inquit, in Machabæis legimus: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Item in libris aduersus Iudæos, sumit testimonia ex libris Sapientiæ, & Ecclesiastici, & Apocalypsis, tanquam ex libris inter sacras diuinasque scripturas numeratis. Rursus in epistola ad Pompeianum, ex Esdræ tertio libro, qui Apocryphus est, sumit testimonium, dicens: Apud Esdram veritas vincit. sicut scriptum est: Veritas valet, & vincit in æternum. Deinde ipse in opere quod inscribitur. Expositio symboli, à nonnullis Ruffino attributo, postquam enumerauit libros intra canonem conclusos, ex quibus patres assertiones fidei constare voluerunt, de quibus neque vlla vnquam prorsus exitit dubitatio, dicit & alios esse libros, qui non canonici, sed ecclesiastici à maioribus sunt appellati: vt Sapientia Salomonis, & Sapientia filij Sirach, liber Tobiæ, Iudith, & Machabæorum: quæ omnia quidem patres in Ecclesia legi voluerunt, non tamen proferri ad authoritatem fidei ex his confirmandam: quam sententiam sub eadem verborum forma asseruit & Hieronymus, in epistola ad Chromatium, & Heliodorum. Insuper & Chrysostomus citat testimonia tanquam diuino spiritu ædita, ex Apocalypsi Iohannis, ex epistola Iacobi, ex epistola ad Hebræos, quam & suis commentarijs illustrare dignatus est. Citat

Testimonium Origenis de epistola ad Hebræos.

Testimonium Origenis de Apocalypsi, et tribus epist. Iohannis.

Cyprianus.

Cyprianus vtitur scripturis ex lib. Sap. Eccle. & Tob. & Mach. & Apocalypsi.

Ruffinus de Canone sacrarum scripturarum.

Chrysostom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ambrosius.

rat & Susannæ ac Machabęorum martyrũ historias. Item Ambrosius in libro de quatuor quæstionibus difficilibus, librum Sapientiæ tribuit Salomoni. In libro (inquit) Sapientiæ, Salomon se Dominum deprecatum fuisse cõmemorat: Adij (inquit) Dominum, & deprecatus sum illum: Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam. Pluribus in locis tam in epistolis quam in commentariis, & præsertim super Psalmum centesimum decimumoctauum sumit testimonia ex epistola ad Hebræos, ex Apocalypsi Iohannis, ex Sapientia Sirach, & ex Sapientia Salomonis, ex prima Iohannis, ex prima Petri, ex epistola Iacobi, ex Tobia. Vnde sermone octauo super centesimum decimumoctauum Psalmum: Quid sit scientia doceat te Salomon (inquit) qui ait de Domino Deo nostro, Ipse dedit mihi eorum quæ sunt cognitionem veram. Quæ sententia ponitur Sapientiæ.7. In sermone decimooctauo super expositione Psalmi centesimi decimioctaui, & in epistola ad Vercellensem ecclesiam, & in epistola ad Clementianum, citat apostolum Paulum, tanquam authorem eorũ quæ habentur in epistola ad Hebræos. Item Iohannes Damascenus presbyter Græcus ante mille annos in quatuor suis Theologiæ libris testimonia citat ex epistola ad Hebræos, tanquam ex epistola Pauli. Item ex epistola Iacobi, ex Apocalypsi Iohannis, ex epistola Petri secunda, ex libro Sapientiæ, tanq̃ ex diuinis scripturis. Insuper & lib.4. cap.18. catalogum librorum veteris testamẽti diuisit in quatuor pentateuchos, id est in quatuor quinarios voluminum, & supersunt alij libri duo. In totum itaq; sunt duo & viginti, vt sint (inquit) libri dispositi hoc pacto. Quinque legales, prima pentateuchus. Deinde alia pentateuchus, quæ & Hagiographa, id est, sanctorum scripta dicũtur, quæ sunt hoc modo: Iesus Naue vnus, Iudices cum Ruth vnus, Regnorũ primus cum secũdo vnus, Tertius & quartus liber vnus, Duo Paralipomenon liber vnus, & hæc est secunda pentateuchus. Tertia, versu facti libri Iob, Psalterium, Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum. Quarta pentateuchus est prophetica, liber vnus duodecim prophetarum, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Hæ sunt quatuor pentateuchi. Postremum liber vnus duorum Esdræ, & Hester vnus. Qui autem omnium virtutum doctrina referti sunt, hoc est, Sapientia Salomonis, & Sapientia Iesu, quam pater Sirach cõposuit Hebraicè, interpretatus est autem Græcè nepos Ieiu, & filius Sirach. Studiosi siquidem hi libri, pulchriq̃e & honesti, sed nõ numerantur in propheticis libris, neq; ponebantur in arca. Noui verò testamenti sunt Euangelia quatuor. Actus sanctorũ Apostolorũ Lucę euangelistæ. Catholicæ epistolæ septem, hoc est: Iacobi vna, Petri duæ, Iohannis tres, & Iudæ vna. Pauli epistolæ quatuordecim. Apocalypsis Iohannis euangelistæ. Hactenus Damasceni sententia sub ipso Hieronymi seculo. Prætermisit autem librum Tobiæ, Iudith, & Machabæorum ambos. Item Hieronymus in prologo super libros Regum, quem vult quasi galeatum principium omnibus libris canonicis, quos de Hebræo vertit in Latinum, conuenire, imitatus Hebræos, facit tres ordines totius scripturæ canonicæ, distinguens totum canonem: vt primus ordo contineat quinque libros Moysi. Secundus Prophetas complectatur libris octo: quorum primus est Iosue, secundus Iudicum, tertius Samuelis, quem appellamus primum & secundum Regum libros, in vno volumine computatum, quartus Malachim complectens tertium & quartum Regum, quintus est Isaias, sextus Hieremias, septimus Ezechiel, octauus duodecim Prophetarum. Tertius ordo Hagiographa possidet, continens libros nouem, qui sunt: Iob vnus, Liber Psalmorum vnus, Salomonis tres, Danielis vnus, Dibre Haiomin, id est, verba dierũ, quod significantiùs chronicon totius diuinæ historiæ possimus appellare: qui liber apud nos Paralipomenon primus & secundus inscribitur, apud illos pro vno supputatur. Volumen Esdræ itidem diuisum in duos pro vno supputatur, & Hester.

Amb. citat Sapientiam tanq̃ Salomonis doctrinam.

Iohannes Damasc. græcus de canone scripturarum.

Metra seu versus in his lib. apud Heb. esse testatur Hieron. in præfatione Iob.

Damas. de lib. Sap. & Ecc.

Damas. de canone noui testamenti.

Hieron. distinguit totum canonẽ veteris testamenti in tres ordines.

ster. Qui simul omnes, id est, quinque in ordine primo, octo in secundo, & nouem in tertio, sunt duo & viginti libri. Quicquid est extra hos, inquit Hieronymus, inter Apocrypha est ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò, inquit, Salomonis, & Iesu filij Sirach liber, & Iudith, & Tobias & Pastor, nõ sunt in canone. Primum Machabæorum Hebraicum repperi. Secundus Græcus est, quod ex phrasi probari potest. Tertium & quartum Esdræ alibi vocat Apocryphorum somnia. Scidum tamen, quòd antiquissimi patres, vtpotè Cyprianus & Ambrosius interdum reperiuntur ex tertio & quarto Esdræ sumere testimonia, non ob id probantes alia in ijsdem libris scripta: quemadmodum latiùs in libro de scripturis Apocryphis, & sanctorum patrum dogmatibus ostendemus. Liber Baruch nomine prænotatus, & oratio Hieremiæ, in Hebræo canone non habentur, sed tantùm in æditione vulgata. Propter notitiam autem legentium hìc scripta sunt: quia multa de Christo nouissimisque temporibus dicunt. Fuit autem Baruch (teste Hieronymo) discipulus ministerque Hieremiæ, cui & ipse Hieremias librum possessionis, aliosque libros dedit custodiendos, vt habet textus Hieremiæ 32. Liber iste Baruch quàmuis non habeatur in canone, eum tamen veteres, vt potè Cyprianus & Ambrosius, cæterique patres interdum citauerunt. Hactenus de libris testamenti veteris. Nouí autem testamenti scripturas canonicas supputat Hieronymus in epistola ad Paulinum, quatuor Euangelia, Pauli epistolas, ad septem ecclesias, & eam quæ est ad Hebræos, quæ apud plerosque extra numerum ponitur. Item epistolas ad Timothæum, ad Titum, ad Philemonem, Actus apostolorum, Item septem epistolas canonicas, hoc est, Iacobi vnam, Petri duas, Iohannis tres, Iudæ vnam, & Apocalypsim Iohannis. In libro de viris illustribus, de canonicis epistolis sic loquitur: Scripsit Petrus duas epistolas quæ catholicæ nominantur, quarum secunda à plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Iacobus statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, vnam tantùm scripsit epistolam, quæ de septem catholicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius ædita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem. Iudas frater Iacobi paruam quidem, quæ de septem catholicis est, reliquit epistolam: & quia de libro Enoch, qui Apocryphus est, in ea sumit testimonium, à plerisque reiicitur, tamen authoritatem iam & vetustate & vsu meruit, & inter sanctas scripturas computatur. Iohannes apostolus & euangelista vnam scripsit epistolam, cuius exordium est, Quod fuit ab initio. Reliquæ autem duæ Iohannis presbyteri esse asseruntur. Augustinus in secundo, de doctrina Christiana, canonicarum scripturarum volumina veteris testamenti supputans, quadruplicem facit ordinem, vt primus cõtineat libros historiarum, sibi inuicem succedentium. Secundus libros historiarũ, non sic sibi inuicem succedentiũ. Tertius libros prophetales. Quartus libros eorum, qui propriè sunt appellati Prophetæ. Totius, inquit, canon scripturæ his libris continetur, quinque Moysi, vno Iosue, vno Iudicum, vno Ruth, quatuor Regnorum, hæc historiam, & simul annexa tempora, seriemque rerum continent. Huic ordini non consequenter, sed quasi à latere volumen iungitur duorum Paralipomenon, quod est quasi superiorum librorum epitome, nonnulla etiam quæ in superioribus libris, vel omissa sunt, vel non plenè relata, breuiter & summatim explicans. Alius est ordo, in quo sunt historiæ tanquam ex diuerso ordine, quæ neque superioribus libris, neque inter se connectuntur, sicut est Iob, Tobias, Hester, Iudith, Machabæorum duo, & Esdræ Duo. Deinde in tertio ordine sunt, inquit, Prophetæ in quibus sunt Dauid liber vnus Psalmorum, tres Salomonis, vt Prouerbiorũ, Ecclesiastes, Canticorum, duo autem libri, quorum vnus Sapientia, & alius Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè

De lib. Sap. Ecclesiastici, Iudith & Machabæorũ secundũ Hiero.

De lib. Baruch

Librũ Baruch citauerũt Cyprianus, Ambrosius, cæteriq; veteres.

Aug supputat lib. canonicos veteris testamenti, ac noui 2. de doct. capite. 8.

Quatuor ordines librorũ vet. testamenti

Universidad de Deusto
Biblioteca

stantissimè perhibetur, qui tamen, quia in authoritatem recipi meruerunt, inter A
Sapient. Salomonis, & lib. Eccl. inter propheticos lib. sunt numerãdi
propheticos numerandi sunt. In quarto autem ordine sunt libri reliqui, eorum qui propriè Prophetæ appellati sunt, vt duodecim Prophetarum libri singuli, deinde quatuor Prophetæ, qui sunt maiorum voluminum, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. His quadraginta, inquit, quatuor libris veteris testamenti terminatur authoritas, quatuordecim videlicet in ordine primo, octo in secundo, sex autem in tertio, & sedecim in ordine quarto. Noui autem testamenti libri sunt, inquit, quatuor Euangelia, Apostolorũ epistolæ, vt Pauli quatuordecim, ad Romanos vna, ad Corinthios duæ, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Titum,
Canon librorum noui testamenti.
ad Philemonem, ad Hebræos pro singulis vna, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, Petri apostoli duæ, Iohannis tres, vna Iudæ, & vna Iacobi, liber vnus Actuum apostolorum, & Apocalypsis Iohannis. In his libris omnibus homines, inquit timentes Deum, & mansueti quęrunt voluntatem Dei, in quibus inueniuntur omnia quæ continent fidem moresq; viuendi, spem & charitatem. Planè vides Augustinum, Tobiam, Iudith, Machabeorum libros in eundem ordinem trahere in quo sunt Hester, duo Esdræ, & Iob, Sapientiam autem & Ecclesiasticũ in eundem ordinem in quo sunt Psalmorum, Prouerbiorum, & Ecclesiastes. Ex supradictis patet antiquissimos patres, Papiam, Irenæum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, & Origenem illius discipulum, & Eusebium, Hieronymum
De Euangelio Matthæi Hebraicè scripto & de catalogo librorum sacræ scripturæ vide Eusebiũ li. 3. Ecclesiast. hist. cap. 24.
docuisse Euangelium Matthæi Hebraico sermone fuisse scriptum. Deinde patet hoc infelicissimo seculo scioloru̇m hominum temeritas, contra venerandam patrum antiquitatem, contemnentium epistolam Iacobi, tanquam contrariam doctrinæ Pauli, epistolam ad Hebræos. Apocalypsim Iohannis, tanquam confictam & cõtinentem somnia, Sapientiam, Ecclesiasticum, Iudith, & Tobiam. Ex quibus vetustissimi patres Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus & Augustinus citauerunt sententias, tanquam profectas à diuino spiritu. Fuerunt hoc seculo scioli & idiotæ, qui in tantam prorurierunt temeritatem, vt pertinaciter defendèrent Apocalypsim Iohannis esse fabulam, & ab hæreticis confictam, de qua tamen testantur viri contemporanei Irenæus & Dionysius Corinthiorum episcopus, quòd sit Iohannis apostoli, & alter posterior Dionysius episcopus Alexandrinus, quòd sit diuino spiritu conscripta à Iohanne presbytero, & Origene, quòd sit à Iohanne discipulo Iesu Christi ædita, quam & teste Hieronymo interpretati sunt Irenæus & Iustinus martyr. Neque hactenus reperimus vllos orthodoxos patres nominatim designatos, qui planè asseruerint hunc librum esse ab Hęreticis confictum, tametsi fuerint qui aut illum habuerint suspectum, aut de authore eiusdem dubitauerint: quibusdam dicentibus eam esse Iohannis presbyteri discipuli Iesu Christi in Pathmon relegati, alijs autem dicentibus eam esse Iohannis euangelistæ, quemadmodum testatur Eusebius lib. 3. cap. 39. & lib. 7. cap. 22. Vbi præfatus Dionysius Alexandrinus recitat nonnullos ex præcessoribus suis Apocalypsim illam penitus à canone scripturarum abiecisse, & prętitulationem libri esse confictam, & nihil in ea esse quod apostolica grauitate dignum censeatur, & eam non esse alicuius ecclesiastici viri, sed Cerinthum quendam esse illius authorem. Et aliquantò pòst suam de illa ferens censurã: Ego autẽ, inquit, quantum ad meam sententiam attinet, spernere aut abijcere scripturam huius libri nullatenus audeo, maximè cùm multi ex fratribus ita mecum sentiant, sed hoc magis de ipso iudico, quòd in eo sit arcanus quidam & reconditus atque admirandus omnibus sensus, quem & ego admiror ac veneror, ac etiam, si non intelligo. Sancti alicuius est, & sine dubitatione vlla per Dei spiritum scripta, etiam si non sit ille apostolus Iohannes filius Zebedæi. Et ibidem de authore eiusdem, ex eo quòd nomen suum toties inculcat, & ex ipso scripturæ stylo discretionem faciens

ciens, dicit potuisse fieri in illis temporibus fuisse alium quendam Iohannem seruum Iesu Christi, cui hæc reuelauerit Deus. Hactenus Dionysius ille magni Origenis discipulus. Sunt quidem nonnulli arbitrantes Caium quendam Orthodoxum apud Eusebium eandem Apocalypsim tribuere Cerintho hæretico, tanquã ei qui authoritate Apostolici nominis fuerit abusus, & eidem libro miscuerit suæ hæresis venena de Christo post mille annos regnaturo in Hierusalem omnium visibilium bonorum copia. Sed hoc ex verbis Caij illic ab Eusebio recitatis non sequitur: quandoquidem neq; Eusebius asserit Caium attribuisse Cerintho hanc Apocalypsim, neq; eiusdem Caij sermo ab Eusebio recitatus sensum illum subindicat, significans potius Cerinthum hæreticum per reuelationes quasdam tanquam ab Apostolo magno conscriptas, nobis introducere talem quandam hæresim, regnum videlicet Christi terrenum, in carnis voluptatibus & delitijs post resurrectionem futurum in Hierusalem, cõtra fidem designans quosdam mille annos. Ex quibus consequens est, non quòd Caius ille tribuerit Apocalypsim illam Cerintho, sed quòd Cerinthus, vel prauam habuerit intelligentiam ex illa, vel quandam confinxerit reuelationem de regno Christi terreno, post resurrectionem in Hierusalem futuro, quemadmodum & iuxta eundem Eusebium, ibidem ipse Dionysius, cùm de Iohannis reuelatione differeret, & quædam secundum ea, quæ antiquitus ecclesiæ tradita fuerant, disputaret, mentionem facit huiusce viri. In his verbis Cerinthus, inquit, à quo & Cerinthiana hæresis oborta est, figmentis suis authoritatem magni nominis acquirere secundum scripturæ huius prauam intelligentiam gestiebat, affirmans terrenum futurum esse Christi regnum: & quia ventri ac libidini deditus erat, ea futura decernebat quæ sibi propria libido dicebat. Hæc Eusebius. Fuerunt & idiotæ hoc nostro seculo contemnentes Machabæorum libros, pertinaciter asserentes ea, quæ illic scribuntur, facta super oblatione pro animabus defunctis, intra quadringentos annos esse per auaritiam sacerdotum conficta, eidemque historiæ adiecta, quæ tamen venerabilis pater Augustinus ante annos mille in libro de cura pro mortuis agenda, cæterique patres ex eadem Machabæorum historia citauerunt. Vnde & ipse in lib. 2. de doctrina Christiana ambos Machabæorum libros catalogo sacrarum scripturarum annumerans, suo seculo censuit illos vnà cum Iudith & Tobia statuendos in eundem ordinem cum libris Iob, Hester, & Esdræ duobus, de quibus nulla vnquam extitit dubitatio.

Eusebius lib. 3. eccles. hist. cap. 28. De Machab. lib.

Augu. in lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.

¶ *Sequitur secundum caput huius libri, in quo enarrantur difficultates ex sententijs patrum suborientes super canone sanctarum scripturarum.*

EX supradictis ecclesiasticorum patrum dogmatibus ingentes nascuntur difficultates, præsertim propter varietates & contrarietates apparentes inter Hieronymum & Augustinum, & alios quosdam patres, qui inter se pugnare videntur. Primò super eo quod Hieronymus in galeato prologo docet secũdum ordinem posidere Prophetas, inter quos supputat Iosue, Iudicum, Ruth & quatuor Regum libros, qui tamen neque à Prophetis conscripti sunt, neque magis futura prænunciant, quàm libri Moysi eximij inter Prophetas. Neque enim prophetias, sed historias, id est, res visas & gestas, & Hebræorum bella continent.

In lib. Regum Difficultas 1.

Secunda difficultas, cur resecat ab eodem Prophetarum ordine libros, qui maximè videntur Prophetis annumerandi, vt sunt Iob, Danielis, & liber Psalmorum Dauid, qui inter Prophetas fuit præcipuus.

Difficultas 2.

Tertia difficultas, cur Isidorus beati Gregorij papæ discipulus, iam ante annos nongentos, in sexto Etimo. dicit, secundum, tertium, & quartũ Esdræ non haberi apud Hebræos, sed inter apocryphos deputatos, cùm tamen Hieronymus doceat Hebræos primum librum Esdræ & sermones Neemiæ, quos nos secundum librum facimus, in vnum volumen co-

Difficultas 3.

Cap. 2. in prologo galeat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulare in canone ſacrarũ ſcripturarũ. Deinde cur in prologo galeato Hieron. libros Iudith & Tobiæ inter apocrypha numerat, quos tamen in prologis ſuper Iudith & Tobiam definit apud Hebræos inter hagiographa numerari, & nihilominus de canone ſacrarũ literarũ eſſe ſeparatos. Si tertius ordo voluminũ ſcripturæ canonicę veteris teſt. ſit hagiographorũ, quonam pacto poterit ſtare, q̃ Iudith & Tobię libri inter hagiographa cõputati, extra canonẽ ſcripturarũ numerẽtur? Deinde cur nouẽ tantũ dicãtur hagiographi. i. ſancti ſcriptores, vel ſancta ſcripta, cũ hoc nomẽ ſit cõmune cõueniens oĩbus canonicis ſcripturis & authoribus earum.

Difficultas 4. Quarta difficultas eſt in eo quod Hiero. dicit Samuelis eſſe, quem nos primũ & ſecundum Regũ dicimus eſſe, cùm tamen Samuel. 1. Reg. 25. deſcribatur mortuus

Difficultas 5. eſſe priusq̃ fierẽt ea, quæ in 2. Re. lib. recitãtur geſta. Quinta difficultas, ſuper eo quod idem Hiero. dicit, Sapientiã, quæ vulgò Salomonis inſcribitur, & lib. Ieſu filij Sirach, nõ eſſe Salomonis, cũ tamẽ totus antiquorũ patrũ chorus, vt Iren. Tertul. Cypri. Origenes in ſuis libris, quos poſteris legẽdos reliquerũt, planè aſſerant Salomonẽ dicere ea quæ in eiſdẽ libris continentur, recitantes ex Sapientia & ex Eccleſiaſtico teſtimonia, tanq̃ diuinas ſentẽtias, & tanq̃ dictas à Sapientiſsimo Sa-

Lib. 2. cap. 8. lomone, ex Dei Spiritu loquente. Deinde qua ratione Auguſt. in lib. de doctrina Chriſt. cõſtantiſsimè tradat illos duos libros, quorũ vnus eſt Sapientia, & alter Eccleſiaſticus inſcribitur, non Salomonẽ, ſed Ieſum filium Sirach ſcripſiſſe, cùm longè antè Euſebius doceat, q̃ omnis antiquorum chorus librũ attitulatum Sapien-

Difficultas 6. tię Salomonis eſſe dixerit. Sexta difficultas, qua ratione diuus Hieron. ſolùm 22. libros ſupputet in canone ſcripturarũ veteris teſtamenti, diſtinguens eaſdẽ ſolùm in tres ordines, in legem videlicet, in Prophetas, & in hagiographa: cùm tamen Auguſt. faciat eiuſdẽ veteris teſtamenti canonis libros 44. diſtinguens eos in ordines quatuor, ita vt primus contineat libros hiſtoriales, conſequenter ſe habentes. Secundus hiſtoriales non ſic ſe habentes cõſequenter. Tertius prophetales. Quar-

Difficultas 7. tus nouem libros, eorum qui propriè appellantur Prophetæ. Septima difficultas, ſuper eo quod Hieron. in epiſtola ad Chromatiũ & Heliodorum de libris Salomonis concludit. Sicut ergo Iudith, Tobiæ, & Machabæorum libros, legit quidem Eccleſia, ſed inter Canonicas ſcripturas non recipit, ſic hæc duo, inquit, volumina, quorum vnus eſt Ieſu filij Sirach, & alter pſeudographus, qui Sapientia Salomonis inſcribitur, legat quidem eccleſia, ad ædificationem plebis, non ad authoritatem eccleſiaſticorum dogmatum cõfirmandam, quorum priorem. i. Eccleſiaſticum Hebraicum repperi, ſecundus apud Hebręos nuſquam eſt. Eandem doctrinam habet in galeato prologo, vbi planè videtur Hieronymus extra canonẽ ponere Sapientiam, Eccleſiaſticum, Tobiam, Iudith, & Machabęorum libros, quos tamen inter canonicas ſcripturas habent, tenent, reputant, & numerant eccleſiaſtici patres, Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, & cæterorũ plurimi, qui promiſcuè cum alijs ſcriptis canonicis citantes ex huiuſmodi libris ſententias, tanquam di-

Diuerſitas recitatur inter Hiero. & Auguſt. uino ſpiritu æditas. Sic Tobias, Iudith, & Machabæorum ab Auguſtino ſupputantur inter canonicas ſcripturas in eodem ordine in quo ſunt Iob, Heſter, & duo Eſdræ, qua ratione Hieronymus iſtos intra, illos verò extra canonem, & inter apocrypha locet, quorum authoritas ad roborandum ea, quæ ſunt fidei nr inimè eſt

Argumentum ſumptũ ex diuerſitate ſentẽtiarum patrũ. idonea. Rurſus libri ſupradicti, ſi ad authoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam non ſunt idonei, qua ratione antiquiſsimi patres, vt Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, & Auguſtinus, ex his libris tanquam canonicis, & diuino ſpiritu æditis, ſententias fidei ſtabiliri conati ſint. An in re tam ardua, tantiq̃ momenti ambulandum ſit ſub diuerſis hominum opinionibus, & controuerſijs? vt incertus nobis relinquatur numerus diuinorum voluminum, & nondum eccleſia Chriſtiana certò ſciat, qui in canone Bibliorum, qui verò extra canonem

nonem libri ſint æſtimandi. Octaua difficultas, qua ratione ſtare poterit, quòd antiquiſsimus Irenæus affirmat, Matthæum ſcripturam ædidiſſe Euangelij Hebraico ſermone, dum Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Eccleſiam, cùm tamen Euſebius Cæſarienſis in chronicis doceat, Matthæum in Iudæa ſcripſiſſe Euangelium anno 3. Caii Cæſa. Calig. in quem cucurrit annus à morte Chriſti octauus, qui longè præceſsit ſecundum Neronis annum, qui fuit 26. à morte Chriſti, in quo Paulus vinctus Romam mittitur, quemadmodum dicunt Hieronymus in lib. de viris illuſtribus, & Euſebius in chronicis. Vnde & Matthæus ante annum à paſsione Chriſti 25. videtur extra Iudæam iam fuiſſe miſſus in Æthiopiam, in qua ſupra 30. annos euangelizans, gladio occiditur. Item ſi Matthęus ſuum ædiderat Euangelium, dum Paulus prædicabat Romæ, quomodo Lucas, qui poſt Matthæum probatur conſcripſiſſe Euangelium, commendatur à Paulo, tanquam Euangeliſta, cuius laus, inquit, eſt in Euangelio per omnes eccleſias, & id quidem in 2. ad Corinthios, quam conſtat Paulum ſcripſiſſe antequam Romam vinctus duceretur. Deinde quomodo ſtare poterit, quod idem Irenæus affirmat poſt exceſſum ſeu exitum, aut mortem horum Petri & Pauli, Marcum nobis tradidiſſe præſcripta Euangelia, quæ à Petro annunciata audierat, cùm tamen Hieronymus & cæteri patres tradant Petrum vidiſſe Euangelium Marci, ſuaq̃ authoritate probatum Eccleſiæ legendum ædidiſſe. Inſuper qua ratione dicat Origenes, Iohannem ſcripſiſſe Apocalypſim, poſtquàm ſuum ſcripſerat Euangelium, cùm tamen prologus ſuper Iohannem, aſſerat eundem Iohannem in Aſia ſcripſiſſe Euangelium, poſtquam Apocalypſim iam ſcripſerat relegatus in Pathmo inſula. Poſtremùm, quo monſtrare poterit Euangelium Matthęi eſſe Hebraicè ſcriptũ, cùm textus ipſe nomina Hebraica interpretetur, dicens, Emanuel, quod interpretatur, nobiſcum Deus. Eli Eli lamaſabachthani, hoc eſt, Deus meus, Deus meus, & cæt. quæ interpretationes Hebraici ſermonis, in textu Euangelij Hebraicè ſcripto ſtare non poſſent. Videtur ergo Euangelium Matthęi, non Hebraicè, ſed Græcè ſcriptum, præſertim etiam cùm Euãgelium Hebraicè ſcriptum nuſquam reperiatur.

Nona difficultas, qua ratione dubitatur in Chriſtianorum ſchola, qui nam fuerit author libri Iob, aut Pſalmorum, aut Iudicum, aut libri Regum, cùm tamen doctores tradant libros eos eſſe apocryphos, qui ſunt ſine certo authore, vt habet glo. in ca. canones, diſtinct. 16. Eadem eſt dubitandi ratio de Apocalypſi Iohannis, & de epiſtola ad Hebręos, de quibus dicit Hieronymus in epiſtola ad Dardanum, quòd Græcorum Eccleſiæ non ſuſcipiunt Apocalypſim Iohannis, quemadmodũ nec epiſtolam ad Hebræos recipit Latinorum conſuetudo, de qua & in libro de viris illuſtribus. Epiſtola quæ fertur ad Hebræos non Pauli creditur propter ſtyli ſermonisq̃ diſtantiam, ſed vel Barnabæ, iuxta Tertullianum, vel Lucæ euangeliſtæ iuxta quoſdam, vel Clementis poſteà Romanæ eccleſiæ Epiſcopi. Idem in commentarijs ſuper Iſaiam cap. 6. Pauli quoque idcirco epiſtolæ ad Hebræos contradicitur, quòd ad Hebræos ſcribens vtatur teſtimonijs, quæ in Hebræis voluminibus non habentur. Item in commentarijs ſuper Iſaiam, eodem cap. 6. & cap. 8. epiſtolam ad Hebręos Latina conſuetudo inter canonicas ſcripturas nõ recipit. Decima difficultas, qua ratione ſtare poterit quod apud Hieronymum in libro de viris illuſtribus dicitur de epiſtola Iacobi, quòd ipſa ab alio quodam ſub nomine eius aſſeritur ædita, & paulatim procedente tempore obtinuerit authoritatem, cùm tamen neque conſuetudo temporis, neque tacitus Eccleſiæ conſenſus, poſsit efficere, vt vlla doctrina incipiat eſſe vera, canonica, & diuinæ authoritatis. Neque enim eſt in poteſtate hominum facere, vt non ſcripta priùs, aut non ædita, aut non reuelata diuino ſpiritu, poſteà incipiat eodem diuino ſpiritu ædita eſſe & reuelata. Eadem dubitandi ratio eſſe videtur de Apocalypſi Iohannis, de

Difficultas 8. Lib. 4. contra Valent. cap. 2. Euſebius.

Cõtra Valent. cap. 1. lib. 4.

Hieronymus.

Difficultas decima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Difficultas Vndecima.

epistola ad Hebræos, de secunda & tertia Iohannis, & secunda Petri. Vndecima difficultas quæ ratione omnis illa historia de Susanna, quæ, vt inquit Russinus, iam olim ante multos annos castitatis exemplum præbebat Ecclesiis, à Diuo Hieronymo abscissa est, reiecta, & posthabita? Cur trium puerorum hymnus qui maximè diebus solennibus in Ecclesia Dei canitur, ab eodem Hieronymo è suo loco penitus erasus est, & inter apocrypha deputatus? An omnis qui putabat Susannam nuptis, & innuptis exemplum pudicitiæ præstitisse, deceptus fuerit? An omnis qui putabat, quòd puer Daniel spiritu sancto fuerit repletus, & arguerit senes adulteros, errauit? Sic olim ante mille annos argumentatus est contra Hieronymum Russinus. An omnis Ecclesia per orbem terrarum, siue eorum qui in corpore sunt, siue eorum qui ad dominum perrexerunt, qui hymnum trium puerorum in Ecclesia Domini cecinerint, errauerint, & falsa cecinerint? Ad hæc difficultas est, cur sancti patres, Cyprianus, Ambrosius, & alij citauerunt sententias ex libris Apocryphis, vt ex Baruch, ex 3. & 4. Esdræ lib. quos tamẽ extra libros canonicos, & Episcopi, & patres posuerunt. Cùm non sint in Ecclesia Christi res vllæ propter quas tam turbatur vnitas fidei & pax Ecclesiæ, quàm in sacris literis cõtrariæ interpretantiũ sententiæ. Idcirco ne propter hæc & id genus alia, scandalum occultum patiatur mens verè Christiana, non erit inutile considerare, & examinare huiusmodi sanctorum patrũ apparentes diuersitates, super quibus dum ostensum fuerit, inter ecclesiasticos patres, nullam in re ipsa aut fidei aut Christianę religiõis esse controuersiã, simul & apertus erit quorũdam error, prçsumentiũ hoc nostro seculo penitus contemnere authoritatem librorum Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, Iudith, Machabæorum, Apocalypsis, epistolæ Iacobi, epistolæ secundæ Petri, secundæ & tertiæ Iohannis, & eius quæ inscribitur ad Hebræos.

Hieron. in præfat. in Daniel. Ante annos M. Hymnũ trium puerorũ in Ecclesiis canebatur.

Propter diuersas sanctorum interpretantiũ sententias, fides Christi nõ debet pati vllas calumnias.

¶ *Sequitur tertium caput huius libri, in quo recensentur singulorum librorũ authores tam veteris quàm noui testamenti. Distribuemus autem caput istud in partes tres, in quarum prima de libris veteris testamenti receptis ab Hebræis, & de authoribus illorũ tractabimus. In secunda de veteris testamenti libris non receptis ab Hebræis differemus. In tertia verò de scripturis canonicis noui testamẽti.*

Hieron. in præfatione super lib. Regum.

PRO dissolutione ergo omnium harum difficultatum sciendum, quod manifestum est ex prologi galeati verbis, Hieronymum supputare illic canonẽ librorum non Ecclesiæ Christianæ, sed synagogæ Hebræorum. Viginti duas literas esse apud Hebræos, inquit, testatur Syrorum & Chaldęorum lingua. Consequenter per tertiam personam loquitur semper tanquam recitans Hebręorum sententias, tribuens ordines, & nomina librorum secundum consuetudinem Hebræorum, qui sic in triplicem ordinem distinguunt scripturæ sacræ canonem. Quod ergo concludit, quicquid extra hos est, inter apocrypha est ponendum. Et igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iesu filij Sirach liber, Iudith, Tobias, non sunt in canone, intelligere debemus, non sunt in canone, quem Hebræi diligentia succedentium sacerdotum custodierunt. Non oportet autem consequens esse, si nõ sint apud Hebræos in authoritate, quòd ergo non sint in authoritatem recipiendi apud Christianam ecclesiã, quæ diuinitus edocta totum nouum testamentũ (quod Iudæi reiiciunt) cum quibusdam libris ante Euangelia ędi tis sub canonica authoritate tenet & prædicat. Sunt quidem eloquia Dei ab Hebręis translata, & deuoluta ad Ecclesiam Christi, & manent veteris instrumenti scripturæ Iudæis & Christianis communes, etiam in diem vsque hodiernum. Sed Iudęi iam Christum finem omnium Prophetarum abnegantes, veram earundem scripturarum intelligentiam perdiderunt, & reijcientes omnes interpretationes, expositiones, doctrinas, & volumina, quæ palàm sonant Christum, multa in suarum scripturarum canonem non recipiunt, recepta postmodũ ab Ecclesia Christiana

Iudæi verum scripturæ intellectũ nõ habẽt reiicientes oẽs lib. qui Christũ palã sonãt. & idcirco reiiciũt lib. Sapiẽ-

stiana, de quibus quòd sint verissima, & diuino spiritu ædita Christianis iam olim Ecclesijs innotuit. Hæc ergo, vt capiamus facilius, operæprecium est prænoscere, quinam secundùm Hebræorum traditionem perhibeantur singulorum librorum veteris testamenti authores. Primùm Moyses scripsit libros quinque, qui cùm leges Dei contineant populo per Moysen datas, thorat, id est, lex, sunt appellati. Ante Moysen nulla habemus diuinarum scripturarum monimenta. Enoch autem scripsisse quædam ante Moysen epistola Iudæ apostoli testatur. Item sub Moyse fuisse librum quendam bellorum Domini, testatur ipse Moyses Numeri 21. vbi legimus: Vnde dicitur in libro bellorum Domini, Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Quis sit iste liber Enoch, vel vbi sit, aut quis sit liber bellorum Domini, quæ item sint Domini bella, non aperuit scriptura. Sunt qui dicant, librum illum bellorum Domini esse narrationem Dei, quæ reuelata erat Moysi, cui manifestauerat Deus se facturum in torrentibus Arnon, sicut fecerat in mari rubro. Augustinus autem dicit, non esse negandum tunc fuisse libros, siue Chaldæorum, vnde egressus est Abraham, siue Ægyptiorum, vbi, vt testatur Lucas in Actibus, didicerat Moyses omnem illorum sapientiã, siue cuiuslibet alterius gentis, in quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum, licuit Moysi pleno Dei spiritu, vnde voluit testimonium verum sumere. Sed non ideo omnia quæ ibi sunt scripta confirmat. Amplius Iosue 10. & in secundo Regum cap. 1. citatur liber Iustorum Domini, Item primi Paralipomenon vltimo, commemorantur liber Samuelis prophetæ, & liber Nathan prophetæ, & volumen Gad videntis. Deinde & secundi Paralipomenon nono memorantur scripturæ Nathan, & liber Ahiæ Silonitis, & visio Ado videntis, reliqua, inquit, operum Salomonis primorum & nouissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, & in lib. Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis. Item secundi Paralipomenon secundo, Reliqua gestorum Iosaphat primorum & nouissimorũ scripta in verbis Iehu. Rursus secundi Paralipomenon 33. memorantur sermones regum Israel & sermones Osai. Ex quibus manifestum est in scripturis canonicis commemorari plurima, quæ in alijs libris inueniri dicuntur, quos Prophetæ scripserunt, nec tamen inueniuntur in canone, quem nunc fidelis populus recipit. Vide de hoc, si placet Augustinum 23. de Ciuitate Dei, cap. 38. Hieronymum in commentarijs super Ezechielem cap. 18. librum Geneseos dicit appellari librum iustorum. Sed in quæstionibus Hebraicis super Regum lib. tractans id quod ait, Ecce scriptum est in libro Iustorum. Liber, inquit, Iustorum est liber Samuelis, vbi continentur prophetæ iusti Samuel, Gad & Nathan. Non mirum ergo, si ante Moysen nullum habeamus librum manu scriptum, & tamen in ipso Moyse legamus commemorationem fieri libri bellorum Domini. Post Moysen verò, Iosue conscripsit historiam de transitu filiorum Israel per Iordanem, & subuersione impiorum regnorum, & de diuisione terræ sanctæ, in qua designatur spirituale regnum cœlestis Hierusalem. Deinde post mortem Iosue scripta sunt gesta Iudicum & Principum in terra sancta, quorum historias sparsas & diuisas, secundum successionis seriem tunc pridem æditas, Samuel collegisse creditur in vnum volumen, quod vocamus Iudicum, cui & adiecit historias Ruth Moabitidis. Sunt qui Ezechiam, alij Esdram hos libros ædidisse dicant, & post Iudicum, eundem Samuelem collegisse gesta Heli, Saul, & Dauid, in primo libro Regum recitata, vsque ad suam mortem, postquam cætera eiusdem Dauid gesta, vsque ad obitum illius, Nathan, & Gad prophetæ scripsisse videbuntur, propter id quod dicitur in fine primi Paralipomenon gesta Dauid regis, priora & nouissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan prophetæ, & in volumine Gad. Ex qua sententia consequens videtur, Samuelem conscripsisse gesta Dauid, & ita eundem ędidisse primum

De singulorũ libris vet. test. scriptoribus.

Liber bellorũ Domini.

Augustinus.

Liber iustorũ Domini.

Augustinus.

De authore libri Iudicũ dubia sententia.

Dubia sententia super eo, quinam fuerint scriptor libri Regum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Libri Bibliorū non semper intitulantur à suis authoribus.

In præfatione lib. Regum.

Isidorus li. 6. cap. 2.

Gesta regū Israel à diuersis Prophetis in vnum volumen collecta.

In præfatione in Iob.

mum librum Regum, saltem vsque in cap. 25. vbi Samuel moritur. Deinde Gad & Nathan scripsisse partes sequentes, finem 2. videlicet libri 1. vsque in finem 2. libri. Sed istud non oportet. Siquidem libri secundùm Hebræos inscribuntur huius vel illius, non semper ob id, quòd is vel ille fuerit illius libri author, sed interdum ob aliam causam. Nam secundùm Hieronymum & cæteros, primus & secundus Regum apud illos inscribuntur esse Samuelis, & tamen est manifestum nō ambos esse æditos à Samuele, quemadmodum ostendit difficultas tertia. Vnde Isidorus & alij antiquissimi patres tradunt Samuelem scripsisse primam partem primi libri Regum, Dauid autem scripsisse sequentia, vsque ad calcem 2. libri. Post mortem autem Dauid, cæterorum regum Israel gesta in 3. & 4. libris Regum scripta (quæ & sparsa fuerant per singulorum regum historias) à diuersis Prophetis secundùm seriem successionis descriptas. Alij Esdram, alij Hieremiam in vnum volumen collegisse tradunt. Sed quòd Hieremias id fecerit esse verisimilius, ex eo conijcitur, quòd vltimi libri Regum, & libri Hieremiæ similis est finis. Sed in omnibus his doctrina beati Gregorij Papæ teneatur: Dei spiritus hæc scripsit, qui ad scribendum inspirator extitit, & per hominem foris in membrana scribentem, hæc scripta ad nos transmisit. Libri autem quatuor Prophetarum maiorum, & duodecim minorum singuli suorum authorum nominibus sunt inscripti. Duorum Paralipomenon, quis in vnum volumen collegerit à quibusdam incertum creditur, quanquam Rabbi Salomon dicat Esdram prophetam in vnum volumen collegisse singulorum regum historias sparsas, & à diuersis Prophetis secundùm seriem successionis scriptas. Danielis prophetia à Daniele creditur esse conscripta, posito in captiuitate Babylonica duarum tribuum. Daniel hic (inquit Hieronymus) apud Hebræos non inter Prophetas, sed inter eos qui Hagiographa scripserunt, computatur, nec habetur in Hebræo volumine trium puerorum hymnus, nec Susannæ historia, nec Belis draconisque fabula, quæ vel ex æditione septuaginta, vel ex Theodotionis translatione sunt desumpta. Quibus autem seculis gesta sint ea quæ scribuntur in libro Iob, non oportet curiosiùs inquirere, nisi quatenus ad intellectum eiusdem historiæ & scripturarum conducat. Pro quo non erit inutile considerare caput Geneseos 26. vbi reges citantur qui regnauerunt in Edom, in qua & ipse Iob regnasse scribitur. Primus in ea regnauit Balach, filius Beor. Post hunc Iobab, quem Augustinus super Genesim, & Ambrosius in commentarijs ad Romanos dicunt fuisse Iob. Hebræi autem quos imitatur Hieronymus in lib. de quæstionibus Hebraicis dicunt Iob non de Esau, & Edom, qui sunt de Abraham, sed de Hus, qui de Nachor fratre Abrahæ est, descēdisse, quemadmodum docet historia Geneseos 22. quòd Nachor frater Abrahę ex Melcha vxore genuit Hus primogenitum, à quo Hebræi dicunt fuisse eum, qui dicitur in libro Iob: Vir erat in terra Hus nomine Iob. eumque qui in libro Numerorum Balaam, ariolus siue diuinus appellatur, Hebręi tradunt fuisse eum, qui in libro Iob dicitur Helim, primò virum sanctum, & Prophetam Dei extitisse, posteà per inobedientiam & auaritiam muneris dum maledicere cœpit Israēlem, diuini siue arioli vocabulo nuncupatum. Sed de hac controuersia in alijs. In præsentiarum sufficiat scire, quòd & si scriptura in genesi, enarrans gesta longè ante Moysi tempora, eiusdem Iob meminerit, non tamen inde consequens est, quòd is longè ante Moysi tempora extiterit. De authore autem libri in prologo eiusdem libri tradit Origenes ea quæ illic scribuntur, esse interpretata à magno illo viro Moyse in Hebraicam linguam, atque filijs Israel tradita. Iam verò à 70. ex Hebræo in Græcum translata. Sicut olim Moyses inquit, librum illum in Ægypto ex Syro in Hebræū transtulit, ita 70. sub Ptolemæo ipsum ex Hebræo in Græcum transtulerunt, & inde per vniuersas gentes beati Iob scriptura diuulgata est,

Primùm

Delibris Paralipomenon.

Hieronymus de Daniele in præfatione in Danielem.

Delib. Iob.

Genes. 36.

Hieron. sentē. tia de Iob.

Num. 25.

De authore libri Iob scribit Origenes

Moyses trāstulit librū Iob ex Syro in Hebraicum.

A Primùm quidem Syriacè scripta in Arabia, vbi & Iob habitabat, postea verò & in Hebræis, & in Græcis, & in omnibus gentibus interpretata. Erat quidem historia hæc Syriacè ex parte pridem scripta, sed non ita diligenter, non ita vigilanter quemadmodum postea à Moyse. Solæ enim responsiones ac replicationes à primordio scriptæ sunt. Nam quis illorum poterat nosse, quomodo venirent angeli, & starent coram Domino, vel quomodo diabolus venerit, & quid dixerit, quidve responderit, nisi solus Moyses spiritus sancti reuelatione, sicut nemo alius poterat nosse, vel dicere vel scribere, quæ solus pater ad solum filium loquutus est, dicens: Faciamus hominem ad imaginem, etc. sic similiter nullus illius temporis poterat nosse, quæ Deus in secreto ad diabolum dixerat, nisi Propheta cui cuncta sunt reuelata. Magnus itaque ille Moyses scripsit passionem Iob, & dolorem, atque constantiam, & pro consolatione dedit eam filijs Israel. Hæc Origenes. De

B hoc autem & Gregorius sic loquitur: Alij Moysen alij quemlibet ex Prophetis scriptorem huius libri fuisse suspicantur. Sed quis hæc scripserit, valdè superuacuè quæritur, cùm tamen author libri spiritus sanctus fideliter credatur. Arbitrari tamen verius possimus, quòd idem beatus Iob, qui certamina spiritualis pugnæ sustinuit, etiam consummatæ suæ victoriæ gesta narrauit. De libro Psalmorum Hieronymus ad Sophronium: Scio, inquit, quosdam putare psalterium in quinque libros esse diuisum, & vbicunq; apud septuaginta interpretes scriptum sit, fiat fiat, finis librorum sit, pro quo in Hebræo legitur, amen amen. Nos autem Hebræorum authoritatem sequuti, & maximè Apostolorum, qui semper in nouo testamento Psalmorum librum nominat, vnum asserimus esse Psalmorum volumen, & in eodem quinque libros contineri, super quo habes Hieronymi sen-

C tentiam ad Cyprianum presbyterum. De authore libri Psalmorum Hieronymus ad eundem Cyprianum: Errant, inquit, qui arbitrantur omnes Psalmos Dauid esse, & non eorum quorum nominibus inscribuntur, vt Dauid, Asaph, Idithum, filiorum Chore Eman, Esrahitæ, Moysi, & Salomonis, & reliquorū, quos Esdras vno volumine comprehendit. Nonagesimooctauo Psalmo secundùm Hebraicam veritatem titulus nullus est, & idcirco ait illum esse authoris Moysi, sicut & præcedentes illius sunt. Et soluens argumentum, quomodo possit esse Moysi psalmus, qui meminit Samuel, qui longò post Moysen fuit. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius. Respondet prophetatum esse nomen Samuelis, sicut & Iosiæ. Quemadmodum est Cyrus procatos, docet Augustinus in prologo super Psalterium, non omnes à Dauid esse æditos elegit, quorum nomina sunt Asaph, Eman, Ethan, Idithum, vt in quemcun-

D que diuinus spiritus intrasset, hymnum Deo caneret. Dauid ergo solus nouem Psalmos ore proprio cecinit, reliqui autem ab illis quatuor principibus iuxta titulorum inscriptionem sunt dicti. Hæc ille. At contrà idem Augustinus 17. de ciuitate Dei: Psalmus centesimus nonus non ipsius Dauid tanquam authoris, sed ipsi Dauid tanquā ei ab alio coaptatus inscribitur, quem tamē ex doctrina Christi constat ab ipso Dauid esse compositum. Quamobrem recitatis opinionibus doctorum, Mihi, inquit, credibiliùs videntur existimare, qui omnes istos Psalmos operi Dauid tribuunt, eumque aliquos prænotasse etiam nominibus aliorum alidendum quòd nonnulla Prophetarū nomina, qui post tempora regis Dauid fuerunt, quibusdam psalmis in eo libro leguntur inscripta, & quæ ibi dicuntur, velut ab eis dici videntur. Potuit etiam spiritus prophetanti Dauid, hæc etiam futurorum Prophetarum nomina reuelare, sicut rex Iosias regnaturus post annos

Iob. 1.

Gregorius de lib. Iob in præfat. in Iob.

De Psalterij authore.

Augustī. 17. de ciuitate Dei. cap. 14. Matth. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. Reg. 13. Cap. 2. De lib. Hest.

amplius quàm trecentos, cuidam Prophetæ cum suo nomine reuelatus est. Vides igitur quàm ambigua sit sententia de authore librorum Iob & Psalmorum, de quorum tamen librorum authoritate nullum vnquam fuit dubium. Sic & super authore historiæ Hester, anceps est inter Doctores catholicos sententia. Sunt qui Esdram, sunt qui alium quendam posteriorem Esdra illius authorẽ esse arbitrantur. Isidorus 6. Etimo. Hester librum Esdras scripsisse, inquit, creditur. Eusebius autem alium posteriorem quendam docet ædidisse ipsum, existimans historiam illam post mortem Esdræ cõtigisse. Quemadmodum ergo de tempore super rebus illius historiæ gestis Doctores variant, quibusdam dicentibus Darium Longimanum fuisse Assuerum illum, sub cuius regni anno 12. Aman suspenditur, sors in Vrnam mittitur, Mardochæus liberatur. Aliis autem dicentibus Assuerum illum fuisse Darium Mnemonem. Ita & de scriptore eiusdem historiæ varia est sententia. Eusebius in chronicis æstimans Esdram & Neemiam sub Dario Longimano insignes haberi, suasque historias texuisse, reprobat sententiam opinantium ea quæ de Hester & Mardochæo sunt scripta, esse gesta sub Dario isto Longimano. Ea, inquit, quæ de Hester & Mardochæo scripta sunt, quidam affirmant sub hoc rege scilicet Dario Longimano gesta: quod ego non puto. Nunquam enim Esdras de Hester siluisset, qui scribit hoc tempore Esdram & Neemiã reuersos ex Babylone. Hic ergo in primis sciendum est, historiam Hester in diebus Assueri regis completam esse neminem dubitare. Sed quis fuerit Assuerus, & quo item tempore regnauerit, incertum est, etiam grauissimis viris hac in re dubitantibus. Iosephus hunc Assuerum fuisse affirmat Artaxerxem Longimanum Xerxis filium, inter Persarum reges septimum, à Cyro primo supputandum, sub temporibus, quibus & Esdras in libris sibi intitulatis, suam contexuit historiam. Verùm Eusebius, vt iam patuit, sententiam istam refellit, ratione motus, quòd Esdras nequaquàm res suo tempore de Hester gestas præteriisset. Sed hic sciendum, quòd secundùm ea quę refert Iohannes Annius ex philone, neque Iosephus, neque Eusebius, videntur hac re plenè attingere veritatem, considerata temporum chronographia secundum probatissimum Metasthenem, eundemque Philonem disertissimum. Verum quidem est, quod docet Eusebius, Assuerum illum & Hester fuisse Darium Artaxerxem Mnemonem, sed aberrare videtur, docens Esdram & Neemiam reuersos ex Babylone, sub Dario Longimano, quos ex secundo, & tertio, & vltimo capite secundi Esdræ constat vixisse vsque ad annum vigesimum & trigesimum regni illius Assueri Artaxerxis, sub quo Eliasis erat sacerdos magnus. Is autem Eliasis, non sub Dario Longimano, sed sub Dario Mnemone magno Artaxerxe summus sacerdos extitit, quemadmodum Philo in chronographia Pontificum Iudæorũ demonstrat. Proinde nobis sequẽtibus hanc Philonis sententiam, videtur Esdram & Neemiam sub Dario Mnemone reuersos ex Babylone, illum quidem anno 7. regni eius, vt patet primi Esdræ 7. Hunc autem anno 20. regni eiusdem, 2. Esdræ 1. Probatur hoc esse verisimum 7. & 8. cap. tertij Esdrę, in quibus significatur iste Artaxerxes regnasse post Darium Longimanum. Et primi Esdræ 7. iste Artaxerxes significatur esse rex regũ, qualis fuit magnus Artaxerxes, qui & Mnemon. Quibus diligenter cõsideratis illustrabitur ingens obscuritas, latens in duobus libris Esdræ, de quo in aliis latiùs. Ex quibus patet argumentum Eusebij non concludere, opinantis Esdram non scripsisse librum Hester, propterea quòd nunquam de Hester siluisset, si sub primo Artaxerxe, quò se reuersum scribit, res de Hester gestæ essent. Nam & reuera sub Dario Mnemone contigit Hester historia, de qua tacuit ipse qui scribit hoc tempore Esdram & Neemiam reuersos de Babylone. Vnde Darius iste Mnemon, ab Hebræis Assuerus, à septuaginta autem interpretibus Artaxerxes appellatur. Multi reges cõmuni nomine vocabãtur Assueri,

Isidorus. Eusebius.

Varia sentẽtia de Assuero.

Varia sentẽtia de authore lib. Hester.

Sentẽtia Iosephi de Assuero

Eusebius contra sententiam Iosephi.

Sub quo Dario Esdras & Neemias fuerunt reuersi ex Babylone.

Philonis sentẽtia de Assuero in lib. Hester, & de Artaxerxe, sub quo ex Babylone reuertitur Esdras.

sueri, Xerxes, seu Artaxerxes. Sunt enim nomina hæc, teste Beroso, non propriæ, sed communis qualitatis, significantia bellatorem fortem, seu victorem. Sed videtur forsitan vtraq; harum sententiarum non esse congrua veritati, eò quòd Mardochæus patruus Hester, non videtur potuisse peruenire ad tantam annorũ ætatem, ad regnum videlicet Mnemonis Artaxerxis. Nam vt dicitur in capite 2. & 3. libri Hester, Mardochæus iste translatus fuerat de Hierusalem, eo tempore, quo Nabuchodonosor rex Babylonis, transtulerat Ieconiam regem Iuda. Vnde sequitur eundem Mardochæum sub Cyri tempore, quo laxabatur Iudęorum in Babylone captiuitas, habuisse supra 70. ætatis annos, totidem nempe annis fuit populus Iuda in Babylone captiuus. A tempore autem laxatæ captiuitatis, vsque ad regni Artarxerxis Longimani annum duodecimum, defluxerunt anni plures quàm septuaginta, quibus si addantur, quos habuit cùm ex Iudæa duceretur captiuus, fient anni fermè centum & quinquaginta. Longè autem plures resalutabunt, si dicatur historia de Hester, de Aman, & de Mardochæo contigisse sub anno duodecimo Artaxerxis Mnemonis, quia inter Artaxerxem longimanum, & istum Mnemonem, teste Philone, intermedius fuit Darius Nothus, qui regnauit annos 19. Cùm ergo non sit verisimile Mardochæum sub quo completur historia Hester, tot annos habuisse, consequens videtur non esse verisimile, eundem tò minus ad annum 12. Artaxerxis posterioris in 50. annis. Proinde Rabbi Salomon, & alij quidam asserunt Assuerum hunc fuisse successorem Cyri primi Persarum regis, ante Darium regnantis. Cuius meminit etiam textus primi, Esdræ 4. In regno Assueri, inquit, (ipse est Artaxerxes) quàmuis particulam hanc, ipse est Artaxerxes, in Hebræo minimè repertam, credamus ab aliquo fuisse textu inseram. Et iste Assuerus siue fuerit, inquiunt, Cambyses secundus Persarum rex, siue alius quispiam ab Eusebio prætermissus, ante Darium regnauit in diebus, quibus naturali cursu potuit vixisse Mardochæus, quibus, inquiunt, fit vt non sequatur absurditas vlla, si dicatur Esdras historiam Hester ædidisse, & non oportuisse eundem Esdram meminisse Hester, quia propriam & peculiarem historiam de illa contexuit. Verùm his non obstantibus, nobis magis videtur esse recipienda Philonis sententia in libro suæ chronographiæ (si tamen liber non mentiatur suum authorẽ) tradentis historiã Hester cõpletam sub magno Artaxerxe, Dario, Mnemone, Assuero, sub cuius seculo fuit Ioachim, summus Iudæorum Pontifex, vsque ad annum regni Artaxerxis decimumtertium, qui & gesta Hester, inquit, scripsit, & memoriam Phurim, id est, sortium, instituit, hortante illum per literas Mardochæo, qui decem & octo annos ætatem Isaac superauit. Hactenus Philo, cuius authoritas supputationibus temporum cæteris omnibus est anteponenda, de qua latiùs infrà. Neq; obuiat Mardochæi ætas, quia ipse vt sponte testatur Philo, peruenit ad annos centum & nonagintaocto. Vides igitur quanta sit inter eruditissimos viros controuersia de scriptore libri Hester, quem tamen Hebræi certo tenent in sacrarum scripturarum canone, fideliter credentes librum illum nihil aliud continere, quàm verisimas, diuinasque sententias. Proinde an is Ioachim, an alius scripserit illam historiam non est curiosiùs inuestigandum, cùm sufficiat scire eam olim in canone diuinarum scripturarum esse receptam, consensu totius populi Hebræorum, qui venerabiliter semper vsi sunt scripturis in canone superiùs recitatis. Et cùm tot secula intercesserint, neque addere quis vnquam, neq; auferre, aut permutare quid ausus est, sed omnibus gentis Hebrææ hominibus (si Iosepho credimus) insita est hæc quodammodo atque ingenita fides, credere easdem scripturas esse diuinitus inspiratas, Deique consulta continentes ac pro ipsis, si ita res popposcerit libenter & animam ponere. Duo sunt apud Hebræ-

Obiectio cõtra sententiã dictorum.

Rabbi Salomonis sententia de Assuero

De authore libri Esdræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

os Esdræ libri canonici, in vnum volumen computati. Priorem scripsit ipse Esdras de rebus gestis priusquàm ex Babylone in Hierusalem ascenderet Neemias. A
Hic est Neemias, qui secundum librum scripsit de rebus Iudæorum, & de ædificatione ciuitatis Hierusalem sub suo seculo gestis. Vnde & præfatio libri est, Verba Neemiæ, qui & in omnibus fermè huius libri capitulis de se per primam personam loquitur. Sortitur autem secundus liber nomen Esdræ ob causas duas. Prima est, quia liber ille continet ea, quæ sub vtrisque simul sunt gesta. Deinde, quia secundum Hebræos duo isti libri in vnum librum seu volumen connectuntur, qui apud Græcos & Latinos in duos libros diuisus est, vt patet ex prologo galeato. Vnde & ipse Hieronymus in prologo Esdræ: Apud Hebræos, inquit, Esdræ
Esdras. Neemiæque sermones in vnum volumen coarctantur. Esdras autem, quemadmodum & in superioribus patuit, clarus habetur in Babylone anno septimo Darij Mnemonis magni Artaxerxis, qui facultatem dedit illi, vt cum populis & sacerdotibus illis relictis, redire in Hierusalem volentibus, ascenderet in terram B
sanctam, ad explendum omnia ad dei cultum in templo iam ædificato pertinentia, prohibens etiam vectigalia imponi sacerdotibus, dans eidem Esdræ potestatem constituendi iudices ac præsides, qui reos iudicent, siue in mortem, siue in exilium, siue in carcerem, siue in condemnationem substantiæ eorum. Primi Esdræ
Neemiæ. septimo. Neemias verò clarus habetur, sub eodem Dario Mnemone anno vigesimo quo ex Babylone venit in Hierusalem sub Eliasib pontifice, habens à rege facultatem reædificandi muros Hierusalem. Sunt, quemadmodum iam diximus, qui credant Esdram & Neemiam reuersos esse, & hanc potestatem accepisse sub Dario Longimano, aut alio quopiam anteriore. Sed hoc videtur nobis stare non posse, ex 3. cap. secundi Esdræ, in quo Eliasib sub anno illo significatur fuisse Pon- C
tifex magnus, qui non sub illo Longimano, sed sub Artaxerxe Mnemone pontifex extitit, si tamen ea, quam refert Annius, sit vera Philonis chronographia, cui & hac in parte est consona glossa ordinaria Bedæ, primi Esdræ septimo.

¶ *Secundi capitis pars secunda, de libris ad vetus testamentum pertinentibus, non receptis ab Hebræis inter canonicas scripturas.*

De libris quos Hebræi à canone separant. HActenus de libris veteris testamenti in canone diuinarum scripturarum receptis ab Hebræis, & authoribus illorum. Nunc autem videamus de libris quibusdam ad vetus testamentum attinentibus, apud Hebræos tamen in canonem non supputatis, vt sunt Tobiæ, Iudith, Ecclesiasticus, Sapientiæ, & Machabæorum libri. Vnde sciendum est, quòd Tobiæ, Iudith, Machabæorum libri, quibus authoribus scripti sint incertum est. Creduntur autem nominibus eorum in-
De Tobiæ historia. scripti, non à quibus æditi sunt, sed quorum gesta continent. Tobiæ historiam ex ipsa historia planè cognoscimus esse completam in diebus Salmanazar, & Scenacherib Assyriorum regum, qui secundùm successionem regnauerunt sub tem- D
Patet 4. Reg. 17. & 18. cap. poribus Ezechiæ regis Iuda, sub cuius regno decem tribus per Salmanazar fuerũt ex Samaria translatæ in Medorum montes: quod ante captiuitatem duarum tribuum in Babylonem accidit annos centum & tres supra quinquaginta, aut circiter. Historiam Iudith sub temporibus Nabuchodonosor regis Assyriorum, qui
De historia Iudith. regnauit in Niniue (populo duarum tribuum, iam ex captiuitate laxato) completam non dubitamus, cùm id ipsum testetur ipsius Iudith historia. Sed quisnam fuerit iste Nabuchodonosor, qui regnauit in Niniue, atque Assyria, & in quibus annis hæc sint gesta, inter catholicos patres ambiguum est, præsertim cùm Nabuchodonosor non Assyriorum, sed Chaldæorum rex fuisse legatur: neque in Niniue, sed in Babylone comperiatur regnasse, idemque in reditu populi Iudaici de captiuitate iam mortuus esse nequaquam dubitatur. Eusebius in chronicis hanc historiam esse completam arbitratur sub Cyri primi regis Persarum successore

A cessore, quem Græci Cambysen, Hebræi autem Assuerum, & Nabuchodonosor secundum vocant, qui & populum Hebræum iam ex captiuitate Babylonica reuersum, in Hierusalem, impediuit ab ædificatione templi, ita vt intermissum fuerit opus vsque ad annum secundum regni Darij Persarum. Sed huic sententiæ obuiãt alij per ipsius historiæ textum in libro Iudith, vbi recitatur hoc vel illud factum anno aut 12. aut 13. regni Nabuchodonosor. Iam ex historijs Græcorum & Eusebij certò constare videtur, Cambysen successorem Cyri, non nisi octo annos regnasse. Deinde videtur, quòd neque Esdras suis in libris huiusmodi insignia de Iudith & Nabuchodonosor gestis siluisset, qui historiam de temporibus
B Regum illorum contexuit. Sunt qui hanc difficultatẽ absoluunt secundum sententiam recitatam superiùs de libro Hester, dicẽtes, quòd Nabuchodonosor iste fuerit Cambyses, successor Syri Persarum regis, quemadmodum & ipse sensit Eusebius, & quòd anni ipsius Cambysæ in libro Iudith sub nomine Nabuchodonosor designati, computantur à tempore quo regnare cœpit super Assyrios in Niniue, adhuc viuente Cyro patre suo, & quòd apud Eusebium & alios numerentur solùm eiusdem Cambysæ anni, quibus regnauit post obitum patris, quos dicunt octo solùm fuisse, & ita non sunt contrariæ scripturarum sententiæ. Neque oportet, inquiunt, consequens esse si Esdras in sua historia non meminerit huius rei sub suis seculis gestæ, quòd idcirco hæc non acciderunt sub temporibus eius, quemadmodum & de libro Hester iam dictum est. Verùm hic sciendum est, secundum suprà dictam Philonis supputationem, Eusebium non esse recipiendum in chronographia monarchiæ regum Persarum, in qua tradit templum esse consummatum ante Darium Longimanum, sub Dario quodam, qui regnauerit sex
C & triginta annos, quod tamen sub Dario Longimano completum fuit: supputationẽ faciendo iuxta Metasthenis & Philonis chronographias. Proinde his non Metasthenes. obstantibus longè aliter videbitur dicendum nobis, si consideremus quòd supra dicti magistri in rationibus temporum imitantur doctrinam Eusebij, Orosij, & aliorum, qui de regibus Persarum eorumq; temporibus scribentes, suas sententias mutuati sunt à Græcis, qui (vt Metasthenes in libro suæ Cyrographiæ inquit) de regibus Persarum & de temporibus illorũ solo auditu, & per opiniones scripserunt, & pariter se & alios deceperunt, qui & (vt demonstrat Iosephus contra Ap- Iosephus. pionem) se inuicem de mendacio accusantes, per omnem vitam aberrant. Magis recipiendus videtur Philo disertissimus, qui in libro suæ chronographiæ super Philo disertissimus. rationibus temporum regum Persarum Metasthenem Persam de illis publica fi-
D de & auctoritate scribentem, sequutus est, qui & super rationibus temporũ Pontificum, Ducum, & Regum Hebræorum, sese sicut septuaginta seniores in scriptis reliquerant, testatur scribere. Is autem & Ioachim filium Iosuæ sacerdotis magni, gesta Iudith scripsisse, & anniuersariam liberationis memoriam quotannis agendam instituisse tradit, sub rege Prisco Artaxerxe Assuero, qui à septuaginta Nabuchodonosor appellatur, qui & regni sui anno decimotertio audiens Holofernẽ principem militiæ suæ à Iudæis occisum, publico edicto vetuit templum erigi: cui successit filius eius, nomine Darius Longimanus, sub cuius regni anno primo relaxatum est patris edictum, & regnauit annos 37. cui successit Darius Nothus, regnans annos 19. huic successit magnus Artaxerxes, Assuerus, Darius Mnemon, sub quo historia Hester completur. Et ita Hester posterior Iudith est 74. annis & vltrà. Neque his obstat ætas Mardochæi, nam iuxta Philonis sententiã, ipse vixit annos 198. Vtriusque ergo libri, Iudith videlicet & Hester, idem est author Ioachim summus Iudæorum Pontifex. Liber Ecclesiasticus apud Hebræos quidem reperitur, & ad ædificationem morum legitur, sed inter canonicas scriptu- De authore lib. Ecclesiast.
ras apud eos non supputatur. Ex traditione autem veterum, vt Eusebij, Hieronymi,

Qui apud Græcos Cabyses, apud Hebræos Nabuchodonosor, appellatur.

In numeris duorũ Regũ, historiæ Græcorũ videtur cõtrariæ scripturis sacris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mi, Augustini, & aliorũ certò cognoscimus, Iesum filium Sirach ædidisse librum illum ante natiuitatem Saluatoris nostri, annos fermè ducentos, paulò ante tempora Iudæ Machabæi, & fratrum eius, & id quidem, vt ex præfatione quam is per quem sermo libri compositus est eidem libro præscripsit, sub temporibus Ptolemæi Euergetis regis Ægypti, qui regnauit in diebus Simonis magni Pontificis Oniæ filij, cuius & ipse meminit in vltimo libri sui capite. Verùm hic sciendum, quòd secundùm sententiam Iohannis Damasceni veteris Theologi Græci, Iesus pater Sirach composuit Hebraicè librum istum, nepos autem eius etiam vocatus Iesus filius Sirach, eundem librum traduxit in linguam Græcam, super quo vide Damascenum lib. 4. cap. 18. Quibus cõsideratis duo soluuntur dubia, quæ forsitan videntur obstare, sumpta ex eadem præfatione. Vnum, quòd asserit Iesum suum fuisse auum. Alterum, quòd asserit se non ædere, sed addere laborem diligentiamque interpretandi librum istum. Ex priore assertione consequi videtur sententia Isidori, & aliorum tradentium hunc Iesum filium Sirach fuisse nepotem Iesu sacerdotis magni, viuentis sub temporibus Aggæi & Zachariæ prophetarum. Sed hoc non videtur consonum veritati, cùm inter istum Iesum & illum interfuerint anni trecenti, nisi forsitan appellatione nepotis aut abnepos, aut pronepos intelligatur. Ex altera assertione consequi videtur, Iesum istum filium Sirach esse non authorem, sed interpretem libri huius. Sed quòd prior assertio non obuiet nobis, fiet manifestum, si videamus chronographiam Philonis, docentis Iesum sacerdotem magnum vixisse annos centum & triginta, vsque ad vigesimum annum Longimani. Deinde quòd neque obuiet assertio altera manifestum erit, considerantibus præfatam Damasceni sententiam, docentis patrem Sirach composuisse Hebraicè Sapientiam hanc, quam Græcè interpretatus est, nepos Iesu, filius Sirach: Et hoc manifestum est ex eadem præfatione, in qua ipse Iesus filius Sirach loquitur: Auus, inquit, meus postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis & Prophetarum, volui & ipse scribere aliquid: & reliqua, quibus testatur se voluisse scribere aliquid horum quæ ad doctrinam & Sapientiam pertinent, & se, postquam in Ægypto inuenisset libros relictos, neque paruæ, neq; contemnendæ doctrinæ, multa vigilia attulisse huius libri doctrinam. Vnde & Hieronymus ad Chromatium, asserit se repperisse hunc librum Hebraicè scriptum. Deinde non arbitramur absurdum, si quis dixerit Iesum filium Sirach, ex diuersis libris inuentis apud Ægyptios, ibidem relictis à Iudæorum populo, transtulisse sententias in vnum hoc volumen, & ita diligentiam & laborem addidisse ad interpretandum librum istum, quemadmodum de sententiis scriptis in libris Prouerbiorum, & Sapientiæ dicetur in dissolutione quintæ difficultatis. Hactenus de libro, qui inscribitur Ecclesiasticus. Sapientiæ liber apud Hebræos nusquam est, hoc est, in Hebraico volumine apud eos non habetur. Legunt quidem Iudæi istum librum, sed rarò, existimantes illum esse Philonis Iudæi Græci. Nam & ipse titulus magis Græcam (inquit Hieronymus) eloquentiam redolet. Philonem autem hunc esse quidam putant non eum, cuius iam chronographiæ meminimus, qui sub Nerone claruit circiter annum à natiuitate Domini 45. qui & in laudem religionis Christianæ apud primitiuam ecclesiam obseruatæ conscripsit nonnulla, quemadmodum testatur Hieronymus in libro de viris illustribus: sed alium quendam Philonem vetustiorem peritissimum Græcæ linguæ supra centum & 60. annos ante Christi ortum, sub temporibus Oniæ pontificis Iudæorum. Quod si verum est, videbuntur historici nonnulli propter æquiuocationẽ nominis Philonis errasse in scribendis illustrium virorum annis, temporibus, & historiis. Et quia ecclesiastici patres duos hos libros Sapientiam, inquam, & Ecclesiasticum propheticos existimant, ideo non à Philone, qui fuit post Christum, sed ab alio ante

Præfatio authoris lib. Ecclesiastici.

Obiectiones duæ.

Isido. Etym. lib. 6. cap. 2.

Iesus sacerdos magnus vixit annos centum & triginta.

Sapientiæ lib. apud Hebræos nusquam est.

Ad Chromatium.

Duo videntur fuisse Philones

ante Christum creduntur æditi. De quibus & Augustinus 17. de ciuitate Dei, capite 20. sic loquitur: Alij duo libri quorum vnus Sapientia, alter verò Ecclesiasticus dicitur, propter eloquij nonnullam similitudinem, vt Salomonis dicantur obtinuit consuetudo, non autem esse ipsius non dubitant Doctores, eos tamen in authoritatem maximè Occidẽtalis antiquitas recipit Ecclesia, quorũ in vno, qui appellatur Sapientia Salomonis, passio Christi apertissimè prophetatur, cap. 2. In Ecclesiastico autem fides gentium futura prædicitur, hoc modo: Miserere nostri dominator Deus omnium, & immitte timorem tuum super omnes gentes. Vides Augustinum planè sentire libros istos spiritu prophetico esse æditos. Credo igitur illos non post Christum à Philone, sed anteà scriptos. De Machabæorum libris sciendum est, quòd Machabæorum gesta ac facta in libris Machabæorũ descripta habebantur olim tanquam verissima apud veteres Hebræos, etiam ante Christum, quàmuis non ab initio cum supputationibus temporum digesta fuerant, & ordinata, sicut sunt collecta postmodum in duo hæc volumina: non ab eodem, sed à duobus diuersis authoribus, nobis quidem incertis: cuius indicium hoc est, quòd primus, si Hieronymo credimus, Hebraicè, secundus Græcè scriptus inuenitur. Item secundus, epitome, id est, compẽdium seu breuiarium quod dam est, cuiusdam voluminis magni æditi à Iasone Cyrenæo, quemadmodum dicit eiusdem libri author in cap. 2. Ab Iasone, inquit, Cyrenæo quinq; libros comprehensos tentauimus vno volumine breuiare. Quis autem fuerit abbreuiator, quibus item temporibus scripserit librum istum, certò non constat, nisi fortè fuerit Iosephus, qui, vt inquit Hieronymus in libro de viris illustribus conscripsit librum valde elegantem, in quo Machabæorũ sunt digesta martyria. Et in 2. contra Pelagianos: Iosephus fertur, inquit Machabæorum scriptor historiæ. De his Iohannes Annius diligentissimus temporum supputator sic loquitur: Libri Machabæorum, qui absque temporibus scripti erant & gesta, & sub quibus Regibus acta erant, apud veteres habebantur. Iosephus autem adijciens tempora, apocryphos reddidit, ponens Antiochum illustrem regnasse anno 137. regni Græcorum, vt. 1. libro Machabæorum cap. 1. scribitur, qui tamen regnauit anno 153. vt patet in annalibus Græcorũ, per singulos reges Asiæ & Syriç post Alexandrum, quos Eusebius de temporibus eruditè notauit. Hanc difficultatem soluit Eusebius in libro suæ chronographiæ, tradens quòd Hebræa Machabæorum historia supputat Græcorum regnum non ab Alexandro, sed à Seleuco, qui cognominatur Nicanor. Et regnauit in Syria anno à morte Alexandri exacto vndecimo, cui numero si addantur quinque anni, quibus Alexander tanquam monarcha imperauit Græcis, consurget numerus annorum 153. Et ita Antiochus regnauit in anno 137. regni Græcorum, numerando initium regni Græcorum à Seleuco: numerando aũt initium regni Græcorum ab Alexandro, regnauit in anno 153. Verùm tamen Nicolaus de Lyra eandem difficultatem conatur dissoluere, supputando initium regni Græcorum ab Alexandro: sed magis inhærendum est sententijs patrũ. Scisciantibus autem, quanam ratione Machabæorum historiæ scriptor non ab Alexandro, qui iam cœperat regnare in Græcia, sed à Seleuco supputauerit. Deinde cur asseruit eundem Alexandrum Macedonem primũ regnasse in Græcia, cùm Græci longè antè habuerint reges, vt Argiui, Lacedęmonij, Athenienses. In Macedonia quoque, quæ pars est Græciæ, Alexander iste non primus, sed 24. rex extitit. Respondeo, quòd Machabęorum historię scriptor, annos illius regni supputauit, quo peruenit ad Antiochum illustrem, sed illud regnum non ab Alexandro, qui fuit multorũ regnorũ Imperator, sed à Seleuco habuit initium, qui post Alexandrum super solam Græciam Iudææ vicinam, scilicet Syriam primò regnauit, tandemque iunxit Asiam suo regno. Sciẽdum est enim quòd Alexander monarchiam

Aug. de Ciui. Dei.

Passio Dñi in lib. Sapiẽ. prophetatur.

De lib. Machabæorum.

Hiero. in prologo galeato.

Secundus Machabæorũ Iasonis quinque voluminibus collectus.

Solũtur difficultates ab Eusebio.

Nicolaus de Lyra.

Quæstio.

Alia quæstio.

Responsio ad quæstionẽ priorem.

C

Universidad de Deusto
Biblioteca

narchiam Imperij sui, pueris suis diuisit dum adhuc viueret, quo mortuo per altercationes varias, monarchia fuit diuisa in regna multa, è quibus vnum fuit Syriæ, quod anno 12. post eundem Alexandrum, primus obtinuit Seleucus. In hoc regnum reuolutus ab eius initio 137. annis, successit Antiochus Epiphanes, id est, illustris, qui Hierosolymam occupauit, ritum legis Moysi extinxit, & suillam carnem in templo mactari, & simulachra Deorum venerari iussit, omnemque sacrũ vasorum apparatum sustulit. Ad aliud respondeo, Alexandrum primum regnasse in Græcia tanquam Imperatorem, & totius Græciæ dominatorem. Vnde fidelissimus historiæ scriptor Metasthenes tempore illo florens: Magnus, inquit, Alexander transtulit imperium in Græcos, Seleucus Nicanor successit toti Asiæ & Syriæ. Hęc sunt quæ respondebimus calumniantibus, Machabęorum libros inter apocryphas scripturas esse deputandos, & nonnulla esse asserta illic falsa, de Regum & temporum supputationibus. Ampliùs autem est aduertendum, quòd secundi Machabæorum historia, non consequenter se habet, cum gestis descriptis in lib. 1. sed quasi à latere iungenda est illi, continens quidem prioris libri gesta, vtpote virtutes & bella Iudæ Machabæi contra gentium principes, conantes occupare terram sanctam, destruere Dei leges, & diuinũ Iudæorum cultum, sed & diffusè etiam, tractans alia multa præclara eiusdem Machabæi fratrumq; eius opera, quæ ab authore primi libri nondum erant scripta, quemadmodũ demonstrari potest ex cap. 9. eiusdem libri. Cętera verba bellorum virtutum Iudę, quas fecit & magnitudines eius, non sunt descripta, multa enim erant valde. Item quę de zelosissimo Matathia, Machabæorum fratrum patre prioris libri narrat historia, prætermisit scriptor secundi libri, qui studens breuitati in 5. cap. prætermissis per Matathiam gestis, & morte illius sese contulit ad Iudam Machabæum filiũ eius. Deinde in 7. transiens ad inclita gesta, diraque Martyria, quæ Eleazarus, duæque mulieres, & septem fratres Machabæi, vna cum matre perpessi sunt, pro conseruandis patrijs legibus: subsequenter præclara facta Iudæ Machabæi, vsq; in finem libri commemorat, tacitis his quæ post mortem Iudæ Machabæi contigerunt, de quibus tamen à cap. 9. vsque in finem prolixè satis tractat prioris libri historia. Hactenus de diuinis veteris testamenti libris.

Responsio ad aliam quæst.

A

B

C

¶ *Sequitur huius Capitis pars tertia, de scripturis canonicis noui testamenti.*

De libris canonicis noui test.

IAM de canonicis libris noui testamenti, eorundemque authoribus, & temporibus, in quibus sunt conscripti videamus. Sciendum est autem, quòd quemadmodum vetus testamentum non totum simul, sed à diuersis secũdùm successiones est Hebraico sermone cõscriptum, & sta auctum secundùm temporum & rerum diuinarum incrementa: sic & nouum testamentum non totum simul, sed à diuersis secundùm temporum successiones est æditum. Ex libris ecclesiasticorum patrum ab exordio ecclesiæ, secundùm seriem successionis scribentium ad nos deuolutis, certò cognoscimus primitiuam Christi ecclesiam, immediatè à Christo & ab Apostolis edoctam, nonnullis etiam Apostolis adhuc viuentibus easdem habuisse scripturas, id est, eadem quatuor Euangelia, eadem Apostolorum Acta, easdem epistolas Apostolorum. Insuper eandem Ecclesiã ab initio nõ habuisse vnquam nec alia Euangelia, nec alias Apostolorum epistolas & scripturas tanquam diuinas & canonicas, præter has quas nunc in canone testamẽti noui, honorat & prædicat tota Christianorum schola. Vnde concors omnium sanctorum patrum professio, secundùm successionis seriem vnanimiter vtentium sacrosanctis quatuor Euangelijs, alijsque scripturis Apostolicis in nostro canone designatis, efficax est argumentum, hunc quem nunc habemus scripturarum canonem, esse verum & Apostolicum canonem, certis suis libris & terminis definitum. Verùm hic operęprecium est considerare in canone scripturarũ noui testamenti

Ecclesia Apostolis adhuc viuẽtibus eandem scripturæ canonẽ habuit

D

menti quædam esse præcipua, quæ semper fuerunt recepta ab omnibus quæ sub cœlo sunt Ecclesijs, cuiusmodi sunt sacrosancta quatuor Euãgelia, quæ supremũ dignitatis apicem, summamq; authoritatem à tota Christianorũ schola habere dignoscuntur. Vnde & secundùm doctrinam antiquissimorũ patrum, qui vicini fuerunt Apostolorum temporibus, quales sunt Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, huiusmodi quatuor Euangelia longè antè erant prænunciata, Ezechielis vo lumine designata in visione animalium quatuor, quorum vultus facies hominis, facies leonis, facies vituli, & facies aquilæ. Deinde sequuntur Actus ab euangelista Luca descripti. Pauli epistolæ nouem ad septem Ecclesias, videlicet ad Romanos vna, ad Corinthios duę, ad Galathas vna, ad Ephesios vna, ad Philippẽses vna, ad Colossenses vna, ad Thessalonicẽses duę. Prętereà ad tres discipulos suos, ad Timothęum duæ, ad Titum vna, ad Philemonem vna. Item Petri vna, & Iohãnis vna. Hæc sunt de quibus nulla vnquã extitit dubitatio, quibus & vsi sunt patres, qui aut vixerunt sub Apostolorũ temporibus, aut vicinissimi fuerunt eorundem Apostolorum seculis. Alia verò sunt in eodem canone, quæ paulò seriùs ad notitiam totius Ecclesiæ peruenerunt: cuiusmodi sunt epistola ad Hebręos, Apocalypsis Iohannis, epistola Iacobi, secunda Petri, secunda & tertia Iohannis. Hęc iam olim consensu totius Ecclesię fuerunt quidem recepta, sed non sine contradictione, quia non ab initio, quemadmodum aliæ scripturæ ad notitiã totius Ecclesię peruenerunt. Cuius indicium hoc est, quòd multi percelebres ecclesiastici scriptores non leguntur vsi fuisse testimonijs ex huiusce modi scripturis. Verùm nihil refert qualitercunque fuerit olim super huiusce modi libris à quibusdam dubitatum, cùm nunc vniuersalis Ecclesię candor, quemadmodum patet ex prologo Hieronymi ad Paulinum, omnia suprà dicta in canonem recipiat diuinarum scripturarum: sequens non solùm huius temporis consuetudinem, sed & authoritatem quorundam scriptorum veterum, qui vicini fuerunt Apostolorũ temporibus, quod facilè poterit esse manifestum considerantibus sententias patrum, quas recensuimus in 1. cap. libri huius. Irenæus de Apocalypsi Iohannis dicit, quòd ipsa est Iohannis apostoli, ædita sua ætate prope finem Domitiani Cæsaris. De epistola ad Hebręos habet Clemens Alexandrinus, quòd ipsa est manifestè Pauli apostoli, à Luca ex Hebræo in Græcum translata. Idem de eadem epistola ad Hebręos concorditer senserunt Origenes & cęteri antiquissimorum patrum Græcorum, quemadmodum in Apocalypsim Iohannis consenserunt antiquissimi scriptorum Latinorum. Vnde & de vtroque sic habet Hieronymus ad Dardanum: Epistola, quæ inscribitur, inquit, ad Hebræos, non solùm ab Ecclesijs Orientis, sed omnibus Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli apostoli suscipitur, licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur. Verùm nihil interest cuius sit, cùm sit Ecclesiastici viri, & quotidiè Ecclesiarum lectione celebretur. Quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter canonicas scripturas, nec Græcorum quidem Ecclesię Apocalypsim Iohannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos vtranque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorũ authoritatem sequentes, qui plerunque vtriusque vtuntur testimonijs, non vt interdum de apocryphis solent, sed quasi ecclesiasticis & canonicis. Proinde si Tertul. Lactan. Cypria. cęteriq; vetustissimi scriptores Latini non inueniuntur vsi testimonijs ex epistola ad Hebræos, non oportet inde consequens esse, eandem epistolam non esse recipiendam inter canonicas scripturas. Vnde & de epistola ad Philemonem sic loquitur Hieronymus: Fuerunt, inquit, olim qui noluerunt inter epistolas Pauli, eam quæ scribitur ad Philemonem, recipere, quæ & à plerisque veteribus repudiata fuit, tanquam nihil habens quod ædificare nos posit, dum commendandi tantùm, non docendi

A

B

C

D

Quatuor Euãgelia & non plura fuerant ab initio recepta.

Irenæus.

Clemens.

Origenes.

Hiero. de Epi. ad Hebræos & Apocal. Iohã.

Hiero. in prõœmio epist. ad Philemonẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

officio scribatur. Sed sciendum est, inquit, quòd nunquam in toto orbe, à cunctis A
De epist. canonicis Iohannis & Petri. Ecclesijs fuisset susceptа, nisi apostoli Pauli crederetur. Item epistola Petri prima, Iohannis prima, semper ab omnibus susceptę sunt Ecclesijs. Secunda autem Petri à plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam: sed ex hoc non esse consequens, eandem non esse Petri epistolam ostendit Hieronymus quæstione vndecima ad Hedibiam. Deinde antiquissimus Anacletus beati Clementis successor, qui & in epistola quam scripsit vniuersis episcopis in Italia constitutis, dicit se presbyterum à beato Petro ordinatum. In epistola quam scripsit omnibus episcopis, & cunctis fidelibus, vtitur sententia ex vltimo cap. epistolæ secundæ Petri, dicens: Sicut charissimus noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti deprauant. Sumit & ibidem sententiam ex epistola Iudæ, qua dicitur: Vos autem charissimi memores estote B
verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini, qui dicebant vobis, Quoniã in nouissimo tempore venient illusores secundùm desideria sua ambulantes in impietate. Hi sunt qui segregant semetipsos, &c. Postremùm, secundam & tertiã Iohannis, vnam Iacobi, & vnam Iudæ, ante longa tempora non dubitauit Ecclesia, esse verorum Apostolorum scripta, connumerans easdem cæteris canonicis epistolis, de quibus & Hieronymus in epistola ad Paulinum: Iacobus, Petrus, Iohannes & Iudas, septem ædiderunt epistolas, tam mysticas, quàm succinctas, quã breues pariter & longas, breues in verbis, longas in sententijs, vt rarus sit qui non in earum cæcutiat lectione. Hactenus de canonicis noui testamenti libris. Iam fortasis nonnihil lucis adferre videtur sacræ scripturæ studioso lectori, si cognoscat annos & tempora quibus æditi sunt ipsius libri. Proinde sciendum est, quòd C
in hoc ab initio consenserunt vniuersi patres, quòd Matthæus primus omnium
Eusebius in chron. in Iudæa scripsit Euangelium ipsis Hebræis in ipsorum lingua. De tempore autem quo fuit scriptum, tradit Eusebius, & cæteri. Dum Petrus Antiochenæ ecclesiæ præsideret, Matthæus primus omnium scripsit Euangelium in Iudæa tertio anno imperij Caligulæ. Et sic non tempore longo fuit Ecclesia Christi sine scripto Euangelio. At verò Irenæus dicit Matthæum scripsisse Euangelium, cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent. Sed an tam serò scripserit suum Euangeliũ
Lib. 3. aduersus Valẽt. ca. 1 Matthæus, explicabitur in dissolutione difficultatis nonæ. Nunc autem sufficiat scire, quæ dicit Hieronymus in libro de viris illustribus: Matthæus primus omnium Hebraicè scripsit Euangelium. Quis autem posteà transtulerit in Græcum,
Hiero. de Euãgelio, Matt. non satis certum est. Porrò ipsum Hebraicum in hunc vsque diem, inquit Hieronymus, habetur in Cæsarienſi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosè confecit. Mihi quoque à Nazareis, qui hoc tempore isto volumine vtuntur describendi facultas fuit. In quo animaduertendum, quòd vbicunque Euangelista, siue ex propria persona, siue ex persona Domini Saluatoris vtitur testimonijs scripturæ veteris, non sequitur 70. translatorum authoritatem, sed Hebraicam.
De Euangelio Marci. Post Matthæum autem Marcus discipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romę à fratribus, breue scripsit Euãgelium. Quod cùm Petrus audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua authoritate ædidit. Huius Marci meminit Petrus in epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: Salutat vos Ecclesia, quæ in Babylone collecta est, & Marcus filius meus. Hic Marcus assumpto secum Euangelio, quod ipse confecerat, perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituens Ec
De Euangelio Lucæ. Hiero. de viris illustribus. clesiam, octauo Neronis anno moritur, & sepelitur Alexandriæ, succedente sibi Aniano, dum Petrus adhuc viueret. Postquam iam scriptum erat Euangelium per Matthæum in Iudæa, per Marcum autem in Italia, Lucas quoque Euangelium

A um scripsit, de quo Hieronymus: Lucas medicus Antiochẽsis, vt eius scripta indicant, Græci sermonis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes, & vixit 84. annos, vxorem non habens, Constantinopoli sepultus. Scripsit autem Euangelium, de quo Paulus: Misimus, inquit, cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Et ad Colossenses: Salutat vos Lucas medicus charissimus, Et ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Euangelizauit, non sicut viderat, sed sicut audierat: scripsit quod didicerat, non solùm ab Apostolo Paulo, sed & à cęteris Apostolis, quemadmodum ipse in principio sui voluminis dicit: Sicut tradiderunt nobis qui à principio viderunt. Aliud quoque ædidit volumen sicut viderat, inscriptum Actus Apostolorum, cuius Delib. Act. Apost.
historia vsque in biennium Pauli Romæ commorantis peruenit, id est, vsque ad annum quartum Neronis. Ex quo intelligimus, inquit Hieronymus, in eadẽ vr
B be librum illum esse compositum. Quidam suspicantur Paulum, quotiescunque in epistolis suis dicit, iuxta Euangelium meum, de Lucæ dixisse Euãgelio. Verùm hic non videtur prætereundum, Lucam scripsisse Euangelium priusq̃ cum Paulo vincto Romam duceretur, quod hinc possumus colligere, quòd in Actuum apostolorum procemio Romę ædito, profertur scriptum fuisse suum Euangeliũ, & quòd 2. ad Corinthios, in qua testatur in laudem Lucæ in Euangelio esse, iam scripta erat priusquam Paulus & Lucas Romã venissent, quod patebit ex sequentibus. Cùm autem iam omnes Pauli, & cæterorum apostolorum epistolę scriptę forent, & iam per omnem Asiam, Europam, Africã essent semina fidei sparsa, & Ecclesiæ constitutę, & hęreses in Ecclesia inciperent contra diuinitatem Christi pullulare, Cerintheis, & Ebionitis, negantibus Christum hominem Deum esse.
De Euan. Iohannis. Postremus omnium Iohannes solutus ab exilio, rogatus ab omnibus tunc penè
C Asiæ episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, postquam Apocalypsim iam in Pathmo scripserat, vt asserit super Iohãnem prologus à quibusdam asserAposcalypsis scripta ante Euãg. Iohan. iuxta prologũ super Iohan. Hieron. de viris illustrib. ptus Hieronymo, in Asia suum ædidit Euangelium, de diuinitate Christi, cæteris Euangelistis altiùs scribens contra hæreticos, qui asserũt Christum ante Mariam non fuisse, & hæc vna est causa scripturæ huius. Sed & aliam, inquit Hieronymus, eiusdem scripturæ causam ferunt, quòd cùm legisset Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probauerit quidem textum historiæ, affirmauerit̃que illos vera dixisse, sed vnius tantùm anni (in quo & Christus passus est post carcerem Iohannis) historiam texuisse, prætermisso itaque anno, cuius acta à tribus exposita fuerant superioris temporis, antequam Iohannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit: sicut manifestum esse poterit, his qui quatuor Euangelistarum volumina legerint. Quæ res etiam tollit dissonantiam, quę videtur esse Euangelij Iohannis
D cum cæteris. Scripsit etiam vnam epistolam, cuius exordium est: Quod fuit ab initio, quæ ab vniuersis ecclesijs, & eruditis viris probatur. Reliquæ autem duæ Iohannis epistolæ, inquit Hieronymus, à nonnullis Iohannis presbyteri asseruntur. Quarto decimo igitur Domitiani Imperij anno, in secunda post Neronem persecutione Ecclesiarum relegatus in Pathmon insulam. Apocalypsim scripsit, quam interpretãtur Iustinus martyr, & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, actisq; eius ob nimiam crudelitatem à senatu rescisis, sub Nerua principe Ephesum rediens, totas Asiæ fundauit Ecclesias, cõfectus senio, sexagesimooctauo post passionem Domini anno mortuus sub Traiani imperio, iuxta eandem vrbem sepultus est. Istæ sunt Hieronymi sententiæ de apostolo Iohanne & illius Euange-
De Apostolorum epist. lio. Hactenus de Euangelijs, sub quibus fuerint temporibus ædita. Iam de Apostolorum epistolis. Quibus autem annis post Christi passionem, quibus ex locis, & causis Paulus suas scripserit epistolas, videbitur fortasis incertũ esse & supervacuum, curiosiùs inquirere. Verùm quia iuxta diuersitates locorũ, temporum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& hominum, diuersæ sumuntur scribendi causæ & argumenta, non erit pro scripturis apostolicis intelligendis inutile pauca quædam inserere de temporibus, locis & rationibus quibus vnaquęq; epistola sit scripta, & considerare quid proprium habuerint Romani, quid Corinthij, quid Galatę, Philippenses, Thessalonicenses, Ephesi, Colossenses, Hebræi. In primis igitur considerandа sunt tempora & loca, sub quibus Apostolorum principes Petrus & Paulus euangelizauerint.

Hiero. de viris illustribus.

Ex Actis apostolorum iunctis Eusebij, Damasij papæ, & Hieronymi sentętijs, discimus Petrum post passionē Christi multos annos mansisse in Asia, & prædicasse Euangelium in Iudæa, Galilæa, Samaria, in Ponto, Galatia, Cappadocia, deinde post Episcopatum Antiochensis ecclesiæ secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum perrexisse Romam, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuisse, vsque ad vltimum annum, seu 14. annum Neronis, à quo, vt inquiunt Hieronymus, cæteriq; patres, & affixus est cruci capite in terrā verso, eleuatis in sublime pedibus, asserens se indignum, qui crucifigeretur, sic vt

Paulus ad Galatas secundo.

Dominus suus Christus. Ex quorum patrum sententijs considerata chronographia, seu descriptione temporum à 18. anno Tiberij, quo crucifixus est Christus, vsq; in vltimum Neronis annum, consequens est Petrum 12. annos moratum esse post Christi passionem in Asia, exactoq; 12. anno, aut circiter, perrexisse Romam, quāmuis idipsum ex Actis Apostolorum nō pateat. Vnde patet venerabilem Bedam super cap. 15. Actuum apostolorum, quem & imitatur Diuus Thomas cap. 2. ad Galatas, à sententia patrum deuiasse, dum docet Petrum crucifixum esse exacto quadragesimo anno à Christi passione, eumq; primùm venisse Romam, post annum à Christi morte 14. motus ex verbis Apostoli ad Galatas 2. dicentis se post 14. annos ascendisse Hierosolymam, numero illi annorum quatuordecim, connumeratis tribus annis, de quibus Paulus ipse præmiserat. Verùm hoc ex verbis illis Apostoli ex necessitate non sequi hinc patet, quòd Apostolus non dicit ibidē, post quatuordecim annos se tunc Petrū vidisse in Hierusalem. Quòd si forsitan doctrina illa cuiquam persuadeatur, tunc Paulum vidisse Petrum in Hierusalem, non idcirco oportet credere Petrum tunc non præfuisse Romanę ecclesię, quippe qui potuit ex Eadem Roma pro negocijs fidei, spiritu reuelante, & disponēte, venisse in Hierusalem, quemadmodum & Iohānes ad Hierusalem aliunde ascenderat. Petrus ergo post Christi mortem 37. annis Euangelium prædicauit, ex quibus & 25. annis Ecclesiæ Romanæ præfuit, suamque scripsit epistolā primam per Syluanum fratrem ex eadem vrbe. Illam, vt inquit Papias & Clemens Alexādrinus, appellans Babylonem, cùm dicit: Salutat vos quæ est in Babylone Ecclesia electa, & Marcus filius meus, & c. 1. Pet. vlti. Paulus verò à Christi passione 2. anno, nondum exacto ad fidem Christi ex Iudaismo conuersus, supra 24. annos viua voce diuersas in Asia fundauit Ecclesias, ita vt à Hierusalem vsque in Illyricum impleuerit Euangelium Christi, vt patet ex libro Actuum, & ex ipsius epistolis. Post multos igitur annos, videns easdem Ecclesias, aut à se, aut ab Apostolis fundatas, vel deuiare à rectitudine fidei acceptæ, vel à falsis Prophetis subuerti, & in rectitudine fidei non perseuerare, dum se illis præsentem exhibere non poterat, tandem post 14. à sui conuersione annum exactum, diuersas incipit scribere epi-

Hiero. de viris illustribus.

stolas, quibus aut reuocat, aut arguit errantes, aut laudat, cōmendat, roborat perseuerantes, aut docet, aut instruit ignorantes. Anno autem, vt inquiunt Hieronymus cæteriq; patres, à Christi passione 25. Vinctus Romam venit, exacto videlicet 2. regni Neronis anno. Decimo autem quarto anno regni eiusdem, qui & vltimus erat annus regni illius, capite trūcatus est, eodem, inquit Hieronymus die,

Paulus Romę capite truncatus eodem die quo Petrus est crucifixus.

quo Petrus est crucifixus, anno videlicet post passionē Christi 37. Ex quibus consequens esse videbitur epistolam quæ inscribitur Clementis pontificis Romanæ

Ecclesiæ

Ecclesiæ, quæ se indicat scriptam post Petri mortem ad Iacobum fratrem Domini, non esse reuera ipsius Clementis. Nam cùm ipse Iacobus 30. annis Hierosolymorum episcopus, iuxta Diuum Hieronymum, & alios, legatur mortuus. 7. Neronis anno, adhuc viuente Petro 7. annis post mortem eiusdem Iacobi, stare non potest, quòd Clemens, aut alius quisquam scripserit post mortem Petri vllam epistolam ad Iacobum illum, sed de hoc latiùs in libro sequenti. Sufficiat autem nunc scire, Paulum postquam vinctus ingressus est Romam, vixisse annos 12. ex quibus duobus annis mansit Romæ in libera custodia, liberè docens Euangelium omnes ad se venientes, nemine prohibente. Effluxo biennio, liber à Nerone dimittitur quò velit ire. Ex quibus conficitur, quòd Paulus quasdam scripsit epistolas, priusquam Romam vinctus duceretur, quasdam autem iam aut in via, aut ex vrbe Roma in vinculis constitutus, aut ex locis Italiæ iam solutus à vinculis. Epistolam ad Romanos, vtramq; ad Corinthios, ad Galatas, vtramq; ad Thessalonicenses, & primam ad Thimotheum scripsit, priusquam Romam veniret. Ad Philippenses autem scripsit ex vrbe Roma iam vinctus, quo tempore mihi quoq;, inquit Hieronymus ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philemonem epistolæ videntur esse dictatæ. Deinde & epistolam ad Hebræos ex Italia scriptam credimus, propter salutationem fratrum ex Italia in calce adiectam. Secundam ad Timotheum scripsit in fine dierum, Romæ, secundò coniectus à Nerone in vincula. Sciendum est enim Paulum bis vinctum fuisse in vrbe Roma. Primùm, vti iam diximus, cùm ex Hierusalem Romam ductus est. Post annum autem 12. à primo ingressu eius in vrbem Romam, rursus Romam veniens, vnà cum Petro à Nerone in vincula coniectus, secundam ad Timotheum scribit epistolam, in qua & de prima sua apud Neronem defensione, per quam liberatus fuit, & secundò vinctus de sua iam imminentis passionis immolatione indicat, vt patet apud eiusdem epistolæ caput vltimum, & apud Eusebium lib. 2. cap. 22. & Diuum Hieronymum in lib. de viris illustribus. Epistolam ad Romanos scribit à Corintho in Achaia vrbe infigni, hospitatus in domo Caij, de quo ad Romanos vltimo, & primæ ad Corinthios primo, vbi & euangelizauerat pridem annum integrum, & menses sex, ad tempus aliquod hospitatus apud Aquilam Iudæum, & Priscillam vxorem eius, per Claudium Cæsarem à Roma pulsos, apud quos & ipse eiusdem artis scenofactoriæ operabatur manibus, per omne sabbathum prædicans euangelium regni Dei. Inde Paulus, comitantibus illum Aquila & Priscilla, profectus est Ephesum, Act. 18. Primam ad Corinthios scribit ex Epheso, Asiæ metropoli, vbi triennium commoratus, cum Aquila & Priscilla hospitatus, nocte & die non cessauit cum lachrymis vnumquemque admonere, Act. 20. Vnde in vltimo capite huius epistolæ: Salutat vos multùm, inquit, in Domino Aquila & Priscilla, apud quos & hospitor. Secundam ad Corinthios scribit à Troade, quæ & Troia, vbi primùm venienti, illi ostensa est visio, vt transiret in Macedoniam, vbi & secūdò dum rediret commoratus septem diebus, suscitauit adolescentem mortuum de cœnaculo lapsum, Act. 20. Ex supradicta insuper vrbe Epheso fertur scripsisse Epistolam ad Galatas, seu ad credentes aduenas, commorantes in Galatia, prouincia sic appellata, quòd in eam Galli aliquando venientes, cum Græcis sese miscuerunt, vnde primùm illa regio Gallogræcia, pòst Galatia est nominata, propterea quòd Gallos tanquam aduenas susceperit, quemadmodum & ipsa Italia à Græcis populis occupata, quondam maior græcia vocabatur. Galli, inquit Lactantius, quondam à candore corporis Galatæ nuncupabantur, quos ex Antiochia veniens Paulus confirmauerat in fide, vt patet Act. 18. Vtramque ad Thessalonicenses Hieronymus æstimat scriptam ab Athenis, vbi olim Euangelium prædicauerat, disputans in medio Ariopagi de ignoto Deo, cum Epicuræis, Stoicis, cæterisq; philo-

Epist. à Paulo scriptæ priusquam vinctus Romam duceretur.

Epist. scriptæ ex vrbe Roma. Hierony. in Epist. ad Philemonē, & in 3. cap. ad Ephes.

Paulus bis Romę vinctus.

Secūda Epist. ad Timoth.

Epist. ad Roman. ex Corintho scripsit Paulus.

Primā ad Corinth. ex Epheso scripsit.

Galatia.

Galatæ.

Græcia maior

 sophis

Universidad de Deusto
Biblioteca

sophis. Vbi & conuerterat Dionysium Ariopagitam, aliosque nonnullos, vt patet Act. 17. Iohannes, Iacobus, & Iudas, quibus in locis ac temporibus suas scripserunt epistolas, certum non est. Super ordine epistolarum tradunt communiter omnes doctores sancti, Hieronymus, Augustinus, & cæteri, eas non esse positas in canone bibliorum, secundum ordinem temporum, quibus sunt scriptæ, asserentes epistolam ad Corinthios scriptam esse ante epistolam ad Romanos. Eam, quę est ad Corinth. secunda, scripsit Paulus quatuordecim iam annis à sui conuersione effluxis, ipso dicente in eadem epistola: Scio hominem ante annos quatuordecim, etc. Si ergo vtraque ad Corinthios scripta est ante eam quæ est ad Romanos, & hæc scripta est ante cæteras eiusdem epistolas, cõsequens erit Paulum primùm incepisse scribere epistolas post annum à sui conuersione decimum quartũ. Sed videtur forsitan ordo iste stare non posse, quin potiùs epistolam illam ad Romanos scriptã esse, ante eam quæ est ad Corinth. Nam Aquila & Priscilla, quorũ meminit in vtriusque epistolæ capite vltimo, primùm Romæ commorantes, per Claudiũ Cæsarẽ, vnà cum cæteris Iudæis pulsi sunt ab vrbe Roma, qui venientes illinc, commorati sunt Corinthi. Tandem Paulo illic prædicanti adhærentes, & cum eodem inde commigrantes Ephesum, vt patet Act. 18. Cùm ergo epistola ad Romanos scripta sit, Aquila & Priscilla adhuc Romæ commorantibus, quemadmodum patet ex vltimo capite eiusdem ad Romanos, vbi Paulus scribit eisdem verba salutatoria, tanquam adhuc degentibus Romæ: Salutate, inquit, Priscam & Aquilam auditores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea ceruices suas supposuerunt. Epistola verò ad Corinthios scripta sit eiusdem Aquila & Priscilla iam ab vrbe pulsis, vt patet ex vltimo capite eiusdem ad Corinthios, vbi scribit se hospitari apud illos, cùm epistolam illam ad Corinthios scriberet: Salutat vos multùm, inquit, Aquila & Prisca, & apud quos & hospitor. Ex necessitate videtur consequens esse, epistolam ad Romanos scriptam esse, priusquam scriberetur illa, quæ est ad Corinthios. Sed hanc ratiocinationem non concludere manifestum est, considerantibus Paulum scripsisse epistolam illam ad Romanos postquam Priscilla & Aquila fuissent adiutores Pauli in fide Christi, qui & pro anima eiusdem Pauli, suas iam ceruices periculis mortis supposuerant. Postquam & iam Paulus ab Hierusalem per circuitum, vsque in Illyricum repleuerat Christi Euangelium, ita vt non haberet amplius in illis regionibus locum, in quo non esset Euangelium Christi prædicatum. Ex quibus consequens est, eosdem, Aquilam & Priscillam, postquam Corinthi & Ephesi ad tempus fuissent commorati, reuersos esse in vrbem Romam, priusquàm Paulus Romam vinctus duceretur. Non ergo scripsit Paulus epistolam illam ad Romanos à Corintho, tempore illo quo apud Priscillam & Aquilam hospitaretur, sed illis absentibus, & in vrbem reuersis, apud Caium hospitatus, intelligendum est enim, Paulum frequentiùs fuisse Corinthi, quemadmodum & Ephesi, atque Hierusalem, transiens enim erat, & perambulans de prouincia in prouinciam. Sunt qui dicunt epistolam hanc ad Romanos, scriptã ab Athenis, quemadmodum tradit glossa interlinialis ad Romanos vltimo: Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis, sumpta forsitan ex doctrina Augustini. Verùm non hoc esse verisimile inde patet, quòd epistola hæc sit scripta in ea ciuitate, vbi habitabat Caius, apud quem Paulus eam scribens hospitabatur. Caius autem Corinthius erat, quem & Paulus baptizauerat, vt patet primæ ad Corinth. 1. Vtraq; ergo ad Corinth. scripta est ante eam quę est ad Roman.

Vtraq; ad Corinth. scripta est ante eam quę est ad Romanos.

Obiectio.

Epist. Pauli ad Roma. scripta est Prisca & Aquila Romę cõmorantib⁹.

Solutio.

Epistо. ad Romanos scripsit Paulus hospitatus apud Caium.

Nunc ergo de ordine epistolarum Pauli videamus, & quare Romanorum epistola in primo loco sit posita, cùm eam non primò scriptã ratio manifestet, quemadmodum docuimus. Vnde & hanc Paulus se iam profecturum in Hierusalem scripsisse testatur, cùm literis antè adhortatus esset Corinthios, & alios, vt ministerium

Ratio ordinis epistolarum Pauli.

sterium pauperum, quod secum portaturus erat, colligerent. Soluit autem huius quæstionis difficultatem præfatio (quæ Hieronymo tribuitur à quibusdam) super epistolas Pauli: Omnes videlicet epistolas ita esse ordinatas, vt ad Romanos poneretur prima, quámuis posterior esset missa, vt per singulas epistolas gradibus quibusdam ad perfectiora veniretur. Vnde Augustinus in epistola ad Sixtũ: Paulus scribens, inquit, ad Romam caput orbis, gratiam illam commendauit, quæ est caput, fundamentum, & initium gratiarum, à gratia fidei exordiens. Credentium Romanorum plerique tam rudes, inquit Hieronymus, erant, vt Dei gratiam, qua sine meritis suis quisque iustificatur gratis ex fide, non intelligerẽt, & ob hoc duo inter se populi conflictarent. Corinthios autem iam dicit scire gratiam concessam esse, & non tam omnes increpat, quàm cur peccantes non increpauerint, reprehendit. In secunda verò laudantur, & vt magis ac magis proficiant commonentur. Galatę verò iam nullius criminis arguuntur, nisi de hoc tantùm, quòd callidissimis Pseudoapostolis crediderunt. Eadem quidem est materia epistolæ Pauli ad Galatas, & eius quæ est ad Romanos, sed hoc differre videtur inter vtranque, quòd ad Romanos scribens altiori sensu, & profundioribus vsus est argumentis, docens potiùs Christianę religionis initia, quàm increpans, ad eos loquẽs, qui ex Iudæis & gentibus collecti, inter se cõflictabant de operibus fidem præcedentibus. Ad Galatas verò scribens, increpat potiùs, quàm doceat: increpat, inquam, non criminis illos arguendo, sed ab errore, quo decepti erant, reuocando, loquens non ad eos, qui ex Iudæis in Christum credentes, putabant ceremonias paternas esse obseruandas, sed ad eos, qui ex gentibus primùm verbo Euangelij rectè instructi, postea per falsos Prophetas sunt seducti, vt simul cum fide Christi putarent seruandam esse legem Moysi, quorundam authoritate deterriti, falsò asserentium Petrum, Iacobum, totasq; Iudææ ecclesias, Euangelium Christi cum veteri lege miscuisse. Quamobrem Paulus in hac epistola tanquam medius inter vtrunque incedens, ita sermonem temperat, vt nec occasionẽ præbeat ex authoritate maiorũ credendi quicquam contra Christi gratiam, nec illis maioribus faciat iniuriam, docens Petrum pro dispensatione quadam temporum, locorum, & personarum, ad vtilitatem Iudæorum in fide adhuc infirmorum, piè simulasse, arguens tamen eundem, cui & sic argui placuit ad institutionem gentium. Et quãuis Paulus in omnibus fermè suis epistolis doceat, antiquæ legis onera esse deposita, & per Euangelium cessare. In his tamen duabus, ad Romanos videlicet & ad Galatas, specialiter hoc docet, quòd in alijs ex transcursu agit. Galatæ igitur nullius criminis arguuntur, nisi de hoc tantùm, quòd callidissimis Pseudoapostolis crediderunt. Ephesij sanè nulla reprehensione, sed multa laude sunt digni, quia fidem apostolicam seruauerunt: Vos, inquit, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi: iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum. Philippenses verò multò magis collaudantur, qui nec audire quidem falsos Apostolos voluerunt, non solùm iam credentes in Christum, sed & patientes, ac certamen habentes pro illo: vobis donatum, inquit, est, vt non solùm in eum credatis, sed vt etiam patiamini pro illo. Colossenses autem tales erant, vt cùm visi corporaliter Apostolo non fuissent, hac laude digni haberentur. Et si corpore, inquit, absens sum, spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinẽ vestrum. Thessalonicenses nihilominus duabus epistolis maiore laude sunt digni, eò q̃ non solùm fidem inconcussam veritatis seruauerint, sed & in persecutione fueriut constantes, perferentes etiam alacriter persequutiones à ciuibus suis. De Hæbræis verò quid dicendum est, quorum Thessalonicenses, qui plurimùm laudati sunt, imitatores facti esse dicuntur, sicut & ipse ait: Et vos fratres imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, eadem enim passi estis & vos à contribulibus

Augustin. ad Sixtum.

Idem argumẽtum epist. ad Rom. & eius quæ est ad Galatas.

Hieronym. in præfatione epistolæ ad Galatas.

Ephesij:

Philippenses.

Colossenses.

Thessalonicenses.

Hebræi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribulibus vestris, quæ & illi à Iudæis. apud ipsos quoque Hebræos eadem commemorat, dicens: Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Vides igitur ordinem epistolarum Pauli gradatim ad perfectiora ascendentium. Hæc de scriptoribus librorum sacræ scripturæ, & de temporibus, quibus scripserint, demonstrata tum ex scripturis ipsis, tum ex patribus, tum ex verisimilibus argumentis dixisse sufficiat.

¶ *Sequitur quartum Caput huius libri, in quo soluuntur difficultates.*

Dissolutio primæ difficultatis.

IAM conuenit dissoluere nodos difficultatum, quas in superioribus recitauimus. Primam difficultatem dissoluimus, dicentes, Iudicum, Iosue, & quatuor Regum libros congrua ratione ab Hebræis appellari Prophetas, & inter Prophetas numerari, quia verorum Prophetarum eloquia, & prophetias continent, & de propheticis rebus historias contexunt. In Iosue describuntur gesta & opera non solùm ea quæ Iosue suo tempore fecerit, sed & prophetica ipsius Iosue eloquia, de statu, victoria, & triumpho Israëlitici populi tunc futuro. Item in Iudicum & in Regum libris, prophetica describuntur eloquia, Iudicum, vtpote Iudæ, Othonielis, Gedeonis, Samuelis, Nathan, Gad, & aliorũ qui erant designati prophetæ in populo Israel, qui & huiusce modi sua eloquia passim sparsa, posteris legenda reliquerunt, describentes non solùm rerum tunc gestarũ historias, verùm & reuelationes eorũ, quæ tunc erant futura simul cum rebus tunc sensibiliter gestis, vt latiùs patebit in dissolutione secundæ difficultatis. Quemadmodum Isaias & Hieremias vnà cum suis prophetijs plerunque miscent rerum tunc præsentium seu præteritarum historias. Deinde secundum doctrinã Apostoli Pauli apud veteres non solùm Prophetarum & Regum verba, sed & eorum gesta ac facta fuerunt prophetica tanquam vmbræ & figuræ rerum tunc futurarum. Iosue, inquit Hieronymus, typum Domini, nõ solùm in gestis, verùm & in nomine præ se fert. In Iudicum libro quot principes ducesque, tot figuræ sunt Christi. Ruth Moabites Ecclesiam de gentibus Christo tunc copulandam pronũciat. In Heli mortuo & in occisione Saul, vetus lex abolenda tunc erat figurata. Congrua igitur ratione Iosue, Iudicum, & Ruth, & quatuor Regum libri apud Hebræos numerantur inter propheticos libros vnà cum Isaia, Hieremia, cæterisque Prophetis, tametsi contineant rerum gestarum historias.

Solutio secundæ difficultatis.

Ad secundam difficultatem dicimus Hieronymum in prologo illo galeato recitare sententiam Hebræorum sui temporis, diuidentium canonem veteris testamenti in tres ordines, & cuilibet ordini suum nomen tribuentium. Quod qua ratione ipsi fecerint, non oportet curiosius inuestigare, cùm sufficiat scire quòd in singulis ordinibus singuli libri fuerunt olim apud fidelem Hebræorum Synagogam signati tanquam sancti, & diuino spiritu conscripti, diligentia sacerdotum succedentium hactenus custoditi, quàmuis forsitan conijcere liceat, Iudæos iam olim post Christi aduentum huiusce modi ordinem sacræ scripturæ confinxisse non satis rationabiliter in odium Christianorum, librum Psalmorum Dauid, & Danielem, quos maximè inter Prophetas conuenit numerari, separantes ab ordine Prophetarum contra doctrinam Euangelij, appellantis Dauid Prophetam. Et videamus si non hæc sit planè Hieronymi sententia in apologia aduersus Ruffinum. De Daniele autem breuiter, inquit, respondebo, me non negasse eum Prophetam, quem statim in fronte prologi Prophetam esse confessus sum, sed quid Hæbræi dicerent, & quibus argumentis suam niterentur probare sententiam voluisse monstrare. De Dauid Christopolitanus episcopus in prologo super Psalterium tradidit antiquos Iudæorum doctores ante Christi aduentum, & post, vsq; ad Constantini tempora tenuisse semper, Dauid fuisse maximum prophetarũ, eosdem autem sub seculis Constantini in odium

Cur lib. psalmorum & Daniel non cõnumerentur inter Prophetas ab Hebræis.

um Christianorũ incepisse defendere Dauid, non appellandum esse verum Prophetam, confingentes rationem; quòd verus Propheta in scripturis appellatur, qui Propheta est officij dignitate seu missione, hoc est, qui diuinitus vocatus est missus ad aliquem Regem vel populum, sicut Moyses à Deo est ad Pharaonẽ missus pro liberatione populi Israel. Sicut Iosue missus est à Deo, vt ducat populum Israel, prænuncians transitum Iordanis, subuersionem hostium, & diuisiones terræ sanctæ. Sic & in Iudicum libro missus est Iudas, & cæteri iudices diuinitus sunt electi, qui curam haberent, & pronunciarent de futuro statu Israëliticæ plebis. Samuel, Nathan, & Gad sunt diuinitus missi, futura prænunciantes. Isaias ad Reges, & ad populum mitttitur, futura prænuncians, vt patet Isaiæ 6. Sic Hieremias, Ezechiel, & singuli Prophetarũ duodecim, leguntur diuinitus missi & vocati, quemadmodum indicant singuli vniuscuiusque libri. Ex his conati sunt plurimi Iudæorum magistri docere consequens esse, Dauid non fuisse verum Prophetam. Non legitur vspiam, inquiunt, quòd Dauid fuerit missus ad prophetandum, seu futura prædicandum populo, quàmuis fuerit diuinitus per Samuelem vnctus in Regem, & populo diuina electione prælatus, quàmuis insuper à Deo reuelationem habuerit de futuris, vt patet 2. Regum 5. 2. & 3. capitulis. Vbi ipse de futuris consuluit Dominum, tamen non legitur ibi missus ad nunciandum hæc populo. Sic & Daniel, inquiunt, quàmuis spiritum habuerit prophetiæ, non tamen legitur à Deo missus ad prænunciandum futura. Iudæi ergo videntes prophetias Psalmorum & Danielis, conuenire Domino nostro Iesu, & adimpleri in Christo, & in Ecclesia illius, posuerunt Dauid, Danielem, & Iob inter hagiographa, molientes illis auferre honorem dignitatis propheticæ: nec mirum, cùm omnem scripturam, quæ Dominum nostrum Iesum Christum, præsentemq; Christianorum ecclesiam palàm sonat, aut reijciant, aut à sua dignitate diminuant, supprimant, impia etiam interpretatione deprauantes suas ipsorum de Christo prophetias. Sed erunt forsitan, quibus hæc minus placeant, volentes illam scripturarum diuisionem à Hieronymo recitatam, etiam extitisse olim ante Christi aduẽtum, apud fidelis populi synagogam, qui illam recepit à patribus, ponentibus librum Psalmorum, librumque Danielis, non inter Prophetas, sed inter Hagiographa, id est, sancta quædam scripta. Cui sententiæ & Euangelica nostra veritas adstipulari videtur, quæ & si appellauerit Dauid Prophetam, dicens: Scriptum esse per Prophetam dicentem, Diuiserunt sibi vestimenta mea. Ipsos tamen Psalmos videtur à Prophetis distinguere, cùm dicat Christus: Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, & in prophetis, & in Psalmis de me. Quo verbo videtur diuidi scriptura in tres ordines, in Legem, Prophetiam, & in Psalmos, sub quibus videntur contineri Hagiographa, id est, sancta scripta. Porrò sic volentibus defendere suprà dictam diuisionem, poterimus difficultatem secundam dissoluere ex suprà dicta ratione appellationis veri Prophetæ, dicentes, quòd Hebræi in canone appellabant Prophetas eos, qui Prophetæ erant officij dignitate, & missione, quales ex scripturis non constat fuisse neque Dauid, neque Danielem, neque Iob, qui & si habuerunt spiritum propheticum, & intelligentiam visionum & somniorum, prænunciantes etiam futura, non sic tamen quemadmodum cæteri Prophetę erãt à Deo vocati, designati, & deputati ad huiusmodi officia. Moyses autem eximius Prophetarum, quàmuis fuerit sic populo designatus, quia tamen primus ex ore Dei leges populo dedit, legislator appellatur. Idcirco libros ad illos æditos, longè ante alios seorsum posuerunt in ordine primo, & eos Thorath, id est, Legem appellarunt. Statuentes secundo ordine libros subsequenter æditos, quos appellauerunt Prophetas, quòd verorum Prophetarum eloquia continerent, & de rebus Propheticis historias contexerent. Postremò libros non sic æditos ab

Sententia Hebræorum.

Euangeliũ appellat Dauid prophetam.

Saluator videtur diuidere scripturas veteris test. in tres ordines.

his,

Universidad de Deusto
Biblioteca

his, qui fuerunt Prophetæ officij dignitate, & missione, attamen de rebus sanctis, & ab hominibus sanctis, plenis Dei spiritu, vel cõscriptos, vel in vnum collectos, communi vocabulo appellarunt Hagiographa, quos in canonem receptos, in alium quendam ordinem collocarunt, cui cùm non esset nomen speciale, tribuerunt nomen generis, appellantes eos sub nomine Hagiographorum. Vides igitur cur Hebræi à secundo ordine excluserunt Iob, librum Psalmorũ, Danielem, Paralipomenon, Esdræ, Hester, quos non inter Prophetas, sed inter Hagiographa supputant. Tertium difficultatis nodum dissoluimus, ostendentes nullam esse contrarietatem inter Hieronymum & Isidorum, sed consonantiam esse sententiarum. Patet ex his, quæ Isidorus ipse illic præmisit, dicens: Esdræ liber authoris sui titulo prænotatur, in cuius textu eiusdem Esdræ, Neemiæque sermones pariter continentur, Ipse igitur cùm dicit, Secundus, tertius, & quartus Esdrę non habentur apud Hæbræos: secundum librum appellat non illum, quem nos secundum dicimus, incipientem, Verba Neemiæ, in vnum volumen cum verbis Esdræ copulatum, sed aliam partem posteriorem non repertam apud Hebræos, quæ in communibus biblijs nostris incipit: Et fecit Iosias, etc. Alterum difficultatis nodum, qui est super libris Iudith & Tobiæ, conatur dissoluere magister in historijs, cuius sententiam sequitur & alius quidam expositor, in procœmio bibliæ, dicens in prologis illis duobus Hieronymi super Iudith & Tobiam, mendosum esse codicem, & in eo loco, vbi legimus Hagiographa, legẽdum esse Apocrypha. Neque enim Hieronymus potest sibi ipsi esse contrarius, vt doceat in prologo galeato, libros illos extra canonem inter Apocrypha, hic verò eosdem extra canonẽ, inter Hagiographa collocari. Quòd si non placeat mendosum esse codicem, quem nec Erasmus emendauit, dicemus duplicia esse apud Hebræos Hagiographa, sicut & in superioribus diximus, duplicia esse Apocrypha. Hagiographa, id est, sanctorum scripta, quædam sunt, quorũm authoritas idonea est ad corroborandum ea, quæ sunt fidei. Huius generis sunt Hagiographa in canone bibliæ. Alia verò sunt Hagiographa, id est, sancta, vel sanctorum scripta, quorum authoritas, ad assertiones fidei corroborandas, non sic est idonea, quàmuis habeantur vera & sancta, sicut post canonem noui testamenti æditum, habentur Hieronymi, Augustini scripta, quæ vocantur Hagiographa. Et huius generis apud Hebræos sunt historiæ Iudith, & Tobiæ etiam, Ecclesiasticus, & Machabæorum primus: quos sanè libros quàmuis habeant & legant, non tamen inter canonicos libros connumerãt, sed inter Apocrypha, non quòd falsa sint, sed quòd tales sint, quorum occulta origo non claruit toti eorum Synagogę. Tertium autem & quartum Esdrę, secundum Machabæorum, trium puerorũ hymnum, Susannæ ac Belis draconisque historias, aut non habent, aut prorsus reijciunt & confictas tradunt. Sed hanc eorum sententiam non tota approbat antiquorum Christianorum schola, quæ ex secundo Machabæorum, tanquàm ex libro diuino sumit testimonia, celebrans etiam in quotidiana Ecclesiarum lectione, hymnum puerorum, Susannæ, draconisque historias, quæ tametsi apud Danielem non in Hebraico volumine, sed in schola Theodotionis æditione reperiãtur, Ecclesia tamen Christiana propter authoritatem veterum quorundam sanctorum, qui leguntur vsi fuisse testimonijs ex huiusmodi historijs eadem pia fide legit, & non prorsus reijcit, non contemnit, tametsi non pari authoritate recipiat illos cum scripturis canonicis.

Dissolutio tertiæ difficultatis.

Duo sunt genera Hagiographorum.

Dissolutio quartæ difficultatis.

Ad quartam difficultatem dicimus, priores Regum libros inscribi Samuelis, non quòd ipse ambos scripserit, sed quòd illorum duorum regum, Saul, in quam, & Dauid, quorum gesta in libris describuntur, ipse Samuel propheta extitit, qui & vtrunq; in Regem vnxit. Vnde manifestum est apud Hebræos inscribi librum esse huius vel illius, non quòd fuerit author illius, sed ob alias etiam causas,

Ad

Ad quintam difficultatem dicimus librum illum Sapientiæ intitulari ab antiquis patribus Salomonis, nõ quòd à Salomone carnali filio Dauid liber sit conscriptus, sed quòd sententias contineat Christi veri Salomonis, prolatas ab eo qui vel est Salomon ipse figurans Christum, vel personam gerit illius. Is enim est frequens in scripturis vsus, vt is qui loquitur, in persona alterius loquatur.

Sic & multæ huius libri sententiæ, quas ipse author in septimo, octauo & nono capitulis de seipso loquitur, ad literam intellectæ, soli conueniunt Salomoni, qui Rex cõstitutus optauit super omnia bona huius mundi Sapientiam, cum qua venerunt illi pariter omnia bona, cui & dixit Deus, vt ædificaret templum in mõte sancto suo. Vnde & ipse Salomon cognouit in spiritu, Christum Dei patris sapientiam, & futuram illius Ecclesiam. Et ita quæ in Canticis sub vmbris & figuris de hoc contexuit, potuit & in alijs apertiùs differere. Proinde quàmuis liber iste nunc, vt ait Hieronymus, apud Hebrẽos nusquam est, hoc est, non reperiatur in aliquo idiomate Hebraico, sed magis Græcam redoleat eloquentiam, non tamen inde consequens est, Salomonem huius libri non ędidisse sententias siue doctrinas. Nam cùm Salomon, vt inquit sacra scriptura, loquutus fuerit tria milia parabolarum, & carminum quinque milia, & differuit de iumentis & volucribus, reptilibus, & piscibus, & disputauerit super hysopo, cedro, & super lignis omnibus, manifestum est eum ædidisse nõnullas sententias, collectas à diuersis, & etiam ab his forsitan, qui venerant à finibus terræ audire sapientiam eius, quę iam olim non reperiebantur apud Hebræos. Vnde & Prouerbia Salomonis à Salomone ædita, non simul sunt ab illo in vnũ volumen scripta, sed quæ passim erant sparsa, sunt postmodum sub Ezechiæ temporibus in vnum volumen translata, & collecta à ministris Ezechiæ regis Iudæ, quemadmodum patet prouerbiorum 25. & ita contingere potuit, quòd sententiæ huius libri, originaliter ipsius Salomonis, fuerint in Græcum volumen collectæ ac translatæ, & id quidem per authorem aliquem plenũ Dei spiritu, præsertim cùm sit iam patribus exploratissimũ, librum istum luculentissimè de morte Christi, & de martyribus eius prophetiã texere, & non continere nisi diuinas & Ecclesiæ Christianæ sententias. Deinde & hoc consideres, quòd Hieronymus non assert hunc librum Philonis, sed Iudæi, inquit, Philonis hunc librum esse affirmant. Cùm ergo Hieronymus, Cyprianus, & totus antiquorum Chorus citent Salomonem dicere huius libri sentẽtias, si falluntur, non perniciose falluntur, aut si non falluntur, intelligunt eas esse æditas à Salomone, vel ab eo qui diuino Salomonis spiritu plenus, personã in se transtulit Salomonis, in quo & figurabatur & loquebatur filius, qui est vera Dei patris sapientia, quæ & eadem loquuta est in Iesu filio Sirach, & in authore libri Sapientiæ. Sic & iuxta venerabilem Augustinum, Marcus in principio Euangelij, testimonium scripturæ conflatum ex diuersis Prophetis, id est, ex Isaia & Malachia totum tribuit Isaiæ, quoniam eodem spiritu afflati Prophetę scripserunt. Vnde apud Cyprianum, Ambrosium, cæterosque patres frequentiùs reperitur citatum: In Sapientia Salomonis dicitur, quod aliud est, quàm Salomon in libro Sapientiæ dicit, tametsi interdum hoc pacto etiam loquantur. Qui æstimat aut canonicum librum aut scripturæ testimoniũ, alterius quàm sit authoris esse, perniciosè non fallitur, quando spiritus sanctus esse illius author fideliter creditur. Ad sententiam Augustini in libro de doctrina Christiana, constantissimè asserentis, Iesum filium Sirach scripsisse librum Sapientię. Respondeo Augustinum hoc tractasse in secundo libro suarum retractationum, cap. 4. cùm sic loquitur: Quod dixi de authoribus libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quòd ipsum etiam, sicut Ecclesiasticum scripserit Iesus filius Sirach, posteà didici non ita constare sicut à me dictum est, & omnino probabiliùs comperi, non esse hunc illius

Sententię Salomonis reciantur in lib. Sapientiæ.

Prouerbia Salomonis sparsa, in vnum volumen fuerunt postmodum collecta. Prouerb. 25.

Retractat Augustinus sentẽtiam suam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

libri authorem De hoc autē quòd quibusdam visus est Iesus filius Sirach in pro-
logo libri sui, qui inscribitur Ecclesiasticus, insinuasse sese interpretem esse ex li- A
bris à populo Hebræorum relictis apud Ægyptios, & sententias istas in vnum vo
lumen congessisse, & transtulisse potius quam ædidisse, iam diximus suprà adden
tes etiam, quòd vocabulo trāslationis non semper significatur versio vnius idio
matis in aliud idioma, sed interdum diuersarum sententiarum in diuersis libel-
lis passim sparsarum, in vnum volumen transpositio & collectio, quemadmodū
accipitur Prouerb. 25. vbi dicitur: Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas trans-
tulerunt viri Ezechiæ regis Iuda. Ex superioribus patet, quòd Iesus sacerdos ma-
gnus libri Ecclesiastici sententias Hebraicè ædidit, de quo loquitur scriptura Ag
gæi. 2. & Zachariæ. 3. & quòd alius Iesus nepos illius filius Sirach, in linguam Grę
cam interpretatus fuerit illas, & quòd Ioachim summus Iudæorum Pontifex, fi-
lius Iesu, fuerit author vtriusque libri, Iudith videlicet, & Hester, & quòd Philo
quidam in lege Domini sapientissimus, personam gerēs Salomonis, sententias æ- B
diderit libri Sapientiæ. Hi viri omnes fuerunt profectò spiritu diuino & prophe
Dissolutio sex tę difficultatis tico pleni. Omnia proinde ab eis conscripta habenda sunt tanquam alta, grādia
& sublimia. Sextæ difficultatis solutio patet ex supradictis in solutione difficul-
tatis secundæ, in qua diximus Hieronymum in galeato prologo, triplicem illum
ordinem librorum scripturæ sacræ facere, non secundùm suam sententiam, sed
secundùm Hebræorum traditionem, quemadmodum in præfatione Danielis:
Illud, inquit, admoneo, Danielem apud Hebræos haberi, non inter Prophetas,
sed inter eos qui Hagiographa scripserunt. In tres siquidem partes, omnis ab eis
scriptura diuiditur, in Legem, in Prophetas, & in Hagiographa, id est, in quinq;,
& octo, & in vndecim libros. Quam diuisionem, si congrua ratione fecerint, ipsi
viderint, æstimantes libros primi & secundi ordinis esse authoritatis sanctioris, C
tanquam à Deo in Prophetis loquente æditos, reliquos autem à sanctis scriptos,
separantes à Prophetis, Iob, Dauid, & Daniele, quos Christus in Euangelijs ci-
tat, vt Prophetas, & tanquam tales, qui futura fidei mysteria prædixerunt. Quòd
si velit quisquam defendere hanc Hebræorum diuisionem, vt catholicam distin
Dissolutio se- guat Prophetarum duplex genus, vt dictum est ibidem. Ad septimam difficul-
ptimæ difficul tatis. tatem dicimus, quāmuis Iudæi Sapientiam Sālomonis, Ecclesiasticum, Iudith, To
biam & Machabæorum libros inter Apocrypha separent, Ecclesia tamen Chri-
sti inter diuinos libros honorat & prædicat. Hęc propositio est Isidori. 6. Etymo-
logiarum cap. 2. secundum doctrinam ecclesiasticorum patrum. Et primùm ve-
Augustinus. nerabilis Augustini. 18. de Ciuitate Dei, cap. 36. de libris Machabęorū sic loquen-
tis: Machabæorum libros, non Iudæi, sed Ecclesia, inquit, Christi pro canonicis
habet, propter quorundam martyrum passiones vehementes, atque mirabiles, D
qui antequam Christus veniret in carnem, vsq; ad mortem pro lege Dei sui cer
tauerunt. Vnde Machabæorum gesta & facta, in eisdem Machabęorū libris con-
scripta, habuerunt vt verissima, etiam Iudæorum ecclesiæ & ante Christi & post
Augustinus de defunctis. Christi aduentum. Quemadmodum Augustinus ex eisdem libris demōstrat, Ec-
clesiam fidelis populi, longè ante Christum pro defunctis orare consueuisse, quæ
& suo seculo effluxis annis iam mille, & fermè ducētis, per vniuersum orbem ad
altare in communione corporis & sanguinis pro defunctis memoriam faciebat,
vt ait secundo de Ciuitate Dei, cap. 9. Et in libro de cura pro mortuis agenda. Sic
& Iudith historiam habuit etiam antiqua Iudęorū Synagoga in authoritate lon-
gè antequam Christus veniret, vt patet ex libro Chronographiæ Philonis, quā-
uis nostri seculi Iudæi librum illum habeant dubium, propter nomen Nabucho
donosor, non intelligentes Assuerum regem Babyloniæ communi appellatione
regię dignitatis appellari Nabuchodonosor, sicut in Ægypto rex appellatur Pha

rao

A rao, & Romæ Cæsar. Proinde & Nicena Synodus librum illum, inquit Hierony- In præfat. in Iudith.
mus, in numero sanctarum scripturarum legitur computasse. Librum autem Sa-
pientiæ ab Apocryphis separat Ecclesia Christi, non dubitans Spiritum Salomo-
nis fuisse loquutum in eo qui scripsit librum illum, ex quo iam olim Egesippus,
Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Ambrosius, & alij patres, sumunt te-
stimonia tanquam profecta à diuino spiritu, commemorantes scripturam dicere
ea, quæ in eodem libro continentur. Origenes super epistolam ad Romanos, tra- Origenes testa
ctans illud, non sicut delictum, ita & donum. De Sapientia, inquit, dicitur: Hæc tur Salomonē
illum qui primus formatus est, patrem cùm solus esset custodiuit, & liberauit à dicere ea quæ
delicto. Hæc, inquit, sapientia, quæ est Christus Dei virtus, &cęt. Et quòd in eo- continētur in
dem libro tenuerit huiusmodi esse Salomonis sententias, patet libro eius octauo, lib. Sapientiæ.
super eandem epistolam, sic loquentis: Sapientia, inquit, per Salomonem dice-
B bat, Corpus quod corrumpitur, animam aggrauat. Ita & in libris plerunque suis B
alijs loquitur. Deinde Cyprianus non semel atque iterum, sed frequentiùs, citat
scripturam dicere ea, quæ in eodem libro continentur. Eusebius iam ante annos Eccleſiast. hist.
mille & fermè trecentos libro quarto Ecclesiasticæ historiæ sic loquitur: Egesip- lib. 4. cap. 22.
pus, Irenæus, & omnis, inquit, antiquorum chorus, librum attitulatum Sapientię,
Salomonis esse dixerunt. Hæc qualiter sint accipienda, in dissolutione difficulta-
tis quintæ iam diximus. Idcirco Hiero. & August. quàmuis tradiderūt illum non
esse Salomonis. i. à Salomone in Græco scriptum, vtiq; tamen crediderunt illum
continere sententias diuino spiritu æditas, siue per Salomonem, siue per alium sa-
pientissimum, qui in se personam transfigurauit Salomonis. Vnde & de quadam
similitudine, dicitur ille liber esse Salomonis. Proinde Ecclesia, cui longo iam tē-
pore certum fuit librum nihil continere nisi diuinas sententias, in canone sacrarū Augu. de prę
C scripturarū veteris testamenti supputauit. De quo August. sic habet, de prædesti- C dest. cap. 14.
natione sanctorū: Qui sententijs, inquit, tractatorū institui volunt, oportet vt li-
brum Sapientię, vbi legitur, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, om-
nibus tractatoribus anteponant, quoniā sibi eum proposuerunt, egregij viri etiā
temporibus Apostolorum proximi, scripturæ tractatores, qui eum testem ad hi-
bentes nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium crediderunt. Et simile est iu-
dicium de Ecclesiastico, de Iudith, de Tobia & Machabæorum libris. Nam & ex
omnibus huiuscemodi libris, egregij tractatores, vicini etiam Apostolorum tē-
poribus accipientes testimonia, crediderunt se adhibere diuina testimonia, quod
satis ex superioribus est manifestum. Ex quibus sequitur ꝙ quartus est apud nos Quartus or-
ordo veteris testamenti eorum librorum, quos Hebræi in suum canonem nō re- do veter. test.
cipientes inter Apocrypha supputant, quos Christiana Ecclesia inter diuinos li- apud Christia
D bros honorat ac prædicat. Hic iam si dixeris, nusquam in Concilijs præcipitur D nam Ecclesiā.
huiusmodi libros esse habendos pro canonicis. Deinde si canonici, qua ratione Obiectio.
Cyprianus in expositione symboli separat Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticū,
Tobiæ, Iudith, & Machabæorum libros, & in nouo testamento librum qui dici-
tur Pastoris extra canonem, dicens: Hæc omnia patres in Ecclesia legi voluerūt,
non tamen ad authoritatem ex his fidei confirmandam. Ad primum respondeo, Responsio.
neque scripta concilia, neque adscripti ecclesiastici canones fecerunt scriptu-
ras veteris & noui testamenti esse diuinas, aut diuino spiritu æditas, sed viuæ vo-
cis oracula declarauerūt illas esse diuinas, ab initio suscipientibus illas Apostolo-
rum ecclesijs. Priusquam tradita nobis legimus conciliorum scripta, noui & ve-
teris testamenti volumina, credebantur diuinitus & inspirata & ædita, ab omni-
busque orthodoxæ fidei Ecclesijs absque cōtradictione erant suscepta, tenta, ha-
bita, & reputata tanquam diuino spiritu ædita. Et quia ab initio huiusmodi vo-
lumina omnes ecclesiæ receperunt, idcirco præponuntur cæteris omnibus quę

Universidad de Deusto
Biblioteca

non sic fuerunt absque contradictione recepta. Sed non inde consequẽs est, quin & mereantur habere in canone locum, etiam scripturę quas nõ omnes Ecclesię, sed plures & grauioris authoritatis, ab initio tanquam diuinas receperũt, de quibus, postmodũ omnibus Ecclesijs innotuit, nihil eas continere, nisi veras & Christianæ religionis sententias. Ad secundum respondeo ꝙ huiusmodi libri tametsi non sint idonei ad confirmandam fidem contra Iudæos, qui illos extra canonẽ locant, vtique tamen in Christianorum Ecclesijs habentur tanquam libri diuino spiritu æditi. Pro dissolutione octauæ difficultatis, sciendum est, hic & in omnibus sequentibus, ꝙ non intendimus defendere, ecclesiasticos patres sic in omnibus conuenire, vt non aliquando cum pace & Christiana fide inter sese ita reuera dissentiant, vt necessarium sit vnam sententiam veram, atq; alteram falsam esse, præsertim in his quæ aut facti sunt, aut ex sacris scripturis demonstrari non possunt, aut si possunt, nondum seculis illorum neque scripturis sacris, neque experimento, neque authoritate vel ratione certa fuerunt elucidata. In illis enim manifestum est, sacratissimæ theologiæ interpretes, crebrò inter se discrepare, cum pace tamen Christiana & fide catholica se inuicem, neque iudicantes, neq; à sacra communione separantes. Quemadmodum diuus Cyprianus cum suis collegis quondam in Aphrica dissentiebat à cæteris, de quo in sequẽtibus latiùs. Ex hoc supposito facilis est huius difficultatis solutio. Deinde ex hoc sciendum non esse contrarietatem vllam, si Matthæus dicatur scripsisse prius Euangelium suum in Iudæa, & posteà Petro & Paulo prædicantibus Romę ædidisse ipsum in lucẽ, & dedisse legendum omnibus. Donec maneret in Iudæa Matthæus viuis vocibus prædicabat illis Euangelium suum iam scriptum, quod posteà inde commigrans omnibus legẽdum tradidit. De hoc sic loquitur Eusebius lib. 3. Matthęus primò Hebræis prædicauit Euangeliũ. Verùm cùm pararet transire ad gẽtes, patria lingua scripturam composuit, & ea quę prędicauerat cõprehendens, reliquit his ad memoriam, à quibus proficiscebatur, vt gentibus prædicaret. Sic & Marcum dicimus aut ex ore Petri, aut vt à Petro audierat, scripsisse Euangelium, & tradidisse illud Petro. Quod cùm Petrus approbauit, tum demũ Marcus Petro iam mortuo illud omnibus legendum tradidit. Sic intellectæ patrum sententiæ inter se non pugnant. Quæ tamen pugna hac in re si esset, fidei non obesset, qualis est & sententiarum contrarietas inter Origenem & authorem prologi in Iohannẽ, super hoc, quòd Apocalypsim suam Iohannes scripserat, priusquàm suum scriberet Euangelium, non enim oportet huius generis quæstiones fidei impertinẽtes curiosiùs indagare: attamen scire oportet eruditorum quosdam æstimare præfationem illam super Iohannem, nõ Hieronymi, sed alterius esse. Verùm cuiuscunque authoris fuerit, antiquissimi patres tradunt Iohannem in fine dierum suum ædidisse Euangelium, de quo Eusebius lib. 3. cap. 24. Iohannem verò tradunt, inquit, vsque ad vltimum penè vitæ suæ tempus absq; vllis scripturarum indicijs Euangelium prædicasse. Sed cùm trium aliorum Euangeliorum notitia ad ipsum peruenisset, dicitur quidem probasse fidem & veritatem dictorum, deesse tamen vidit aliqua, & ea maximè quę primo tempore suæ prędicationis Dominus gesserat. Certum enim est quòd in superioribus tribus Euangelijs, hęc sola videtur contineri, quæ in eo gesta sunt anno, quo Iohãnes Baptista est vel coniectus in carcerem, vel punitus. Ad id, quòd ex interpretationibus quorundam Hebraicorũ nominum Euangelio Matthæi insertis obijcitur, Respõdeo argumentũ hoc non concludere Euangelium non esse Hebraicè scriptum: nam potuit contingere ꝙ Græcus interpres Euangelium ex Hebręo transferens, verba illa Hebraica dimiserit in lingua propria, & eorum interpretationes, vel ipse vel scriptorum incuria videntium illas in margine notatas textui inseruerit. Neq; enim est propter

Dissolutio octauæ difficultatis.

Eusebius lib. 3 Eccles. hist. cap. 24.

tale argumentum recedendum à sententijs patrum, & à sententia Hieronymi, asserentis in libro de viris illustribus, Matthæum Hebraicis literis verbisque composuisse Euangelium, illudque haberi tempore illo in bibliotheca Cæsarensi, & sibi fuisse facultatem describendi illud, quod & Hebraicé scriptum Panthenius longè antè repperit in India, à beato Bartholomæo, qui illic semina fidei prædicauerat, relictum, recitat Eusebius lib. 5. cap. 10. Ad difficultatem nonam dicimus: Ex supradictis manifestum est, non oportere in canone diuinarum scripturarum omnino certum esse cuius vel authoris, vel collectoris, siue vnius, siue plurium, sit vnus aut alter liber in eodem canone designatus, cùm sufficiat certum esse quòd fuerit olim à tota fidelis populi Ecclesia receptus, tanquam liber diuino spiritu æditus, & succedentium Ecclesiarum diligentia custoditus, ad nos vsq; deuolutus. Iam si dixerimus inter Apocrypha librum illum collocari, cuius author aut dubius est, aut incertus, quemadmodum glossa in Decretis, dist. 16. cap. Canones, Apocrypha interpretatur, id est, sine certo authore, vt Sapientia Salomonis, liber Ecclesiasticus, Iudith, Tobiæ, & Machabæorum. Respondeo, Si hoc pacto intelligeremus Apocryphum, multi libri sacri essent Apocryphi, & extra Canonem. Nam & liber Iob tam apud Christianos, quàm apud Hebræos extra canonem esset. Siquidem de authore illius & inter nos & inter illos quæstio versatur, quemadmodum docet Isidorus 6. Etym. cap. 6. Librum Iob quidem Moysen scripsisse arbitrantur. Alij verò vnum ex Prophetis, nõnulli eundem Iob post plagam suæ passionis scriptorem existimant. Item liber Iudicum secundùm illam significationem Apocryphus diceretur, vt patet ex supradictis: quem tamen librum in Canone locari est manifestum. Deinde de libro Psalmorum incertum est quis fuerit omnium Psalmorum author, & quis fuerit omniũ illorum in vnum volumen collector, Augustino docente 17. de Ciuitate Dei, cap. 14. eos credibilius existimare, qui omnes centum & quinquaginta Psalmos ipsi Dauid tribuunt. Hieronymus autem in epistola ad Cyprianum quendam aliter sentiens: Sciamus quoque eos, inquit, errare, qui omnes Psalmos arbitrantur esse Dauid, & non eorum, quorum nominibus sunt inscripti. Alijs autem aliter sentientibus. Apocrypha ergo si velimus intelligere illa quorum scriptor seu collector incertus est, non oportet omnia Apocrypha extra canonem collocari. Si autem velimus appellare ea secundum intentionem eorum, qui de Apocryphis loquuti sunt, vt intelligantur esse, quorum authoritas minimè idonea est ad ea, quæ sunt fidei roboranda, dicuntur Apocrypha non ea, quorum dubius aut incertus est vel author vel collector, sed ea quæ sunt occulta seu recondita, non confirmata & celebrata communi Ecclesiarũ lectione, quòd origo incerta fuit patribus, neq; certò scientibus diuinum eorum authorem, neque videntibus ea olim communi consensu fidelis populi fuisse recepta & confirmata. Sic Gregorius in prologo super Iob: Quis enim hæc, inquit, scripserit, valdè superuacuè quæritur, cùm author libri spiritus sanctus credatur fideliter. Ipse hæc scripsit, qui hæc scribenda dictauit, qui & in illius opere inspirator extitit. Sed quali calamo seu lingua verba hæc scripta fuerunt, non est opus curiosiùs indagare. Proinde non est absurda declaratio venerabilis Hugonis de sancto Victore: Apocryphus, inquit, id est, dubius vel absconditus liber duobus modis dicitur, vel quia author eius incertus, & sic liber Iob Apocryphus diceretur, quia non omnino certum est Ecclesiæ, an Iob ipse, an Moyses, an alius posterior scripserit historiam illam, vel quia communi consensu fidelis aut synagogæ, aut Ecclesiæ nõ receptus est, atq; cõfirmatus, & sic liber Iob non Apocryphus, sed inter canonicos libros habetur: neque enim vllo modo assentiendum est his, qui conati sunt asserere, historiam Iob non continere res verè gestas, sed eam exempli causa nobis esse propositam, pro documento

Dissolutio nonæ difficultatis.

Obiectio.

Solutio.

Vide hic quæ dicuntur Apocrypha.

Gregorius.

De lib. Iob.

Universidad de Deusto
Biblioteca

patientiæ. Hoc si esset, ipse Iob, neque ab Ezechiele propheta, cap. 14. inter sanctos viros Noe & Danielem connumeraretur, neque à Iacobo apostolo illius patientia commendaretur. Quantum ad intellectum sententiarum doctorum attinet, habendus non est incertus author vllius libri, quem communis consensus fidelis populi iam olim firmissimè tenuit, habuit & reputauit tanquam diuino spiritu æditum, quamuis forsitan incertus sit author, per quem ceu calamum sermo eiusdem libri compositus fuerit, & ita non est efficax argumentum, quo propter styli, sermonisque distantiã, concluditur liber non esse huius vel illius authoris, quemadmodum declarat Hiero. quæstione 11. ad Hedibiam, sic loquens: Duæ epistolæ quæ feruntur Petri, stylo inter se & charactere discrepant, structuraque verborum, ex quo intelligimus Petrum pro necessitate rerum diuersis fuisse vsum interpretibus. Hic vides Hieronymum propter diuersitatem styli concludere, non diuersitatem authorum, sed diuersitatem interpretum, sententias ab eodem authore dictatas diuerso stylo scribentium. Sic & demonstrat in lib. de viris illustribus super nomine Paulus, tradens quosdam opinari, vel Barnabam, vel Lucam epistolam ad Hebræos ædidisse, vel clementem Romanæ ecclesiæ episcopum sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone. Et quãuis Paulus ad Hebræos scribens, vtitur testimonijs, quę in Hebræis voluminibus non habẽtur, non tamen inde oportet consequens esse, epistolam illam non esse Pauli, nam & in Actibus apostolorum Paulus cum Hebræis disputans, non iuxta Hebraicum, sed iuxta septuaginta interpretes citauit veteris scripturæ testimoniũ, Actuum 28. Vnde Hieronymus Isaiæ 6. sic loquens sententiam recitat aliorum. Ad id quod ex Hieronymo in epistola ad Dardanum obijcitur: Græcorum ecclesiam non susciperе Apocalypsim Iohannis. Respondeo Hieronymum hoc non sic dicere, sed obijciendo loquitur conditionaliter: Nihil, inquit interest cuius sit, scilicet epistola ad Hebræos, cùm sit ecclesiastici viri, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsim Iohannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos vtranque suscipimus. Vnde intelligendum est, olim non totam Græcorum ecclesiam suscepisse illam absque dubitatione, quemadmodum suscepit Iohannis Euangelium. Origenes Græcus dicit Iohannem post Euangelium suum scripsisse Apocalypsim, cæterique Græci vetustissimi, vsi sunt Apocalypsi Iohannis, tanquam scriptura diuina, inter quos sunt Dionysius Ariopagita, & Iohannes Damascenus. Anastasius Græcus affirmat opus hoc receptum à quibusdam tanquam alius opus. Ex hoc libro tanquam ex diuina scriptura citauerunt sententias antiquissimi doctores, Irenæus, Cyprianus, Origenes, Ambrosius, Augustinus, cæterique patres. Ad decimam difficultatem dicimus, quãmuis neque Euangelistæ, neque Apostoli, neque Ecclesia, neque longi temporis consuetudo, faciat doctrinam vllam diuinitus reuelatam, vel diuinam habere authoritatem, vel sancto spiritu æditam, vel veram esse & canonicam, vtique tamen Apostoli & Ecclesia, doctrinam, quam alioqui ignoraremus, diuinam habere authoritatem indicant, commonstrant, & declarant nobis esse talem, scilicet diuinam, veram, & canonicam. Proinde ex eo quod apud Hieronymum in lib. de viris illustribus, de epistola Iacobi dicitur, quòd ipsa paulatim procedente tempore obtinuerit authoritatem, est accipiendum, non quòd vel consuetudo, vel temporum progressus, vel tacita Ecclesiæ permissio fecerit hanc epistolam esse diuinam vel à Iacobo æditam, vel veram & canonicam. Sed quòd ea quæ primùm ignorabatur esse aut Iacobi, aut diuinæ authoritatis processu temporis, inuenta est, aut eius esse, aut talis, quæ nihil contineat nisi veram & apostolicam doctrinam. Erat quidem huius epistolæ diuina authoritas, sed non omnibus Ecclesijs primitus innotuit,

Hiero. ad Hedibiam.

Hiero. ad Dardanum.

Origenes.

Dissolutio difficultatis 10.

notuit, procedente tempore iam declarata & manifestata. Et huius considerationepoteris cognoscere iusta ratione quædam postmodum in canonem esse scripturarum receptaper Ecclesiam, quæ non sic ab initio recepta, sed dubia erant.

Vndecima difficultas rationes assumit, quas iam olim obijciebat Hieronymo Ruffinus in apologia arguens illum, quòd Danielem negauerit Prophetam esse, quòd à scripturis sacris excluserit Susannæ historiam, trium puerorum hymnum, quòdque fabulosam & confictam diceret septuaginta duorum virorum per cellulas interpretantium vnam & consonam vocem. Sed his omnibus respõdet ipse Hieronymus in apologia quam de his ædidit, contra eundem Ruffinũ, planè docens se neque negasse Danielem esse Prophetam, neque asseruisse falsas esse historias Susannæ, Belis, draconisque fabulas, sed se voluisse monstrare quid de huiusmodi rebus Hebræi sentirent. Dicimus itaque, eundem Ruffinum non iusta ratione carpsisse Hieronymum, qui neque æditionem septuaginta asserit falsam esse, quãmuis confictas arbitretur cellulas, in quibus seorsum positi interpretati dicuntur, neque Ecclesiam errare dicit publicè legentem Susannæ historiam, aut trium puerorum hymnum, aut Belis draconisque fabulas, sed ostendit Danielem apud Hebræos non habere illas, quas apud nos, inquit, quia in toto orbe dispersi sunt, veru anteposito, easque iuglante subiecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Falsum ergo est, quòd Ruffinus Hieronymum calumniatur penitus erasisse à scripturis huiusce modi historias. Quãmuis autem super Susannæ historia olim fuerit controuersia in Ecclesia Christi, inter Origenem & Aphricanum, hoc quidem docente historiam hanc esse fabulam, Origene autem defendente contrarium. Tamen quia antiquissimi patres etiam ante Christum, vtpote septuaginta interpretes, & post Christum Theodotion, Tertullianus, Origenes, Ruffinus, Hieronymus, Augustinus, & cæteri eiusdem historiæ meminerunt, quam & Ecclesiæ Christi vicinæ Apostolorum temporibus publicè legendam susceperunt. Idcirco oportet non contemnere illam tanquam prorsus falsam, sed honorare eam tanquam ad ædificationem, Ecclesiæ vtilem, quam quisque credens veram esse pernicioſe non fallitur: quẽadmodum legimus sanctorum martyrum gesta longo vsu recepta in Christianorum Ecclesia, ex quibus tamen argumentum non sumimus efficax ad demonstrandum ea quæ fideri sunt. Sic Cyprianus, Ambrosius, cæteríque patres citant sententias ex libro Baruch, & 3. & 4. Esdræ, non tanquam ex canonicis libris, sed tanquam ex libris continentibus dogmata quædam pia iuuantia, & non contraria, sed consona potiùs fidei nostræ. Ex supradictis igitur colligimus sententias. Prima est: Scripturæ sacræ sunt, quas ab Apostolis edocta Ecclesia primitiua, suis filijs distribuit, quas & ad hæc vsq; tempora habemus in Ecclesia custoditas per successiones Episcoporum & Presbyterorum concorditer vtentium eisdem quatuor Euangelijs, & apostolicis propheticisque libris, quos in hodiernum vsque diem honorat & prædicat tota Christianorum schola. Deinde constat totum scripturarum sacrarum canonem duo complecti testamenta, quæ appellamus vetus & nouum testamenrum, & veteris esse ordines quatuor, & in ordine primo esse volumen Moysi, continens libros quinq;, vt Genesim, Exodum, Leuiticum, Numerorum, Deuteronomium. In secundo Prophetarum libros, vt Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Isaiam, Hieremiam, Ezechielem, & librum duodecim Prophetarũ. In tertio Hagiographa, id est, sanctorum scripta, quæ continent Iob vnum, Psalmorum vnum, Salomonis tres, Danielis vnum, Paralipomenon duos, Esdræ duos, Hester vnum. In quarto esse ea quæ non Hebræorum, sed Christianorũ schola recipit, vt Ecclesiasticum, Sapientiam, Iudith, Tobiam, & duos Machabæorum libros. Et huius quarti ordinis libros non esse tam amplæ authoritatis, quàm cæterorũ ordinum,

Dissolutio vndecimæ difficultatis.

Hieronym.

Epilogus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eosdem tamen in Christianorum schola cæteris omnibus tractatoribus antepo- A
nendos: quoniam sibi eos anteposuerunt egregij viri ecclesiastici, temporibus
Apostolorum proximi, qui eorundem librorum scripturas crediderunt esse di-
Noui test. ordines tres. uina testimonia. Noui autem testamenti esse ordines tres, in primo esse quatuor
Euangelia, & Apostolorum Actus. In secundo Pauli epistolas 14. Petri primam,
Iohannis primam, de quibus nulla vnquam extitit dubitatio. In tertio, qui iam
olim sunt recepti, sed non sine contradictione, quia non ab initio innotuerant o-
mnibus Ecclesijs: vt sunt epistola ad Hebræos, Apocalypsis Iohannis, & epistola
illius secunda & tertia, epistola Petri secunda, & Iacobi vna. De quibus iam an-
te mille annos sine controuersia receptis in Ecclesia catholica, non potest nunc
vlla esse dubitatio. Tertiò consequens est ex duodecim Apostolorum schola duo-
stantùm ædidisse Euangelia, Matthæum videlicet & Iohannem, & ex omnibus B
Apostolorum discipulis duos tantùm reliqua duo Euangelia scripsisse, Marcum
videlicet & Lucam, quorum alter Petri, alter Pauli fuit discipulus. Vnde fit, vt &
Euangelium Marci, Petri dicatur: Euangelium autem Lucæ, Pauli Euangelium
appelletur. Hi profectò scribæ quatuor sermonum & Actorum Iesu Christi, ne-
que eisdem temporibus, neque locis eisdem pariter congregati, neque mutuò
conferentes, omnes tanquam vno ore pronunciant fidei nostræ & præceptorum
regulas, & quædam etiam alia, atq; inter se diuersa, in gestis & miraculis recitan-
tes, quod sine dubio, vt inquit Chrysostomus, est grande veritatis documentum,
Si enim ex toto, & in omnibus consonarent, & cum nimia diligẽtia, vsq; ad omnia
tempora, loca, ad singula quæque gesta concurrerent, dixisset aduersarius quisque
fidei nostræ, communi eos concilio fuisse congregatos, & humana factione com-
posuisse Euangelia. Rursus, si singuli diuersa scripsissent, ac noua omnia, nullum
potuisset conueniens apparere testimonium. Propterea ergo & communiter, C
atq; concorditer dixerunt multa, præsertim in principalibus rebus, in quibus &
vita nostra, & fides, & prædicationis summa consistit, & singuli propria quædam
ac specialia dixerunt, præsertim in gestis & miraculis Christi, vt neque super-
Scripturæ de quibus olim fuit dubitatio fluè, neque importunè aliquid videretur in sacris literis adiectum. Quartò ex
superioribus consequens est, quòd non omnes scripturæ etiam verisimiles, de
quibus olim fuit dubitatio, sunt receptæ in catalogum sacrarum scripturarum.
Nam & post supradictas scripturas iam in canone recitatas, fuerunt scripturæ, de
Hist. Eccl. lib. 3 cap. 25 quibus, vt inquit Eusebius, quàm maximè olim dubitabatur, veluti Actus Pauli,
& libellus qui appellatur Pastoris, & reuelatio Petri & Barnabæ, epistola & do-
ctrina, quæ dicitur Apostolorum, quibus & quidam sociabant Euangelium quod
dicitur secundùm Hebræos, quo præcipuè vtuntur illi Hebræi, qui Christum
suscipere videntur, sed in Ecclesia ei contradicitur. De quo & Origenes homi- D
lia octaua super Matthæum: Scriptum est in Euangelio quod dicitur secundùm
Hebræos, si tamen placet alicui recipere illud, sed ad manifestationem propositæ
Hist. Eccl. lib. 3 cap. 25. quæstionis, etc. Quæ omnia tamen à nobis, inquit Eusebius, necessariò sunt enu-
merata, vt absque vlla ambiguitate claresceret, quæ sint in veteri authoritate, &
quæ sint, in quibus vel cõtradictio aliqua, vel cunctatio soleat admitti, quum ta-
men à quàmplurimis Ecclesijs recipiantur. Quintò ex superioribus consequens
est, neque fuisse vnquam recepta in catalogo librorum scripturæ sacræ plura Eu-
angelia, quàm quatuor supradicta, aut plures Apostolorum seu discipulorum epi-
stolas, vel scripturas, quàm eas, quas suprà cõmemorauimus inter canonicas scri-
pturas, neq; fuisse dubitatum de alijs vllis recipiendis, præterquàm de his, super
quibus recitauimus dubitatum esse. Proinde Euangelia inscripta sub nominibus
aliorum Apostolorum, vt Petri, Thomæ, Matthiæ, Andreæ, nequaquam inter il-
la, de quibus olim dubitatio extitit, sunt colligenda, sed penitus sunt propellenda
tanquam

tanquam aliena, & à regula pietatis discrepantia, quorum nusquam in scripturis A
veterum (qui Apostolis successerunt) habetur mentio vlla, aut commemoratio,
in quibus & ipse stylus multùm ab ecclesiastica consuetudine deprehenditur esse
diuersus. Sensus quoque, & omnia quæ his inseruntur longè ab apostolica fide
dissonant. Ex quo comprobatur ea esse & figmenta hæreticæ prauitatis, & indi-
gna, quæ numerentur inter illa, de quibus in canonem recipiendis fuit olim du-
bitatum. Proinde & omnia alia aliorum Apostolorum nominibus inscripta Eu-
angelia, liber quoque de Saluatoris infantia, sunt iamdudum, tanquam ab Hære-
ticis conscripta prorsus extra vsum & manus Christianorum reiecta & deserta,
ex quibus neque patrum quisquam ab ipsis Apostolorum temporibus ad hæc
vsque tempora corroborauit nostræ fidei sententias. Super catalogo igitur vo-
luminum veteris ac noui instrumenti, quæ secundum maiorum traditionem per B
spiritum sanctum conscripta creduntur, restat obseruanda conclusio ex concilio
tertio Carthaginensi, ante mille iam annos celebrato, cui & interfuit & subscri-
psit venerabilis pater Augustinus, vbi sic legitur capite quadragesimoseptimo:
Placuit vt præter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur, sub nomine diui-
narum scripturarum. Sunt aũt canonicę scripturæ libri: Primus, Genesis. Secun-
dus, Exodus. Tertius, Leuiticus. Quartus, Numeri. Quintus, Deuteronomij. Se-
xtus, Iesu Naue. Septimus, Iudicum. Octauus, Ruth. Nonus, Regum quatuor. Pa-
ralipomenon libri duo. Iob vnus. Psalterium Dauidicum. Salomonis libri quin-
que. Libri duodecim Prophetarum, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias,
Iudith, Hester, duo Esdræ, duo Machabæorum. Noui testamenti libri vigintisi-
septem. Euangeliorum libri quatuor. Actuum Apostolorum vnus. Pauli apostoli epistolæ quatuordecim, inter quas est eiusdem ad Hebræos vna. Petri epistolæ C
duæ. Iohannis tres. Iudę Apostoli vna, Iacobi vna. Apocalypsis Iohãnis liber vnus.
Concilium tribuens Salomoni libros quinque, Ecclesiasticum & Sapientiam sub
numero illo intelligit esse conclusos: Hæc à patribus in Ecclesijs legenda susce-
pimus, sub nomine diuinarum scripturarum. Hoc illius concilij decretum. De ca-
talogo igitur librorum scripturæ sacræ, quæ nam sint noui ac veteris instrumenti
volumina, quæ secundum venerandam patrum antiquitatem, per spiritum san-
ctum inspirata & conscripta creduntur Ecclesijs Christi tradita, quæque &
Ecclesia Catholica, & sancti patres intra canonem concluserunt,
ex quibus & fidei nostræ assertiones constare voluerunt.
Hæc hactenus dicta sufficiant.

FINIS.

D

IOHANNIS DRIEDONIS DE TVRNHOVT, SACRAE THEOLOGIAE apud Louanienses professoris, Liber Secundus, de translationibus, expositionibus, & multiplicibus sensibus scripturarum: cuius sunt Capita tria.

PRAEMISSO in superiori libro, catalogo librorum scripturæ sacræ, operæ pretiũ est deinceps differere de translationũ, editionũ sensuum & expositionũ scripturæ sacræ varietate ac multitudine. Partiemur aũt librum in capita tria, Primum erit de versionibus, seu translationibus scripturarũ ex vna linguâ in aliam. Alterum, de multitudine sensuum scripturæ sacræ. Tertium, de via, per quam est inuestigandus verus scripturarum intellectus.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT PRIMVM.

A

PRIMVM igitur de multitudine & interpretum, & interpretationum seu translationum dicturi, discutiemus, vtrùm oporteat vnquam adhærere scripturæ versæ in aliam linguam. Et vtrùm eadem seu æqualis sit authoritas scripturæ interpretatæ, seu versæ, & scripturæ in fonte suo æditæ, eademque authoritas interpretis, quæ est & Prophetæ seu Euangelistæ. Sunt autẽ difficultates hic duæ præcipuè: Vna de Græca æditione veteris testamenti, facta ex Hebræa lingua per duos & septuaginta interpretes ante Christum natum, supra annos quinquaginta & ducentos. Vnde Irenæus: Natus est Dominus noster circiter primum & quadragesimum annum imperij Augusti. Multò autem vetustior fuit Ptolemæus, sub quo interpretati sunt scripturas. Altera de æditione Latina totius scripturæ sacræ, qua vsa est tota Latinorũ Ecclesia multis iam seculis. Super æditione septuaginta interpretum, videtur quæstio difficilis, qua ratione Diuus Hieronymus post horum æditionem, tentauit vetus testamentum immediatè ex Hebræo in linguam Latinam vertere, & dimissa eadem septuaginta interpretum æditione, suam nouam Ecclesiæ legendam tradere; cùm sub Apostolorum temporibus tota Christi Ecclesia habuerit æditionem eorundem septuaginta interpretum, tanquam authenticam, & tanquam scripturam sacram æditam in suo fonte, suaq; origine, quemadmodum videntur probare hæc argumenta. Primùm: Interpretatio septuaginta duorum consonat, inquit Irenæus, Apostolorum traditioni. Petrus etenim, Iohannes, Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores prophetica omnia ita annunciauerũt, quemadmodum seniorum 72. interpretatio continet. Vnus enim & idem spiritus, qui in Prophetis vaticinatus est, in senioribus interpretatus est. Secundùm argumentũ: Apostoli & Euangelistæ passim prætermissis sententijs, quas in Hebræorum voluminibus legimus, citauerunt scripturas veteris testamenti secundùm æditionem 70. Paulus ad Galatas: Scriptum, inquit, Maledictus omnis qui pendet in ligno. Sic apud 70. & non apud Hebræos inuenitur. Sic & illud quòd citatur ad Galatas 3. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, quod sic apud septuaginta, non apud Hebræos inuenitur. Item Lucas in suo Euangelio, & in Actis apostolorum, non iuxta Hebraicum, sed iuxta septuaginta vsus est scripturæ testimonijs, quemadmodum docet idem Hieronymus in commentario super Isaiam, cap. 6. Tertium argumentum: Antiquissimi patres, veluti Irenæus, Origenes, Augustinus, certò tenent æditionem septuaginta, spiritu sancto & prophetico factam, tradentes septuaginta interpretes, non more humano inter se conferentes, sed seorsum positos, secundùm easdem sententias, eademque verba, & eorundem verborum ordinem, scripturas sacras ex Hebræo vertisse in Græcam linguam. Irenæus lib. 3. aduersus Valentinum cap. 25. de istis interpretibus asserit, quòd Ptolomæus volens experimentum sumere, & metuens ne fortè veritatem scripturæ per interpretationem absconderent, eosdem à seinuicem separat. Post interpretationem autem conuenientibus, inquit, ipsis in vnum apud Ptolomæum, & comparantibus suas interpretationes, Deus glorificatus est, & scripturæ veræ diuinæ sunt creditæ, omnibus eadem & eisdem verbis, & eisdem nominibus recitantibus ab initio vsque in finem, vti & præsentes gentes cognoscerent, per aspirationem Dei interpretatas esse scripturas. Eandem sententiam de ipsis interpretibus seorsum interpretantibus, & sic conuenientibus probat Hilarius, item Tertullianus, in Apologia aduersus gentes, quàmuis non meminerit cellularum, dicit tamen quòd Philadelphus Ptolomæorum eruditissimus

Difficultates duæ.

Argumentum primum.

Argumentum secundum.

Argumentum tertium.

Irenæus lib. 3. cap. 25.

Hilarius in præfat. psal. Tertull. cap. 18. & 19.

B

C

D

ex

A ex suggestu Demetrij probatissimi Grammatici libros Prophetarum accepit, per septuaginta duos seniores ex Iudæis interpretibus in Græcum stylum versos, addens, illos apud Ptolomæi bibliothecam, cum ipsis Hebraicis literis in suum vsque diem exhiberi à Iudæis, & palàm lectitari. Deinde Augustinus 15. de Ciuitate Dei, cap. 23. planè asserit eosdem interpretes habuisse propheticũ spiritum, & 30. de Ciuitate Dei, cap. 29. asserit eosdem prophetice interpretatos esse. Rursum ipse Hieronymus, quámuis alicubi docet septuaginta fuisse, non Prophetas, sed interpretes, & in multis ab Hebraica veritate deuiasse, & illud de cellulis in quibus fuissent seorsum positi, fabulosum esse. Idem tamen in prologo Paralipomenon, eosdem fuisse plenos Dei spiritu tradit, addens se frustra impelli ad Hebræa volumina Latino sermone transferenda, si septuaginta æditio pura, & vt ab

B eis in Græcum est versa, permaneret. Et alibi discrepant, inquit, Euangelistæ, septuaginta interpretum, nostraque translatio, & tamen sermonum varietas in vnitate spiritus concordat. Item Chrysostomus super Euangelium Matthæi, homilia 5. æditionem septuaginta approbans, contra eos qui in Isaia transtulerunt, non Virginem, sed puellam aut iuuenculam. Primò quidem, inquit, dicemus, quòd ad faciendam veræ translationis fidem, omnibus alijs iure septuaginta interpretes sunt digniores. Siquidem alij post aduentum Domini interpretati sunt. Iudæi siquidem permanentes meritò suspecti, quippe qui inimicè & subdolè multa corripuerint, & data prorsus opera à Prophetis Christi mysteria celauerint. Septuaginta verò ante centum & aliquantò amplius Dominici aduentus annos ad interpretandum tot, ac pariter accedentes, ab omni huiuscemodi suspitione sunt liberi, & ex tempore, & ex ipso (quod super omnia debet valere) consensu.

C Item longè ante tempus illud. Origenes in epistola ad Africanum de historia Susannæ sic loquitur: Hoc solùm pro vero habẽdum est in scripturis diuinis, quod septuaginta interpretes transtulerunt. Nam id solùm est, quod authoritate apostolica confirmatum est. Ex quibus videtur consequens adhærendum esse æditioni septuaginta interpretum, tanquam scripturæ sacræ in suo fonte suaque origine conscriptæ. Quam sententiam & ipse Rufinus in Apologia contra Hieronymum demonstrare videtur, ex eo quòd Apostoli scripturas sacras veteris testamenti Ecclesijs Christi legendas reliquerint, non aliter quàm secundùm æditionem septuaginta interpretum, qua & tunc vsa erat Christiana Ecclesia annis quadringentis, aut circiter. At contrà videtur, quòd Apostoli & Euangelistæ leguntur multis vsi scripturis veteris legis, quas non apud septuaginta, sed apud Hebraicam veritatem reperimus, quemadmodum mox patebit ex doctrina Hieronymi in libro de optimo genere interpretandi, tradentis septuaginta

D illos non fuisse Prophetas, sed interpretes, & in multis deuiasse ab Hebraica veritate. Vnde & iam vniuersalis Ecclesia postposita æditione eorundem septuaginta, vtitur translatione alia. Et hanc insuper non videtur Ecclesia recipere tanquã autenticam diuinoque spiritu sic æditam, vt prorsus in vniuersis & singulis sententijs sit consona veritati scripturæ in primario suo idiomate, quippe quam & Hieronymus cæterique nonnulli eiusdem Ecclesiæ doctores, iam olim ostenderunt in quibusdam deuiantem à suo fonte, quemadmodum & latiùs ostendemus in sequentibus. Sunt igitur qui dicunt, translationem hanc Latinam, qua communiter vtitur tota Latinorum Ecclesia, neque esse Diui Hieronymi, neque in omnibus consonam scripturæ sacræ originali, quippe quam Ambrosius & ipse etiam Hieronymus quibusdam in locis, & post eum Armachanus, Lyranus, & ceteri etiam huius temporis viri vtriusque linguæ periti arguunt, emendant, & ex Hebræa vel Græca lingua castigant, corrigunt: docentes & in Hebræo codice veteris testamẽti, & in Græco codice noui testamenti aliter haberi, quàm nos habeamus,

Augustinus.

Hieron. in præfatione in Pentateuchum.

Chrysostom.

Origenes.

Ruffinus.

Opinio de translatione Latina, qua vtitur Ecclesia an sit S. Hier.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augusti. 2. de Doctr. cap. 11.

beamus, adducentes in suæ sententiæ corroborationem Augustinum, & ipsum etiam Hieronymum cæterosque patres, qui docent ad originales linguas esse recurrendum, si quando varietas in Latinis codicibus reperitur. Sunt alij qui contrà dicunt certo tertius, translationem Latinam, qua nunc ab hinc mille annos vsa est Latinorum Ecclesia, esse Diui Hieronymi æditionem, ab ipso docente spiritu sancto decentissimè factam, vsuque & authoritate Ecclesiæ probatam, nullo prorsus in loco à suo fonte deuiam. Et propterea nos oportere stare huic æditioni Latinæ, tanquam scripturæ diuinæ in suo fonte suaque origine, præsertim cùm iam ab annis mille & vltrà, totus Christianorum cœtus, & vniuersalis Ecclesiæ synodi hac sint vsi, tanquam probata & autentica, confirmantes, & demonstrantes, ex ipsa, contra hæreticos sententia fidei: non habentes recursum ad originalem linguam, in qua scriptura est ædita. Nam si quid falsitatis, inquiunt, esset in æditione nostra Latina, titubaret profectò fides nostra. Titubat enim fides, si diuinarum scripturarum à nobis receptarum titubet authoritas. Ex quibus inferunt, eos qui dicunt æditionem nostram Latinam, aut non rectè factam esse, aut in aliqua sui parte falsam aut deuiam, demoliri fundamentum Christianismi, & temerarios esse, atque peruersos, & hæreticos, si adsit animi pertinacia. Hæc & id genus alia sunt, quæ hac in re difficultates ingerunt propter quas turbatur Christianorum schola, dum in ea vnus alium iudicat, alius sententiam vt hæresim damnat, quam alius prosequitur vt catholicam, & defendit. Inter has & similes magistrorum sententias, nequaquam vendico mihi authoritatem censorij arbitri, sed ex visis mihi argumentis aut necessarijs, aut verisimilibus, quid videatur dicendum proponam, interim hortans ad pacem & concordiam sacræ Theologiæ studiosos, vt neque alter alterum iudicet, aut à communione separandum æstimet, donec aut iudicio Ecclesiæ catholicæ, aut aliorum melius sentientium fuerit aliter definitum. Pro istorum igitur dilucidatione operæpretium est quædam præmittere. Primùm de varietate linguarum, quibus vtitur scriptura. Deinde de multiplicitate textuum scripturæ sacræ, æditionum, interpretationum, seu translationum, atque interpretum, plerunque eundem scripturæ locum ex suo fonte in diuersas sententias interpretantium. Tertiò de eorundem interpretum authoritate, ac interpretationum seu translationum mutua collatione seu comparatione. Et vtrùm magis oporteat adhærere scripturis in suo fonte æditis, quàm in aliam linguam translatis. Quibus absolutis, supradictas duas difficultates vnà cum factis hinc inde argumentis dissoluemus, Et subijcientes semper omnia nostra definitioni sanctæ matris Ecclesiæ, adferemus quæ videntur ex sententijs patrum verisimilia, neminem iudicantes contrarium sentientem, sed pro virili nostra solliciti, ne propter diuersas interpretantium sententias turbetur inter membra Ecclesiæ vnitas, ostendemus (si tamen res patitur) diuersa magistrorum dogmata, quæ & plerumque videntur inter se contraria, fidei orthodoxæ non repugnare. Primùm igitur sciendum est, quòd triplex est scripturæ sacræ sermo. Hebraicus, videlicet, Græcus, & Latinus, quo consueuit Christianorum schola vti, & demonstrare, atque corroborare contra hæreticos suæ fidei documenta. Vnde & titulus in cruce Iesu, scriptus erat Hebraicè, Græcè, & Latinè. Cæteræ linguæ fuerũt quidem ad significandum res humanas inuentæ atque institutæ, sed non sic fuerunt olim à patribus admissæ, vt in eas passim verterentur legis & Prophetarum scripturæ, ad ea, quæ fidei sunt, corroboranda. Manifestum est totum veteris testamenti canonem, quem Iudæi communem nobiscum habent, esse Hebraicè æditum. Totum autem canonem nouæ legis Græco sermone compositum, excepta (secundùm quosdam) epistola ad Hebræos, excepto etiam Euangelio Matthæi, quod Hebraicè ab omnibus antiquis patribus scriptum traditur, tametsi recentiores

Sunt qui dicunt oportere nos prorsus adhærere Latinę æditioni.

De varietate linguarum.

A tiores quidem moliantur id vertere in quæstionem, de quibus in præcedenti libro. Chaldæorum lingua, in qua scriptus est Tobiæ liber, magna ex parte, inquit Hieronymus, affinis est Hebrææ linguæ. Ex his duabus linguis per Dei prouidentiam ad significãdum res diuinas admissis, versus est totus scripturæ sacræ sermo in Latinam linguam. Constat autem linguam Hebræam, quæ vel eadem est cum Chaldaica, vel vicina ceu affinis eidem, fuisse omnium primam humano generi communem ab Adam vsque ad Heber. Erat autem terra, inquit scriptura, labij vnius, & sermonum eorundem. Erat quidem ante Heber Hebræa lingua, sed non vocabatur Hebræa, nec enim opus erat distinctione nominis, cùm nulla erat distinctio idiomatis, tunc opus erat eam distinguere ab alijs linguis nomine proprio, quando facta est lingua vni genti propria. Quando autem erat vna, nihil aliud, inquit Augustinus, quàm humana lingua, humana locutio vocabatur, qua so-

B la ipsum humanum genus loquebatur. Vnde & ipse Heber nomen imposuit filio suo, vt vocaretur Phalech, quod interpretatur diuisio, quoniam tunc ei, inquit scriptura, natus, quando per linguam terra diuisa est. Idcirco vocatum est nomen ciuitatis Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, & meritò elationis puniti sunt homines diuersitate linguarum. Censura itaque diuinæ iustitiæ ad cohibendam humanam insolentiam, vnam totius humani generis loquelam duarum & septuaginta linguarum varietate confudit, de quo vide Augustinum 16. de Ciuitate Dei. Et Ambrosium in libro 2. de vocatione omnium gentium, cap. 4. Quãmuis ergo Hebræa lingua nomen acceperit ab Heber, non tamen ab ipso incepit, sed nec Heber ipse eandem linguam in vniuersam suam progeniem effudit, sed in eam tantùm, cuius generationes producuntur ab Abraham. Hactenus de lingua Hebræa, quæ est omnium prima. Deinde & characteres huius linguæ

C omnium primi sunt traditi ad significandas res diuinas, quæ etiam videntur fuisse in prima mundi ætate. Siquidem & Enoch scripsisse quædam ante diluuium videtur ex epistola Iudæ. Verùm cùm ante Moysen non habeamus vlla diuinarum scripturarum monumenta, non absurdum videtur, si noui Hebræorum characteres credantur Hebręis traditi per Moysen, qui scripsit sermones Domini in volumine fœderis, qui & accepit à Domino duas tabulas, non solùm manu Dei factas, sed vtrasque Dei digito scriptas, quibus confractis, non Deus, sed Moyses alias duas præcidit, & in illis rursus non Moyses ex ore Dei, sed Deus ipse verba scripsit, quæ habuerunt priores tabulæ. Deus qui Hebraici sermonis rationem & vocem suæ linguæ ad loquendum dedit, idem ipse elementorum figuras primus per semetipsum cõscripsisse legitur, nec dum quippe Moyses quicquam scripserat, quando ei dixit Deus: Ascende ad me in montem, dabo tibi duas tabulas

D lapideas, & leges atque mandata, quæ scripsi. In eadem lingua & in eisdem characteribus habebatur scriptura vsque ad captiuitatem Babylonicam. Post captiuitatem fuit quidem scriptura in eadem lingua scripta, sed non eisdem characteribus. Nam certum est, inquit Hieronymus in prologo galeato, Esdram scribam, legisque doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationẽ templi sub Zorobabel, alias literas reperisse quibus nunc vtimur. Ante huiuscemodi scripturas vel digito Dei, vel manu Moysi scriptas, nulla est nobis certa scriptura diuina, nec vlla prophanarum rerum historia. Literas siquidem Græcas Cadmus primus Græcis tradidisse fertur, quo tempore Othoniel populo Israel præerat, constitutus dux circiter annum septuagesimum septimum, post scripturam legis Moysi datam. Latinas autem Carmentis reperisse dicitur, quo tempore populum Israel iudicabat Iair: quæ literæ quãmuis ad significandas res humanas primò fuerunt inuentæ & institutæ, iam tamen etiam Dei prouidentia ad significandas diuinas res sunt admissæ. Hactenus de linguis, iam de interpretibus, & primùm de eis, qui

E vetus

In præf. in lib. Reg. & Iob.

De lingua Hebræa. Genes. 11.

Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 11.

Confusio linguarum propter peccatum intrauit genus humanum.

De characteribus Hebraicis.

Exod. 24.

Cadmus Græcorũ characterum inuentor, circiter annum 77.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vetus testamentum ex Hebræa lingua in Græcam transtulerunt, differendum est. A
Primi veteris legis interpretes fuerunt duo & septuaginta, ex Hebræa lingua in
Græcam vetus testamentum transferentes, sub temporibus Ptolemæi Philadel-
phi, ante Christum natum, annos supra quinquaginta, & ducentos. Cùm Salua-
Eusebius toris nostri tempora viderentur, inquit Eusebius, aduenire, conueniretque maxi-
mè omnium gentium saluti, intelligere quæcunque de Christo à Prophetis scri-
pta erant per linguam Græcam, quàm ferè omnes gentes tunc intelligebant, di-
uina prouidentia Hebræorum scripturam vniuersis proposuit. Post Saluatoris
autem nostri tempora, aut non habuissemus scripturas, quippe quas Iudæi aut ex
inuidia occultassent, aut corruptiores nobis dedissent, aut si rectè potuissent ha-
beri, in suspicionẽ traductores facilè vocarentur. Saluator ergo, qui vt Deus om-
nia præuiderat, optima dispositione vsus, diuinorum librorum traducendorum
voluntatem inspirat Ptolomæo regi, qui & præcepit Demetrio suæ bibliothecę B
præfecto, de hac re literas scribere Eleazaro Iudæorum pontifici. Is cùm literas
recepisset, de singulis tribubus seniores viros legis peritos & probos sex misit,
vtriusque linguæ peritos, qui scripturam traduxerunt Ptolemæo regi, qua tra-
ductione lecta propositis in medio libris eorundem seniorum interpretũ, sacer-
dotes ac multi Ægyptiorum coràm Rege congregati, magna voce dixerũt, Pro-
bè & sanctè diuinam scripturam esse traductam, & idcirco decẽs esse, vt Rex iu-
stissimus caueat ne quisquam peruertere aliquid audeat: quod cùm omnes vna
voce probassent, iussit Rex secũdum morem maledicere, si quis aut subtraxerit,
De 70. interpretibus. aut mutauerit, aut addiderit aliquid. Et cùm lecta vniuersa essent, miratus Rex
legis latorum prudentiam, interrogauit Demetrium, qua ratione nemo aut Poe-
tarum aut Historicorum de tot tantisq; rebus gestis vllam fecerit mentionẽ: cui C
Demetrius respondit, Diuina, inquit, hæc lex est, & à Deo data, atque ideo si qũi
attigerunt, à Deo percussi resilierunt, affirmauitque se audiuisse & à Theopom-
po, quòd cœperat nonnulla à Iudaicis scripturis transtlata, Græca oratione orna-
re, & ilicò turbatione quadam mentis percussum, magno studio Deum orasse,
cuius rei gratia id sibi accideret, audiuisseque per somnium, quia res diuinas le-
nocinio, inquinatis hominibus ædiderat. Ego quoque ipse, inquit, à Theodoto
tragediarum poeta accepi, quòd cùm ipse multa ex Iudaica scriptura ad fabulam
quandam transferre vellet, luminibus captus fuerit, qui quando credidit, hac de
causa id sibi euenisse, magno tempore pœnitentiam egit, & tandem sibi restitu-
tus visus est. Tunc ergo Rex magna cum diligentia scripturam iussit inuiolatam
reseruari. Hæc Eusebius de præparatione Euangelica libro octauo. Verùm hic
sciendum quòd aliud est mutare quod Propheta vel Euangelista scripsit, & vel- D
le simplicitatem sermonis illius corrigere atque ornare, aliud verò mutare ser-
monem quem interpres ædidit, eumq; castigare ad veram simplicitatem sermo-
nis, conscripti à Propheta vel Euangelista: de quo latiùs infrà. Primi ergo sacræ
Aquila scripturæ interpretes fuerunt septuaginta, deinde Aquila Iudæus, natione Pon-
ticus, secundus Mosaicæ legis interpres, quem & Iudæi cæteris anteponũt, scripta
sua ædidit sub ipsis temporibus Sixti, qui fuit octauus post Petrum Romanus Põ-
tifex. Iste quia Iudæus, odio habens Christianorum nomen, quod iam inceperat
crescere multis in locis, scripturas quæ Christum sonant, praue est interpretatus.
Tertius veteris legis interpres fuit Theodotion, sub tempore Soteris decimiter-
tij, qui fuit decimustertius post Petrum Ecclesię Romanæ Pontifex, post Christũ
passum circiter annum quadragesimum supra centesimum. Quartus veteris le-
gis interpres, Symmachus, sub temporibus fuit Seuerini, decimisexti Pontificis
post Petrum. De his tribus interpretibus sic habet Hieronymus: Si apud Græ-
cos post septuaginta æditionem, iam Christi Euangelio coruscante, Iudeus Aqui-
la

A la Symmachus, & Theodotion, Iudaizantes hæretici sunt recepti, qui multa my- Symmachus.
steria Saluatoris subdola interpretatione celarunt, & tamen in Exaplis habentur
apud Ecclesias, & explanantur ab ecclesiasticis viris, quantò magis ego Christia- Hiero in apo-
nus, & de parentibus Christianis natus, vexillum crucis in fronte portans, cuius logia aduer-
studium fuit omissa repetere, deprauata corrigere, & sacramenta ecclesiæ puro sus Russinum.
ac fideli sermone aperire, vel à fastidiosis, vel à malignis lectoribus non debeo
reprobari. Præter has quatuor æditiones, nominibus proprijs secundùm suos au-
thores nominatas, sunt æditiones aliæ duę, quæ cùm sint incertis authoribus ædi-
tæ, quinta & sexta æditio sunt à diuo Hieronymo appellatæ, quarum omnium &
ipse meminit diuersis in locis, & præcipuè in explanatione Psalmi 44. ad Princi-
pium virginem, & in explanatione Psalmi 89. ad Cyprianum. Quintam æditio-
nem dicit Beda inuentam esse Hierosolymis. Sextam dicit esse repertam Nico- Hiero. Memi-
B poli, sub imperatore Aurelio Antonio. Præter has sex etiam septimam quandam nit 7. çditionũ
æditionem apud veteres patres fuisse constat, quam prologus super chronicis Eu veteris test. ex
sebianis commemorat, ita dicens: Quinta & sexta & septima æditio, licet quibus Hebræo in
censeantur authoribus, ignoretur, tamen ita probabilem sui diuersitatem tenent, Græcum.
vt authoritatem sine nominibus tenuerint. Deinde Origenes peritissimus om- Origenes de
nium linguarum, diligentissimus sacrarum literarum indagator, considerans tan- multitudine
tam translationum varietatem ex omnibus scripturis ex Hebræo in Græcũ ver- æditionum.
sis, fecit volumina quæ appellantur Exapla, id est, ex simplici ordine conscripta,
in proprijs paginis vel columellis, æditiones eorum singulas quasque describens,
& ea quæ per alios interpretes, siue peremptа fuerant, siue etiam abundantius
prolata, proprijs quibusdam notis designauit. Isti omnes interpretes, vetus testa-
mentum in Græcam linguam sunt interpretati. De quibus iam olim ante Hiero-
C nymi secula, loquitur Eusebius libro 6. Ecclesiast. hist. cap. 21. Origenes inter cæ- Eusebius.
tera suarum eruditionum studia, nec illud quidem omisit perscrutari, & addisce-
re, Hebræę scilicet linguæ virtutem, vt agnosceret, vel ea quæ Hebraicis literis à
Iudæis leguntur, vel qualia sunt cæterorum interpretum, qui præter septuagin-
ta interpretati sunt, quantaque esset æditionum diuersitas, ita vt præter istas, quæ
in vsu sunt, è quibus vel Symmachi, vel Theodotionis, inueniret etiam alias, in ab-
sconditis ac secretis latentes, in quibus ne nomina quidem interpretum repperit
scripta. Hoc autem solùm dicit de eis, quòd aliam quidem in Actiaco littore a-
pud Nicopolim, aliam in Hiericho, atque aliam in alijs repperit locis. Vnde & il-
los famigeratos codices primus ipse composuit, in quibus per singulas pagellas,
è regione, separatim, opus interpretum vniuscuiusque descripsit, ita vt primò
omnium ipsa Hebræa verba Hebraicis literis poneret. Secundo in loco Græcis
D literis è regione Hebræa describeret. Tertiam Aquilæ translationem subiunge- D
ret. Quartam Symmachi. Quintam septuaginta interpretum, quæ nostra est. Sex-
tam Theodotionis collocaret. Et propter huiuscemodi compositionem exem-
plaria ipsa nominauit Exapla, id est, ex simplici ordine conscripta. In Psalterio
autem & alijs nonnullis interserit aliqua etiam de cæteris æditionibus istis, quas
quoniam sine nomine authorum inuenerat, sextam & septimam æditionem no-
minauit. Hactenus Eusebij sententia. Amplius autem post omnes æditiones su-
pradictas, Diuus Hieronymus, septuaginta interpretes emendatos, ex Græco in
Latinum vertit eloquium, quemadmodum & ipse multis in locis testatur, præser-
tim in apologia aduersus Russinum. Cæterùm idem Hieronymus, easdem scri- Hieronymus
pturas veteris legis ex Hebræo in Latinum eloquium conuertit, cuius interpre-
tationem Iudæi, inquit Augustinus, fatentur esse veracem, contendentes septua-
ginta in multis errasse. Insuper & nouum testamentum Græcè fidei reddidit, vt In vita Hiero-
& ipse testatur de seipso in libro de viris illustribus. Postremuùm sciendum, qua- uymi.

 druplex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quadruplex Latinum Psalterium

druplex esse Latinum Psalterij opus, Vetus Romanum, Gallicum, & quartum se-
cundùm Hebraicam veritatem. Psalterium vetus propterea dicitur, quòd eo A
vtebatur Ecclesia ante æditiones à Diuo Hieronymo factas. Romanum, quòd à
Diuo Hieronymo Romæ castigatum, Ecclesia Romana in vsum suscepit, vt ipse
testatur in prologo. Gallicum, quòd idem Hieronymus, ad preces Pauli & Eusto
chii secundò correxit, quod & Ecclesia Gallicana in vsum suscepit, quo & in ho-
diernum vsque diem, nostra præsens vtitur Ecclesia. Hanc geminam correctio-
nem habes in eiusdem Hieronymi præfatione, cuius initium: Psalterium Romę
dudum positus, &c. Hebraicum verò est, quod ipse ad Sophronij preces, ex He-

Gemina olim æditio Latina

bræo in Latinum, nulla intercedente lingua media, transtulit, quod Ecclesia in su
um vsum non recepit. Cæterùm ex sententiis Hieronymi coarguentis Latinum
interpretem seu vulgatam æditionem, præsertim in nouo testamento consequẽs
videtur geminam olim fuisse æditionem Latinam, vnam priorem, quam Hiero- B
nymus vocat vulgatam æditionem seu Latinã, quam & corrigit & emendat. Ali-
am iam à Hieronymo correctam & emendatam. Æditio Latina vulgata, quam
Hieronymus taxat an sit hæc qua in nouo testamẽto nunc vtitur Ecclesia, in quę-
stionẽ vertitur. Rursus an vera Hieronymi æditio sit, ea qua tam in veteri, quàm
in nouo testamento, ante mille annos & citra vsa est Ecclesia, inter magistros est
controuersia, quibusdam dicentibus, etiam eam esse Hieronymi & authoritate
Ecclesiæ in omnibus approbatam, aliis autem contradicentibus, eam neque esse
puram, neq; talem qualem Hieronymus ædidit, neque in omnibus semper attin-
gere verum sensum, quem intendit author, qui spiritu sancto inspirante scriptu-
ram sacram in suo fonte posteris legendam tradidit: quę sanè controuersia insti-
gante Sathana iam sua sumpsit incrementa, quæ neque tanta fuit olim apud Lati-
nos patres, qui non omnes eadem æditione Latina vsi, magis curauerunt de scri- C
pturarum sensu, quàm de verbis, ordine, & compositione verborum, non facien-
tes inter se dissidia propter minuta quædam, aut sic vel aliter versa, aut forsitan
magis vel minùs congruè posita. Sic Cyprianus, Ambrosius, & Augustinus, suis
in commentariis, ac libris vtuntur solœcismis notatis in æditione nostra latina,
considerantes scripturæ locos, præsertim eos quibus probantur fidei mysteria,
esse consonos scripturis æditis in originali lingua, & omnia quæ in æternam salu-
tem hominem dirigunt sufficienter expressa, & iterum atque iterum inculcata:
de quibus infrà latiùs. Hactenus de varietate interpretum, ac æditionum scriptu-
ræ sacræ. Iam de eorundem interpretum authoritate videamus, collationem ea-

Propositio de 70 interpretũ æditione.

rundem interpretationum inuicem facientes. Primùm de authoritate & æditio-
ne septuaginta interpretum talem ponimus propositionem. Æditio septuaginta
interpretum, quæ prima est tempore, prima est etiam dignitate, cæteris omni- D
bus æditionibus ante Hieronymum factis præferenda: & id quidem multis ex
causis. Primũ quòd ea vsus est Christus, vsi sunt Apostoli & Euangelistæ, qui prę-
termisis interdum his, quę habentur in Hebræorum codicibus, secundùm ædi-
tionem septuaginta, sententias ex veteri testamento citauerunt. Deinde, quòd ad
eam faciendam tot ac tanti viri authoritate publica electi destinantur, vtpote ex
qualibet duodecim tribuum Israel sex probati, constituentes numerum septua-
ginta duorum, qui in illam pariter consenserunt. Quod multi consona voce, con-
sensu vnanimi non esse ingerentes, sed vocati & electi tanquã viri fide digni pro-
bant, maioris est authoritatis, quàm id quod ab vno homine transfertur, præser-
tim non habente testimonium diuini spiritus in se loquentis. Tertiò, quòd sub
Petro Iesu Christi vicario, & sub successoribus illius vsque ad Damasum Papam,
in tota Ecclesia tam Græca quàm Latina, scripturæ recitabantur secundùm æd-
itionem septuaginta interpretum. Quartò, quòd alij interpretes ante Hieronymi

mi secula fuerunt, aut Iudæi aut hæretici Iudaizantes, qui multa Christi mysteria A
subdola (vt inquit Hieronymus) interpretatione celauerunt. Postremùm quòd
sancti patres vsque ad Hieronymi tempora honorauerunt æditionem septuagin
ta, tanquam profectam à diuino spiritu, illam omnibus alijs præferentes. Quod
manifestum fiet nobis eorum sententias audientibus. De tribus primis scriptu-
rę interpretibus sic loquitur vetustissimus ille Irenæus, interpretans verbum Isa-
iæ, Ecce virgo concipiet. Quidam (inquit) aliter ausi sunt interpretari scriptu-
ras, & dicunt: Iuuencula in ventre concipiet, & pariet filium. sicut interpretati
sunt Theodotion Ephesius, & Aquila Ponticus, ambo Iudæi proselyti, quos se-
quuti sunt Ebionitæ, qui dicunt Christum ex Ioseph semine esse natum. Verùm
longè ante tempus illorum, priusquã Romanorum inualescęret principatus, cùm
adhuc Macedones Asiam possiderent, Ptolomæus Lagi filius, volens maiorem
B quærere gloriam bibliothecæ suæ, quam apud Alexandriam ex omnium veterũ
Græcorum voluminibus constituebat, petit etiam ab Hierosolymitis, vt Hebræ-
as eorum scripturas in Græcam linguam versas acciperet. At isti subiecti quippe
erant Macedonibus, electos in scripturis sacris & in vtraque lingua peritissimos
viros duos & septuaginta presbyteros, miserunt ad Ptolomæũ, in quo tamen Dei
voluntas atque consilium gerebatur. Ptolomæus autem volens singulorum ac-
cipere documenta, & veritus ne fortè per interpretationem, occultarent inser-
tam diuinis voluminibus veritatem, singulos à se inuicem separat, & eadem seor
sum positos, interpretari iubet: & tunc Deus verè glorificatur, & scriptura san-
cta quòd verè diuina esset agnoscitur. omnes enim eisdem verbis, eisdem nomi-
nibus atque sententiis scripserant ab initio vsque in finem, ita vt ipsi qui præsen-
C tes gentiles erant agnoscerent, quia Dei nutu scripturæ tunc versæ sunt. Et nihil
mirum, si diuina prouidentia, hoc ita fieri procurauit, cùm & in ea captiuitate,
quæ populo acciderat sub Nabuchodonosor rege, dum corruptis scripturis Iu-
dæi post septuaginta annos ad patriam suam redirent, in temporibus Artaxerxis
regis Persarum, inspirauerit Deus Esdrę sacerdotem ex tribu Leui, qui omnia pri
orum Prophetarum volumina, ac verba repararet, restitueretque populo legem,
quæ per Moysen fuit data. Vides sententiam Irenæi, docentis septuaginta inter-
pretes singulos seorsim positos, Dei nutu, diuinoque spiritu scripturas veteris le-
gis eisdem verbis, eodemque stylo in Græcam linguam transtulisse, cui etiam sen
tentiæ præstantissimi patres subscribunt, vtpote Eusebius, Hilarius, Ruffinus, &
Augustinus. Ruffinus quidem in Apologia, coarguens Hieronymum docentem
cellulas illas duas & septuaginta esse confictas: Dubitandum, inquit, non est duo-
rum & septuaginta virorum per cellulas interpretantiũ vnam consonam vocem
D spiritus sancti inspiratione prolatam, & maioris id debere esse authoritatis, quàm
id, quod ab vno homine sibi adspirante & docente translatum est. Deinde Pe-
trus, quia 24. annis Romanæ Ecclesiæ præfuit, dubitandum non est, quin sicut cę
teta, quæ ad instructionem pertinent, etiam librorum instrumenta Ecclesię Chri
sti ipse tradiderit, quæ vtique iam tunc ipso sedente & docente secundùm trans-
lationem septuaginta interpretum, in Ecclesia Latina & Græca recitabãtur, cùm
Ecclesia gentium adhuc Hebraici idiomatis ignara, nondum in alia lingua habe-
ret veteris legis scripturas. An credendum per totos quadringentos annos erras-
se Ecclesiam, vtentem septuaginta duorum interpretum æditione tanquam diui-
no spiritu facta, & prolata vsque ad Hieronymi tempora. Hæc in sententia Ruf-
fini ratio contra Hieronymum. Item August. 18. de Ciuit. Dei, cap. 43. docet ex dis-
pensatione diuinæ prouidentiæ sacras scripturas veteris testamenti ex Hebręo in
Græcum eloquium idcirco versas, vt vniuersis gentibus innotescerent, & id qui-
dem per septuaginta interpretes, qui separatim sedentes transtulerunt eodem

verborum

In apologia aduersus Ruffinum.

Esaiæ 7. Irenæus lib. 3. aduersus Valent. ca. 24. 25.

A Editio 70 interpretũ verè diuina, & Dei nutu facta.

Argumentum Ruffini pro 70 editione.

Augustinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verborum ordine, tanquam vnus fuisset interpres. De aliis sic loquitur: Fuerunt A
adhuc & alij interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam sacra illa eloquia trâs
tulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion, sicut etiam illa interpretatio,
cuius author non agnoscitur, & ob hoc sine nomine interpretis quinta æditio
nuncupatur. Hanc tamen quæ septuaginta est, tanquam si sola esset, sic recepit
Ecclesia, eaq; vtuntur Græci populi Christiani, & ex eadem quod Latinæ Eccle-
siæ tenent, etiam in Latinam linguam est interpretatum. Quàmuis non defuerit
temporibus nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus & omniũ trium
linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium eas-
dem scripturas conuerterit. Sed eius tantũ laborem quàmuis Iudæi fateantur es-
se veracem, & contendant septuaginta in multis erraſse, tamen Ecclesiæ Christi
tot hominum authoritati ab Eleazaro tunc pontifice ad hoc tantum opus electo
rum, neminem iudicant præferendum, quia & si non in eis vnus apparuisset spiri- B
tus sine dubitatione diuinus, sed tanquam septuaginta docti more hominum con
tulissent, vt quod placuisset omnibus, hoc maneret, nullus eis vnus interpres de-
buit anteponi, cùm verò tantum in eis signum diuinitatis apparuit, profectò quis
quis alius ex Hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut cõgruit
illis septuaginta interpretibus, aut si congruere non videtur, altitudo ibi prophe
tica esse credenda est. Spiritus enim qui in prophetis erat, quando illa dixerunt,
idem ille erat etiam in septuaginta duobus viris, quando illa interpretati sunt. Et
paucis interpositis cõclusit: Sic igitur vt oportet, nihil aliud intueamur in scriptu
ris illis, nisi quod per homines dixerit Dei Spiritus. Quicquid est in Hebræis co-
dicibus, & non est apud septuaginta interpretes, noluit hoc per istos, sed per illos
Prophetas Dei spiritus dicere. Quicquid verò est apud septuaginta, & in Hebræ- C
is codicibus non est, maluit per istos septuaginta, quam per illos dicere: sic osten-
dens vtrosque fuisse Prophetas. Isto enim modo, alia per Isaiam, alia per Hiere-
miam, alia per alium atq; alium Prophetam, vel aliter eadem per hunc atq; illum
dixit, sed ita vt illi præcederent prophetando, isti non more hominum secum
conferentes, & tamen tanquam vno ore cuncta interpretantes, sequerentur illos
prophetice interpretando. Proinde & ipsi Apostoli ex vtriſq;, id est, ex Hebræis
& septuaginta duobus posuerunt prophetica testimonia, tanquam vtraque scri-
ptura sit vna atque diuina. Hæc Augustinus 18. de Ciuitate Dei, cap. 43. planè do-
cens æditionem septuaginta, factam diuino spiritu, & Ecclesiam Christi iusta ra-
tione præferre illam interpretationi Hieronymi. Item lib. 16. cap. 23. Meritò, in
quit, creduntur septuaginta interpretes accepisse propheticum spiritum, vt si
quid eius authoritate mutarent, hoc diuinitus esse doctum non dubitaretur. In- D
super Chrysostomus homilia quinta super Matthæum, ad faciendum, inquit, ve-
ræ translationis fidem, omnibus aliis iure septuaginta interpretes sunt digniores.
Obiectio ex Hiero. contra 70 interpretes
Sed supradictis videtur forsitan obuiare argumẽtum ex doctrina Hierony. docen
tis, Septuaginta interpretes nonnulla prætermisisse, & aliter etiam dixisse quàm
habeat Hebraica veritas, etiam arbitrantis sententiã de cellulis & fabulosam esse,
Hiero in præfatione in Pentateuchum.
& confictam: Nescio quis, inquit, author, primùm septuaginta cellulas Alexan-
driæ, suo mendacio extruxerit, quibus diuisi eadem scriptitarunt, cùm Aristeas
Ptolomæi satelles, & longo pòst tempore Iosephus, nihil tale protulerint, sed in
vna basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. Aliud enim est va-
tem, aliud interpretem esse. Ibi spiritus ventura prædicit: hic eruditio & verbo
rum copia, ea quæ intelligit transfert. Quanquã eruditi solos quinq; libros Moy
si à septuaginta translatos probent, vtpote Iosephus & Hebræi. Nos tamen, in-
quit, sequuti authoritatem veterum, Irenæi, Tertulliani, Origenis, totum vetus
testamentum per septuaginta translatum dicimus. Item in procœmio quæstionum
super

A super Genesim, Iosephus, quinque tantùm libros Moysi à septuaginta translatos
refert, quos nos quoque confitemur plus quàm cæteros cum Hebraicis consona-
re. Hæc Hieronymus. Ne propter diuersas sanctorum patrum sententias turben-
tur studiosorum animi, pro concordia dogmatum sanctorum patrum quantum
ad vnitatem fidei, pacemque membrorum Ecclesiæ attinet, de quibusdam non
est curiosè inuestigandum. Primum est sciendum non esse curiosè discutiendum,
vtrùm septuaginta interpretes seorsum in singulis cellulis interpretãres, in vnam
communem æditionem, secundum eadem verba, eundemq; verborum ordinem
conuenerint, nulla intercedente inuicem conferentia, an potiùs primum seor-
sum positi, fuerint interpretati sententias quas postea conferentes inuicem, com-
muni tractatu communique iudicio statuerint in eundem verborum ordinem.
Et quia res hæc est de numero eorum, quæ ad vtranque partem salua fide & cha-
B ritate disputari possunt, non est vni aut alteri parti insistendum pertinaciter. Vn-
de & Augustinus, quemadmodũ mox patebit, fauens cellulis, hac de re non pror-
sus asserendo, sed dubitando loquutus est in secundo libro de Doctrina Christia- Cap. 15.
na. Deinde & sciendum, quòd etsi septuaginta interpretes, iuxta Augustinum, cæ-
terorumque patrum sententiam, habuerint propheticum spiritum, non tamen
hinc concludi potest, illos interpretando libros Prophetarum, intellexisse in il-
lis omnia, quæ Prophetæ intellexerunt scribendo, neque enim fuerunt æqualiter
omnes illustrati, qui propheticè sunt loquuti. Et ideo quàmuis quædam prophe-
ticè dixerint, quæ in Hebræorum voluminibus non habentur, non idcirco sequi
tur, quòd omnia quæ transtulerunt, ex eodem prophetici spiritus lumine attacti,
cognouerint. Tertiò sciendum, iuxta Diui Hieronymi sententiam, quòd aliter In præfat. in Pentateu.
per septuaginta interpretes, aliter per Apostolos spiritus sanctus testimonia ex
C veteri lege contexuit. Illi eruditione verborum, & copia ea quæ scripta inuenie-
bant transtulerunt, & ante aduentum Christi interpretantes, interdum id vel
quod nesciebant, vel cuius mysteria non planè intelligebant, dubijs protulerunt
sententiis. Apostoli verò quibus Christus post passionem, & resurrectionem lon- Lucæ 24
gè plenius atq; copiosiùs aperuit sensum, vt intelligerent scripturas, qui & ope-
ribus Christi præsentes fuerunt, & non tam prophetiam quàm historiam in scri-
pturis propheticis intellexerunt. Aliter audita, aliter visa narrantur. Quod me-
lius intelligimus, melius & proferimus. Rursus & ipsi septuaginta quàmuis quæ-
dam vel prætermiserint, vel aliter dixerint, vel adiecerint, quæ apud Hebræorũ
codices non reperiuntur, non tamen consequens est, eosdem non esse spiritu Dei Spũs sctus lo
quẽs in 70. in
terpretib⁹ que
dã prætulit,
& quædã ali-
ter dixit quã
habetur in He
braea veritate.
interpretatos. Vnus enim & idem spiritus est, qui nouit se pro loco & tempore
personis accommodare, iusta ratione ad tempus, aut tacens, aut præteriens, ac fi-
D guris obumbrans, nonnulla suis locis, temporibus & personis reuelanda. Item
quàmuis ijdem interpretes fuerint spiritu sancto interpretati, non tamen conse-
quens est, illos fuisse Prophetas. Aliud est prophetare, seu per spiritum sanctum
mirabili quodam, & ineffabili modo intus loquentem, & illustrantem, futura prę-
nuntiare. Aliud est spiritu sancto mouente, ea quæ iam sunt prænuntiata vertere
ex vna lingua in aliam. Proinde septuaginta interpretes, & si fuerint spiritu san-
cto moti ad transferendum, non tamen inde sequitur, Diuum Hieronymum sem
per oportere sequi horum interpretum authoritatem. Siquidem Hieronymus
ex Hebræo transferens quod legerat, non curans de syllabis punctisque & ordine
verborum, veritatem quam legerat apud Hebræos etiam apud duos & septua-
ginta interpretes non repertam posuit. Neque inde consequens est, damnabiles
& reprehensibiles esse septuaginta duos interpretes, & non spiritu sancto mouen
te transtulisse. Spiritu enim sancto prouidente factum est, vt ipsi quædã de Chri-
sto mysteria non haberent, quæ tamen Apostoli & Euangelistæ ex veteri testa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mento de Christo habent. Quædam rursus Apostoli & Euangelistæ ex septuagin A
ta habent, in quibus & Lucas, & Paulus apostolus interdum non iuxta Hebraicũ,
sed iuxta septuaginta citant testimonia, quemadmodum docet Hieronymus in
Hieronymus commentariis, cap. 6. super Isaiam. Proinde & ipse, vt testatur in Apologia contra
Ruffinum, falsis impetitus calumnijs, quòd interpretationẽ septuaginta duorum
contemneret, multis declarat argumentis, se nusquam voluisse aut reprehende-
re aut criminari septuaginta interpretum æditionem: Ego, inquit, contra septua-
ginta interpretes quicquam sum loquutus? quos ante annos plurimos emenda-
tos diligentissimè, meæ linguæ studiosis dedi, quos quotidie in conuentu fratrum
edissero, quorum psalmos iugi meditatione decanto. Vnde & ibidem prosequi-
tur, docens, se per singulos bibliæ prologos, respondisse aduersarijs calumnian-
tibus, quòd æditionem septuaginta reprehenderet: Cogor, inquit, per singulos B
diuinæ scripturæ libros respondere maledictis aduersariorum, qui interpretatio-
nem meam criminantur, esse reprehensionem septuaginta interpretum, quasi
mox reprehendat, qui vel restituit & emendat, quod per alios erat vitiatum, vel
declarat, elucidat, aperit, addit quod spiritus Dei certis ex causis pro tempore
voluit esse clausum. Sic in prologo super Iob: Audiant, inquit, canes mei, idcir-
co me in hoc volumine laborasse, non quòd antiquam interpretationem repre-
henderem, sed vt ea quæ in illa, aut obscura sunt, aut omissa, aut certè scriptorum
vitio deprauata, interpretatione nostra fierent manifestiora. Non idcirco argu-
endus est Hieremias propheta quòd mysteria de Christo, obscuriùs quàm Isaias,
Obiectio contra æditionẽ septuaginta. intimauerit. Hic ergo iam si dixeris septuaginta duos interpretes, solùm quinq;
libros Moysi ex Hebræo in Græcum transtulisse, insuper & in multis erasse, scri-
pturam ad alienum sensum interpretantes: quod non potest esse spiritus sancti C
opus, qui spiritus est veritatis, quámuis iusta forsitan ratione diuinitus inspirati,
potuerunt quædam præterire, tacere, aut occultare: non tamen videntur diuini-
tus inspirati ad tradendum errores & falsitates, quibus sunt decepti, ignorantes
interdum significationem Hebraicorũ nominum, quæ Hieronymus, & alij quí-
dam, in aliam quàm ipsi significationem transtulerũt, quòd multis locis posse de-
monstrari videtur, desumptis ex commentarijs Hieronymi super Prophetas, co-
arguentis interpretationes eorundem. Vnde super cap. 2. Micheæ sic loquitur:
Interpretatio septuaginta (si tamen septuaginta est. Iosephus enim scribit, & He-
bræi tradunt, quinque solùm libros legis Moysi ab eis translatos, & Ptolomæo re-
gi traditos) tantùm discordat in præsenti loco ab Hebraica veritate, vt nec capi-
Solutio. ta possimus ex æquo componere, nec eorum simul sententias explicare. Respon-
deo, quanquam Hieronymus plerisq; in locis videatur dubitare, an septuaginta D
interpretes transtulerint solos quinque Moysi libros, semper tamen in commen-
tarijs supponit alios etiam veteris testamenti libros, ab ipsis esse translatos, & nus-
quam calumniatur eosdem septuaginta interpretes errare, & falsa interpretatos
esse, aut significationem Hebraicorum nominum non intellexisse, sed demonstrat
vel quædam ab illis fuisse cælata aut tacita, aut etiam ignorata, & non plenè in-
tellecta, vel nomina Hebræa etiam aliter potuisse interpretari, vel in ipsorum
æditione, quædam per alios interdum esse aut adiecta, aut deprauata & corrupta.
Vnde in Apologia aduersus Ruffinum ostendens se non in condemnationem se-
ptuaginta interpretum scripturas sacras interpretatum, nec quicquam contra il-
los locutum esse. Commentarij mei in duodecim Prophetas, & meam, inquit, &
septuaginta æditionem edisserunt. Item in commẽtario super Ezechielem cap. 5.
ostendens Hebræam veritatem cõtinere tres partes, vbi septuaginta habent qua-
tuor partes. Addit in defensionem septuaginta interpretum: Nec hoc dicimus,
inquit, ab illis septuaginta interpretibus factum, quibus vetustas authoritatẽ de-
dit,

dit, sed per multa secula scriptorum atque lectorum vitio deprauatum. Et quan- A
quam Aristeas & Iosephus, & omnis Iudæorum schola, quinq; tamẽ libros Moysi
à septuaginta translatos asserant, quos docet & Hieronymus plusquam cæteros Hiero. in præ-
cum Hebraica veritate consonare, attamen etiam in eisdem libris Moysi magna cœmio qua-
erat inter Hebræorum & septuaginta interpretum codices distantia, & præcipuè stiones super Genesim
de numero annorum, quibus vixerunt homines antę diluuium, priusquam filium
hunc vel illum genuisse commemorantur: nam apud Hebræos centum anni, in-
quit Augustinus, pauciores, quàm apud nostros codices, qui æstimantur secũdum De Ciuit. Dei
septuaginta interpretes, reperiuntur. Verbi gratia, ipse Adam antequam, inquit, cap. 10.
gigneret Seth, in codicibus nostris, ducentos triginta annos vixisse, reperitur. In
Hebræis autem centum triginta anni perhibentur. Sed postquam genuit, in nos-
tris septingentos vixisse dicitur, in illis verò octingentos. Atque ita summa vni-
B uersitatis annorum vitæ Adæ in vtrisque concordat, & ita deinceps in secunda,
tertia, quarta, quinta generatione inuenitur. Sed hoc, inquit Augustinus, nec ma- August. in lib.
litię Iudæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ septuaginta interpretum, sed scri- de Ciuit. Dei
ptoris tribuatur errori, qui de bibliotheca Ptolomæi regis codicem primum ac cap. 43.
cepit describendum, & ex huius iam occasione accidit tanta inter septuaginta in-
terpretum & Hebræorum codices, diuersitas annorum ab Adam vsq; ad diluui-
um. Secundum codices septuaginta computantur, inquiunt Augustinus & Euse- Eusebius.
bius, annorum duo milia, ducenti quadraginta duo. Secundum Hebræos autem,
mille sexcenti quinquaginta sex. Item à diluuio vsque Abraam, secundum vulga-
tam æditionem, hoc est, septuaginta interpretum, inquit Augustinus, sunt anni
mille septuaginta duo: in Hebræis autẽ voluminibus longè pauciores anni per-
hibentur inueniri. Sed hæc diuersitas in numeris annorum contigit, ob id quòd
C septuaginta interpretum æditio fuerat deprauata. Multa istiusmodi, si Hieronymo
credimus, in scripturis sacris de numeris annorum sunt, quæ difficilè est in-
uenire: tum propter librorum varietatem, tum propter errores inolitos, dum
paulatim de inemendatis, inemendata describuntur, super quibus rixæ & conten
tiones, nec dicentibus, nec audientibus, prosunt. Quid enim, inquit, mihi prodest
scire, quot annos vixerit Mathusalem, quoto ætatis suæ anno Salomon sortitus sit
coniugem, ne forsitan Roboam vndecimo ætatis illius anno natus esse credatur.
Sed hæc de numeris annorum missa facientes, demus nos iam illos septuaginta ha
bere emendatos, nihilominus ex supradictis perspicuum est, quòd etiam in libris
Moysi nonnulla sint, quæ non sic habet litera Hebraicæ veritatis, vt septuaginta
transtulerunt, quippe qui non sensum Dei perfectè habebant, nec enim vates, sed
interpretes erant. Vnde & hoc quod legitur: Maledictus omnis qui pendet in In multis defi
ligno. non satis integrè transtulerunt, cùm sic habeatur in Hebraico: Maledictus cit 70. interpr.
D à Deo est, qui pendet in ligno. & ita tribus modis discordat in hoc verbo 70. æditio ab He-
translatio ab Hebraica veritate. Quum enim in Hebræo habeatur: Maledictus braica veritate
est, transtulerunt absolutè Maledictus: facientes sensum ambiguum, vt subaudi- (Ad Galat. 3.
ri possit, vel verbum optantis seu imprecantis, vel indicantis, seu enunciantis.
Quum enim dicitur absolutè: Maledictus qui pendet in ligno, incertum est, an
sit sententia, maledictus est, an potius maledictus sit. Item in Hebræo additum
est à Deo, quod in 70. deest. Postremùm in 70. additum est omnis, quod in He-
bræo non habetur. Item in Euangeliis & Apostolorũ scriptis: Multa, inquit Hie- In præfat. in
ronymus, de veteri testamento legimus, quæ in septuaginta interpretum codici- Penthateuc.
bus non reperiuntur. cuiusmodi sunt: Ex Ægypto vocaui filium meum. Item:
Nazareus vocabitur, Viderunt in quem compunxerunt. Item: Flumina fluent
de ventre eius aquæ viuæ. Item: Nec oculus vidit, nec auris audiuit. Vnde & ip- Hiero in com
se Hieronymus in procœmio lib. 15. commentariorum Isaiæ: Apostoli & Euange- mentariis su-
listæ per Isaiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

liſtæ vbicunque de veteri inſtrumento, inquit, ponunt teſtimonia, ſi inter Hebraicum & ſeptuaginta nulla diuerſitas ſit, vel ſuis, vel ſeptuaginta interpretum verbis vti ſolent: ſin autem aliter in Hebræo, aliter in veteri æditione ſenſus eſt, Hebraicum magis, quàm ſeptuaginta interpretes ſequuntur. Denique, vt nos inquit, oſtendimus Apoſtolos & Euangeliſtas poſuiſſe ex Hebræo multa, quæ in ſeptuaginta non habentur. Sic æmuli noſtri doceant ab illis aſſumpta eſſe aliqua de ſeptuaginta interpretibus teſtimonia, quæ non ſunt in Hebræorum libris, & finita contentio eſt. Vbi Hieronymus ſubindicare videtur Apoſtolos & Euangeliſtas non aſſumpſiſſe ex ſeptuaginta interpretibus vllum ſenſum in Hebræorum libris non ſignificatum. Sed dices, ſeptuaginta interpretum tranſlatio ſi non ſit prorſus cõſona ſcripturis in ſuo fonte, ſuaq; origine ſcriptis, quare ergo Paulus hac tranſlatione vſus eſt? Sic enim ait ad Galatas: Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus eſt pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt, Maledictus omnis homo, qui pendet in ligno. Deinde, ſi ea quæ per ſeptuaginta interpreres ædita ſunt, à vero ſuo fonte ſint deuia, & non conſona ſcripturis ſecundùm Hebraicam veritatem æditis, cur ergo non Auguſtinus ſolùm, ſed & Irenæus, ac alij, docent 70. interpretes fuiſſe Dei ſpiritu plenos? Tertiò, ſi ſeptuaginta interpretes minus rectè ſunt interpretati, & nonnulla prætermiſerunt, & textus Hebræus manet in ſuo fonte incorruptus, cur ergo Apoſtoli & Euangeliſtæ, in ſuis Euangeliis atque epiſtolis crebrò vtuntur æditione ſeptuaginta interpretum, & non ſcriptura, quæ nobis proponitur ſecundùm Hebraicam veritatem? Cur denique Euangeliſtæ vtuntur interdum æditione ſeptuaginta, interdum verò ſcriptura ſecundùm Hebraicam veritatem, quæ in ſeptuaginta non reperitur? Cur inſuper Hieronymus alibi dicit, diſcrepat Euangeliſtarum, ſeptuaginta interpretum, noſtraq; tranſlatio, & tamen ſermonum varietas in vnitate ſpiritus concordat. Quartò, cur ipſe Hieronymus in procemio lib. 15. commentariorum Iſaiæ, ſubindicat Apoſtolos & Euangeliſtas non aſſumpſiſſe vlla teſtimonia ex ſeptuaginta, quæ non ſunt in Hebræorum libris? cùm ipſe in epiſtola ad Galatas apertè dicat hoc teſtimonium ab Apoſtolo citatum, Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt, ita reperiri apud ſeptuaginta, & non apud Hebræorum codices. Quintò, cùm Hieronymus in Euangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis demonſtret multa de veteri teſtamento legi, quæ in codicibus ſeptuaginta non habẽtur, qua ratione idem ipſe Hieronymus in epiſtola ad Chromatium, dicit quòd ſuperfluè impelleretur Hebræa volumina Latino ſermone transferre, ſi ſeptuaginta interpretum in Græcum verſa Editio, pura, vt & ab eis ædita eſt, permaneret: apertè inſinuans ſeptuaginta interpretes à veritate Hebraica non deuiaſſe, ſed vitio ſcriptorum eſſe depravatos. Inſuper qua ratione Hieronymus, in multis coarguit æditionem ſeptuaginta, cùm longè antè Origenes doceat hoc ſolùm pro vero habendum eſſe in ſcripturis ſacris, quod ſeptuaginta interpretes tranſtulerunt: vt recitat Euſebius lib. 6. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 23. Reſpondet ad primum Hieronymus, hoc exemplo & multis aliis ſecundùm æditionem ſeptuaginta interpretum, ſic vtuntur Apoſtoli & Euangeliſtæ, quia apud Græcos quibus ſcribebant, fuerat à tempore Ptolomæi vulgata ſeptuaginta interpretum æditio, & nimis importunum erat vt cùm Chriſtus & Apoſtoli ex ſcripturis teſtimonium perhibentes, vix audirentur ipſas quoque ſcripturas malè interpretatas, oſtendere conarentur eis præſertim, apud quos ſeptuaginta authoritas habebatur celeberrima. Maluerunt ergo ſententiam cum ſenſu, qui ædificaret commemorare, quàm corrigendo ſcripturam, veteranos lectores offendere, præſertim illis in locis, in quibus nihil erat periculi in Chriſtianæ fidei myſteriis. Ad ſecundum dicimus, quòd ſpiritu ſancto loquuti ſunt ſeptuaginta interpretes: ſed ſpiritus ſanctus

Obiectiones.

Paulus ad Galatas 3.

Obiectio 2. Aug. lib. 15. de Ciuit. cap. 23. Iren. lib. 3. aduerſus Valent. cap. 23.

Obiectio 3.

Obiectio 4.

Ad Galat. 3. & Deut. 16.

Obiectio 5. In præfatione in Pentateuchum.

Ad primam.

Ad ſecundam.

ſanctus multis modis loquitur. Quædam enim ad tempus tacet & præterit, quædam verò obumbrat & velat, quædam compendio abbreuiat. Sed omnia hæc iuſta facit ratione. Septuaginta interpretes quædam, inquit Hieronymus, ex iuſta cauſa præterierunt, ne ſacramenta ſuæ fidei ethnicis proderent: quædam ob decoris gratiam, & ſpiritus ſancti authoritatem addiderunt, quæ in Hebræis voluminibus non habentur. Quædam etiam non planè intellexerunt, interpretantes ante Chriſti aduentum, quæ dubijs protulerunt ſententijs. Hæc omnia operatus eſt in eis vnus & idem ſpiritus, qui pro tempore & loco, myſteriorum formas, obtectas ineſſe voluit ſcripturis diuinis, vt gentibus ac ethnicis non omnia palàm, & in propatulo haberentur quæ poſtea Chriſto manifeſtato, Euangeliſtæ & Apoſtoli in eiſdem ſcripturis ſignificari declararunt. Vnde Auguſtinus 18. de Ciuitate Dei, vt ſuprà diximus: Spiritus qui in Prophetis fuit quando ſuas dixerunt prophetias, idem ipſe etiam erat in ſeptuaginta interpretibus, quando illas in aliam linguam ſunt interpretati. Et proinde quicquid eſt in Hebræis codicibus, quod non eſt apud ſeptuaginta interpretes, voluit hoc per illos & non per iſtos dicere Dei ſpiritus. Quicquid verò eſt apud ſeptuaginta, quod non reperitur in Hebræis codicibus, maluit hoc per illos ſpiritus Dei dicere, quàm per iſtos: ſic oſtendens vtroſque fuiſſe Prophetas. Iſto enim modo alia per Iſaiam, alia per Hieremiam, alia per alium atque alium Prophetam, vel etiam eadem aliter per hunc, aliter per illum loquitur idem Dei ſpiritus. Et quàmuis Auguſtinus plus debitò tribuerit æditioni ſeptuaginta, arbitratus illos ſeorſum poſitos, non conferendo, eadem verborum ſerie, ſuam ædidiſſe verſionem, cui opinioni Hieronymus non ſubſcribit, arbitrans eoſdem fuiſſe interpretes, non Prophetas. Hieronymus tamen non ob id voluit aut negare eoſdem interpretes fuiſſe interpretatos ſcripturas inſpiratione diuini ſpiritus, aut aſſerere falſam & confictã eſſe illam de cellulis ſeorſum poſitis opinionem, tanquã in religione Chriſtianæ fidei ſuſpectam ac periculoſam. Neque Irenæus & Auguſtinus ſuam de cellulis ſeorſim poſitis ſententiam voluerunt defendere tanquam canonicam veritatem, & fide tenendam, ſed tanquam ſententiam quam à ſenioribus hauſerant, piè credendam. Vnde Auguſtinus in ſecundo libro de doctrina Chriſtiana, quaſi vacillando de huiuſmodi re, ſic loquitur: Quantum ad vetus teſtamentum attinet, ſeptuaginta duo interpretum excellit authoritas, qui iam per omnes peritiores Eccleſias tanta præſentia ſpiritus ſancti interpretati eſſe dicuntur, vt os vnum tot hominum fuerit. Qui ſi, vt fertur, multiq; non indigni fide prædicant, ſingulis cellis etiam ſinguli fuerint ſeparati, & cùm interpretati eſſent, nihil in alicuius eorum codice inuentum eſt, quod non eiſdem verbis, eodemq; verborum ordine inueniretur in cæteris, quis huic authoritati aliquid præferre audeat? Si autem contulerint, vt vna omnium communi tractatu iudicioq; vox fieret, nec ſic quenquam vpum hominem qualibet peritia, ad emendandum tot ſeniorum doctorumq; conſenſum aſpirare oportet aut decet. Quamobrem etiam ſi aliquid aliter in Hebræis exemplaribus inuenitur quàm iſti poſuerunt, cedendum eſſe arbitror diuinæ diſpenſationi, qua ſic illi interpretati ſunt, quemadmodum genti illi congruere videbatur. Hactenus ille. Vides igitur Auguſtinum de cellulis recitare ſententiam, tanquam opinionem ſibi veriſimilem, eoſdemq; interpretes fuiſſe Dei ſpiritu interpretatos, cuius prouidentia, inquit Hieronymu, ſactum eſt, vt vbicunque ſacratum aliquid ſcriptura teſtatur de patre, de filio, & de ſpiritu ſancto, id aut aliter interpretarentur, aut omnino tacerent, quatenus regi Ptolemæo ſatisfacerẽt, & arcanum fidei ethnicis non diuulgarent. Apud Iſaiam non auſi dicere natum puerum eſſe Deum, pro ſex nominibus poſuerunt quod in Hebræo non habetur, appellantes illum magni conſilij angelum. Ex his iam poteris perpendere, quanam

Cur 70. interpretes quædã præterierunt. In apologia aduerſus Ruffinum.

Auguſti. lib. 18 de Ciuit. Dei, cap. 43.

Cap. 15.

In apologia aduerſus Ruffinum. Hiero. in cõment. ſuper Iſaiam. Iſaiæ 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam ratione ſancti patres interdum ſententias fidei ex ſcripturis corroborauerunt, intellectis aliter quàm veritas habet Hebraica: quemadmodum Auguſtinus ex verbo Prophetæ, Pro nihilo ſaluos facies illos, contra Pelagianos probat, homines iuſtificari pro nihilo, id eſt, gratis, hoc eſt, ſine operum meritis. Pro eadem quoque ſententia citat illud verbum Hieronymus in epiſtolam ad Titum, cap. 2. quod tamen ſecundùm Hebraicam veritatem alij exiſtimant non ſic affirmatiuè, ſed negatiuè eſſe accipiendum, hoc eſt, non facies illos vllo modo ſaluos. Vnde & Hieronymus iuxta Hebraicum tranſtulit, Nullus eſt ſaluus in eis. Item ex verbo Apoſtoli, Non ego ſed gratia Dei mecum. probat gratiam Dei cooperari libero hominis arbitrio: cùm tamen ſertur textus Græcè ſcriptus non habere ſenſum qui ſit, Gratia Dei mecũ, ſed gratia Dei in me. vt ſic legatur, Non ego, ſed gratia Dei quæ in me eſt. Nec ob id calumniandũ eſt patribus illis, quippe qui loquebantur eis apud quos ædito illa in authoritate erat, qui & huiuſcemodi fidei ſententias, non ex illis ſolùm, ſed ex alijs etiam ſcripturis irrefragabilibus probauerunt: qui & interdum ex ſcripturis concluſerunt quaſdam fidei ſententias, non quòd ex neceſsitate ex illis conſequantur, ſed tacitè illic intelligantur: quemadmodum Origenes, Hieronymus, Gregorius, ex verbo Saluatoris, neque remittitur ei in hoc ſeculo, neque in futuro, definiuerunt quædam eſſe peccata, quæ remittuntur poſt hanc vitã, non quòd neceſſe ſit id conſequens eſſe, ſed quòd tacitè ſit ſignificatum & ſubindicatum. Ad tertium patet reſponſio ex doctrina Hieronymi in apologia aduerſus Ruffinũ: Sicut ego, inquit, oſtendo multa eſſe in nouo teſtamento poſita de veteribus libris, quæ in ſeptuaginta non habentur, ſic accuſator oſtendat aliquid ſcriptum eſſe in nouo teſtamento de ſeptuaginta interpretum æditione, quod in Hebraico non habeatur, & finita cõtentio erit. Vbicunq; ſeptuaginta ab Hebræo non diſcordant, ibi Apoſtoli de eorum interpretatione exempla ſumpſerunt. Congruum enim erat vt Apoſtoli æditione illa vterentur, quæ tunc erat apud gentes celeberrima in vſu, & recepta, legentium vetuſtate firmata, præſertim quæ ante Chriſti aduentum facta ab eis: qui & ſi ex cauſa & Dei ſpiritu multa Chriſti myſteria prætermiſerint, nihil tamen ſubdola interpretatione celauerunt. Vbi verò ſeptuaginta ipſi diſcrepant ab Hebraica veritate, ibi poſuerunt Apoſtoli id in Græco, quod apud Hebræos didicerant. Quod autem Hieronymus in libro de optimo genere interpretandi dicit varietatem ſermonum inter Euangeliſtas, ſeptuaginta interpretes, & ſuam tranſlationem in vnitate ſpiritus concordare, non generaliter, ſed ſecundùm teſtimonia illic citata loquitur, quorum varietas in vnitate ſententiarũ concordat, quàmuis interdum ſit etiam ſententiarum varietas, quæ concordat in vnitate ſpiritus & fidei. Ad quartum reſpondeo, quòd Hieronymus dicit vtique non ita apud Hebræos hoc teſtimonium repperiri, ſed non dicit alium ſenſum poſitum eſſe ſecundùm Hebraicam veritatem, planè aſſerens, Apoſtolum poſuiſſe ſenſum magis teſtimonij quàm verba. Ad quintum reſpondeo, Hieronymus in prologo illo ſcribens ad Chromatium loquitur ſecundùm animum eiuſdem Chromatij, qui ſeptuaginta authoritatem reputans vt ſanctam, & prorſus Hebraicæ veritati conſonam, non impuliſſet ipſum ad transferenda Hebræa volumina Latino ſermone, vbi credidiſſet ſeptuaginta æditionem ſe habere puram & incorruptam, acſi dicat: Tu qui ſeptuaginta interpretationem credis à ſpiritu ſancto profectam & conſonam Hibraicæ veritati, ſuperfluè me impelleres, hoc eſt, æſtimares ſuperfluè impellere me ad transferendum, ſi ſeptuaginta æditionem crederes te integram habere. Hieronymus itaq; in illa præfatione nequaquam voluit inſinuare, quòd ſeptuaginta interpretes in ſua æditione nec adiecerint nec detraxerint quicq̃ eorum quæ habentur apud Hebraicam veritatem, cùm in eodem

A

Pſalm. 55.

Ad tertium.

C

Ad quartum. In procemio li. 15. cõm. Iſa.

Ad quintum.

Hiero. ſententia De æditione 70

D

A dem prologo aliter ſentiat, de eiſdem docens ex Hebræorum libris multa citari ab Apoſtolis & Euangeliſtis, quæ apud ſeptuaginta interpretes non reperiuntur. Ad verbum Origenis in epiſtola ad Africanũ dicentis, hoc ſolũ in ſacris ſcripturis pro vero habendum eſſe, quod 70 interpretes tranſtulerunt. Reſpõdeo, quòd Origenes locutus eſt de interpretibus pro ſuo ſeculo, intelligens hoc ſolùm inter æditiones tunc exortas, quales fuerant Aquilę, Symmachi, Theodotionis, & aliorum qui poſt Chriſtum & Apoſtolos traduxerunt vetus teſtamẽtum in linguam Græcam, quorũ omnium æditionibus tunc ex Hebræo in Græcum factis, præferenda erat ęditio 70. interpretum, quorũ & textus fuit ipſis Apoſtolis acceptus ac probatus. Per quam & corroborata eſt naſcentis Eccleſiæ fides. Ad illum inſuper ſenſum loquuntur Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & ipſe etiam Hieronymus, conferentes inter ſe inuicem æditiones Græcas veteris teſtamẽti factas ante

B æditionem hanc Latinam nunc ab Eccleſia receptam. Sed non inde conſequens eſt, æditionem ſeptuaginta interpretum eſſe æditioni Hieronymi præferendam. Quemadmodum enim ſecundùm temporum incrementa ſunt aucta magisq; declarata fidei noſtrę documenta, ita & ſacræ ſcripturæ myſteria in ſuo fonte, ſuaq; origine ſcripta, docuit ſecundùm ſucceſsionem temporum magis ac magis Eccleſiis gentium iam credentibus, aperiri, quæ primùm fuerant cælanda ipſis adhuc incredulis. Ex premiſsis patet quid ſit reſpondendum ad propoſitã in principio quæſtionem, qua videlicet ratione Diuus Hieronymus poſt æditionem ſeptuaginta interpretum, qua vſi ſunt Chriſtus & Apoſtoli, tentauerit vetus teſtamentũ immediatè ex Hebręo in Latinum vertere, & dimiſſa ęditione ſeptuaginta interpretum ſuam nouã Eccleſię legendam tradere. Dicemus etenim, q̃ etſi Eccleſia

C ſub Apoſtolorum temporibus habuerit ſeptuaginta interpretum ęditionem, tanquam autenticam, diuinoq; ſpiritu æditã, qua & Chriſtus ſuiq; Apoſtoli ſunt vſi, ad demonſtranda fidei primordia, iuſta tamẽ ratione Hieronymus poſt illorum ac aliorum interpretum ęditionem, totum vetus teſtamentum immediatè ex Hebræo in Latinum tranſtulit, ſuamque æditionem Eccleſiæ legendam ſuaſit, ac tradidit. Huius ſui laboris cauſas rationabiles aſsignans multas. Quarum prima eſt, Ne ludęi Eccleſiis Chriſti diutius inſultarent, improperantes, in Hebræo non ita haberi, quemadmodum eædem Eccleſię Chriſti ex 70. interpretibus legunt. Deinde ne Iudæi amplius haberent ſubterfugiendi diuerticula, ſi quando Chriſtianis eſt aduerſus eos diſputatio, ſed ipſi ſuis armis feriantur. Tertia, vt ea quæ apud ſeptuaginta interpretes aut obſcura aut omiſſa fuerant, fierent ex noua interpretatione manifeſtiora. Quarta, vt ea quæ in ſeptuaginta interpretũ codicibus fuerant ſcriptorum vitio deprauata, fierent pura & caſtigata, quæ ſub Hieronymi ſeculis fuerunt multis mendis vitiata. Quinta ratio, vt compeſceretur tumor ſuperbus Græcorum, qui ſe Latinis præferebant, improperantes eis, q̃ nihil diuinarum literarum haberent, niſi per eorum linguam & codices ad ſe deriuatum. Hactenus de interpretibus, qui ſcripturam veteris teſtamenti ex Hebræo in Græcum tranſtulerunt, & de authoritate & collatione eorum ad ſe inuicem. Iam paucis de Latina noſtra æditione differendum eſt, & de authoritate eius conferendo illam ad alias æditiones Latinas, tam pridem factas quàm faciendas. Et primùm diſcutiendum eſt, vtrùm iam adhuc in hac noſtra æditione Latina aliquid cõtineatur, quod ſit aut dubium, aut ſuſpectum, aut à ſuo fonte deuium, pro quo ſit recurrendum ad fontẽ ſcripturæ aut Hebraicæ aut Græcæ, vel an potiùs oporteat vnumquenque neceſſariò adhærere tranſlationi ſeu æditioni Latinæ, qua iam multis ſeculis vſa eſt Latinorum Eccleſia. Et ſunt ad vtranque partem argumenta. Quòd ſtandum ſit æditioni Latinæ noſtræ, & non amplius iam ſit recurrendum ad exemplaria præcedentia, vel Græca, vel Hebræa. Primum argumentum Hieronymus

Prima ratio.

Secũda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quinta.

De authoritate tráſlationũ.

Primum argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus hanc noſtram æditionem fecit, eodem ſpiritu ſancto quo & ipſa ſcriptura in ſuo fonte ædita eſt à Prophetis & Apoſtolis. Deinde ipſe Hieronymus negotium egit totius Eccleſiæ, quæ talli non poteſt. Fallitur autem Latinorum Eccleſia, ſi in ſcriptura Latinè data, error vllus eſſet. Videtur ergo prorſus inhærendum eſſe æditioni Hieronymi, tanquam ſcripturæ ſacræ in ſuo fonte. Secundò: Si biblia Latina, qua hactenus vſa eſt tota Chriſtianorum Eccleſia, in quibuſdam deuia ſit à veritate, conſequens eſt, nihil authoritatis remanere in illa. Sic enim argumentatur Auguſtinus de ſcriptura ſacra. Tertiò: Si æditio noſtra Latina eſſet malè tradita, & in quibuſdam à ſuo fonte diſcordaret, conſequens eſſet, Eccleſiam hactenus eſſe deluſam, generaliaq; concilia erraſſe, dum ea quæ ſunt fidei, conſueta ſint probari ex hac æditione Latina. Cùm ergo hæc omnia ſint abſurda, conſequens videtur eſſe, ſtandum æditioni Latinæ. Quartò: Deus dedit Eccleſiæ ſuę Latinæ ſacroſanctum ſcripturarum canonem omni errore carentem, alioqui non ſufficienter eidem conſuluiſſet, maiusq; beneficium præſtitiſſet ſynagogæ Iudęorum, quàm Eccleſiæ Chriſtianorum, dum reparat illi legē puram & incontaminatam, per Eſdram ſacerdotem. Quintò: Si Latinis ſemper eſſet recurrendum ad exemplaria Græca, vel Hebræa, ſacræ ſcripturæ authoritas penderet à Græcis & Hebraicis voluminibus. Hoc autem videtur abſurdum, cùm iam Græci & Hebræi ſint hoſtes noſtræ Chriſtianæ fidei, quamobrem & codices eorum videntur ſuſpecti. Sextò: Hebræorum & Græcorum codices varij ſunt, & inter ſe diſcrepant, & iam olim ęſtimabantur deprauati, etiam ante Hieronymi tempora. Hieronymus ad Galatas 5. Sed apud Græcos, inquit, exemplaria ſunt diuerſa. Item longè ante Hieronymum Origenes conqueritur euangelicos libros apud Greęos pleriſque in locis variare: Multam enim, inquit, differentiam inter exemplaria inuenimus: hanc aũt differentiam non potuiſſe diſſolui per Græcorum exemplaria, eò quòd tunc illa fuerint ſuſpecta tanquam deprauata ſubindicant verba eius, quibus ponens diſcrimen inter diuerſiratem, quæ eſt in exemplaribus veteris teſtamenti, & eam quæ eſt in exemplaribus teſtamenti noui, ſic loquitur: In exemplaribus quidem veteris teſtamenti, quæcunque fuerunt conſonantia, Deo præſtante, coaptare potuimus, vtentes iudicio cæterarum æditionum. Ea enim quæ videbantur apud ſeptuaginta dubia eſſe, propter conſonantiã exemplariorum facientes iudicium ex æditionibus reliquis, conuenientia ſeruauimus: quędam quidem notauimus, quaſi non poſita in Hebræo, non audentes ea omnino auferre, quędã autem cum aſteriſcis addidimus, vt ſit manifeſtum, quoniam quæ non fuerunt poſita apud ſeptuaginta, ex æditionibus cæteris conuenienter addidimus Hebræo. In exemplaribus aũt noui teſtamenti hoc ipſum, inquit, me poſſe facere ſine periculo non putaui, tantùm ſuſpiciones, rationesq; & cauſas ſuſpicionum me debere exponere, exiſtimaui non eſſe irrationabile. Hæc ille. Ex quibus conſequens videtur, ꝙ Origenes ſuo ſeculo exiſtimauerit, ſe in nouo teſtamento non potuiſſe per obelos vel aſteriſcos annotare, quod apud Græcam veritatem haberetur, quod vtique potuiſſet, ſi cenſuiſſet nouum teſtamentum ex Greęcis exemplaribus potuiſſe reſtitui, Greęę veritati, hoc aũt cenſuiſſet, ſi exiſtimaſſet ſe poſſe habere vlla exemplaria Greęca prorſus correcta & emendata. Idem demonſtrari videtur ex Ambroſij cõmentariis in 5. cap. ad Romanos, tradentis Latinorum codices eſſe emendatiores, quàm Greęcorum. Greęci diuerſos, inquit, habent codices, qui ob ſtudium contentionis à ſe inuicem diſcrepant: Latinos autem quoſdam de veteribus Græcis eſſe trãſlatos, quos ſimplicitas temporum incorruptos ſeruauit. Nam & hodie, inquit, quę in Latinis codicibus inueniuntur, ſic deprehenduntur à veteribus poſita, Tertulliano, Victorino, & Cypriano. Eandem ſententiam videtur & Hieronymus in præfatione ſuper pentateuchum tradere: Aliud, inquit, eſt, ſi contra

Secundum argumentum.
Augu in epiſt. ad Hier. cap. 8
Tertium argumentum.
Quartũ argu.
Quintũ argu.
Sextum argu.
Origenes homilia 8. ſuper Matthæum.
Ambroſius in cõm. ad Romanos 5.
Hieronymus.

contra ſe, poſteà ab Apoſtolis vſurpata teſtimonia probauerint, & emendatiora ſint exemplaria Latina, quàm Græca & Hebræa. Septimò: Idem ipſe Hieronymus tractans verbum Apoſtoli, ad Galatas 3. Maledictus omnis qui non permanſerit, &c. Certis argumentis ſuſpicabatur veteres Hebręorũ libros aliter habuiſſe, quàm nũc habent. Si ergo nunc Hebraica Græcaq; volumina, nec ita certa ſint nec ita fidelia, vt biblia Latina, conſequens eſt Latinis amplius non recurrendum eſſe ad exemplaria præcedentia, quanquam olim ſcripturæ ſacrę fides, fuerit petenda à peregrinis linguis, cùm Græca Hebręaque exemplaria fuerint incorruna, quæ biblia Latina à Diuo Hieronymo caſtigata accepit, & accepta iam à multis annis incorrupta cuſtodiuit ad hæc vſque tempora, quę & ſedes approbat Apoſtolica, per Damaſum Papam, quemadmodum teſtatur Platina: Damaſus Papa, primùm Hieronymi ſcriptis authoritatem dedit, cùm priùs ſeptuaginta interpretum ſcripta tantummodo in precio eſſent. Deinceps Eccleſia in diuinis officiis & in ſynodis generalibus pro hæreſibus confutandis, eruditiſsimique patres in commentarijs ſcripturæ ſacræ conficiendis, vſi ſunt his bibliis noſtris Latinis, de quibus & Gregorius iam olim ante annos nongentos in moralibus ſic loquitur: Quia hæc noua tranſlatio, ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta veriùs transfudiſſe perhibetur, credendum eſt quicquid in ea dicitur. Octauò: Magiſtri Iudæorum iam olim in Talmud meminerunt Tiquy ſofrim, id eſt, aptationis, ſeu correctionis ſapientum ſcribarum, ſecundùm quam ſcilicet ipſi ſcribæ olim ante Chriſtum natum quædam in libris legis ac Prophetarum immutauerunt: nunc ſcripturam punctis quibuſdam diſtinguentes, nunc ponentes aliud in margine, quòd loco illius quod in contextu ſcribitur, cauſa modeſtię & vrbanitatis, ſit legendum & proferendũ, pro coire cum concubina, ponentes, iacere cum illa, & pro fimo ſeu ſtercore hominis, proferentes, egeſtionem (ſic enim decreuerunt magiſtri Hebræorum, quòd ſcripturæ ad vituperium, & contemptibili ſermone ſcriptæ, legerentur curialiter & vrbanè) nunc eradentes id quod erat ſcriptum à Propheta, loco illius ponentes alterum. Quo fit vt ſenſus emergat alius, quàm fuerat intimatus à Propheta, quemadmodum demonſtrat Porchetus libro primo victoriæ, aduerſus Hebræos, capite decimoquinto, deſignans ibidem & vetuſtos Iudæorum Rabinos, & diuerſos ſcripturæ locos ſic immutatos ab eiſdem ſcribis. Apud finem primi capitis Malachiæ ſcriptum erat oti, id eſt, me: correctio verò ſcribarum poſuit oto, id eſt, eum ſeu illum: quo factum eſt, vt vbi nos iuxta correctionem ſcribarum legimus: Ecce de labore veſtro & exufflaſtis illum. Olim à Propheta ſcriptum erat: Ecce de labore veſtro & exufflaſtis me, dicit Dominus, aut afflixiſtis, vexaſtis, ſeu expirare me feciſtis, dicit Dominus. Micheæ primo quod nos legimus: In domo pulueris puluere aſpergite vos. hoc, inquit, rabbi Selamo, eſt correctio ſcribarum, qui puncta facientes, correxerunt, & dixerunt, Hitpallaſi, id eſt, inuolue te: vbi à Michæa ſcriptum erat, Hitpallaſti, id eſt, inuolui me. Sic enim in Propheta ſcriptus erat ſenſus: In domo pulueris puluere aſperſi me, vel puluere inuolui me. Item Oſeæ nono, quod nos legimus: Becuri mehem, id eſt, in receſſu meo, ſiue cùm receſſero ab eis, Rabbi Selomo, & rabbi Kimhi dicunt eſſe, tiqui ſofrim, id eſt, correctionem ſcribarũ, tradentes textum Prophetæ verum olim habuiſſe Beſuri mehem, id eſt, incarnatio mea ex eis. Orationes autem quas ſcriptura habuit, afflixiſtis, ſeu exufflaſtis me, Incarnatio mea ab eis, In domo pulueris puluere aſperſi, ſiue inuolui me, longè differunt ab his, quas nunc iuxta textum à ſcribis ſic correctum legimus: exufflaſtis illum, cùm receſſero ab eis in domo pulueris, puluere inuolui te. Illis enim orationibus, quas olim ſcriptura habuit filius Dei loquens, opus

Argumentum ſeptimum.
Gregorius.
Octauum argumentum.
Iſaiæ. 36.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suæ incarnationis futurę designat: quoniam in domo pulueris aspersit se puluere, induens carnem nostram, quem & Iudæi afflixerunt, & expirare fecerunt. Quæ sanè sententia prorsus tollitur, si legatur textus secundùm tyqui sofrim. Hęc & id genus alia multa docent Rabbi Selomo, Rabbi Kimhi, rabbi Simeon, rabbi Iohannan, à sofrim, id est, à scribis esse correcta. Vnde & Iudæorum magistri persuadẽt etiam discipulis, vt faciant idipsum quod sofrim, id est, scribæ fecerunt: quemadmodum in libro Ieuamoth dixit rabbi Iohannan ex nomine rabbi Simeon, bonum esse vt euellas vnam literam de lege, & significetur nomen Ceh in publico. Hæc igitur si vera sint, quòd videlicet olim scribæ, nõ solùm foris in margine adiecerint, quod proferendum esset, sed & in contextu mutauerint sensum, ponentes alterum pro altero, quemadmodum testatur supradictus Porchetus, diligentissimus librorum Hebraicorũ indagator: consequens profectò erit, q Hebræi nec iam habent, nec olim etiam sub Hieronymi seculo habuerũt veteris legis textum purum & integrum: sed secundùm ipsam tyqui sofrim, quæ non correctio, vt ipsi existimant, sed deprauatio potiùs est scripturarum. Hæc autem tyqui si facta sit iam olim sub seculo Ionathæ filij Oosiel, & isante Christum prophetarum & Hagiographorum interpres Chaldaicus, in sua translatione omnino secutus sit istam tyqui sofrim, quemadmodum & ipsi fatentur, sequitur quòd Iudæi etiam non habuerint textum purum sub Christi seculo. Deinde Christipolitanus in præfationibus super Psalterium: Hebræi, Arabes, & Caldæi non habent vocales in literis suis. Tota scriptura sacra per Esdram fuit scripta sine vocalibus & sine punctis. Magistri autem Iudæorum post conuersionem magni Constantini confinxerunt puncta loco vocalium, & secundùm sensus suos humanos, peruerterunt scripturas sacras, his præsertim in locis, vbi latebant manifesta mysteria, aut de Christo aut de Ecclesia: & ideo, inquit, nulla est fides habenda scripturis eorum Hebraicis, sic per puncta scriptis & interpretatis. In oppositam partem sunt argumenta. Diuus Hieronymus interpretẽ huius nostræ æditionis, vt alium quendam citat, appellans illum Latinum interpretem, in commentarijs ad Ephesios, quos scripsit post castigatum testamentum nouum, & in commentariis sexti capitis ad Galatas frequenter, & quinti capitis eiusdem, & in commentariis primi capitis ad Titum. Insuper & ea quæ legimus in hac nostra æditione illis in locis, ac in alijs nonnullis tam veteris quam noui testamenti confutat & arguit tanquam à suis fontibus deuia. Insuper & quòd testatur se emendasse, in nostra æditione Latina non habetur, & quod in nostra habetur, testatur se correxisse. De veteri testamento patet in quæstionibus super Genesim, & in commentariis super Prophetas tam maiores quàm minores. De nouo testamento patet ex cõmentariis in epistolas Pauli suprà designatas. Secundum argumentum. Ad Hebręam veritatem seu fontem confugere, si quid in veteri testamento inciderit: Græcam autem si quid quæstionis in nouo emerserit, monet ipse Hieronymus multis in locis, & præsertim in epistola ad Sunniam & Fretelam, & in epistola ad Damasum. Monent & ecclesiastici patres Ambrosius & Augustinus. Docent & exempla plurimorum Theologorum, qui multis in locis hanc nostram æditionem confutant, castigant Hebræorum autem & Græcorum exemplaria si non essent Latinis veriora magisq; autentica, non rectè admonerent Latinos, vt recurrant ad illa. Ambrosius lib. 2. de spiritu sancto, cap. 6. quod in nostra æditione habemus dicit falsariorum perfidia esse vitiatum. Hieronymus in præfatiuncula super quatuor Euangelia, docet non esse fidem adhibendam Latinis exemplaribus: cùm tot sint ferè Latina exemplaria, quot codices. Et idcirco veritatem esse quærendam ex Græca origine, & ad illam dicit se corrigere ea quæ vel à vitiosis interpretibus malè fuerunt ædita, vel à præsumptoribus peruersiùs emendata, vel à librarijs

Christipolita nus.

Argumẽta ad contrariam partem. Primum.

Secundum argumentum.

Ambrosius.

riis dormitantibus, aut addita, aut mutata. Addense se in hac ipsa emendatione sic calamum temperasse, vt his tantùm, quæ sensum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateretur, vt fuerant. Hæc igitur & id genus alia sunt, quæ in hac re scrupulos ingerunt difficiles. Nam scriptura sacra si sit iam olim in suo fonte suaque origine corrupta & deprauata, iam non erit vlla in illis canonica authoritas, nec erit opus Latinis iam recurrere ad fontem Græci sermonis, quo nouum scriptum est testamentum: aut Hebraicæ linguæ, in qua antiquum est æditum. Absolutio quæstionis huius quodam modo ex alia pendet: An videlicet in veteri testamento Hebræa exemplaria, & in nouo testamento exemplaria Græca, seruentur ad hęc vsque secula ab illis integra & incorrupta, qualia fuerunt ædita ab initio. Nam si huiuscemodi exemplaria in hodiernum vsque diem manerent apud eos integra & castigata, qualia crediderunt ea esse Origenes, Hieronymus, Augustinus sub suis seculis, nihil videbitur absurditatis consequi si fiat recursus ad scripturam, in suo fonte suaq; origine æditã. Pro huius difficultatis solutione pręmittendum primùm, quòd aliud est codices hos vel illos veteris scripturæ Hebraicæ esse corruptos ac mendosos, quod contingit scriptorum vel librariorum inscitia vel incuria. Aliud est illos de industria esse falsatos. Aliud est insuper corruptionem seu falsationem esse generalem factam authoritate totius synagogæ, quemadmodum testantur Hebræorum magistrorum in Talmud olim correctionem quandam scripturarum vtiliter factam esse à scribis & sapientibus, quam correctionem appellarunt antiqui sofrim: de qua in argumento octauo. Aliud est de corruptione particulari quorundam codicum & exemplarium, & apud quandam particularem illius populi plebem. Si vnus aut alter sacræ scripturæ liber fuerit corruptus, non ob id vniuersos libros, qui in diuersis locis & temporibus conscripti custodiuntur, oportet esse corruptos. Aliud insuper significamus, cùm dicimus translationem seu interpretationem esse veram. Aliud dicimus codicem secundùm suum exemplar emendatum seu rectè transscriptum. Translatio seu interpretatio verax ac recta est, ex vna lingua in aliam facta conuersio, cuius sensus à suo fonte suaque originali lingua non deuiat. Professio interpretis, si Hieronymo credimus, est, non quo ipse disertus appareat: sed quo eum, qui lecturus est sic faciat intelligere, quomodo intellexit qui scripsit. Et idcirco boni interpretis officium est, vt vertendo vnum idioma in aliud, sententias reddat easdem, & æquales, nec ampliores scilicet, nec strictiores: vt eam orationem, quæ in originali lingua est certa & vnica, vertat in aliam certam & vnicam, eam verò quæ ambigua est, varias salutares continens sententias, quæ videantur à mente diuini spiritus non abhorrere, vertat similiter in orationem quæ easdem complectitur. De septuaginta interpretibus, qui in versione librorum veteris legis hanc regulam non obseruauerunt, alia ratio est. Nam quemadmodum ex superioribus patet diuina dispensatione, vt inquit Augustinus, factum esse creditur, vt illi sic interpretarentur, quemadmodum genti illi congruum videbatur. Codex incorruptus dicitur, qui vel est veri authoris exemplar, vel à suo vero exemplari, ad cuius similitudinem scribitur non deuiat: quàmuis verum illud exemplar non fuerit forsitan rectè à suo interprete translatum. Quibus præmissis, dicimus sacras Hebræorum historias, Prophetarumque scripturas non esse de industria vniuersaliter corruptas ac deprauatas, neque ante Christi aduentum, neque post illum vsq; ad Diui Hieronymi tempora, neque post Hieronymum ad hæc vsque tempora. Quòd Iudæi non falsauerint scripturas suas Hebræas ante Christi aduentum, possumus conijcere ex argumento Origenis diuique Hieronymi, qui sic argumentantur: Christus & Apostoli, qui cætera crimina in Iudæis arguerunt, hoc itidem crimen quod maximum fuisset, reprehen-

Boni interpretis officium. In proœmio in Ionam.

Argumentum Origenis & Hieronymi. Orig 8. li. explan. Isaiæ. Hieron. in 6. cap. Isaiæ.

 dissent,

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BIBLIAC

Universidad de Deusto
Biblioteca

dissent: nec Saluator illis ad scrutandum eas quas habebant scripturas prouocasset, dicens: Scrutamini scripturas. nec incœpisset à Moyse & omnibus Prophetis, interpretans eas, quas habebant scripturas. nec dixisset: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Quæcunque dixerint aut docuerint seruate & facite. nec illis dictum esset: Moysen habent & Prophetas, illos audiant. Nusquam illos legimus reprehensos quòd falsauerunt Moysen & Prophetas, tametsi arguantur frequenter quòd cæci sint & errantes, misceant aquam vino, scripturas prauè exponentes, & non intelligentes: & quòd dum Moyses legitur per omne sabbathum in synagoga eorum, velamen positum sit super corda eorum, vt videntes non videant, dum malignis suis interpretationibus scripturas ad sensus à veritate alienos detorquent. Hęc omnia sunt argumẽta scripturas tunc non fuisse ab illis deprauatas. Deinde, quòd nec post Christi aduentũ, vsq; ad Diui Hieronymi secula fuerint deprauatę per illos, probat idem Hieronymus, eò quòd in eisdem scripturis reperimus nunc testimonia sic scripta, quemadmodum Christus, Apostoli, & Euangelistæ protulerunt: aut secundùm Hebraicam veritatem, aut secundùm septuaginta interpretes sensum exprimentes, non curantes de verbis, ordineq; verborum. Hieronymum in commẽtariis super Isaiam cap. 6. quid de hoc senserit, audiamus: Si quis dixerit libros illos, inquit, à Iudęis falsatos, audiat Origenem, quòd in 8. volumine explanationum Isaiæ huic respondeat quæstiunculæ: Nunquam Dominus & Apostoli, inquit, qui cętera crimina arguũt in scribis & pharisæis, de hoc crimine, quod maximum est, reticuissent. Sin autem dixerint post aduentum Domini Saluatoris & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, vt Saluator, & Euangelistæ, & Apostoli ita testimonia protulerint, vt Iudæi posteà falsaturi erant. Nomen Christi de quadam gente in humilitate nascituri, & de quodam regno ab hoc propagato & instituto, & conuersationem vitæ eius, prædicationem doctrinæ, vocationem Apostolorum, signa, prodigia, & miracula, incrementum Ecclesiæ illius ex Syon crescentis in omnes gentes, Iudæorum excæcationem, & desertionem, cæteraque id genus omnia ita exhibent præsentia tempora, sicut in scripturis longè antè conscriptis, & per successionem temporum custoditis Prophetæ nunciauerunt futura. Poterant persecutores Christianæ fidei dicere Christianos composuisse seu confinxisse has literas, quas propheticas appellamus, vt antè diuinitus prædicta putarentur, quæ prædicta non essent. Sed ne occasionem haberent hæc dicendi, latè dispersus, latéque notus Iudæorum populus, Christianæ fidei inimicus, in omnes gentes portauit, & custodiuit libros suos propheticos, in quibus legimus omnia hæc esse prænunciata, quæ in Christo & in Apostolis, & in Apostolorum Ecclesia videmus adimpleta. In quibus & ante annos multos Iudæorum Prophetæ expresserunt aduentum Messiæ in carnem, & doctrinam ac legem eius ad omnes gentes peruenturam, & indoctorum hominum piscationem in nomine eiusdem Messiæ vniuersis nationibus gentium affuturam, & regni illius non esse finem. In quibus etiam & hoc prædicatur de populo isto, & quòd videlicet sic occisurus esset Christum, & dispergeretur, & excæcaretur, & quòd perditurus esset Hierusalem, & terram sanctam, & quòd vrbs eius extrema obsidione caderet, regnumque omnino cessaret, ac ipse ad omnes gentes dispersus multos dies expectaret Messiam, esset́que vagus sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, & sine viro: non tamen fornicaretur, & quòd liber scripturæ clauderetur illi. Quibus omnibus fit, vt ipsi inimici fidei nostræ, habentes scripturas nobiscum communes, dum non intelligunt eorum veritatem, etiam inuiti testimonium perhibeant veritati, eõsdem codices habendo & seruando. Quamobrem ad confirmandam Euangelicæ humilitatis gratiam

Iohan. 5.

March. 23.

Hieron. probat scripturas suo seculo non esse corruptas per Hebræos.

Danielis 9. Isaiæ 53.

Oseæ 3.

gratiam, mirabili & inscrutabili Dei prouidentia non omnes Iudæi fame & gladio Romanorum in famoso illo & horrendo excidio interierunt, sed aliqui superstites manserunt: qui captiui ducti per omnes gentes, eadem captiuitate & dispersione, præclarum in toto orbe Euangelicæ veritati perhiberent testimoniũ secundum Psalmi quinquagesimi octaui versiculum, quem Christus de inimicis suis Iudæis, & præsertim iuxta Psalterium Roma. sic loquitur: Dominus ostendit mihi bona inter inimicos meos, ne occidas illos, ne quando obliuiscantur legis tuæ. Disperge illos in virtute tua: acsi dicat, Deus etiam inimicis meis ostendit mihi misericordiam suam, & ideo pro eis rogo, ne occideris eos, qui me occiderunt, sed gratia tua viuere permittantur, vt etiam testimonio eorum fides gentium populiq; mei certior habeatur. Disperge illos in omnem terram, qui tanquam capsarij scripturas fidei nostræ circumportent in vsum gentium, quæ credituræ sunt in omni loco: quod iam factum videmus. Per omnes enim gentes dispersi sunt Iudæi testes fidei nostræ, custodientes scripturæ nostrę codices, quibus est & Christus prophetatus, & iniquitas eorum prænunciata, & salus gentiũ promissa. Cæterùm quòd post diui Hieronymi seculum ad hanc vsque nostram ætatem, non fuerit apud Hebræos vniuersalis Hebraicorum exemplariorum corruptio, possumus conijcere ex argumentis, quibus & Origenes diuusque Hieronymus vsi sunt seculis. Conseruantur in hodiernum vsq; diem apud ecclesiam Christi vetustissimi Hebraicorum & Græcorum codices, quibus reperimus esse conformes codices, quibus Græci atque Hebræi nunc vtuntur. Deinde in recentioribus Hebræorum libris, castigatis & emendatis, reperiuntur testimonia sic scripta, quemadmodum leguntur ab antiquis nostræ fidei patribus recitata. Conferentes recentiorum Hebræorum & Grecorum codices ad veterum catholicorum commentaria, in his præsertim locis, quibus significantur fidei nostræ mysteria, reperiemus hos cum vetustissimis suis ipsorum exemplaribus consentire. Si quæ potissimum infideles deprauassent, manserunt illibata, nec de correctione vlla habentur suspecta: consequens est & cætera in sua origine integra esse seruata. Eisdem argumentis vtentes, possumus demonstrare Græcos noui testamenti codices non esse de industria vniuersaliter falsatos, quasi veritas aliqua fuerit erasa simul ab omnibus sacris Græcorum libris, tam latè dispersis & custoditis, non solùm apud Græcorum, sed etiam apud Latinorum bibliothecas. Græcorũ ecclesia si suos codices deprauare voluisset, his potissimum in locis deprauasset, in quibus ipsa dissentit à nobis, veluti de processione sancti spiritus, de primatu Petri & successorum eius. Verùm cùm nobis obijcitur, nunc varios apud Græcos & Hebræos constare codices, variaq; exemplaria. Respondeo nos nunc de varietate exemplariorum non tractare, quæ contingit scriptorum aut imperitia, aut inscientia, vel incuria, aut quorundam Hebræorum aut hæreticorũ maleuolentia: vt Manichæorum, Marcionistarum, & aliorum, qui scripturas deprauare conati sunt. Sed de vniuersali sacrarum scripturarum falsatione, aut ab Hebræis, aut à Græcis generaliter facta: tanquam ipsi voluerint se priuare veritate earum scripturarũ, quas prædicant & honorant vt diuinas. Deinde & hoc sciendum, non oportere, si Græcorum codices quibusdam in locis sint suspecti, quòd ergo rationabiliter possint haberi vt suspecti in singulis locis: nempe in quibusdam locis, & in eis quidem paucissimis sunt varij. In cæteris autem locis, in quibus consentiunt vniuersi, habere eos suspectos tanquam falsatos, magnæ dementiæ est. Vnde Augũst. xv. de ciuit. Dei: Nullus prudens debet, inquit, credere Iudæos tam longè lateq; dispersos conueniisse atq; conspirasse in corruptione suorum voluminum, vt scilicet dum alijs inuiderent scripturę veritatem, ipsi seipsos priuarent veritate. Quãuis igitur apud Græcos & Hebræos iam forsitan varij re-

Iudæi sunt custodes scripturarum nostrarum.

Aug. 15. de Ciuita Dei. ca. 13

Universidad de Deusto
Biblioteca

periantur codices, qui inter se vel scriptorum incuria, vel insciti discrepant: vniuersalem tamen corruptionem per cõmunem eorum synagogam nondum fuisse factam conijcimus ex superioribus argumentis. Proinde fidem habemus nostræ ætatis Græcorum ac Hebræorum codicibus his, quos comperimus à vetustissimis suis exemplaribus non discordare, quemadmodũ & ipsis olim fidem habuit Hieron. taxans Heluidium, stultissimè sibi persuadentẽ quibusdam in locis Græcorum libros esse falsatos: Tu mira, inquit, impudentia hæc in Græcis codicibus falsata contendis, quæ non solùm penes omnes Græci tractatores suis in voluminibus reliquerunt, sed nonnulli è Latinis ita vt in Latinis habentur assumpserunt. Hactenus de argumentis, quibus nobis factum est verisimile, Grẽcorum & Hebræorum scripturas sacras non esse vniuersaliter de industria deprauatas, tametsi eorum codices inter se varij sint & discrepantes. Reliquum est iam differere de authoritate huius nostræ æditionis Latinæ, vtrùm oporteat de necessitate adhærere illi tanquam scripturę in suo fonte suaq; origine. Pro cuius absolutione ex superioribus secundum diui Hieronymi doctrinam est commemorandum, quòd aliud est esse prophetam aut euangelistam, aliud est prophetę aut euangelistæ esse interpretem, aliud expositorem. Propheta vel euangelista in ædendo scripturas sacras, à veritate deuiare non potest: interpres autem potest aberrare à sensu authoris, & plerumq; vel ex obscuritate, vel ex ambiguitate, vel imperitia linguæ originalis fallitur, sententiam prophetæ aut euangelistæ non bene sibi notã, transferens in significationem, quæ à sensu scriptoris est aliena. Scribere prophetias, seu ædere aut dictare euangelia, est spiritus sancti opus, qui omnium canonicorum librorum author esse creditur, qui & singula in eis scripta dictauit. Quamobrem scriptor in eis quæ scripsit, neq; falli, neq; fallere potuit: cuius lingua calamus fuit eiusdem spiritus sancti, qui singulis in rebus, etiam minutissimis, vt æderentur in scriptis, quæ posteris legenda transmitterentur inspirator extitit. Eosdem autem libros sic iam in vno idiomate scriptos, vertere seu transferre in aliud idioma, humanum est opus, & officium eius qui nouit idiomata, etiamsi spiritu sancto nõ sic vt propheta ad transferendum moueatur. Quamobrem Hebræus aut Iudæus in linguis Hebraicis, Grẽcis & Latinis peritissimus magis rectè vertere potest, quàm Christianus etiam spiritu sancto motus ad vertendum accedens, qui non sic linguarum expertus extitit. Quemadmodum autem sancti patres cùm exponũt scripturas sacras, non eò sunt credendi in omnibus rectè exposuisse scripturã, quòd sancti spiritus charitate moti ad exponendum easdem scripturas accesserunt. Ita & Christiani interpretes non idcirco rectè omnia dixerunt, quòd spiritu charitatis moti suos commentarios ædiderint. Neq; enim præstat doctoris sanctitas, vt in suo dogmate sit canonica authoritas, de quo latiùs in sequenti lib. Hoc præmisso aliquot statuemus propositiones pro absolutione huius difficultatis.

Hieron. aduersus Heluidiũ.

De authoritate Latinæ æditionis.

Propositio 1. Propositio prima. Interpretatio Latina, seu communis æditio & vulgata, qua ecclesia nunc vtitur, tam veteris quàm noui testamenti, videtur neq; penitus esse alia ab interpretatione Hieronymi & prior illa, neq; penitus esse eadem cum illa. Priusquàm huius sentẽtię probationem afferamus, sciendum, non omnino certum esse, an Hieronymus transtulerit ex Græco totum ipsum nouũ testamentum. Vnde & ipse in libro de viris illustribus asserit, se nouum testamentum Græcæ fidei reddidisse, vetus autem iuxta Hebraicam transtulisse. Ex quibus verbis consequens videtur, quòd ipse posuerit discrimen inter transferre iuxta Græcam fidem, & reddere Græcæ fidei, & ita se nouum testamentum ex Græco non transtulisse, sed correxisse. Cui & consonat quod in præfatione quatuor euangeliorũ ad Damasum papam dicit: Ita in hac emendatione calamo imperauimus, vt his tantum, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere permitteremus

Hieronym.

mus vt fuerant. Et ita ex eo, quòd in hac nostra æditione quædam sint minus aptè posita, non est consequens, hanc non esse æditionem correctam ab Hieronymo. Ex alijs tamen verisimilibus argumentis colligimus supradictę propositionis veritatem. Nam quòd Hieronymus testatur se emendasse, vt in pluribus habetur in æditione nostra Latina, interdum tamen non habetur: & quod interdũ in nostra habetur, testatur se correxisse. Vnde & ipse multis in locis æditionis huius meminit, appellans illam æditionem vulgatam seu Latinam: interdum honorãs, interdum etiam corrigens atq; emendans, quod nos in hodiernum vsq; diem posítum habemus in ista. Quod de veteris testamenti æditione manifestũ est. Nam & in quæstionibus super Genes. & in commentarijs super prophetas taxat nonnulla, quæ nunc leguntur in æditione nostra Latina. Pro eo quod nos legimus Genes. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas. In Hebræo, inquit, habetur vocabulum, quod significat incubabat, siue confouebat in similitudinem volucris ouа calore animantis. Et quod in nostro, & in Samaritanorũ volumine habemus: Trãseamus in campum, dicit esse superfluum. Et quod Isaiæ 1. nostra æditio habet: Vt ambularetis in atrijs meis. Textus Hieronymi habet: calcare atrium meum non apponetis. Et vbi æditio nostra habet: Facti estis mihi molesti, Hieron. textus habet: facti estis mihi in sacietatem. Et vbi vulgata æditio nostra habet: Eritis velut quercus, Hieron. posuit: Et eritis velut terebinthus. Item Isaiæ 5. vbi nos legimus iuxta Symmachum: Plantauit vineam electam. ipse habet: plantauit vineam Soreçk. Et quod nos legimus: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malũ. significantiùs, inquit, interpretatus est Aquila: Væ qui dicunt malo bonus es: & bono, malus es. Sunt id genus alia quædam in æditione nostra, quę ipse Hieronymus taxat, aut aliter, aut significantiùs legi apud Hebraicam veritatem. Veruntamen quę hæc nostra æditio Latina in veteri testamento sic traducta, non ex ipsis septuaginta, sed immediatè ex Hebraica veritate, adeò est manifestum legentibus cõmentarios eius in prophetas, tam maiores, quàm minores, vt non sit qui de hoc dubitet. Nam & in ijsdem commentarijs vtramq; æditionem edisserit, & eam videlicet, quæ est secundum septuaginta & hanc nostram, in qua omnia fermè sic legimus, vt ipse se transtulisse testatur, quam & multis in locis ex Hebręo in Latinum à se esse æditam subindicat, ostendens eosdem septuaginta aliter esse interpretatos, quàm habeat Hebraica veritas. Ex his videtur consequens esse æditionẽ Latinam, qua vtimur in veteri testamento esse mixtam & non puram, qualis est ab Hieronymo ædita aut castigata. Cæterũ & quòd talis mixtio sit in æditione noui testamenti patet, quia in ea legimus quædam sic esse correcta, quædã verò non sic esse, vt Hieronymus asserit se correxisse. Quòd in ea habeamus aliqua correcta quæ olim in codicibus Latinis non sic legebantur patet. Nam ad Galat. 5. vbi nos negatiuè legimus secundum veritatem Græcæ fidei: Persuasio vestra non est ex eo, qui vocauit vos. Hierony. dicit suo seculo affirmatiuè in Latinis codicibus scriptum esse: Persuasio vestra ex Deo est, qui vocauit vos. Item quòd iuxta Græcorum codices ad Gal. 2. nos legimus: Quibus neq; ad horam cessimus. Latini codices, vt idem Hieron. inquit, olim habebant affirmatiuè dictum: quibus ad horam cessimus. Et in hunc sensum affirmatiuum legit locum istum Ambrosius. Contrarij certè sunt hi scripturæ sermones, sed non sunt in regulis fidei contrarij sensus. Secundùm sensum quendam persuasio est ex Deo, & secundũ sensum aliũ persuasio ex Deo nõ est. Sic ad horam cesit Paulus fratribus falsis, iuxta Ambrosij sententiam, & secundum sensum quendam non cessit, iuxta sententiam Hiero. Sunt & alia quædam sic correcta in æditione nostra Latina. Quòd autem in æditione nostra Latina sint nonnulla taxata ab Hieronymo & tamen dimissa, & non emendata, patet ex commentarijs eiusdem. Vbi nos legimus ad Gal. 1. Continuò

Genes. 1.

Isaiæ. 1.

Isaiæ. 5.

De Latina ęditione in nouo testamento.

Paul. ad Gal. 5

Hieron. ad Galat. 5

Ambrosius ad Galat. 2

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non acquieui carni & sanguini. Hieronymus iuxta Græcam veritatem legẽdum
Hieron. ad Galat. 1 esse censet: non contuli cum carne & sanguine. Ad Ephes. 1. Pignus, inquit, posuit Latinus interpres pro arrabone. Non idipsum autem arrabo quod pignus so-
Differunt pignus & arrabo nat. Arrabo enim futuræ emptioni, quasi quoddam testimonium & obligamentum datur: pignus verò pro mutua pecunia opponitur, vt cùm illa reddita fuerit, pignus à creditore reddatur. Quod de gentibus ad Ephe. 4. nos legimus: qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, aliter in Græco, inquit, legitur. Non enim desperant Gentes, nequaquam sentientes ruinam suam: sed tanquam bestiæ secundùm carnem viuunt. Pro desperantes ergo, si velimus verbum è verbo exprimere, legere possumus, indolentes. Item quod apud Matth. habemus:
Hiero. ad Titum 3. Panem nostrũ quotidianum da nobis, ipse posuit Panem nostrum supersubstantialem da nobis, siue peculiarem, eximium aut egregiũ, vt illum panem petamus qui dicit: Ego sum panis viuus. In euangelio secundum Hebræos, pro supersubstantiali, inquit Hieron. repperi crastinum, vt sensus sit: Panem nostrum crastinũ da nobis: quod si de corporali pane acciperetur, contra est quod Apostolis pręcipitur: Nolite cogitare de crastino. Sunt & alia quædam à diuo Hieron. annotata, ex quibus conijcere possumus, nos hanc æditionem latinam qua vtimur, non habere prorsus à Hieronymo iuxta veritatem Græcę fidei castigatam & emendatã. Deinde & sancti patres ante Hieronymi tempora, taxauerunt nõnulla tanquam deuia à fonte Græcæ fidei, quæ tamen etiam nunc legimus in æditione nostra Latina. Vnde
Ambrosius Ambrosius lib. 2. de spiritu sancto, cap. 6. quod legitur ad Philippen. 3. in nostra æditione: Qui spiritu seruiuimus Deo, dicit in Latinis codicibus, falsariorum perfidia fuisse variatum, atq; ob id Græcorum authoritati fidendum, in quibus habebatur sensus: Qui spiritu Dei seruiuimus, inde colligens, spiritũ sanctum esse Deum, cui cultus debeatur. Ex quibus consequens est, diuum Ambrosium æditionem latinam quibusdam in locis præferre codicibus Græcorum: & insuper aliis in locis, præferre Græcorum codices latinæ æditioni. Insuper post Hieronymi tẽpora, multi viri Christiani scripturam sacram exponentes, arguũt nostram translationem vulgarem, asserentes alium scripturæ sensum esse in Hebræorum codicibus, quàm habemus in libris Latinis. Lyranus dicit in translatione nostra, bdellium esse translatum, pro cristallum, Genes. 2. Et fraudulenter pro
Gene. 1. Genes. 27. & 33 prudenter, Gene. 27. Et centum agnis, pro centum obulis, Gene. 33. Et limen pro baccino, quod significat vasis genus. Ex multis panca recensuimus, breuitati studentes. Sic & Beda Brugensis, & Armachanus quædam taxant, tanquam à suo fonte deuia. Si ergo doctores tam anteriores Hieronymo, quàm posteriores, hanc ędi tionem quibusdam in locis taxauerunt, qui tamen ob id non sunt ab ecclesia iudicati tanquam hæretici, aut in fide suspecti, non oportet consequens esse interpretem (si vspiam vertendo errauerit à vero sensu, quem author scripturæ intenderit) idcirco erasse in sententia fidei: dum illa, quam interpres æstimat, intellecta sit, aut itidem sententia fidei ex alio scripturæ loco demonstrabilis, aut de quapiã re gesta, quæ siue sic, siue non sic sit gesta, non præiudicat fidei, quam tamen debemus credere gestam esse, secundum sensum, quem asserit scripturæ author, etiam tametsi nos lateat quinam sensus ille fuerit. Propositio secunda.

Secunda propositio. Quanquam probabile est vulgatam æditionem, qua in nouo testamento ecclesia nunc vtitur, non esse puram Hieronymianam, ac castigatam ad veritatem Græcæ fidei, sed mixtam quandam, partim ex illa, partim ex æditione quadam olim vulgata: non sunt tamen vlla neque euangelica præcepta, neque fidei mysteria in hac æditione nostra vel prætermissa, vel obscurè designata, quæ non in eadem apertissimis locis sunt declarata. Quamobrem non oportet æditionẽ nostram Latinam, ex veris suis exemplaribus Latinis bene castigatã, aut contemnere, aut

re, aut passim reijciendo, aut improbãdo contemptibilem in ecclesia facere: sed honorare antiquitatem atq; simplicitatem illius iam inueteratæ atq; receptæ: ex cuius siue solœcismis, siue sententijs minus forsitan aptè versis, neque comprobatur, neque fouetur vlla hæresis, in qua fidei nostræ mysteria sufficienter declarantur, in qua neque est quicquam quod præstet occasionem errandi pernicioſè. Vnde credimus neq; in Græcis Hebraicisq; exemplaribus esse vllum Christianæ fidei mysterium, vllúmue salutis humanæ dogma necessarium, quod hactenus aut fugerit, aut latuerit Latinorum Ecclesiam, aut sit omissum, aut contrariè positum in æditione nostra Latina: quàmuis in ea sint loca nonnulla, aut ambiguè, aut obscurè, aut minus congruè posita, quæ hactenus etiam eruditissimi patres tolerarunt: non quòd ignorauerint aut approbauerint errores, sed quia viderint nihil periculi in fide & moribus pendère ex huiusmodi locis, vel non prorsus à suo fonte deuijs, vel etiam aut sic, aut aliter versis. Propositio 3. ex superioribus declarata est. Quemadmodum septuaginta interpretum æditio in multis ab Hebraico fuerat deuia, quam tamen & olim Christus & Apostoli eius sic honorauerũt, vt non solùm non contemnerent, sed & vterentur illa, corroborantes ex eadem nostræ fidei primordia: nihilominus ex Hebraico fonte, vbi opus erat, citantes etiam ea quæ apud septuaginta non reperiebantur. Sic & hanc nostram æditionem hactenus honorauit Ecclesia Latina, quàmuis secundum censuram sanctorũ patrum, Ambrosij, Hieronymi, & aliorum etiam antecessorum quibusdam in locis non ignorauerit forsitan nonnulla deuia esse à vetustissimorum Græcorum & Hebræorum exemplarijs: sciens aliud esse eum, qui scripturam æditam hallucinatum esse: aliud verò eum, qui eandem scripturam in aliam linguam transtulit, non rectè esse interpretatum. Dicere in scribendo deceptum esse eum, qui scripturam æditam, impium est, & blasphemum in Dei spiritum, qui dictauit singula in canonicis libris conscriptã. Quamobrem neq; potest vnquam ostendi locus, vbi demonstretur scriptor deuiasse. Dicere autem interpretem esse hallucinatum, non sic est impium, præsertim cùm in medium affertur locus scripturæ, vbi interpres ostenditur à suo fonte deuius. Quapropter non arbitremur absurdum esse, sermonem sacræ scripturæ translatum ex suo fonte in linguam aliam, examinare, recurrendo ad suam originem, & discutere si fortè interpres deuiauerit à sensu eius, qui scripsit. Et id vnicuiq; eousque licitum est, donec vniuersalis ecclesiæ authoritate fuerit definitum, æditionem illam in omnibus fonti suæq; origini consonam esse. Insuper & definitione huiuscemodi facta, adhuc liceret pro intelligendis locis obscuris recurrere ad scripturam in suo fonte. Nulla potest esse æditio ex vno idiomate in aliud versa, tam luculenter, tam clarè expressa, quæ nõ tractu temporis, vel propter diuersitates interpretantium vel exponẽtium, vel propter quæstiones hæreticorum, quibusdam in locis redditur ambigua & obscura: quæ plerumq; ex scriptura custodita in suo fonte suaq; origine, potest fieri clara & manifesta. Ex quibus conficitur expertissimi interpretis esse, sic ædere translationem in omnibus consonam, & vix fieri posse, pręsertim vbi ex Hebraico quicq̃ est transferendum in aliud idioma. Vnde & Euangelistæ talia quædam Hebraica in veteri testamento Græcè scribentes, in nouo testamento dimiserant intacta, quemadmodum ostendit Hieron. de Luca, qui inter omnes, inquit, Euangelistas Græci sermonis eloquentissimus fuit, quia se vidit proprietatẽ sermonis Hebraici seruare non posse, melius arbitratus est tacere in versione, Osanna, quàm id ponere quod legenti faceret dubium. Propositio quarta. Hieronymus noluit ecclesiæ dare suam translationem tanquam diuinam, & in omnibus autentica, & consonam scripturæ in suo fonte æditæ. Nam & ipse diuersis in locis arbitrio lectoris reliquit, aut probare, aut improbare, si sic aut aliter trãsferatur, recitans

Propositio. 3.

In epistola ad Damas. de osanna.

Propositio. 4

Universidad de Deusto
Biblioteca

tans multorum transferentium sententias,& alios hunc & illum locum scripturæ A
Hieron. in Ionæ cap. 4. fic transtuliſſe,alios autem non ſic,ſed aliter,ſibi autem ſic viſum: dimittens tamẽ ſtudioſum lectorem liberi arbitrij,ſi vel ſic, vel aliter velit interpretari. Deinde & ipſe dicit ſe interdum ex cauſa transtuliſſe aliter,quàm in Hebræo habeatur,in Iona ponens hederam,ſecundùm interpretationem Aquilæ & cæterorum,quod ſeptuaginta cucurbitam interpretati ſunt, cùm Hebraico idiomate neq; hedera, neq; cucurbita ſignificetur. Quinta propoſitio. Eccleſia Apoſtolica non mox acceptauit æditam Hieronymi æditionem nouam,dimiſſa veteri, ſed annis multis etiam poſt obitum eiuſdem Hieronymi vtraque editione vtebatur,vſque ad tempus Gregorij papæ,qui in principio Moralium: nouam,inquit,editionem ediſſero, ſed cùm probationis cauſa me exigit, nunc nouam, nunc veterem per teſtimonia aſſumo,vt quia ſedes Apoſtolica, cui authore Deo præſideo, vtraque B
Prima ſententia vtitur, mei quoq; labor ſtudij ex vtraq; fulciatur. Deinde ex ſuperioribus manifeſtũ eſt,eccleſiam in libro Pſalmorum non vti æditione Hieron. ſecundũ Hebraicam veritatẽ. Ex ſuperioribus aliquot colliguntur ſententiæ.Prima: Quemadmodum Hebraicæ linguæ periti non indigent ſeptuaginta interpretũ æditione,ſi habeant vetus teſtamentum Hebraico fonte ſuo æditum & caſtigatum, ita & Græcę linguæ periti non indigẽt in euangelijs in ſcripturiſq; apoſtolicis tranſlatione latina,habẽtes nouum teſtamentũ in ſuo fonte ſuaq; origine. Secunda ſen-
Secunda ſententia. tentia. Quemadmodum olim latinæ linguæ homines,ſi qua dubitatio in ſcripturis ex latino ſermone emerſerat, ad exemplaria Græca vel Hebræa recurrebant. Ita etiam noſtris ſeculis, ſi quam dubitationem attulerit ſermo Latinus in noſtra æditione Latina,non erit abſurdum recurrere ad exẽplaria præcedentia, & cõſiderare an in ſuo fonte abſoluatur huius ſermonis quæſtio & ambiguitas. Noſtro- C
rum multi multa, inquit Hieronymus, dixerunt & inter ſe diſſonantia: cogimur ergo ad Hebræos recurrere, & ſcientiæ veritatem magis de fonte,quàm de riuulis quærere,recitat Gratianus lxxv. diſtinctione,cap. Ieiunium. Verũ ne ex huiuſcemodi ſententijs fallantur ſacræ theologiæ ſtudioſi, & arbitrẽtur ad intelligendum ſcripturas veteris teſtamenti, neceſſarias ſibi eſſe Hebraicas ludæorum gloſſas,Sciendum eſt, quòd fons iſte,& Hebræorum codices,ad quos Hieronymus & Auguſtinus nos mittunt, pro veritate ſcripturæ indaganda, nequaquam ſunt huius ſeculi Hebręorum in ſcripturis ſacris commentarij,ſed ſunt veteris teſtamenti textus veri, ad quos oportet recurrere, cùius de textu Latino quæſtio eſt propter veritatem æditionum exorta (quàmuis & hic ſolicitè cauere oporteat,aſtutiam ipſorum Hebræorum,qui vtanquit Hierony. in prophetijs,quæ de Chriſto ſunt, tergiuerſari ſolent, & veritatem cælare mendacio.) At verò Rabinorum & D
ſcribarum commentarij,expoſitiones,& gloſſæ,apud eorum Talmud caballiſtas, cæteroſq; expoſitores deſignata poſt Chriſtum, iam ab illis æditа, adeò deuiant à fonte ſalutaris doctrinę,vt apud prophetas appellentur mẽdacia,ſtyluſq; men-
Hierem. 8. dax ſcribarum: quemadmodum & longè antè de hoc Hieremias olim fuerat vaticinatus: Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum, turtur,hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium domini ſui. Quomodo vos dicitis: Sapientes nos ſumus,& lex Domini nobiſcum eſt
Stylus ſcribarum mendax. mendacium? verè operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum, confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt, verbum enim Domini, id eſt Chriſtum filium Dei abiecerunt, & ſapientia nulla in eis eſt. Vnde & Hierony. in expoſitione Pſalm. 117. Vos ergo ludæi habetis,inquit,ſcripturam, vos legitis libros, paginarum ſenſum, vos complicatis membranas mortuorum animalium: nos poſsidemus Chriſtum
Tertia ſententia. viuificantem. Sed de hoc in ſequentibus latiùs. Tertia ſententia. Quàmuis impiè & peruerſe conentur,qui conferentes vnam ſcripturam cum alia,ſi forſitan inueniant

A niant aliquid, quod alteri repugnans ſit, falſum eſſe demonſtrare conantur: non ſic tamen impiè agunt, qui cõferentes æditionem Latinam ſuæ origini ſuoq; fonti conantur indagare, ſi forſitan aut interpres non fuerit rectè affecutus ſenſum authoris, aut ipſi poſsint ex ſcriptura in ſuo fonte melius intelligere, quod ſcribitur obſcurè in Latina æditione. Proinde tametſi non debeamus cõmendare eos, qui diuerſis præfationibus & annotationibus hanc noſtram æditionem aut æſtimant, aut faciunt contemptibilem: approbare tamen debemus labores eruditiſſimorum virorum, qui vtriuſq; linguæ periti, etiam poſt Hieronymi ſecula innixi antiquitatibus fidei, ſuis æditionibus,verſionibus,& annotationibus,locos in Latina æditione noſtra,vel obſcuros, vel ambiguos, vel incuria ſcriptorum corruptos,ſtuduerunt elucidare,declarare, aut caſtigare,nunc ex vetuſtis Latinorum
B codicibus, nunc ex originali lingua,præſertim illis in locis, vbi eſt vetuſtiſſimorum exemplariorum Hebræorum aut Græcorum conſenſus,vbi neq; ſuſpicio vlla eſſe poteſt, quòd codices in originali lingua fuerint per hæreticorũ aut Iudæorum induſtriam deprauati,propter quos non adſertur vel vllum antiquæ fidei detrimentum,vel vlla ſupra veteris Eccleſiæ fidem nouitas ſententiæ, quæ non aut ex cohærentia ſententiarum,aut ex aliis ſcripturæ locis eſt demonſtrata, vel ſaltẽ veriſimilis: ſed eſt aut ſenſus idem factus illuſtrior, aut ſublata amphibologia,reſtituitur ſenſus vnicus ſuæ origini conſonus: aut ſi emergit ſenſus quidam alius, quem ex eodem loco non intellexerint expoſitores Latini, nõ habentes peritiam originalis linguę: nullum tamen ingerit fidei præiudicium. Virtus,quę contraria eſt vitio,in Græca lingua nomẽ habet aliud,quàm virtus pro robore,ſeu potẽtia. Proinde latinus interpres promiſcuè vtens in Latina æditione nomine Virtutis,
C ſenſum facit ambiguum, qui apud fontẽ Græcum certus eſt & vnicus. Commendandus autem eſt quiſquis hanc amphibologiam tollens, loco virtutis robur ſeu potentiam ponit,ſecundũ Græcam dictionẽ. Quod Latinus interpres 2. ad Cor. obſcurè dixit: Si qua ergo in Chriſto noua creatura: Origenes, Theophilactus, Paulus ad Corint. 5. Chryſoſtomus,Ambroſius planiùs interpretati ſunt: Si quis in Chriſto noua creatura eſt. Tanquam dicat: qui per fidem adhęret Chriſto,noua & cœleſtis facta eſt creatura, indutus nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Hæc & id genus alia tolerauit Eccleſia,honorans & antiquitatem & ſimplicitatem interpretis: non ſubdolè & ſuperbè, ſed pio & humili ſtylo interpretantis. Neq; curauit magnopere de quibuſdam ſolœciſmis per eundem interpretem admiſsis,intelligens per ſolœciſmos, ſi qui ſint, ſufficienter expreſſum eſſe ſenſum ſpiritus ſancti
D loquentis. Sic olim docuit venerabilis Auguſtinus, cõſuetudinem vulgarem cum barbariſmo plerunq; eſſe vtiliorem,quàm literatam integritatem Latini ſermonis ſua nouitate aut perturbantis eccleſiam, aut facientis ſenſum vel ambiguum, vel minùs apertum,vel minùs conſonum ſenſui in ſuo fonte expreſſo. Sunt pervidi ſunt: Neq; nubent,neq; nubentur. Magis plures eſtis vos. Pauperes euãgelizantes: Pœnitemini,quod eſt verbum Latinis inauditum. Deus intentator malorum eſt. Quos ſermones, & id genus alios nonnullos ſuſtinuit Eccleſia: ex eiſdem planè intelligens verum ſpiritus ſancti ſenſum in ſcriptura loquẽtis: conſiderans eiuſdem interpretis ſimplicitatem,non voluiſſe in locis illis aut ſubdolè,aut de induſtria quicquam mutare, aut facere alienum à ſuo fonte: ſed eum magis ſuiſe ſolicitum, vt etiam in ſermone Latino ſeruaret præcedentis linguæ formam, quam plerunque non patitur Latinæ linguæ integritas. Vnde etiam ſancti patres vetuſtiſsimi, Cyprianus,Hieronymus,& Auguſtinus,in lingua Latina eruditi,huiuſcemodi ſolœciſmos in ſcriptura ſacra non horruerunt, vtentes verbis æditio-

Matth. 22. Matth 6. Luc. 7. Matth. 20. Iohan. 15. Actuum 2. Actuum 3. Auguſti. lib. 2. de Chriſtiana doctrina ca. 11

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hieron. in 22. cap. Matth.

nis noſtræ. Cyprianus in libro ad Quirinum: Neque nubunt, inquit, neque nubuntur. Hieronymus in commentariis ſuper Matthæum, vtitur æditione noſtra Latina, vtens verbo nubi: Quàmuis Latina, inquit, conſuetudo Græco idiomati non conueniat. Inſuper locutionem illam Matt. 6. Nónne vos magis pluris eſtis? ipſe dimiſit vt habetur in æditione noſtra. Et illam item: Pauperes euangelizantur. dimiſit intactam. Vnde neque Euangeliſtæ, neque Apoſtoli magnopere de ratione ſermonis Grammatici curauerunt. Sunt etenim in Græco ſermone, quem & ipſi Euangeliſtæ atque Apoſtoli & ædiderunt, & ſcripſerunt, nonnulla poſita præter rationem Grammaticam, quemadmodum teſtantur viri in Græcis literis eruditiſsimi. Deinde Latinorum Eccleſia, videns apud Hebræos forſitan & Græcos varia eſſe exemplaria, & ideo ſuſpectam habens fidelitatem codicũ eorum, perſtitit in æditione Latina inueterata atque vulgari: iudicans pro illis temporibus eſſe vtilius, manere in æditione recepta legentium vetuſtate firmata, quã æditionem nouam, etiam magis euidentem & conſonam ſuo fonti, publicè in eccleſijs legendam atque cantandam recipere, & turbare ſimplicium fidem. Interim tamen non vetuit Eccleſia, vel pia nouorum interpretum ſtudia, vel nouas eruditiſsimorum virorum æditiones: ex quarum profectò collatione noſtra magis intelligimus, magisq; penetramus in ſacrarum ſcripturarum ſenſus. Cæterùm non oportet quod olim ſub Hieronymi ſeculis, pro conditione illorum temporum Eccleſiæ fuerat vtile, id etiam nũc vtile eſſe. Ideo etſi olim expediebat eccleſiæ æditionem nouam in vſum recipere, non tamen hinc oportet ſequi, nunc eſſe vtile aliam nouam recipere. Olim magna erat Latinorum codicum varietas, & interpretum diſſonãtia, quæ ingerebant multis in ſcripturæ locis de textu ſcripturæ ſacræ quæſtiones: ſuper quibus diſſoluendis, Latini patres nihil certi habẽtes indigebant aliis duabus linguis, Hebræa videlicet & Græca. Sed nobis iam in vſu habentibus vnicam æditionem Latinam, ad vetuſta Latinorum exẽplaria emendatam, etiã olim ex ſuis fontibus examinatã, nõ deinceps opus eſt ſic recurrere. Neq; enim poſſumus iam ſic ſuſpectam habere hanc noſtram æditionẽ, quẽadmodum illi olim ſuſpectas habere poterant interpretũ Latinorum varietates: præſertim cùm etiam tẽporibus his pleraque volumina Græca inter ſe varient & diſcrepent, quemadmodum & diuus ipſe Hieronymus teſtatur in commentariis ſuper caput quintum epiſtolæ ad Galatas. Scio, inquit, in Latinis codicibus in eo teſtimonio, quod ſuprà poſuimus: Si tradidero corpus meum vt glorier. haberi ardeam pro glorier: ſed ob ſimilitudinem verbi, qua apud Græcos ardeam & glorier vna parte literæ diſtinguitur, apud noſtros error inoleuit. Sed & apud ipſos Græcos exemplaria ſunt diuerſa. Proinde & Ambroſius in commentariis epiſtolæ ad Romanos capite quinto, & in commentariis epiſtolæ ad Galatas capite ſecũdo, Græcorũ codices poſtponit Latinis, arbitrans magis Latinis codicibus, quàm Græcis fidem eſſe adhibendam. Vnde & ex doctrina diui Hierónymi diſcimus, quibuſdam in lõcis æditionem noſtram Latinam eſſe emendatiorem quàm Græcorum codices. Nam primæ ad Corint. 7. quod legimus in vulgatis Latinorum codicibus (& diuiſus eſt) hoc Hieronymus ſcribit eſſe apoſtolicæ veritatis: quod tamen in Græcis exemplaribus non ſic habetur. Si apoſtolica veritas habeat quemadmodum nos habemus, hoc videlicet pacto: Qui cum vxore ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ domini ſunt. Et Græci codices non ſic, ſed aliter habeant, hoc videlicet pacto: Qui verò duxerit vxorem, ſolicitus eſt de his quę ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſa eſt mulier & virgo: conſequens eſt exemplaria Latina in quibuſdam eſſe veritati apoſtolicæ magis cõſona q̃ Græca. Quamobrem ex eo quòd ipſe Hieron. dicit, aliter interdũ haberi in Græco quàm habeat

Hieronymus

æditio

æditio noſtra Latina: non oportet conſequẽs eſſe eandem æditionẽ Latinam non eſſe diui Hieronymi, purã, caſtigatam, aut emendatam ad verorum codicum Græcorum fidem. Vnde ipſe teſtatur nouum teſtamentũ ſe ità caſtigaſſe, vt ea quæ ſenſum variarent ſolùm corrigeret, dimiſsis cęteris vt fuerant, etiã ſi illa minùs forſitan aptè, ac contemptibili ſermone ſcripſerit interpres. Vnde ipſe ad Paulinum: Nolo, inquit, vt offendaris in ſcripturæ ſacræ ſimplicitate, & quaſi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de induſtria ſic prolata ſunt, vt ruſticã concionem faciliùs inſtruerent, & in vna eadẽq; ſententia aliter ſentiret doctus, aliter indoctus. Gregorius in præfatione beati Iob: Non barbariſmi confuſionem deuito, ſitus motusq; prępoſitionũ etiam caſusq; ſeruare cõtemno: quia indignum vehementer exiſtimo, vt verba cœleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati. Neq; etiã hęc ab vllis interpretibus in ſcripturę ſacrę authoritate ſeruata ſunt. Humili, ſimplici & inaffectato ſermone vſus eſt Chriſtus, vti ſunt Apoſtoli, librorũ ſacrę ſcripturę authores. Nõ in perſuaſibilibus humanę ſapiẽtię verbis ſermo meus eſt, inquit Paulus, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, &c. Item: Miſit me Chriſtus euangelizare, non in ſapiẽtia ſermonis, vt non euacuetur crux Chriſti. Paulus cùm dicit: Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia: non tantũ humilitatis & modeſtię cauſa, ſed verè hoc dixit, quemadmodum docet diuus Hieron. in commentariis ad Gala. 5. tractans ſermonẽ Apoſtoli, inferentis ſingularem numerũ plurali: Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu manſuetudinis: conſiderãs teipſum, ne & tu tenteris. Paulus Hebræus ex Hebræis, & qui eſſet in vernaculo ſermone doctiſsimus, profundos ſenſus, inquit Hieron. aliena lingua exprimere non valebat: nec curabat magnopere de verbis, cùm ſenſus eſſet in tuto. Plerũq; igitur humilis, & præter rationẽ artis Grammaticæ, eſt ſcripturę ſacrę ſermo, etiã in ſuo fonte conſcriptus. Neq; tamen ſtylo huic quantũuis humili iam ſua deeſt eloquentia, qua in canonicis libris voluit vti ſpiritus ſanctus, abſq; affectata ſermonis elegantia rhetorum ac oratorũ huius mundi, verbis ſua adeſt eloquentia, ſuaq; vis perſuaſoria, foris aures demulcens, intusq; ſenſum carnis oblectans & alliciẽs. Porrò diuinę ſcripturę ſermonibus adeſt quędã vis longè præſtantior, ſublimior, ac vehementior, mirabili quadam energia intus penetrans lectoris animum, humiliter, piè ac ſtudioſè intentum. Ad lectionem ſcripturæ ſacræ quantũuis humili ac rudi ſtylo conſcriptæ, quis vnq̃ acceſsit qui non inde calorem quendam cœleſtis ignis hauſerit? ſuauitatẽ quandam cœleſtis ſpiritus ſentiens, magis intus in ſecreto cubiculo cordis, q̃ vllis valeat foris exprimi ſermonibus eloquentiæ huius mundi. Nec mirum, verba enim ſcripturæ huius, eloquia ſunt diuini ſpiritus: qui cùm, vt inquit Sapiens, ſit diſertus, ſeu facundus, omnium artifex, omnis eloquẽtię fons, reſeruauit in ſuis ſermonibus ſibi peculiarẽ quandam ſententiarũ compoſitionem, ſtyliq; ornatum congruum viris fide digniſsimis, & loquuturis de rebus altiſsimis atq; veriſsimis. Vnde Auguſt. lib. 4. de doctrina Chriſtiana quæſtionem mouet: Vtrùm authores noſtri, quorum ſcripta diuinitus inſpirata, canonẽ nobis ſaluberrima authoritate fecerunt, ſapientes tantũmodo, an eloquentes etiam nũcupandi ſunt. Reſpondens: Quæ quidem quæſtio, inquit, apud meipſum, & apud eos, qui mecum quod dico ſentiunt, facilimè ſoluitur. Nam vbi eos intelligo, non ſolùm nihil eis ſapientius, verùm etiã nihil eloquentius mihi videri poteſt. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt quod illi loquuntur, ſimul intelligere, nõ eos aliter loqui debuiſſe. Sicut enim eſt quædam eloquentia, quæ magis ætatem iuuenilẽ decet, eſt & quæ ſenilem: nec iam dicenda eſt eloquentia, ſi perſonę non congruat eloquentis: ita eſt eloquẽtia, quæ viros ſumma authoritate diuinos decet. Vbi verò eos non intelligo, minùs quidem mihi apparet eorum eloquentia: ſed eam non dubito eſſe talem, qualis eſt vbi intelligo. Cui ſanè eloquentię obſcu-

1. Cor. 2. 1. Cor. 1. 2. Cor. 11.

Cap. 6. Authores ſcripturæ ſacræ eloquentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritas quędam miſcenda fuerat, in qua proficere noſter intellectus, tam inuentione quàm exercitatione deberet. Patres ergo noſtri, quorum ſcripta diuinitus inſpirata, canonem nobis ſaluberrima authoritate fecerunt, præditi fuerunt non tantummodo ſapientia, ſed & eloquentia: non ea quidem quæ iuuenilem decet ætatem, ſed ſenilem, virosq; ſumma authoritate digniſſimos, planèq; diuinos, qui ſpiritu ſancto tuos libros ita compoſuerunt, vt eloquentiam ipſam nec improbarēt, nec oſtentarent: tali quadam eloquentia vſi, qualis perſonis ipſis congruebat. Supradictis conſideratis, facile eſt intelligere vtriuſque partis argumentum. Solutio argumentorum. Ad primum quod dicitur: Hieronymus hanc æditionem fecit eo ſpiritu, quo & ipſa eſt ædita à prophetis in ſuo fonte. Reſpondeo: Hieronymus quidem fecit æditionē ſuam eodem ſpiritu quo & prophetæ ſuam ſcripturā ædiderunt in ſuo fonte: ſed neceſſariis aut veriſimilibus argumentis ſuperiùs poſitis, perſuaſum eſt eruditis quibuſdam, hanc non eſſe eam puram, quam Hieronymus caſtigatā reddidit. Verùm donemus hanc talem eſſe, eamq; eodem ſpiritu factam eſſe, quo & ſcriptura ipſa eſt à prophetis in ſuo fonte ædita, non inde cōſequens eſt, Hieronymum accepiſſe myſticam viſionum propheticarum intelligentiam, tam planè quàm acceperunt prophetæ viſiones illas propheticas deſcribentes. Nam ſecundùm doctrinam Apoſtoli 1. ad Cor. 12. Ad Cor. 12. idem ſpiritus ſanctus in diuerſis membris corporis Chriſti diuerſa habet officia, diuerſaq; operatur & dona. Vnde dicitur ſpiritus prophetiæ & intelligentiæ reuelationum myſticarum, ſpiritus ſapientiæ, ſpiritus operationum, virtutum, ſeu miraculorum, ſpiritus doni linguarum, ſpiritus fidei, ſpiritus charitatis. Spiritus charitatis, Spiritus fidei, Spiritus prophetarum. Sanctus Dauid ſpiritu charitatis noluit ædificare templū Dei: ſed non id voluit ex prophetico ſpiritu Dei reuelantis vt hoc faceret. Quàmuis igitur concedamus ſic eſſe, quòd ſacram ſcripturam Hieronymus traduxerit in Latinorum linguam ſpiritu charitatis, non tamen inde conficitur, eundem traduxiſſe omnem ſcripturæ locū ex illuminatione ſpiritus aperientis ei ſenſum, vt quēlibet ſcripturæ locum tam clarè intelligeret, quàm intellexit propheta qui eandē ſcripturam in ſuo fonte dictauit, irradiante prophetica viſione. Aliud eſt interpretis officium, aliud prophetę. Vnde traducere ſcripturam ex ſuo fonte in aliam linguā poteſt eſſe opus humanum abſq; ſpiritu fidei & charitatis. Et ſi fiat virtute ſpiritus ſancti operantis, potiùs pertinet ad donum linguarum, q̄ ad donum intelligentiæ ſcripturarum. Poteſt enim quis rectè vertere propheticā aliquam viſionem neſciens tamē myſticam illius ſignificationem. Hieronymus aūt, quia ex ſpiritu fidei charitatis ad traducendum ſcripturas acceſsit, ſi vſpiam errauerit, pernicioſè deceptus non fuit, nec à veritate fidei in tranſlatione deuiauit, nec vllis in locis adhuc compertus fuerat à mente ſcriptoris deuiaſſe. De doctrina Chriſt lib. 3. cap. 43. Vnde Hebræi teſte Auguſtino interpretationem eius ſub illis ſeculis fatebantur eſſe veracē. Cęterū ipſe traducens ſcripturā ſacrā, egit quidē negotiū totius Eccleſię, quę non fallitur: ſed non inde conſequens eſt, æditionē eius nuſquā aberrare ab Hebraica veritate. Aliud eſt iuſſu Eccleſię nouum teſtamentum caſtigare: aliud eſt, id quod caſtigatum eſt iuſſu Eccleſiæ in ſingulis ſic approbare, vt nō liceat vnq̄ hęſitare aut dubitare, ne fortè interpres non rectè ſcripturā verterit. Neq; enim tenemur credere æditionem cuiuſquā ſic eſſe in omnibus conſonā, niſi vel eam ad ſuum fontem conferentes talem eſſe videamus: vel eccleſia vniuerſalis, aut ſpiritu ſancto, aut experimento edocta, authoritate ſua definiat eam penitus ſic conſonam eſſe. Solutio 2. argumenti. Ad ſecundum argumentū quo aſſumitur: Si Biblia noſtra Latina in quibuſdam deuiaſſet, aut à Græco, aut ab Hebraico ſenſu, nihil authoritatis eſſet in illa. Dicimus hoc non conſequi. Recepta enim hæc noſtra tranſlatio Latina ſuā habet authoritatem apud Eccleſiam Latinam, quæ recepit eam tanq̄ diligenter diſcuſſam & examinatam, & cum ſcripturis in ſuo fonte ſeduló collatā, æditam ab interprete,

A te, qui ſubdola interpretatione, neq; celauit, neq; adiecit, neq; ſubtraxit quicquā in omnibus ſcripturæ locis, nuſquā deuius à fidei Chriſtianæq; religionis myſteriis atq; præceptis, ſuper quibus præcipua eſt controuerſia Chriſtianę Eccleſię cū Iudæis & hæreticis, quemadmodum & apud Eccleſiam primitiuam olim ſuam habuit authoritatem ſeptuaginta interpretū æditio, ex qua & Chriſtus & Apoſtoli probauerant fidei noſtrę myſteria. Neq; conſequentiam probat verbum citatum ex Auguſtino, qui loquitur de ſcriptura, quæ ædita manet in ſuo fonte incorrupta, in qua nihil eſt deuium. Secus eſt de ſcriptura traducta, de qua poſſumus ſuſpicari, ne fortè interpres in quibuſdam non rectè fuerit aſſecutus mētem authoris. Neq; inde conſequens eſt, totam huius ſcripturæ authoritatem corruere. Quemadmodum enim ſub ſeculis illis, quibus vniuerſæ eccleſiæ vtebantur ſeptuaginta interpretibus: catholici innitebantur eorundem ſeptuaginta interpretū æditioB ni, quam quotidie legebant, audiebant, cantabant, atq; in ſententiis fidei corroborandis citabant: quæ tamē ęditio vt in multis diminuta, in quibuſdam ſuperflua, in aliis difficilis & obſcura, non penitus conſentiebat cum Hebraica veritate. Sed non inde conſequens eſt in illis ſcripturis. 70. interpretum, non fuiſſe quicquā authoritatis. Quandoquidem & Chriſtus, & Apoſtoli ad ponendū primordia Chriſtianæ fidei ſunt vſi tranſlatione illa tanq̄ recepta. Neq; itē ſequitur, quòd patres illius ſeculi vtentes illa, fecerint aut Chriſtianę eccleſię fidem vacillare, aut Eccleſiam vti ſcriptura apocrypha & ſuſpecta. Nam quoties nobis cū hęreticis diſputatio eſt, rara eſt cōtrouerſia de diſſonantia æditionis noſtræ ab Hebraica aut Grę ca veritate. Vnde & hactenus Eccleſia manet cōtenta æditione iſta tanquam longo vſu atq; experimento comperta, nuſquam pernicioſè aut fallaciter deuiare. Quotquot fuerunt hactenus viri linguarum peritiſsimi, conferentes hanc ęditionem noſtram Latinam cum ſcripturis in ſuo fonte æditis, ſi aliquot in locis & eis quidem pauciſsimis, certò demonſtrauerint aliquid eſſe vtcunq; deuium, aut alienum à veritate Græcæ fidei, in qua nouum teſtamentum eſt ſcriptum, nuſquā tamen ex Græcis exemplaribus inuenerunt aliam aut fidei, aut præcepti normam: ſed paucis quibuſdam exceptis indicauerunt ſolū vel ſolœciſmos, vel voces ineptas latini ſermonis, vel varietates codicū & exemplariorum, vel locos nūc obſcuros ſeu ambiguos, nunc depranatos, nunc aliquantulū additione vel ſubtractione immutatos, ſecundū eam mutationē, quę ſenſum in fide & moribus nō peruertit. In ſuperioribus recitauimus nonnullos tales ſcripturę locos. Vnde & 1. ad Cor. 15. Græcorū codices inter ſe variant. Quidā habent ſenſum ſecundū vulgatā æditionem noſtrā: Oēs quidem reſurgemus, ſed nō omnes immutabimur. Alij aūt ſenſum longè aliū: Non oēs quidē dormiemus, omnes tamē immutabimur: quē ſecuD ti ſunt veteres, Tertul. Orig. Theophil. & Chryſoſt. Hieronymus in epiſtola ad Minerium & Alexandrū, vtrāq; lectionem cōmemorans, pręfert eam qua nunc vtitur vulgata æditio. Hic etſi ſint contrarij ſermones, non ſunt tamē ſententię cōtrarię. Vnde diligenter conſiderato ordine ſententiarum Apoſtoli in illo cap. 15. quibuſdam magis congrua veritati apoſtolicæ videtur Græcorū lectio, vt intelligamus: Non omnes dormiemus, ſcilicet in puluere, veluti qui in aduentu Domini reperiemur viui: omnes tamen immutabimur in corruptionē & immortalitatem ęternę glorię, intelligēdo non omnes abſolutè, ſed eos omnes qui fuerūt iuſtificati per Chriſtum, de quibus præmiſit: In Chriſto omnes viuificabūtur. de quibus & ſubiungit: Mortui reſurgent incorrupti. Rurſus ſub Hieronymi ſeculo, Latina exemplaria quibuſdam in locis magis quàm Græca, erant conſona apoſtolicæ veritati, quemadmodum ex ſuperioribus patet de verbo Apoſt. 1. ad Cor. 7. Et diuiſus eſt. Proinde ex eo quòd exemplaria Græcorum interdū & id quidem rariſsimè, nunc alium habeant ſenſum, quàm æditio Latina, non eſt conſequens

Aeditio 70. interpretū clim habuit authoritatē, qua & vſi ſunt Chriſtus & Apoſtoli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eandem æditionem Latinã esse deuiam à veritate suæ originis, nisi ex patribus ostendatur, Grecos codices illis in locis habuisse olim sic vt nũc habent, eosq; propterea depravatos nõ esse. Deinde hęc cùm sint numero pauciſsima, vel de locis scripturæ ambiguis, etiam olim notatis à patribus inter se nõ penitus conuenientibus, vel de rebus gestis, quę siue sic, siue aliter contigerunt, possunt fidẽ & mores ędificare, nõ sunt propter quæ oporteat turbari, vel mouere interminabiles quęstiones, suscitare contentiones & rixas, & concitare schismata, & suspectam facere sanctorum patrum authoritatem, & elaboratisimas scripturarũ expositiones, ac interpretationes reddere contemptibiles.

Argumenti 3 solutio.

Ad tertium argumentum similiter dicimus, consequentiam esse inualidam. Nam fidei & morũ præcepta aliaq; ad salutem vtilia, sufficienter sunt expressa & declarata in æditione nostra Latina, eaq; in quibus discrepat æditio nostra Latina à veritate Græca, non multùm iuuare possunt hæreticos. Quamobrem non oportet nos turbari, si quibusdam in locis æditionis nostræ scriptura sit vel ambigua, vel obscura, vel suspecta, tanquã aliquantulum deuia à mente scriptoris. Quemadmodum neq; oportet nos turbari, si in lege Moysi, in prophetis, in Apocalypsi Iohannis, cæterisq; scripturis, dicantur esse sermones quidam difficiles, obscuri, quorũ sensus in hodiernum vsq; diem est incertus & ambiguus, tam Christianæ ecclesiæ, quàm Hebræorum synagogæ. Modò hoc sciamus, omnia saluti nostræ vtilia, quæ significantur in locis illis obscuris, vel alibi, lucidè & clarè explicari tam fidei nostræ mysteria, q̃ Christianorum morum dogmata: vel non inducere aliam fidem, aut viuendi regulã, vel non multùm facere ad fidei causam, quam Ecclesia habet cum Iudæis & hæreticis. Proinde pernicioſè fallitur, quisquis ex Hebræorum aut Græcorum textu conatur se posse vel inuenire aliam fidei regulam aut alia Christianorum morum præcepta, vel demonstrare in docendis eisdem moribus, ac fidei regulis hactenus erraſſe Ecclesiam Latinam.

Argumenti 4. solutio.

Ad quartum argumentum quo dicitur: Deus dedit Ecclesiæ Latinæ sacrosanctũ scripturarum canonem, omni errore carentem.

Respondeo. Deus dedit vtiq; populo suo sacrosanctum scripturarum canonem cœlestemq; philosophiam, omni errore carentem in suo fonte suaq; origine. Sed non est inde consequens, ędition em vel huius, vel illius interpretis vt talem esse acceptandam. Vnde neq; ipse Hieron. suam æditionẽ vt talem habere voluit, pleriſque in locis ambiguam & suspensam tenens sententiam, & relinquens in alterius iudicio, siue sic, siue aliter velit interpretari. Tam in Græcis quã in Hebręis bibliis sunt sermones quidam ancipites, non solùm secundùm æquiuocationẽ vocabulorum, sed & secundùm casus, tempora, distinctiones ac pronunciationes. Quibus fit, vt pleriq; sermones scripti in suo fonte suaque origine ambigui & incerti, occasionem dederint interpretibus, nunc sic, nunc aliter interpretandi. Neque hic sequitur Deum aut non satis Ecclesiæ Christianæ consuluisse, aut maiorẽ curam habuisse de synagoga Moysi, quàm de Ecclesia Christi, dum legẽ à Chaldæis igne consumptam, reparat illis per Esdram sacerdotem. Deus nempe sufficienter prouidit Ecclesiæ, dum per Christum, Euangelistas & Apostolos aperuit & reuelauit fidei mysteria, clausa & obumbrata in obscuriſsimis locis scripturarum legis veteris, tametsi non omnes eiusdem legis locos figillatim in scripturis nouæ legis declarauerit. Maioris beneficij est aperire sensum, & reuelare internos hominum oculos, vt cõsiderent mirabilia in lege sub vmbris & figuris velata, quàm easdem legis vmbras & figuras semel sublatas foris in mẽbrana restituere. Insuper maioris beneficij est in scripturis euangelicis & apostolicis huiusmodi mysteria declarare, quàm scripturas in libris legis & prophetarũ semel consumptas reparare.

Hieronymus in epistola ad Suniam.

Argumenti 5 & 6 solutio.

Ad quintũ & sextum argumentũ patet responsio ex supradictis. Varietas enim codicũ & exemplariorum, non arguit vniuersalem scripturæ depraua-

A prauationem, quantum ad vetus testamentum attinet, non est verisimile Hebręos Iudæos tam longè lateq; dispersos, conspirasse in corruptionem suorum voluminum, & se voluisse priuare veritate scripturarum, ex quibus tantopere expectant suum futurum Christum. Quantum verò ad nouum attinet testamentũ, verisimile est, si Græci suos codices noui testamenti voluissent deprauare, id pociſsimum feciſſent his in locis, in quibus res tractantur, super quibus iam olim inceperunt ab Ecclesia Latina dissentire: sed huiusmodi loca videmus cum vetustiſsimis exemplaribus conuenire. Ergo neque alius locus vllus debet haberi suspectus, tanquàm à communi Græcorum schola deprauatus. Ad verbum Origenis, homilia octaua super Matthæum, Respondeo vtiq; verum esse quòd Origenes doceat ibidem, suo seculo multam esse differentiam inter Græcorũ exemplaria: sed hanc differentiam docet non de industria Ecclesiæ Græcorum, sed ex

B negligentia scriptorum aut sciolorum, perperam corrigentium libros, esse profectam. Quod, vt pateat, eius textum Latinum versum adducimus: Multam, inquit, differentiam inter exemplaria inuenimus, siue per negligentiam scribentiũ, siue ex temeritate quorundam, siue propter eos qui negligunt emendare scripturas, vel propter eos, qui quod ipsis videtur in emendationibus vel adijciunt, vel subducunt. Ad ea quæ in corroborationem argumenti ex Origine adducuntur, eundem videlicet Origenem suo seculo non fuisse ausum in nouo testamẽto per obelos & asteriscos pronunciare, quid apud Græcam veritatem haberetur, quod tamen erat ausus in veteri testamento facere. Respondeo, verbum hoc Origenis vtique concludere, Origenem sic opinatum esse, & se non fuisse cõsum vllis exemplaribus Græcis, tanquam prorsus integris, puris, nullaque sui parte vitiatis, &

C neque nos sic fidimus: sed non inde consequitur Origenem suis seculis existimaſſe, Græcorum codices esse vniuersaliter, & de industria vllis in locis deprauatos, alioqui ipse sibi Origenes foret contrarius. Hieronymus quoque centum & quinquaginta annis posterior illo, feciſſet imprudenter, tentans nouum testamentum restituere veritati Græcæ fidei. Vnde ex collatis exemplaribus casu deprauatis, sæpe deprehenditur vera lectio, propterea quòd sæpenumero fit, vt quod in vno codice est deprauatum scriptorum incuria, in alio codice reperiatur integrum. Hunc etiam in modum sententias Ambrosij & Hieronymi dicimus superioribus sententijs non obuiare. Neque enim Ambrosius vniuersaliter loquitur, omnes Latinorum codices esse emendatiores, quàm Græcorum, sed particulariter & indefinitè dixit, quosdam codices Latinorum esse emendatiores, quos temporum simplicitas seruauit incorruptos. Deinde Hieronymus in præfatione su-

Hieronymus

D per Pentateuchum, non asserendo dixit emendatiora esse Latina exemplaria, quàm Græca, & emendatiora esse Græca quàm Hebraica: sed hoc inducit tanquã absurdum. Vnde & ipse in epistola ad Suniam & Fretelam: Sicut in nouo testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo nouum scriptum est testamentũ, ita in veteri testamento, si quando inter Græcos Latinosque diuersitas est, recurrimus ad Hebraicam veritatem. Approbat & hanc sententiam Augustinus in lib. 2 de Doctrina Christiana, cap. 14. Vnde Hebræis scripturis, si Iosepho credimus, nec adijcere, nec auferre quisquã præsumpsit. Quinimo illustrium virorũ quosdam id tentare ausos legimus, aduersa mentis valetudine & languore corporis tamdiu conflictatos, donec ab incepto desisterent. Hic iam sunt qui dicunt huiusmodi Hieronymi & Augustini sententias accipiendas secundum tempus, quo erat numerosa Latinorum codicum varietas & corruptela, in quo nondum ab Ecclesia erat recepta, qua nunc vtimur, translatio Hieronymi, qui neque vetus testamentum ex Hebræo in Latinum verterat, neque nouum adhuc Græcæ

Augustinus

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidei restituerat. Iam autem postquam recepta, inquiunt, est Latina nostra æditio, approbata atque inuenta non esse vspiam deuia à veritate suæ originis, non amplius est nobis recurrendum ad Hebræorum vel Græcorum volumina. Respondeo vtique verum esse sub illis temporibus magis vrgentem, magisque necessariam fuisse causam recurrẽdi ad Hebræorum vel Græcorũ volumina, quàm nunc est. Tunc erat Latinorum interpretum numerosa varietas, propter quam exoriebantur inter Latinos quæstiones multæ, super vera æditione scripturæ sacræ sic translata. Post translata autem & emendata ab Hieronymo exemplaria, cæteris exemplaribus paulatim ab vsu deficientibus, permansit Ecclesia in simplicitate huius æditionis Latinæ: quæ siue Hieronymi sit, siue alterius, siue mixta, quantum ad regulas fidei attinet, & Christianos mores, à veritate Græca & Hebraica non discrepat. Quamobrem non tanta fuit posteris necessitas recurrendi ad fontem Græci vel Hebraici sermonis. Vnde Hieronymus & Augustinus non absolutè dicunt sacræ Theologiæ studioso semper esse recurrendum ad Hebræa & Græca exemplaria, sed restrictè loquuntur: Si quando, inquiunt, apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, ad fontẽ est recurrendum. Verùm non inde consequens est, quinetiam post Hieronymi secula sacræ Theologiæ studiosus possit recurrere ad fontem Hebraici aut Græci sermonis, ad intelligendum ac interpretandum locos quosdam in æditione nostra Latina aut obscuros, aut ambiguos, minus cõgruè, vt videtur, positos. Ad argumentum septimum, sumptum ex verbo Hieronymi, suspicantis veteres Hebræorum libros olim aliter habuisse, quàm nunc habent. Dicimus Hieronymum suspicatũ esse, post Christum incarnatum quædam Hebræa volumina esse deprauata in locis quibusdam, & eis quidem paucissimis, quæ & in alijs aliter scripta & citata inueniebat. Neque oportet, si Hebræorum codices quibusdam in locis possint haberi vt suspecti, quòd ergo possint rationabiliter haberi tanquam suspecti in singulis locis. Stultum est enim dicere eos esse de falsatione suspectos illis in locis, in quibus consentiunt vniuersi, tam vetusti quàm noui. Vnde Hieronymus ipse tractans illud Apostoli ad Galatas 3. Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Hunc morem habeo, inquit, vt quotiescunque ab Apostolis de veteri testamento aliquid sumitur, recurram ad originales libros, & diligenter inspiciam, quomodo in suis locis scripta sunt. Inueni itaque in Deuter. hoc ipsum apud septuaginta interpretes ita positum: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus sermonibus legis, vt faciat illos. Apud Hebræos autem legimus: Maledictus qui non permanet in sermonibus legis, nec eos opere perficit: vbi nec omnes, nec omnibus legimus. Sic quoq; Aquila, Symmachus, & Theodotion, sine vniuersalitatis nota sunt interpretati. Ex quo intelligimus, inquit Hieronymus, Apostolum vt in cæteris sensum magis testimonij posuisse, quàm verba: & incertum habemus, vtrùm septuaginta interpretes addiderint omnes vel omnibus, an ita in veteri Hebraico fuerit, & postea à Iudæis deletum sit. In hanc suspitionem me, inquit, res illa stimulat, quod verbum Omnis, & in omnibus, quasi sensu suo necessarium ad probandum illud: Quòd quicunque sub operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Apostolus Hebreæ peritiæ & in lege doctissimus, nunquam protulisset, nisi in Hebræis voluminibus haberetur. Quamobrem Hebræa Samaritanorum volumina relegens, inueni Hebraicum verbum, quod interpretatur, omnis, siue in omnibus. Frustra igitur tulerunt id Iudæi, ne viderentur esse sub maledicto, non potentes implere quæ scripta sunt. Ex his igitur consequens est, Hieronymũ fuisse suspicatum, Iudeos nonnullis in locis deprauasse scripturæ sacræ libros: sed hanc deprauationem non fuisse

Augustin. 2. de Doct. cap. 11. Hieron. ad Galat. 3.

Argumẽti septimi solutio.

Hieron. ad Gala. 3.

Ad Galat. 3.

fuisse tam vniuersalem, quin possit emendari, collatione facta ad cætera exemplaria. Sed siue sic, siue aliter fuerit factum, certum est ea, quæ etiam in hæc vsque tempora, de inimicorum nostrorum codicibus proferuntur, sufficere ad omnia fidei nostræ mysteria comprobanda. Quandoquidem omnia loca, ex quibus fidei nostrę argumenta sumuntur, videmus vetustissimis eorum exemplaribus concordare, & sic esse scripta, quemadmodum leguntur ab antiquis fidei nostræ patribus. Ad aliud, quod in argumento assumitur, Ecclesiam per Damasum Papam æditionem Hieronymi approbasse, satis mihi videntur respondisse, qui dicunt, aliud esse iussu Ecclesiæ aliquid castigari, seu transferri: aliud est illud, quod castigatum seu translatum est, eiusdem Ecclesiæ authoritate sic approbari, vt non liceat vspiam, neque de interpretatione, an rectè sit facta, dubitare, neque quod interpretatum est, collatione facta ad scripturam originalem, examinare. Ostensum est in superioribus probable esse, hanc quam habemus æditionem, non esse eam puram, quam Hieronymus castigauit. Verùm demus nos habere illam, sentiamusq; eam ita esse authoritate apostolica approbatam, vt illi sit standum semper in regula fidei, ac Christianorum morum: sed non inde sequitur, nobis non licere conferendo, recurrere ad fontem Græcæ vel hebraicæ veritatis, & examinare, si fortè melius valeamus scripturam ex fonte, quàm ex riuis intelligere. Insuper demus, authoritatẽ Ecclesiæ approbasse æditionẽ Hieronymi in omnibus & originem scripturæ. Tractu enim temporis fieri potest, vt loca quædam tum multorum examinatione, ac discussione, tum hæreticorum perturbatione, tum praua sciolorum expositione reddantur in æditione Latina, vel dubia, vel ambigua, vel perperam intellecta ad sensus quosdam alienos, de quibus non cogitauit interpres. Pro quibus absoluendis, recurrendum est ad scripturas æditas in suo fonte. Ad octauum argmentum respondeo, non oportere nos recipere, quę in Iudæorum Talmud, aut in Tiquyn sofrim afferuntur vera esse. Vnde & tiquyn sofrim, & Talmud, sunt mendacia scribarum, de quibus tunc futuris vaticinatus fuerat Hieremias cap. 8. Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarũ. Ex illis ergo libris non oportet credere, Hebraicum textum olim ante Christum natum, fuisse falsatum, Iudæosque sub Christo non habuisse verum scripturæ sacræ textum. Vnde neque Christus in euangelijs, neque Paulus suis in epistolis, cæterive Apostoli vspiam leguntur arguisse Iudæos, quòd aut falsauerint, aut deprauauerint scripturas veteris legis: quin potiùs ad easdem scrutandas remiserunt illos, docentes in lectione veteris testamenti velamen esse positum super corda eorum, vt non intelligant illud, donec conuertantur ad Christum. Vnde & in hodiernum vsque diem crediderunt patres orthodoxi, Iudæos esse custodes seu capsarios librorum, ex quibus adferuntur fidei nostræ testimonia, etiam contra ipsos in scripturis exponendis excęcatos. Diuus Thomas in commentariis ad Romanos nono, credidit vsque in sua tempora Iudæos custodijsse fidei nostræ libros. Cæterùm donemus istam tyquin, seu correctionem sic à scribis esse factam ante Christum, nihil inde sequitur contra sententias patrum recitatas. Quandoquidem & illa admodum pauca, quæ sofrin, id est, scribæ erasisse feruntur, in suis quibusdam codicibus notantur, & designantur. Quo fit, vt ipsi rabbini in occulto habeant veram scripturam integram, quam simplici populo & gentibus propter causas quasdam tradunt alterã, & in quibusdam immutatam. Quemadmodum sub Ptolemæo septuaginta dederunt gentibus scripturam hanc versam, quibusdam in locis alteram, nonnullis mysteriis ex causa tacitis & suppressis, quod quemadmodum illi iusta fecerunt ratione, ita & sofrim, id est, scribæ, sapientes, iusta, inquiunt, ratione fecerunt istam tiquyn, id est, correctionem. Videntes

Solutio argumenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dentes enim scripturas, per septuaginta interpretes in Græcum versas, gentibus publicari: considerantes insuper Prophetas, quibusdam in locis attribuisse Deo nonnulla, quæ æstimabant vel dedecorosa, vel impossibilia, quædam etiam risu digna, & contemptibilia, quibus apud gentes, huiusque mundi sapientes, simplicemque populum Prophętarum scripturæ redderentur contemptibiles, iudicauerunt esse vtile de eorundem Prophetarum scripturis abradere quædam; existimantes illa tanquam absurda, Deoq; indigna. Verùm scribę hac in re habentes zelum Dei legisque illius, non secundùm scientiam, deprauarunt potiùs atque falsarunt scripturas. Ignorantes enim diuini consilij altitudinem statutam super humanum genus, redimendum per Christum, verum Deum & hominem, stultè arbitrati sunt, bonum esse tollere literam vnam aut alteram de lege, pro gloria & magnificentia Dei. Et iste, quemadmodum diximus, est stylus mendax scribarũ, eradentium ea, in quibus latebant inclyta quædam, grandia, & sublimia mysteria, cõsona Christo: qui pro nobis factus est vilis, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Hæc de tiquyn sofrim. Verùm quia ecclesiastici patres, Hieronymus, Chrysostomus, cæteriq; non meminerunt huius tiquyn, vtentes textu Hebraico secundum formam, quam ipsi Hebræi iudicant correctam, videtur magis verisimile hæc à Iudæis esse subdolè cõficta, vt & ipsi deinceps in cæteris scripturis, quæ de Christo sunt, haberent occasionem scripturas Prophetarum alterandi. Hæc autem à Iudæis esse facta ante Christi aduentum hinc colligitur, quòd Ionatas Chaldaicus Prophetarum & Hagiographorum interpres, centum fermè annos ante Christum, in sua translatione secutus est istam tiquym sofrim ad Christi stipolitanum dicentem, nullam nunc habendam fidem scripturis Hebraicis sic per puncta descriptis, & interpretatis. Dicimus hoc dictum superioribus non obstare. Nam etsi nunc Hæbræi propter puncta aliter interpretentur, aliterque intelligant scripturam, quàm debeant, non tamen vniuersaliter illa deprauauerunt. Sublatis enim punctis manet scriptura Hebraica in sua origine. Ex supradictis facientes epilogum, aliquot colligemus conclusiones.

Prima conclusio.

Prima est: Quàmuis olim sub Origenis & Augustini seculis, Ecclesia catholica non habuerit veros Prophetarum & Euangelistarũ codices descriptos ipsorum manibus, neque vlla forsitan designata scripturæ sacræ exemplaria, quibus fideret tanquam puris, integris, emendatis, & in nulla sui parte deprauatis: non tamen inde consequitur, tunc non fuisse recurrendum ad Hebræorum & Græcorum exemplaria. Nam & exemplaribus aliquantulum deprauatis & collatis inuicem, plerunque deprehenditur vera lectio: propterea quòd sæpenumerò fit, vt quod in vno codice est deprauatum, in alijs multis reperitur integrum. Proinde interrogãtibus nos hominibus, vbinam sit illa sacrosancta Biblia, cui dicimus inniti fidem Christianam. Respondemus: Si codices extarent, Prophetarum & Euangelistarum, Apostolorum manibus descripti, in vnum volumen collecti, illa foret sacrosancta Biblia. Verùm illos codices tales esse non cognoscemus, nisi fide per testimonia succedentium Ecclesiarum. Ita & nunc dicimus sacrosanctam Bibliam apud vnumquemq; esse, qui talem originalis Bibliæ codicem habet, non mendosum, non corruptum, sed transscriptum secundùm verissimũ illius veræ Bibliæ exemplar. Talem autem codicem vspiam nunc esse non oportet credere: sufficit autem si credimus, quòd Ecclesia habens codices multos, secundum temporum successiones conscriptos, simul & habeat in illis veram scripturam sacram, veram Prophetarum Apostolorumque doctrinam. Hanc autem in illo codice contineri purè & integrè, vel saltem accedere quàm maximè verisimili colligimus argumento. Si codex ille vetustissimis exemplaribus, & recentioribus secundum successionem temporum scriptis, aut penitus consentiat, aut quàm-

quàm minimè dissentiat. Neque oportet hac in re Ecclesiæ fidem vacillare, aut scripturarum authoritatem corruere, vel sacræ Theologiæ studiosos turbari, ficubi codices veteres discrepent inter se, cùm paucissima sint loca, quæ quantum attinet aut ad sensum, aut ad fidei ac morum regulam inter se dissideant. Omnis error quàmuis ad huius vitæ miserias pertiner, non omnis tamen est malum culpæ, etiam plerunque super rebus in scriptura assertis, quæ nondum videntur illic asserta esse. Errare in his rebus, inquit Augustinus, quibus nihil interest ad consequendum regnum Dei, vtrùm credantur aut non credantur, non arbitrandum est esse peccatum. In primordijs fidei nonnulla erant Christianæ religionis dogmata, quæ vel nondum erant elucidata, vel nondum in quæstionem venerant, quæ accedentibus hæreticorum quæstionibus, agitata sunt, & declarata apertiùs. Rursus quædam vel ignorauit, vel in dubijs habuit prisca Ecclesia, quæ pòst sunt explanata per concilia, & ex scripturis recentioribus Theologis reuelata, quæ fugerant veteres. Secunda conclusio: Aliud est scripturæ sermo dictatus ab eiusdem scripturæ authore. Aliud interpretis sermo, in quem eadem scriptura est versa. Aliud proinde est mutare, quod vel Propheta, vel euangelista scripsit. Aliud mutare sermonem, quem interpres ex vna lingua in aliam transferens edidit. Tertia conclusio: Apostolica sedes æditionẽ Hieronymi, vel approbauit, vel acceptauit: non tanquam penitus sic consonam scripturis æditionem in suo fonte, & in omnibus sic integram, puram, ac restitutam, vt non liceat vlli vel examinare illam, collatione facta ad suum fontem, vel in locis quibusdam dubitare, si forsitan Hieronymus sit assecutus verum scripturæ sensum: sed tanquam omnibus æditionibus tunc factis præferendam, & in regulis fidei ac morum nusquã deuiam, & tanquam talem, quæ publicè legatur & recipiatur in vsum: quæ & ad scripturas in suo fonte diligenter collata, excussa & examinata, nihil contineat subdolè vel adiectum, vel immutatum. Sed non propter hoc Hieronymus, vt Propheta vel Euangelista est habendus: qui in vertendis sacris literis, & cæterorum consuluit æditiones, & nonnulla dubitando transtulit, non condemnans sensum aliorum interpretum aliter sentientium. Ecclesiastice en transferens ex Hebræo, maximè consuetudini septuaginta interpretum sese accommodauit: in his dumtaxat, quæ non multum ab Hebraicis discrepabant. Interdum quoque Aquilæ & Symmachi & Theodotionis recordatur, ne nouitate nimia lectoris studium deterreret, quemadmodum ipse testatur in eiusdem libri præfatione. In alijs quoque libris testamenti veteris à se versis orthodoxos secutus, adducit authoritatem illorum: interdum etiam æditionem aut Symmachi, aut Theodotionis præferens æditioni septuaginta interpretum. Vnde tractans verbum illud Danielis 4. Collega ingressus est in conspectu meo. Exceptis septuaginta, inquit, translatoribus, qui hæc omnia (nescio qua ratione) præterierunt, tres reliqui collegam interpretati sunt Vnde iudicio magistrorum Ecclesiæ, æditio eorundem interpretum in hoc volumine repudiata est. & Theodotionis vulgò legitur, quæ & Hebræo & cęteris translationibus congruit. Idem Hieronymus tractans verbum Apostoli: Quibus neque ad horam cessimus subiectioni, sic iuxta Græcos codices negatiuè dictum, in arbitrio relinquit, si iuxta Latinos codices velit legere affirmatiuè dictum: quibus ad horam cessimus. Ambrosius ibidem recitata vtraque litera, docet magis secundùm Latinos codices affirmatiuè esse legendum: quibus ad horam cessimus. Quarta conclusio: Ecclesiastici patres, si propter vitium aut obscuritatem translationis vspiam in scripturis exponẽdis deuiauerint à vero sensu, quem intendebat eiusdem scripturæ author, non propter hoc sunt supercilioſiùs taxandi, aut tractandi irreuerenter: neque enim pernicioſe fallunt, neq; imputandus est error ipsis, qui existimantes sese habere verum scriptu-

Augustin. in Enchiridio ca. 11.

Secunda conclusio.

Tertia conclusio.

In Ecclesiast. æditiõe Hier. præcipuè secutus est 70. interpretes.

Hieron. ad Galat. 1.

Ambrosius Galat. 1.

Quarta conclusio.

ræ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ræ textum, longo iam vsu receptum, studuerunt ex loco scripturæ sic sibi propo-
sito eruere pias quasdam sententias, regulis Christianæ legis conformes, habita
consideratione ad ea, quæ & sequuntur, & præmittũtur. Sunt qui taxant insignes
Theologos, Ambrosium, Augustinum, cæterosque patres, propter vitia interpre-
tationis Latinæ, turpiter & pudendo errore lapsos. Credimus vtique patres istos
insignes, propter Latinæ translationis aut vitium, aut obscuritatem, interdũ non
expressisse sententiam, quam intendebat author scripturæ: sed non inde conse-
quitur, eos esse lapsos turpiter, & errore pudendo. Neque enim turpis est lapsus,
neque pudendus est error eius, qui ex scriptura, quam recipit Ecclesia, ambiguè
vel obscurè positam, docet veram, sanctam, & catholicam sententiam, etiam per
scripturæ authorem in illo forsitan loco non designatã. Vnde aliud significamus
dicentes, æditionem nostram esse falsam: aliud dicentes eam non esse rectè trans-
latam & traductam. Stat enim, sententiam, in quam Latinus interpres vertit, esse
veram, & tamen in suo fonte, ex quo est versa, non significatam, interprete sei-
psum fallente, propter linguę imperitiam aut incõsiderantiam. Deinde aliud est,
interpretem esse deceptum: aliud eum, vel de industria, vel ex penuria linguæ
non eandem sententiam prorsus reddidisse. Arduum est, inquit Hieronymus,
vt quæ in vna lingua bene sunt dicta, eundem decorem in translatione conser-
uent. Significatum est aliquid vnius verbi proprietate, non habeo meum quo id
efferam: & dum quæro implere sententiam, longo ambitu vix breuis viæ spatia
consumo. Accedunt hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varieta-
tes figurarum. Et infrà: Ab adolescentia mea non verba, sed sententias transtuli,
cùm & septuaginta interpretes, Euangelistæ atque Apostoli idem in sacris literis
fecerint. Legimus in Marco dicentem Dominum: Tabitha, cumi. statimq; sub-
iectum est, quod interpretatur: Puella, tibi dico, surge. Arguatur Euangelista
mendacij, quare addiderit, Tibi dico, cùm in Hebræo tantùm habeatur, Puella
surge. Sed vt significantiùs sensum vocantis atque imperantis exprimeret, addi-
dit, Tibi dico. Quinta: Non oportet studiosum lectorem librorum venerandæ
antiquitatis, aut turbari, aut scandalum pati, aut scripturas habere suspectas, dum
apud veteres patres legit earundem scripturarũ testimonia aliter recitari, quàm
nos habeamus nunc in æditione nostra Latina. Nempe illi scribẽtes ante æditam
& receptam translationem & correctionem Hieronymi, transferentis & emen-
dantis easdem, in veteri testamento vsi sunt, aut alijs quibusdam æditionibus La-
tinis, aut translatione septuaginta, quæ, vt ex superioribus patet, in multis discre-
pat à veritate Hebraica, secundum quam Hieronymus vetus testamentum in La
tinum vertit eloquium. Patres autem qui Græcè scripserunt, vt Clemens & Dio-
nysius Alexandrinus, Origenes, Chrysostomus, cæteríque patres in citatis scri-
pturæ testimonijs, non sic sunt diuersi, neque tam multum sunt varij, vtentes vna
veteris testamenti æditione, quæ & septuaginta interpretum est, habentes etiam
scripturas noui testamenti in suo fonte, qui tamen rursus efficiuntur inter se va-
rij, dum per diuersos interpretes traducuntur nobis ex Græco in linguam Lati-
nam. Patres autem Latini, veluti, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Victorinus,
Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, non habentes scripturam sacram
in suo fonte Latinam, inter se sunt varij propter diuersos interpretes, quibus vsi
sunt, citantes scripturæ sacræ testimonia, verbis & ordine penitus discrepantia
ab his, quæ leguntur apud Euangelistas & Prophetas, scripta in suo fonte. Sic Cy
prianus in scripturis veteris testamenti vsus est æditione alia ab ea, quàm nunc
habet Latina cõsuetudo, nimirum qui in veteri testamento vsus est æditione ver
sa ex interpretatione septuaginta interpretum, tunc forsitan etiam deprauata, &
neque rectè in linguam Latinam traducta, qui & in Psalmis non est vsus, aut ædi-
tione

De optimo genere interpretandi.

Conclusio 5.

Cyprianus

tione Gallica, aut Romana, aut ea, quæ est iuxta Hebraicam veritatem: quod fa- Psalm.115.
cilè patet considerantibus scripta eius. Vbi nos legimus: Venientes autem ve-
nient, cum exultatione portantes manipulos suos. Ipse habet: Venientes autẽ ve-
nient colligentes gramina sua, vel vt habet in libello de exhortatione martyrij:
Tollentes gramina sua. Et Psalmum quem nos habemus septuagesimum primũ,
ipse citat septuagesimum, quem Hieronymus secundùm Hebraicam veritatẽ, di-
cit esse septuagesimum secundum. Et Psalmum, Eructauit cor meum, &c. quem
nos habemus quadragesimum quartum, ipse in lib. aduersus Iudęos citat vt qua-
dragesimum tertũ, sub alia etiam verborum forma: Eructauit, inquit, cor meum
sermonem bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scriptoris, acu-
tè scribentis, decorus specie super filios hominum. Vbi & interpres errauit, ver-
tens acutè pro velociter, deceptus æquiuocatione nominis Græci oxys, quẽmad
modum & alio in loco interpres quidam errauit, ponens: Acuti pedes eorum ad
effundendum sanguinem eorum, pro veloces pedes eorum. In eodẽ lib. paucis in-
terpositis citat versiculum ex eodem Psalmo tanquam ex 44. Item in Psalmo, in-
quit, 44. Astitit regina ad dexteram tuã. Verùm suspicor codicẽ esse mendosum.
Itẽ in testamento nouo longè aliter citat plerasq; scripturas, quàm nos habemus
in æditione nostra Latina Matth. 5. vbi nos legimus: Non iurare omnino. ipse ha- Matth.5.
bet: non iurare in totum. Vbi nos Matth. 5 legimus: Possidebunt terram. ipse ha-
bet: Hæreditabunt terram. Et vbi nos legimus Matth. 19. Ibunt in ignem æternũ,
ipse habet: In ambustionem æternam. Secundæ ad Timotheum 4. vbi nos legi- Matth.19.
mus: Secundùm sua desideria coacerbabunt sibi magistros prurientes auribus, & 2.ad Tim.4.
à veritate quidem auditum auertent. ipse habet: Secundùm sua desideria coacer-
uabunt sibi magistros prurientes in audiendo, scalpentes aures: subindicans pru-
rientes, non accusatiuum, sed nominatiuum esse. Vbi nos legimus: Sic currite vt
comprehendatis. ipse habet: Sic currite, vt omnes occupetis. Act. 15. Vbi nos le- 1.Cor.9.
gimus: Vt abstineatis ab immolatis, &c. ipse longè aliter citat, hoc videlicet pa-
cto: Abstinere ab idololatriis, & sanguinis effusione, & fornicatione. Sic & ex A-
postolorum actibus aliisque scripturis citat testimonia sub alia verborum forma
& ordine, quàm habemus in æditione nostra Latina. Idem & Ambrosium feciss Ambrosius.
patet, inspicientibus commentarios eius in Psalmos, in Euangelium Lucæ, & in
Paulinas epistolas. Ad Rom. 2. vbi nos legimus: Cogitationum accusantium, aut Rom.2.
etiam defendentium. ipse habet: Cogitationibus inuicem accusantibus, aut etiã
defendentibus. Et quemadmodum ex superioribus patet, nonnulla corrigit & e-
mendat quæ habemus in nostra æditione Latina. Sic & aliis in locis plurimis, Am
brosianus textus est diuersus ab æditione nostra Latina, quàmuis diuersitas hæc
concordet in sententiarum vnitate: paucis admodum exceptis, propter quæ vel
sic, vel aliter intellecta, nullum est pietatis fidei detrimentum. Sic & Diuus Hie-
ronymus in citandis scripturis testamenti veteris, non seruauit vbiq; verborum
formam, quam nos habemus in æditione nostra Latina. Quod nos legimus Sap. 1.
Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, hoc ipse in Apologia aduersus Ruffi-
num citat: Spiritus sanctus eruditionis effugiet dolum, & recedet à cogitationi-
bus stultis. Talia reperiuntur multa apud Hieronymum, cæterosque patres, qui
diuersis vtebantur æditionibus, & nunc iuxta septuaginta, nunc iuxta aliam quan
dam æditionem citabant scripturæ sacræ sermonẽ. Ex his iam patet solutio quæ-
stionis, cur videlicet patres vsq; ad Hieronymi secula, in scripturis veteris testa-
menti à se citatis, fuerũt inter se tam varij atq; diuersi, cùm tamẽ omnes tam Græ
corum quàm Latinorum Ecclesiæ vterentur scripturis veteris testamenti secun-
dùm septuaginta interpretum æditionem tunc receptam. Respondendum est e- Vnde proue-
nim hanc varietatem prouenisse inter patres Latinos, eò q; non omnes ipsi vte- nerit scriptura diuersitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentur eadē æditione Latina traducta ex æditione ſeptuaginta. Deinde neq; tunc A
Eccleſia in omnibus libris veteris teſtamenti ſequebatur æditionē 70. quia in lib.
Danielis magis ſequebatur ęditionē Theodotionis, quemadmodum Hieron. ipſe
teſtatur in Danielem. In opere quoq; pſalterij alia erit vulgata æditio, alia 70. in-
terpretum, quemadmodum teſtatur in epiſtola ad Suniam & Fretelam. In opere
Pſalterij, alia, inquit, eſt æditio, quam Origenes, Cæſareenſis Euſebius, omnesque
Gręci tractatores vulgatam ſeu communē appellant, alia eſt 70. interpretum, quę
& à nobis in Latinum ſermonem fideliter eſt verſa, quæ & in Hieroſolymorū &
Orientis Eccleſia fideliter decantatur. Inſuper arbitramur Eccleſiaſticos ſcripto-
res citantes ex ſcripturis teſtimonia, plerunq; non magnopere curaſſe de verbis,
de ordine compoſitioneque verborum: ſed fuiſſe ſolicitos, vt ſenſum exprime-
rent, qui hærebat ipſorum memorię: quemadmodum Apoſtoli & Euangeliſtę de B
veteri teſtamento proferentes teſtimonia, non verba, inquit Hieronymus, ſecuti
ſunt, abſque damno ſenſuum ſuis ſunt vſi ſermonibus. Erat quidem Hieronymi
ſeculis communis quædam æditio Latina, præſertim in nouo teſtamento, quam
& Hieronymus vulgatam, atque Latinam multis in locis appellat. Sed quis fuerit
æditionis illius author, quo item tempore fuerit ædita, aut in vſum recepta, incer
tum eſt nobis: quæ quantumlibet tunc appellabatur vulgata, non tamen erat vl-
la æditio Latina, præſertim in veteri teſtamento, per vniuerſas Eccleſias Latinas
ſic in vſum deducta & accepta, quēadmodum hæc noſtra æditio Latina, iam per
mille annos fuit recepta, hæreticis atque ſchiſmaticis nihil contra eam obiicien-
tibus Latinæ Eccleſiæ. Ex his ergo habes cauſas, cur patres qui Latinè ſcripſerunt,
citent ſcripturas in Latinum verſas, ſtylo, compoſitione & ordine verborum diſ-
crepantes. Quibus cùm Hieronymus viderit ſuis ſeculis Eccleſiam turbari, ſcri- C
pturasque ſacras deprauari, ſanctum ſubiit laborem, vt authoritate ſedis Apoſto-
licæ etiam Eccleſia Latina haberet ſacræ ſcripturæ textum vniformem, iam cor-
rectum & emendatum ex ſuo fonte. Proinde tametſi vulgata æditio noſtra Lati-
na ſit forſitan non tam penſiculatè, quàm congruebat, in quibuſdam ex ſuo fonte
verſa, non tamen eſt par ratio, nunc textum quendam Latinum innouandi, & in
vſum recipiendi, qualis erat ratio Hieron. & Auguſt. temporibus, cùm dubitatio-
Hiero. in præfat in 4. Euangeliſtas ad Damaſium. nes multas afferebat, vt inquit Auguſti. Latinorum interpretum numeroſa varie-
tas, per quam turbantur ſtudioſorum hominū ſtudia atq; ingenia. Quamobrem
Auguſtinus 2. de Doct. Chr. cap. 11. conueniebat tunc in Eccleſia Latina, hanc interpretationum diuerſitatē reduce-
re ad quandam æditionē ex ſuis fontibus caſtigatam, vniformem, & in vſum reci-
piendam. Vnde Auguſt. lib. 2. de Doct. Chriſt. de hac diuerſitate Latinorū inter-
pretum pro ſuo ſeculo ſic loquitur: Qui ſcripturas ex Hebræa lingua in Græcum D
verterunt numerari poſſunt, Latini autē interpretes nullo modo. Vt enim cuiq;
primis fidei temporibus in manus venit codex Grecus, & aliquantulum facultatis
ſibimet vtriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari. Et quanquam
Auguſtini & Hieronymi ſeculis hæc res (quemadmodum & illic Auguſtinus ip-
ſe ſubiungit) plus adiuuit intelligentiam, quàm impediuit, ſi modò legentes non
fuiſſent negligentes. Nam nonnullas obſcuriores ſententias, plurium codicum ſę-
pe manifeſtauit inſpectio. Ex alia tamē parte turbabatur Eccleſiæ vnitas, propter
diuerſas Latinorum interpretum etiam indoctorum æditiones. Et ideo illis ſecu-
lis, cùm nondum haberet Eccleſia Latina veteris teſtamenti æditionē, ex ſuo fon-
te Hebræo verſam & caſtigatam, congruebat Eccleſiæ nouam quandam talem
ęditionem in vſum recipere, quam nūc inueteratam, & in vſum vniformiter per
vniuerſas Eccleſias receptam, & in cōmentariis patrum citatam, non ſic conuenit
propter minuta quædam, & forſitan minùs rectè verſa repudiare, & loco eius no-
uam recipere. Vnde & iam citra annos mille aut circiter, Latini ſcriptores non
ſic

A ſic leguntur in ſcripturis ſacris citatis eſſe varij atque diuerſi, concorditer vten- In publicis ſtu
tes hac noſtra æditione Latina, qua & iam ſic in vſum atque authoritatem rece- diis & lectio-
pta, ſemper deinceps vſa eſt Eccleſia in publicis lectionibus, ſtudiis, diſputatio- nibus vtendū
nibus & exercitiis ſcholaſticis, & id quidem ratione iuſta. Alioqui ſi paſsim cen- eſt æditione
ſeatur publicè amplectenda noua quælibet æditio, ab erudito quouis profecta, vulgari.
miris nouitatibus tumultuabuntur Latina ſacrę Theologiæ publica ſtudia & ex-
ercitia. Non hęc dicimus, quòd alias æditiones ab eruditis intentione pia & non
ſubdola æditas refutemus, aut contemptibiles atque inutiles cenſeamus: ſed quòd
publicam huius lectionem arbitremur non eſſe mutandam propter æditiones
nouas, etiam à viris quantumuis eruditis profectas: quibus tamen ſuum hono-
rem tribuimus in priuatis ſtudiis, legentes illas tanquam explanationes quaſdam
& elucidationes, magnopere adiuuantes ſtudia noſtra, ad intelligendum loca vel
B obſcura, vel ambigua, vel per ſcriptorum incuriam deprauata in æditione no-
ſtra. Hactenus de varietate ac multitudine interpretum & tranſlationum ſcriptu
ræ ſacræ, pro pace & concordia omnium piè ſtudentium ſacris literis, ſub iudi-
cio meliùs ſentientium, dicta ſufficiant.

¶ *Sequitur ſecundum huius libri Caput, de multitudine ſenſuum ſcripturæ ſacræ.*

NE propter diuerſas magiſtrorum exponentium ſententias con
turbentur ſacrę Theologiæ ſtudioſi, operęprecium eſt iam de-
monſtrare, quòd ſpiritus plerunque ſub eiſdem ſcripturæ ver-
bis plures voluerit ſignificare ſententias. Spiritu ſancto, inquit Auguſt. 3. de
Auguſtinus, factum eſt, vt idem ſcripturæ locus multis ſit ſen- Doct. Chriſt.
ſibus fœcundus. In libro Sapientiæ legimus: Eſt ſpiritus intel- cap. 27.
ligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex. Pro intellectu huius ſcien- Sap 7.
C dum eſt, quòd ſacræ Theologię magiſtri, cùm docent eundem ſcripturæ locum De ſenſu lite
multos habere ſenſus, literalem videlicet & myſticum, non accipiūt huiuſcemo- rali & myſtico
di ſenſuum multitudinem, propterea quòd nomina & verba in eadem ſcriptu-
ra metaphoricè ſeu tropologicè accipiuntur, quibus propriè acceptis, ſenſum
quendam literalem falſum haberet oratio. Neque enim ſenſum literalem intel-
ligunt eum, qui verbis & nominibus propriè & non metaphoricè acceptis ſigni-
ficatur. Neque item myſticum ſenſum volunt illum eſſe, qui deſignatur ſub no-
minibus & verbis metaphoricè acceptis. Sed eum appellant literalem ſenſum,
qui verbis atque nominibus aut propriè, aut metaphoricè acceptis à ſpiritu ſan-
cto aſſeritur. Proinde & literalis ſenſus ſemper eſt verus, plerunque per oratio-
nem tropologicam aut metaphoricam deſignatus, qui ſi fuerit de corporalibus
rebus aut geſtis, aut gerendis ad aliquod ſpirituale figurādum, aſſeritur non pro-
D pter ſe, ſed quatenus propter res alias corporales prouehatur intellectus in altio-
rem quendā ſenſum de rebus ſublimioribus, & geminus erit vnius orationis ſen-
ſus: vnus literalis, alter myſticus, per literalem ſenſum adumbratus: veluti cùm
Deus filiis Iſrael colentibus ſe promittit terram fluentem lac & mel. Si verò fue- Exodi. 3.
rit de rebus myſticis ſeu cœleſtibus, vnica ſola erit locutionis ſententia, veluti cùm
dicit Chriſtus: Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, eſt aptus Luc. 9.
regno Dei: loquitur non de corporali aratro, non de miſsione ſeu admotione car
nalis manus, nec de corporali aſpectu poſt tergum, ſed de aratro profeſsionis e-
uangelicæ, qua terra, ideſt, cor hominis terrenum aratur, euerſis huius mundi de-
ſideriis: vt quempiam admouiſſe manum ad aratrum, ſit iam ipſum ſemel manci
paſſe cor ſuum negocio Euangelico, & renunciaſſe terrenis. Reſpicere autem re-
tro, ſit retrorſum ire, & rurſus apponere ad ea, quibus ſemel renunciauerat. Et id-
circo huius ſcripturę non geminus, ſed vnicus eſt ſenſus. Sic & locutiones Iohan- Apocal. 22.
nis apoſtoli de cœlo nouo & de terra noua, de omnibus innouandis, de Hieruſa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lem noua descendente de cœlo,& de tabernaculo Dei cum hominibus, de potu aquę viuæ,cæterisq; id genus aliis,de quibus est scriptura Apocalypsis 21.non geminam habent sententiam,sed vnicam mysticã, quæ & literalis est,significata per nomina & verba metaphoricè accepta. Papias Iohannis apostoli auditor,non satis animaduertens huiuscemodi locutionum metaphoras olim fallebatur, carnaliter suscipiens huiuscemodi promissiones, non decernens cœlestia prędmia, quæ Apostolus hominibus veluti paruulis lactantibus in metaphoris loquebatur. Eidem errori aliqua ex parte assenserunt multi nostrorum,& præcipuè Tertul. Lactan. Victorin. Seuerin.& ex Græcis Irenęus & Apollina.qui aliquantulũ iudaizãtes,contenderũt mille annos futuros, in quibus Christus sit corporaliter regnaturus in terrena Hierusalẽ.De hoc habes testimoniũ Hieron.multis in locis,& præsertim in cõmentariis super cap.36. Ezechielis. Neq; sunt ob huiuscemodi errores damnandi patres isti scribentes in primitiua Ecclesia,mysteriis cœlestis Hierusalem nondũ eliquidatis plenè ex scripturis. Vnde & idem Hiero.in cõmentariis 19.cap.Hieremiæ: Vsq; in consummationẽ seculi ruinę Hierusalem sunt permansuræ, quanquam sibi Iudæi auream atq; gemmatam Hierusalẽ restituendam putent,rursumq; victimas,sacrificia, sanctorum coniugia,& regnum Domini Saluatoris in terris: quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus: quia multi ecclesiasticorum virorũ & martyres ista dixerunt.Vnusquisque in suo sensu abundet,& Domini iudicio cuncta reseruentur.Hactenus ille.Amplius aũt sciendum bifariam posse intelligi, quo dicimus sub eadem scripturæ sacræ locutione plures sensus significari: aut videlicet ꝙ plures significentur sensus subordinati, id est,quorum alterum per alterum significatur,aut quòd plures sensus significentur non sic subordinati.Et primũ de priori membro dicimus. Ex doctrina Christi, Euangelistarum, Prophetarum, & Apostolorum firmissima fide tenendum esse,veteris populi non verba solùm,sed & opera,quę in sacris scripturis recitantur gesta,fuisse prophetica. Hæc autem quàmuis in doctrina Christiana sint manifestiora, quàm quæ probatione egeant: quia tamen pro huius seculi conditione etiam opus est satisfacere his, qui nihil absque testimonio scripturæ volunt credere, scripturas proferemus manifestas: Sicut Moyses, inquit Christus, exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Item: Sicut Ionas tribus diebus & noctibus in ventre piscis fuit, ita erit filius hominis in corde terræ. Item quod de agno secundùm literam scriptum est Exodi 12. Iohannes euangelista docet esse impletum in Christo: Facta, inquit, sunt hæc, vt scriptura impleretur, quæ dicit: Os non comminuetis ex eo. Item per filium Israel, qui Oseæ 2. secundùm literam intelligitur populus Israel, de quo dicitur in Exodo: Filius meus primogenitus Israel,Matthęus euangelista docet intelligi Christum, significans Prophetiam hanc in Christo esse adimpletam: Erat ibi, inquit,scilicet in Ægypto, vsque ad obitum Herodis, vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum. Vnde Iulianus Augustus apostata absque ratione hunc locum calumniatur, & dicit, quòd illud quod de populo Israel scriptum est, Matthæus euangelista ad Christum transtulit,vt simplicitati eorum, qui ex gentibus crediderant, illuderet. Item quæ scripta sunt de Abraham, habuisse videlicet ipsum duos filios, vnum de ancilla, vnum de libera, apostolus Paulus docet esse per allegoriam dicta, referens ad duo testamenta. Item arcam Noe Petrus Apostolus docet fuisse typum Ecclesiæ. Insuper quæ scriptura secundùm literalem sensum recitat gesta super veteris legis populo,videlicet exire de Ægypto, transire rubrum mare, manducare in deserto manna, habere nubem protegentem ab æstu,& columnam ignis lucentis in nocte,bibere aquam de petra,& id genus alia in lege secundùm literam historialiter

Deut.8. Iohan.3. Matth.12.
Iohan.19.
Matth.2.
Galat.4. 1.Pet.3. 1.Cor.10.

liter gesta,Paulus apostolus docet esse figuram Christi, & eorum quæ per Christum spiritualiter fiunt in Ecclesia credentium: Finis, inquit, legis Christus, ad iustitiam omni credenti, Item primæ ad Corinthios 10. Nolo vos ignorare fratres,quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, omnes mare transierunt,omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Hæc autem in figura facta sunt nostri,vt non essemus concupiscentes malorum, hæc supplicia scilicet,periisse,& prostratum esse in deserto, contigerunt illis non propter sua duntaxat peccata corrigenda,sed & propter nostram admonitionem, vt ipsi sint nobis figura, speculum & exemplar, ne similiter peccantes, similiter puniamur, & pereamus: vt quemadmodum illis hominibus tunc malis, non profuerunt sua ipsorum sacramenta, quæ habebant cum bonis communia: ita neque nobis malis prosint nobis sacramenta Christianæ fidei communia bonis. Insuper hæc omnia supradicta, mare videlicet,transitus maris, nubes, esca, potus, petra, intimant fuisse vmbras spiritualium rerum tunc futurarum, in eo quod dicit escam spiritualem,potum spiritualem,petram spiritualem,& petram esse Christum. Idcirco enim esca illa corporalis,& potus ille corporalis petraq; illa inanimata dicuntur ab apostolo Paulo spiritualiaquia contingebant illi populo hæc omnia in figuram spiritualis rei tunc futuræ. Proinde sicut petra erat Christus, ita & nubes ab æstu protegens erat Christus, columna ignis erat Christus, agnus immolatus erat Christus,mare rubrum Christi sanguis, in quo interfectus est Ægyptus,id est, princeps tenebrarum, & carnis concupiscentiæ, ne amplius dominentur in nobis. Bibebant de spirituali petra, id est credentes in Christum tunc futurum, in corporali petra tunc figuratum.Non dixit, Petra significat Christum: sed Petra, inquit, erat Christus.Christus quidem erat apud patrem,cùm nondum erat Christus,id est,cùm nondum filius esset homo vnctus. Multùm notanda est, inquit Augustinus,talis locutio,petra erat Christus. Sic,inquit,solet loqui scriptura, res significantes, tanquam ea quæ significantur appellans, sicut dicitur in Euangelio: Bonum semen,hi sunt filij regni: zizania autem filij maligni. sicut scriptum est: Septem spicæ plenæ,& septem boues pingues,septem sunt anni fertiles: septem autem spicæ tenues,& septem boues macilenti,sunt anni septem steriles. Sunt quidam anni,inquit August.non per substantiam,sed per significationem. Ad Colo. Apostolus scribens ait: Nemo vos iudicet vel in cibo,vel in potu,vel in parte diei festi, aut Neomeniæ,aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. acsi dicat: Omnia hæc erant vmbræ seu figuræ eorum, quæ postea essent exhibenda à Christo, cuius luce apparente, euanescunt vmbræ. Christus cum membris suis adhærentibus est vmbrarum illarum omnium corpus, & omnium celebritatum & ciborum Iudaicorum veritas,cœlestem & mundam alimoniam in omnia Ecclesiæ suæ membra transfundens, & faciens membra sua custodire verum sabbathum, verum neomeniæ,id est nouilunij & tabernaculorum festum,quò & à peccato quiescant,vt tanquam peregrini & in tabernaculis militantes in nouitate vitæ ambulent de virtute in virtutem. Sic & in diuersis suis epistolis, circuncidere præputia carnis, comedere agnum paschalem, abiicere fermentum,comedere azymos panes,abstinere à cibis, quos lex decernit immũdos, obseruare sabbatha,nouilunia,aliaq; festa,idẽ Paulus docet vmbras fuisse futurorum.Iam pascha nostrum, inquit, immolatus est Christus: itaq; epulemur non in fermento malitiæ veteris,sed in azymis synceritatis & veritatis. Agnus noster est Christus,qui tollit peccata mundi. Azymus panis est & Christus, innocens absq; fermento malitiæ, & Ecclesia Christi ex multis membris, tanquam massa absque fermento,id est,absq; macula & ruga exhibenda. Si pars historiæ itineris ex Ægypto spiritualiter docente Paulo, accipitur,& cętera,inquit Hieronymus,quæ ab

Epist.102.ad Euodi.
Gen.41.
Ad Col.2.
1.Cor.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolo præ angustia temporis sunt prætermissa, eiusdem esse intelligentię con uincentur. Hæc, de quibus dubitari non potest, quin secundùm historiam sint gesta, Apostolus suo spiritu magnifico docet esse allegorica, vt nos ex his quid in cæteris sit faciendum intelligamus. Spiritus sanctus si in Iudæorum ceremoniis, sacrificiis, legalibusque præceptis nihil aliud intelligi voluisset, quàm ad literam obseruare præcepta, nónne confundimur dum inimici legis & Prophetarum obiiciunt nobis, cur olim dederit tales Deus leges? amputare præputij pelliculam, mactare vitulum, iugulare hircum, sanguine beluino cuncta fœdare? An non videbitur indigna diuina maiestate huiusmodi lex de agno, de ariete, boue, vitulo, hirco, adipe, armo dextro, iecore, pectore, ventre cæterisque brutorum intestinis? Nihil grande, nihil sublime, nihil dignum Deo continere videbitur: nisi huiuscemodi sacrificia, quæ vilia, humilia, & à sapientibus huius mundi contemnenda videntur, retuleris ad sacrificium, quod factum est pro nobis contemptibile, abiectum, despectum vsque ad mortem crucis: foris quidem sordida, & vili carnis veste indutum, intus grande, altum, magnificum, speciosum præ filiis hominum. Indignis verbis vilibusque sacrificiis figurari se patitur, qui pro nobis factus est vilis. In carnalibus ergo huiusmodi sacrificiis nisi spiritum intelligamus, videbuntur magis rationabiles gentilium leges, vel Athenienſium, vel Lacedæmoniorum. Vetus lex si nihil haberet inscriptum quod per latentiorem sensum foret absconditum sub velamine literæ, nunquam Propheta inter preces & vota Deo dixisset: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: tanquam dicat, Amoueas ab oculis meis velamen literæ, vt spirituali sensu legis tuæ videam aliud agi, aliud figurari, & sub velamine legis considerabo magnalia tua designari. Spiritus sanctus si in Iudæorum historiis, bellis, & præliis nihil aliud, quàm antiquitatum historias, strages corporum, effusiones humani sanguinis nobis legendas proposuisset, quid dignum fuisset visum spiritu sancto, vt hæc humilia supra alia cuncta magnifica rerum & Imperatorum gesta posteris tam reuerenter legenda relinqueret? Sicut olim dicebat Iosue: Bellum vobis erit aduersus Amorrhæos, Iebusæos, Madianitas, & id genus cæteros hostes, ita Paulus denunciat: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus rectores & potestates harum tenebrarum. Antiquorum Iudæorum bella scire, quid confert carnali Israeli, qui nihil aliud in his nisi strages & effusiones sanguinis intelligit, qui etiam semper bellis & seditionibus olim pascebatur? Quid ad salutem iuuabit, scire secundùm literam, quòd Abraham duas vxores & duos filios habuit, quòd à lacte depulsus sit puer Isaac, quòd in die ablactationis conuiuium sit factum, quòd luserit cum Ismael, quòd Sara indignatur filium ancillæ ludere cum filio liberæ? Quid spiritum nostrum ædificat ad literam scire, quòd Noe plantauerit vineam, quòd bibens vinum sit inebriatus? Quòd duæ filiæ inebriauerint patrem suum Loth, & quòd in ebrietate nefario incestu binos genuerit filios? Amon scilicet & Moab. In his, cæterisque similibus cortex literæ prorsus videbitur insipidus, nisi carnalem historiam retuleris ad mysticam intelligentiam. Quod si feceris, plus saporis & delectamenti senties, quàm si sententia mystica nudè, & absque velamine diceretur. Si ergo audiuimus apostolum Paulum, per Abraham habentem duas vxores, vnam ancillam, & alteram liberam, & duos filios ex illis genitos, vtputa Isaac & Ismaelem, designare Christum, habentem duo testamenta, & duos populos, vnum carnalem, & alterum spiritualem, à lacte carnalis vitę separatum, per omnem modum iuuabit historia ad fouendum & nutriendum in nobis fidei & amoris ignem. Facilè quoque intelligimus, ludum infantiæ figurare persecutionem carna-

A B C D

Psalm. 118.

Paulus ad Ephes. 6.

Gen. 21.

Gen. 19.

Isaac cum Ismael.

Lactatio infantiæ quid significat.

A carnalis populi contra spiritualem. Et ob id Saram, id est nouam legem, contra Agar veterem legem, solum carnaliter sentientem, indignari. Insuper magis veneranda magisq; admiranda, affectui nostro proderit sententia mystica de Christo & Ecclesia, si Petro Apostolo docente, accipiamus in Noe designari Christū, qui arcam fabricauit magnificam, Ecclesiam videlicet catholicam, extra quam nemo saluatur: qui & vineam plantauit, electam domum Israël. Ex hac plenus vino charitatis, nudatus in tabernaculo crucis, vsque ad mortem sustinuit opprobria à Chain proprio filio patre Canaan, id est, à selecto populo Iudæorum. Ad ipsum amoris ignem innutriendum, quo tanquam pondere sursum feramur à visibilibus ad inuisibilia. Omnia figuratè, inquit Hiero. nobis insinuãtur. Plus enim mouent & accendunt amorem, quàm si nuda & sine vllis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cuius rei causam difficilè est dicere, sed tamen ita se habet, vt aliquid per allegoricum sermonem intimatum plus moueat, plus honoretur, quàm si verbis propriis apertissimè diceretur. Credo quòd ipse animi motus, quamdiu adhuc rebus implicatur terrenis pigrius inflammatur. Si verò ad similitudines feratur corporales, & inde ad spiritualia dirigatur, quæ illis similitudinibus figurantur, tanquam in pictura rem ipsam magis amplectitur, firmiusq; ipsam tenet in memoria, & in ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in fauilla ignis agitatus accenditur, atq; ita delectatione rapitur ardentiori. Nequaquam igitur putandum est, diuinos libros gentium, Ægyptiorum & Hebræorum gesta narrare pro sola antiquitatis narratione, quasi hæc ad historiam dũtaxat sint scripta, & non potius pro doctrina & vtilitate nostra ad instructionem fidei, & inflãmationem spei & charitatis. Verùm in omnibus obseruandum est diligenter, ne vim vllam faciamus scripturæ, ne in singulis scripturæ locis ita conemur mysticas inuestigare sententias, vt auferamus historiæ veritatem, quæ est fundamentũ spiritualis intelligentiæ. Constat literalis sensus etiam in scripturis de prophetarum, & aliorum hominum imaginarijs visionibus & somnijs, velut de septem bobus pinguibus, & septem spicis in Genesi, vbi literalis sensus est etiam de historia seu rebus gestis, non quidem quòd boues vlli aut ascenderent de fluuio, aut comederent: sed quòd de illis fuerit visio seu somnium Pharaonis, putantis se stare super fluuium. Hiero. in epistola ad Pammachium, inter octo errores Origenis, sextum citat, quòd sic paradisum allegorizet, vt historiæ auferat veritatẽ, pro arboribus angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligẽs, totam paradisi contat, quòd aquas quæ super cœlos in scripturis esse dicuntur, sanctas supernasque virtutes: quæ autem supra terram & infra terram, contrarias & dæmoniacas esse arbitretur. Ex suprà dictis manifestum est, quòd apud veteris legis populum non solum historialiter facta & gesta, sed & præcepta fuerunt prophetica. Verũ prosillius intellectu sciendum est, apud illum populũ triplicia fuisse præcepta, quemadmodum dicitur Deuter. 4. Decem verba scripsit in duabus tabulis, mihiq; iunxit illo tempore, vt docerem vos ceremonias atq; iudicia, quæ debeatis facere. Vbi decem verba intelliguntur decalogi præcepta, quæ sunt moralia, quibus mox secutus adiunxit ceremonias & iudicia. Item Deuter. 6. Hæc sunt præcepta, ceremoniæ atq; iudicia. Vbi nomine præceptorum intelliguntur moralia, quæ non ex positiua lege vim habent obligandi, sed ex lumine rationis internæ demõstrantis opus legis scriptum in cordibus testimonium, vt ait Apost. reddente illis conscientia. Et huiusmodi præcepta ligant omnem gentem & populum: nec est inuestigãda vlla in his mystica intelligẽtia. Ceremonialia verò præcepta, erãt constitutiones seu ordinationes super ritu colendi Deum. De quibus Exodi. 18. Esto tu populo in his, quæ ad Deum sunt, inquit ad Moysen, vt referat quę dicun

B C D

De celebratione Paschæ.

Genes. 41

Triplicia in veteri lege præcepta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ad eum, ostendasq; populo ceremonias & ritum colendi. Huiusmodi præcepta habebant geminam causam seu rationem vnam literalem, alteram figuralem seu mysticam. Literalis ratio, seu causa solennitatis paschalis conuiuij, erat in cõmemorationem mirabilis exitus Israelis de Ægypto, Figuralis autem seu mystica ratio erat ad significandum mirabilem exitum de tenebris peccatorũ per agnũ Christum. Ex quibus sequitur cerimoniales leges datas esse Iudæorum populo non solum ad figurandum Christum, aut regnum eius futurum, sed etiam ad rememorandum aliquod illi exhibitum à Deo beneficiũ, ad vitandam idololatriæ cultum, ad insinuandum Domini Dei excellentiam. Iudicialia autem præcepta erant super causis & controuersijs inter homines, & super voluntarijs eorum cõtractibus, super omnibus pertinentibus ad populi illius regimen & directionem, quomodo Ezech. 18. inter cætera dicitur: *Si iudicium verum fecerit inter virum & virum*. Huiusmodi præceptorum genus erat constitutum principali ratione non ad figurandum seu significandum, sed ad illius populi statum dirigẽdum secundum æquitatem & iustitiam. Tametsi ex consequenti etiã huiuscemodi præcepta quędam figurabant, in quantum totius illius populi status pręceptis talibus disponendus fuerat propheticus. Hæc sunt duo præceptorum genera, in quibus præter literalem sensum inquirimus mysticum. Nec obligabatur gens vlla ad illorum præceptorũ obseruantiam præter Iudæorum populum, qui figurabat futurum Christi regnum. Hactenus apertissimis argumentis demonstrauimus, ea quæ sunt apud veteris legis populum historialiter gesta & facta: insuper & cerimonialia ac iudicialia fuisse signa & figuras spiritualiũ rerum. Et ita spiritũ sanctũ sub vno eodemq; sermone, præter literalem sensum, voluisse & mystică docere sententiam. Iam restat considerare quotuplex possit esse scripturæ sacræ sensus: Sciendum est igitur, quòd Apostolus Paulus, qui spiritu suo magnifico confidenter loquitur: Nos autem sensum Christi habemus. In scripturis sacris veteris testamenti, triplicem intellexit sensum: vnum literalem, geminum mysticum, tropologicum videlicet, seu allegoricum, & anagogicum. Quemadmodum & ipsa sapientia per Salomonem, inquit Hieron. de sua doctrina loquitur, dicẽs: Ostendi eam tibi hodie, dicens: Ecce descripsi eam tripliciter in cogitatione & scientia. Triplex in corde nostro descriptio, inquit, & regula scripturarum est. Prima, vt intelligamus eas iuxta historiam. Secunda, iuxta tropologiam. Tertia, iuxta intelligentiam spiritualem. In historia, eorum quæ scripta sunt ordo seruatur. In tropologia, de litera ad maiora consurgimus, & quicquid in priori populo carnaliter factum est, iuxta moralem interpretamur locum, & ad animæ nostræ emolumenta conuertimus. In spirituali, ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futura beatitudine & cœlestibus disputamus, vt præsentis vitæ meditatio, vmbra sit futuræ beatitudinis. Primùm ergo debemus scripturam sacram secundũ literam seu historiam intelligere, facientes in ethica quæcunque præcepta sunt, & credentes quæcunque testentur aut esse, aut facta esse, aut futura. Secundò iuxta allegoriam, quam in epistola ad Hedibiam vocat tropologiam, id est, intelligentiam spiritualem. Tertiò, secundum anagogiam, id est, intelligentiam superiorum, in qua ad sublimiora transimus. Omnium prophetarum scripta pendebant in Christum olim futurum, & in statum regni eius, quod est Ecclesia ex gentibus multiplicanda, Iudæorum populo ob ingratitudinem grauiaq; scelera derelicto. Quemadmodum igitur geminus est status regni Christiani, vnus militantium seu pugnantium aut peregrinantium in hac vita, alter triumphantiũ in cœlo: Ita geminus est sensus mysticus: vnus dum ex literali historia ducimur in Christum & regnum illius, vt constitutum sub pugna & militia: alter dum ex literali historia discimus Christum & regnũ eius, vt constitutũ sub triumpho & corona.

Indicialia.

1.Cor.2

Prouerb.22 Quæst.12. ad Hedib.

Triplex scripturæ sacræ sensus.

Quæst.12

Patet

Patet ergo triplicem esse scripturę sensum, literalem videlicet, & geminum mysticum. Vnum per allegoriam dictum, alterum per anagogen. Sunt qui sensum per allegoriam dictum rursum bifariam diuidunt, in moralem scilicet & intellectualem. Moralem appellantes, qui in rebus gestis docet quid agere debeamus, qualem Apost. Paulus intelligit in circuncisione carnali, quam significare dicit circuncisionẽ cordis, docẽs oportere nos resecare carnis desideria. Talem etiam intelligit in ipsis Iudęorum prędijs, quibus docemur oportere nos militare semper in hac vita, armis non carnalibus, sed spiritualibus contra inuisibiles hostes. Sensum intellectualem, quem communi vocabulo appellant allegoricum, dicũt esse eum, qui vel in rebus gestis, vel ceremonijs designatus est, docens ea quæ credimus de Christo, & Ecclesia illius in hac vita. *Sic in verbo Hierusalẽ plerumq;* secundum literam intelligitur terrena ciuitas, secundum allegoriam aut tropologiam ecclesia militans, seu quæque fidelis anima. Secundum anagogiam, æterna felicitas, seu ecclesia in cœlo triumphans. Sed hic sciendum, quòd & ipsi Hebræi docent in hodiernum vsque diem multis sensibus fœcundum esse eundem scripturæ locum, mysticum etiam sensum in plerisque scripturæ locis tradentes doctrinæ euangelicæ congruum, & Domino nostro Iesu tacitè conuenientem ab antiquis suis patribus designatum, sed ex illo in Christum scripturæ finem non transeunt. Vnde iuxta Hieronymum ad Fabiolam: In vestibus, in pretiosis lapidibus, eorũq; coloribus portatis ab Aaron pontifice, ipsi interpretantur designari quatuor elementa, corporaq; cœlestia, sydera & astra, eorumq; cursus ac motus in Zodiaco, commemorantes iustum esse, vt pontifex creaturarum omnium portans typum, non solum pro Israel, sed pro vniuerso mundo roget. Vera quidem sententia. Iustum nempe erat, vt pontifex Dei creaturarum omnium typum portaret, & in vestibus suis indicaret cuncta gubernari diuina prouidentia, vniuersumq; genus humanũ indigere Dei misericordia, vt cùm sacrificaret illi, expiaretur vniuersalis conditio, & non pro liberis, aut propinquis solum, sed pro cuncta creatura, habitu & voce precaretur, & non ingrederetur sancta sanctorum absq; tintinnabulis, absq; diuersis coloribus, gemmis, & floribus, vt tanta scientia, eruditione, virtutumq; varietate polleret, vt & gressus eius & motus, & vniuersa essent vocalia, veritatemq; mente conceptam, toto habitu atq; ornatu resonaret, vt quicquid ageret, quicquid loqueretur, quicquid indueret, esset doctrina populorum. Verissimæ quidem sententiæ à catholicis patribus, secundùm mysticam illius scripturæ interpretationem expressæ ab Hebræis etiam vtcunq; desiignatæ. Verùm Hebræi in carnali pontifice suo residentes, qui peccata auferre nõ potest, veram misericordiam Dei non assequuntur, & mysticam suam interpretationem, etiam plerumque à suis patribus datam, carnaliter intelligunt, non transeuntes in Iesum, qui solus est propitiatio pro peccatis totius mundi. Forsitan obiecerit quispiam. Sensus scripturis sacris figuratus, seu metaphorica locutione significatus tam de mysticis, quàm de corporalibus rebus, non alius est quàm literalis sensus. Veluti cùm Danielis 8. per hircũ caprarum, significatur rex Græcorum, cùm per ligna syluarum, per vitem, montes & aquas significãtur non illa corpora, sed secundum metaphoram homines. Ex quo videtur consequens esse sensum mysticum in figuris veteris legis designatum, non alium esse quàm literalem sensum. Ad hoc dicimus id consequens non esse. Nam figuræ veteris legis fuerunt res verè diuinitus promissæ & factæ, tanquàm futurorum signa. Idcirco in illis literalis seu historicus sensus alius est à mystico, dum spiritus in vno & eodem sermone sic narrat corporale factum aut faciendum, vt & in illo gerendum vel tacitè, vel expressè prodat mysterium. Illa verò, hircus videlicet, capra, ligna vitis, & alia, quę metaphoricè sunt accipienda, non fuerunt res verę diuinitus gestæ.

Hieron. de veste preciosa Aaron.

Obiectio de sensu literali Iudicum 9.

Solutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudicum 9

stæ. Veluti cùm dicitur: luerunt ligna ad vitem, & dixerũt: Impera nobis, non significantur ligna fuisse progressa siue locuta. Sensum itaq; literalem dicimus quẽ author scripturæ per verba & nomina, aut propriè, aut metaphoricè accepta, primum voluit significare, aut iubens, aut vetans, aut fidem indicãs, aut rem gestam, seu gerendam recitans aut promissionibus, comminationibus, & terroribus hominum corda concutiens. Vnde sensus verus, qui in locutionibus per hyperbolen, per ironiam, per antiphrasin, per ænigmata, per fictiones significatur, non alius est, quàm literalis sensus. Mysticus autem sensus est, quem spiritus sanctus in rebus corporaliter aut gestis aut gerendis voluit significare. Et hic iam historia ipsa aut gesta, aut gerenda, est fundamentum suppositum tanquam signum eiusdem sensus mystici altioris ac longè sublimioris. Verum quidem est sensuum in vno & eodem sermone confusionem parere, deceptionem & fallaciam, dum propter amphibologiam vocis aut orationis incertus relinquitur eiusdem sermonis sensus. Sed talis sensuum multiplicitas non est ea, quam docemus nunc esse in sacris literis, quæ sic narrant corporaliter aut gesta atq; gerenda, vt his tãquàm figuris & speculis quibusdam prouehatur intellectus noster ad intelligendũ veneranda quædam mysteria. Cæterùm hic ne legendo doctrinas patrum fallaris in vocabulo, scire oportet quòd sancti patres interdum vocabulis allegoriæ & tropologiæ generaliter vtuntur, quemadmodum Augustinus cap. 3. ad Honoratum sub allegoria comprehendit anagogiam, declarat scripturam sacrã tradi secundum allegoriam, cùm docetur res non solum secundum literam tantum, sed vt figura alterius esse accipienda, veluti cùm factum Ionæ in ventre ceti, docetur esse signum Christi in sepulchro. Dum historia Exodi docetur esse futuræ plebis Christianæ allegoria. Hic sub vocabulo allegoria intelligit Augustinus omne genus mysticorum sensuum sub literali sensu designatum. Sic quoq; videtur vsus vocabulo Apostolus cùm dicit: Quæ sunt per allegoriam dicta. Cætera verò tria vtpote historia, etymologia, & analogia, quæ commemorat ibidem August. pertinet ad vnum literalem sensum. Hoc enim diligenter aduertendum est, quòd ibidem August. non dicit, quadruplicem esse veteris scripturæ sensum, sed quòd ipsa quadrifariam traditur seu docetur, videlicet secundum historiam, secundũ etymologiam, secundum analogiam, & secundum allegoriam: dicens eam secundum historiam tradi, cùm docetur, quod factum est, aut non factum. Secundum etymologiam, cùm ostenditur qua de causa est factum. Secundum analogiam cùm ostenditur scriptura veteris testamenti non aduersari scripturis nouæ legis. In eo autem quòd ostendimus, vel causam facti, vel scripturam non esse contrariam scripturæ, non indicamus eiusdem scripturæ plures esse sententias. August. itaque sub triplici illa traditione, intelligit triplicem modum declarandi literalem sensum. Sub quarta verò traditione, quæ est secundum allegoriam, intelligit traditionem, quæ fit ex literali historia ad mysticum sensum. Hæc pro discipulis doctrinæ Augustini studiosis, ne fallantur, arbitrantes Augustinum illic voluisse docere quadruplices esse scripturarum sensus. Insuper & hoc sciẽdum, quòd allegoria secundum vocis significationem dicitur, cùm aliud dicimus, aliud intelligimus. Idcirco etiam interdum sensus ipse literalis sub tropis & figuris designatus, à sanctis patribus vocatur sensus per allegoriam significatus, quem vocant allegoricum, veluti cùm scriptura dicit, Ligna iuisse ad vitem, mõtes exultare, terram iubilare, flumina de ventre fluere, manum & pedem scandalizantem abscindere, manum tenere ad aratrum, & id genus alia. Vnde & secundum Grammaticos septem sunt allegoriæ species, quarũ tres sunt, Ironia, Antiphrasis, & Ænigma. Doctores ergo sic generaliter appellantes allegoriam, cùm in scriptura docent sensum aliquem per allegoriã dici, non voluerunt scripturam illam semper aliũ habere

Sensus mysticus.

De vtilitate credendi cap. 6

Galat. 4

Allegoria. Aug. 3. de doctri. Chri. c. 11 Iudicum 9. Psalm. 113. Psalm. 65. Iohan. 7 Matth. 5. Lucæ. 9

habere literalem sensum: sed interdum quòd talis sit sensus sub vocabulis & orationibus metaphoricè acceptis significatus. Hæc igitur vigilanter sunt considerandа, ne videlicet amphibologia huius nominis allegoriæ confusionem pariat. Et idem de vocabulo tropologia credimus obseruandum. At dices forsitan, huiusce modi multiplices sententias per translationem, seu assimulationem sensuũ, seu (vt ita dicam) moralizationem quandam, à solis patribus nouæ legis esse ad institutionem fidei & morum compositas, & non significatas, aut intellectas, nec à scripturarum authoribus, nec à patribus veteris legis. Quemadmodum iam secundum allegoriam quandam expositа sunt gentilium Romanorum gesta & facta, quæ tamen constat non fuisse prophetica. Respondeo, quòd sic opinari hæresis est in Christiana Ecclesia. Nec enim solùm nouæ, sed & veteris legis patres & prophetæ intellexerunt illorum temporum legalia præcepta, insuper & temporaliter gesta ac facta, temporaliter quoque promissa & comminata, fuisse figuras, vmbras, & signa futuri Christi regis. Vnde & prophetæ duplici seu gemino spiritu in suis vaticinijs locuti esse leguntur, secundum literam quidem significãtes res esse temporaliter aut gestas, aut gerendas: secundum spiritum autem in illis temporaliter gestis & gerendis significantes alia, quæ futura erant in Christo & Ecclesia. Primò ipsum Dauid sic intellexisse illa in Psalmis est manifestũ, vbi frequenter facit transitum de litera ad spiritum. Ipse in sacerdotio Melchisedec panem & vinum offerentis, intellexit sacerdotem Christum: Tu es sacerdos in æternum secundũ ordinem Melchisedec. Ipse iam in terra promissionis residẽs, intelligebat nondum se esse in terra illa, quę peculiariter erat patribus promissa, sed adhuc gemens in peregrinatione dicebat: Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei. In Pluuia super Gedeonis vellus descendente, intellexit Christum descensurum in virginis vterũ, dicens: Descendet sicut pluuia in vellus, orietur in diebus eius iustitia. In Raab meretrice intellexit figurari Ecclesiã de gentibus. In captiuitate autem Ægyptiaca figurari captiuitatem humani generis sub infernalis Pharaonis potestate. In egressu per mare rubrum figurari liberationem humani generis, per baptismi lauacrum in Christi sanguine. Rursus in transitu per desertum, de mansione in mansionem. In bellis item & prælijs contra Cananæum, Euesæum, contra Seb & Salmana, contra Madian, intellexit quotidianam militiam & pugnam nobis iam liberatis necessariam contra inuisibiles hostes, & contra carnis nostræ desideria. In bellis, quæ Gedeon contra Madian gessit, & in bellandi modo, & in victoria illius, Isaias intellexit figurari spirituale prælium, spiritualemq; triumphum per Christum tunc futurum, cap. 9. de militia victoriaq; Christiana loquens. Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. In cæteris quoque bellis, & in temporalibus Iudæorum regibus, ducibus, antecessoribus, Isaias, Hieremias, cæteríque prophetæ in spiritu intellexerunt designari fidei nostræ mysteria, crebrum facientes transitum de litera ad spiritum, loquentes per nomen Dauid, non Dauid temporali rege, non de regno, aut de temporibus regni illius, sed de rege Christo & illius regno, veluti cùm Ezechiel longè post mortem Dauid, cap. 34. dicit: Suscitabo super ea pastorem vnum, qui pascat ea, seruum meum Dauid. Patent autem hæc omnia latiùs in sequenti libro. Hæreticum igitur est credere huiusce modi sententias mysticas solũ esse quasdam transsumptiones, seu assimulationes sensuum, & (vt ita dicam) moralizationes, & patres ac prophetas veteris legis, suis in scriptis, suisque gestis & factis, nec cogitasse, nec intellexisse eas, nec intendisse sensum alium præter literalem. Sed vt paucis huius rei fidem faciam, id quoq; sciendum, quòd non in omni scripturæ loco quærendus est præter literalem mysticus sensus. Sunt enim scripturæ, quibus primum significantur ipsi

Obiectio.

Responsio.

Psalm. 104

Psalm. 38

Psalm. 71

Psalm. 86

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsi sensus mystici, & præter illos aliud nihil, veluti cùm dicitur: Audi Israel, dominus deus tuus vnus est. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo. Rursus in præceptis, quæ ad vitam pertinent, & sunt perspicua, non debemus quærere allegoriam, ne iuxta Comicum, inquit Hierony. nodum quæramus in scirpo. Sunt sermones scripturæ, quibus iubentur ea, quæ naturalis legis sunt, & charitatis dei & proximorum. Ridiculum foret in huiuscemodi ad aliam superiorem conari intelligentiam. Alia verò gesta, præsertim veteris legis. Insuper & ea quę sunt in noua lege per Christum & apostolos gesta, quorum rationes & causæ ignorantur, quæ nec videntur ordinari ad aliquam Christianorum vtilitatem, quibus nec timor vllus incutitur ad correptionem nostram, sunt referenda in mysticam quandam sententiam. Christus dei virtus, dei sapientia, nihil necessitate, nihil casu operatus est, omnia quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, non dubites (inquit Bernardus) fuisse voluntaria, plena sacramentorum, plena salutis. Nec enim arbitrandum est, quòd spiritus sanctus aut fortuitò, aut frustra, aut absque ædificatione fidei, spei, & charitatis, huiuscemodi gesta in sacris literis voluerit recitare, & posteris corde tam venerando legenda relinquere: veluti quòd Saluator misit discipulos, iubens ire in castellum quod contra erat, & adduci ad se asinam & pullum cum ea: est quidem secundum historiam factum, vt impleretur scriptura, quæ hoc fore prædixerat. Sed & huiuscemodi historia quandam mysticam significat intelligentiam, quam quisque potest concipere, si in animalibus illis propter similitudines quasdã homines intelligat figurari, vt in asina designetur Iudæa, & in pullo gentes, quæ ab apostolis soluuntur, & adducuntur ad Christum, qui inhabitet & sedeat super illos, possideatque corda eorum ad introducendum illos in cœlestem Hierusalem. Et rectè quidem Iudæa figuratur in asina, gentes autem in pullo, quòd Iudæa secũdum deum mater est gentiũ. Item, quòd Saluator maledixit ficui, in qua non reperit fructum: quòd illuminaturus cæcum spuit in terram, & id genus alia multa super gestis Christi & miraculis, sunt mysticis sensibus pleni, nec absque ratione sic facta. Hic etiam si obieceris: Apostolus Paulus omnia Christi opera, quæ sunt fidei nostræ, ad moralem mysticamque intelligentiam traxit, in natiuitate, in passione, in crucifixione, in morte, in sepultura, in resurrectione, & ascensione, significãs vt nos spiritu sancto renascamur, & simus quasi modò geniti infantes, & crucifigamus carnem, hoc est, vitia, & concupiscentias eius, vt moriamur peccato, & consepeliamur cum illo per baptismum: vt & sic resurgentes à morte peccati, ambulemus in nouitate vitæ. Si enim conplantati facti, inquit, sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, Respõdeo, quàmuis præcepta, quibus iubemur credere in Christum passum & mortuum, vt salui simus, non contineãt alium mysticum sensum, tamen scripturæ significantes Christum passum, mortuum, & resurrexisse: præter historialem sensum continent moralem instructionem nostram. Christus enim caput nostrum huiuscemodi operibus suis erudiuit nos, vt abnegantes secularia desideria & impietatem, viuamus sobriè, piè, & iustè. Ipse opera redemptionis nostræ ita accõmodare voluit nostræ miseriæ sanandæ, vt & in eisdem operibus proponeret se nobis in exemplum, erudiens nos ad contemptum mundi, ad patientiam, ad humilitatem atque iustitiam. Postremùm & hic annotandum, quòd per solas scripturas secundum sensum aut mysticum, aut allegoricum intellectas, non debet quis demonstrare in religione Christiana aliquid esse de necessitate fidei & morum: hæc enim euidentioribus argumentis cõprobantur. Impudentissimus, inquit August. est reputandus, quisquis per aliquid in allegoria positum quicquam pro se interpretari conetur, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura. Vide Augustinum in Epistola

Deut. 6
Ad Philiũ In Zach. cap. 8

Matth. 21
Iohan. 9

Obiectio.
Ad Col. 3
Passim in epistolis Pauli

Roman. 6

Solutio.

Ad Vin. Donatist. Epist

stola ad Vincentium. Hactenus de sententiis subordinatis sub eisdem sacræ scripturæ sermonibus. Iam supereſt ostendere super eisdem verbis scripturæ, spiritũ sanctum interdum plures voluisse significare sensus, nunc literales, nunc etiã plures sensus non subordinatos, quorum vnus per alterum non significatur. Secundùm doctrinas patrum, & præsertim Augustini, duodecimo confessionum, spiritus sanctus ad culmen authoritatis diuinum sermonem componens, ita plerunq; sermonem eundem aptauit, vt intelligentes plures veras possent accipere sententias: maluitq; scripturam sic pro nostra vtilitate esse pluribus sensibus fœcundam quàm eiusdem scripturæ sic aptare sermonem, vt vnam solam verba resonarent, cæterasq; veras sententias excluderent. Et ita Deus per sermonem vnum in literis sacris plerunq; non vnam solùm, sed plures etiã voluit literales significare sententias: spiritu sancto ita sermonem multorum sensibus temperante, vt etiã eum qui scripsit, dum scriberet eodem spiritu erudiente, has attendisse credamus. Quòd si ille, per quem sermo scripturæ compositus est, vnam fortasis solam sententiam ex multis cæteris cogitauit, illa cæteris est excellentior. Quatenus autem quod dicimus fiat manifestum, audiamus doctrinam eiusdẽ Augustini, 3. de doct. Christiana: Quando ex eisdem, inquit, scripturæ verbis non vnum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiam si latet quid senserit ille, qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet congruere veritati ex aliis locis sacrarum literarum doceri potest. Id tamen eo, qui diuina scrutatur eloquia conante, vt ad voluntatem perueniatur authoris, per quem scripturam illam sanctus operatus est spiritus, siue hoc assequatur, siue aliam sententiam de illis verbis exsculpat, quæ fidei non refragatur, testimonium habens ex alio quocunque loco diuinorum eloquiorum. Ille quippe author in eisdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipsam forsitan sentẽtiam vidit, & certè ipse Dei spiritus, qui per eum hæc est operatus, etiã ipsam occursuram pio lectori & auditori sine dubitatione præuidit: imò vt occurreret & ipsa (quia subnixa est veritati) prouidit. Nam quid in diuinis eloquiis potuit largiùs, vberiùs, diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligãtur modis, quos alia non minùs diuina cõtestantia faciant approbari? Vbi autem talis sensus eruitur, cuius incertum certis sacrarum scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat vt ratione reddita manifestus appareat: etiam si ille, cuius verba intelligere quærimus, eum fortè non sensit. Hæc Augustinus. Quibus consideratis, non possumus non commendare labores omnium sacræ theologiæ tractatorum, qui non temeritate, non maligna præsumptione, non animositate superba, non pro aucupanda hominum gloria: sed secundùm datum talentũ, pia fide, reuerentia debita tractantes sacrosanctas literas pro dignitate elucidant, transferũt exponunt, interpretantur: & imitantes Christi discipulos, spicas manibus confricant, vt & ad latentia grana perueniant, & quasi de obtrusis fauorum cellis mella proferant, allegorias mysticasq; sententias scrutantur, inuestigant, explicant, & legendas posteritati relinquunt, mercedem procul dubio recepturi à Deo. Hiero. in Lucino viro sancto, qui omnem suam substantiã pauperibus dispersérat, magis laudabat feruorem & studium scripturarum, q̃ largitatem eleemosynarum. Est quidem Ecclesiæ Christianæ omni tempore necessarium, tam firmam de scripturis sacris habere fidem, vt credat totam esse diuinam & salutarem, omniaq; illic verissima asserta esse, non tamen de omnibus scripturę locis quid senserit ille qui scripsit, cognoscere & intelligere est semper Ecclesiæ, aut generali concilio, aut aliquibus membris ad salutem necessarium. Quædam Dei spiritus seruat clausa ad tempus, vt desidiam pigritiamq; nostram propellat, vt diligentiam quęrendi exciter, interim sanctũ à canibus cęlet. Deinde & præter illas causas diuini sermonis obscuritas etiam, inquit Augustinus, ad hoc est vtilis, quòd plures sententias

Cap. 27. 28. & sequentibus.

Cap. vltimo.

Augustinus 3. de Doct. Chr. cap. 27.

In epist. ad Lucinum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tias veritatis parit,& in lucem notitiæ producit, dum vnus sic,alius sic intelligit. Ita tamen,vt quod in obscuro loco designatur,vel attestatione rerum manifestarum,vel aliis locis minimè dubiis asseratur,siue cùm multa tractãtur,ad id quoq; perueniatur, quod sensit ille qui scripsit. Et cùm omnium scripturarum finis sit Christus,qui & verbo & opere expositor fuit,atq; interpres legis & prophetarũ, in huiusce modi obscuris locis,vbi incertum est,in quam partem accipi debeant, non debet absurda videri interpretatio,quę ex ratiõe aliqua propositę scripturæ congrua,per aliquam fit sententiam , quã & Christus in euangelicis apostolicisq; scripturis vel docuit,vel consummauit. Sic iam olim Irenæus, Tertullianus,Cyprianus & Hilarius,demonstrarunt nullum fidei mysteriũ reuelari in euangelio, quod non in veteri testamento contineatur,vmbris & figuris pleno . Fuerit autẽ ratio exponendi congrua, dum per expositionem datam,nihil absonum sequitur in sententiarum cohærentia : dum insuper & nomina, & verba illic translata,ostenduntur pro eisdem etiam rebus interdũ accepta in aliis apertioribus scripturæ locis. Vnde omnia quæ in propheticorum librorum contextione narrantur etiam de rebus tunc gestis, aliquid significant futurorum de Christo & corpore eius,quod est ecclesia,vsq; in finem seculi laborans in terra.Aut si nihil tale significetur, cum hoc interponuntur, inquit August.vt etiam eis illa quæ significant, tanquam sonantia connectantur . Ex supradictis est manifestum inter doctores, qui scripturas interpretantur duo esse dissensionum genera: Vnum,si de veritate rerum est dissensio: Alterum,si de ipsius,qui annunciat voluntate.De veritate rerum dissensio est, dum vnus sententiam aliquam intelligit ex scripturis vt veram, quam alter nec in scripturis intellectam,nec verã, sed falsam esse dicit.Cõtrarietas talis est inter doctores sanctos admodum rarò,præsertim in his quæ ad fidei & morum spectant necessitatem . Dissensio de ipsius qui annunciat scripturam intentione ac voluntate est,dum vnus eum qui scripsit sic sensisse,alius verò eundẽ aliter sensisse dicit : neuter tamen alterius sententiam falsam arguit . Omnes qui piè legunt scripturas, hoc conantur indagare,idq; comprehendere, vt intelligãt quid voluerit ille, quem legimus . Et cùm omnes sacræ theologię interpretes,in quibus pietas fidei non vacillat,conantur intelligere, quid senserit ille qui scripserit:nihil periculi est,si diuersa sentiant,modò quisq; sententiam Deo dignam , & ab expositarum scripturarum ordine non abhorrentẽ doceat,etiã si ille eam non sensit qui scripsit.Quemadmodum Augustinus 12.Confessionũ multas docet sententias verissimas piè posse significari per verbum Moysi dicentis : In principio creauit Deus cœlum & terram.Terra autẽ erat inanis & vacua: dum alij in principio,intelligunt,id est in verbo tuo: alij,in principio,id est,primo,Item alij cœlum & terram intelligunt istam vniuersam molẽ corporei mundi,alij informem materiam corporalis creaturæ, alij corporalem spiritualemq; naturã . Verùm in omnibus caueamus oportet , ne ex scripturis sacris plus velimus sapere , q̃ oporteat.Quòd si pio interdum studio velimus ex eisdem scripturis spiritualem intellectum atque mysteria quædam colligere, obseruemus ne cupidi laudis nostrisq; ingeniis fisi,animositate quadam superba velimus nostras etiam quantumlibet veras opiniones præferre aliorum sententiis,& quibuslibet contradicere, dicendo: non hoc sentit scriptura quod ille dicit,sed quod ego dico.Nam etsi forsitan sicut dicis esset,attamen ista temeritas non scientiæ, sed audacis & elati animi indiciũ est: cùm nõ scimus certò rationes & argumenta, quibus aliis fuerit persuasum aliter esse interpretandũ.Hoc sciẽtes,quòd pleriq; sunt qui amant sentẽtias aliquas: non quia verę, sed quia suæ sunt, qui de scripturis inter se contendunt,qui(vt inquit Hieron.)athleticum scomma Dei faciunt sermonem : inuicem prouocãt,& si victi fuerint,inuident.Quid tam Dei opus, quàm scripturas legere , in ecclesia prædi-

Inter doctores scripturas interpretantes duo dissensionum genera.

Augustinus, Gen 1.

Hieronymus.

prædicare, ante altare Domini ministrare ? Sed si hæc , nisi quis omni diligentia custodierit cor suum , de cupiditate laudis oriuntur . Videas plerosque (quod etiam Tullius ait) de contemnenda gloria libros suos inscribere , & causa gloriæ proprii nominis titulos prænotare.Interpretamur scripturas, sæpe vertimus stylum,quæ digna lectione sunt scribimus : & nisi Christi causa fiant , sed memoriæ in posteros , & famæ in populos , totus labor irritus fiet : & erimus quasi tympanum sonans, cymbalum concrepans . Hic etiam silentio prætereundum non est, ex eo quòd diximus spiritum sanctum per eundem scripturæ sermonem , plures veras significasse literales sententias : consequens est illas sententias inter se non esse contrarias, aut impossibiles , alioqui non essent veræ sententiæ cùm nullum verum sit, alteri verò incompossibile . Et ideo vbi contingit doctores per eundem scripturæ sermonem multas intellexisse sententias inter se pugnantes , dum vnus sic , alius aliter in sensum priori incompossibilem arbitratur exponendum. Dicimus illam sententiarum varietatem non esse significatam nec à spiritu sancto , nec ab authore per quem sermo scripturæ compositus est : cùm nec ille, nec iste possit esse vllius falsitatis assertor . Nec ob id arguendi sunt doctores sic contrariè interpretantes , quandoquidem in his , quæ illo tempore sunt vel ambigua, vel fidei impertinentia , dissentiunt cum pace & fide catholica . Non sunt igitur audiendi calumniatores suis vaniloquiis , obiicientes sacrosanctæ theologiæ doctrinam huius seculi , per diuersas interpretantium sententias nunc totam conturbatam , contaminatam,confusam esse.Interpretationum nempe & expositionum varietas , quam & ipse spiritus scripturarum author non solùm, quemadmodum hæresim futuram præuidit , sed & prouidens operatus est , nihil officit, sed prodest per omnem modum , dum per eadem verba prolata , vel lector, vel auditor pluribus salutaribus pascitur panibus.Verũ quidem est quòd circumstantia scripturæ soleat illuminare sententiam,dum ea quę sequuntur & præmittuntur,diligenti discussione tractantur : sed plerunque tam congrua,tamq; confinis videtur vtriusque partis interpretatio, vt non facilè discernere valeas , quæ fuerit ab authore intellecta.Diuersitas ergo quæ contingit, dum consideratis sententiarum cohærentiis, alter scripturam sacram sic, alter verò non sic, sed aliter exponit vera catholica vtrobiq; data sententia,non solùm nõ turbat religionem Christianam, sed exercet studiosos,pascit famelicos, & velut manna (quod variis saporum oblectamentis delectabat edentes) reficit in deserto huius mundi fatigatos & ieiunos. Verùm hæc dicentes,non approbamus sciolorum quorundam audaciam,qui mox vt vnum aut alterum volumen legerint, docere præsumunt anteà quàm discant: qui mox calamo quicquid eis in mentem venit depingunt,suis sententiis & opinionibus & affectibus coguntſeruire sacras literas: qui,vt inquit Hieronymus, superba animositate ad sensus, quos sibi confingunt, in congrua aptant testimonia , qui inter mulierculas de sacris literis philosophantur . Sed de his hactenus : Ex supradictis igitur perspicuum est, spiritu sancto factum esse , vt idem scripturæ locus multis sit fœcundus sensibus,non modò subordinatis,veluti dum sub literali significatur sensus mysticus : verùm vt nec alter per alterum designetur.Amplius autem manifestum , quàmuis in scripturis sacris sint veræ & multiplices sanctorum patrum sententiæ, non tamen inde turbatur fides Christiana.Cùm huiusce modi sententiarum varietas non superinducat aliam & aliam fidei regulam, quam ecclesiastica seruat prædicatio , dum idipsum loquuntur omnes, & non sunt vlla inter eos schismata in ipsis fidei regulis . Nam quantumlibet magna in quibusdam scripturæ locis sit super intellectu scripturarum controuersia,cum pace tamen sancta est & vnitate catholica.

Non arguẽdi doctores contrariè interpretantes.

Interpretationum varietas spiritu sancto prouidente facta est.

In epistola ad Paulinum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput tertium huius libri de via inuestigandi verum intellectum scripturarum. A

Quòd scripturæ ex se, nõ ex patrum aut ecclesiæ intelligentia petẽda sit, sex argumẽtis & rationibus ostẽdi videtur.

I. argumentũ.

OPereprecium est deinceps considerare, qua via, & à quibus interpretibus quærendus sit verus sacrarum scripturarum intellectus. An videlicet ex solis scripturis sacris, vt vna intelligatur per aliam: an ex doctrina ecclesiæ & sanctorum patrum. Possunt autem hic confingi argumenta. Primum: Ecclesia fidelium quæ nunc est, habet eundem fidei spiritum, quem in principio sui semel acceperat: qua ergo ratione oportet nos magis stare interpretationibus doctorum veterum, quàm nouis eorum qui nũc sunt? Si veteres, cùm adhuc æditæ non essent expositiones vllæ, ex spiritu fidei intellexerunt scripturas, cur non licebit hodie sepositis interpretationibus hominum, scripturas sacras per eundem spiritum fidei discere, sicut olim licuit ecclesiæ primitiuæ doctoribus, Apostolorum successoribus, qui nec Hieronymi, nec Chrysostomi, nec vllius alterius interpretationem habuerunt. Secundum argumentum. Ea quæ sunt fidei & salutis non oportet ab alio discere, quàm à spiritu fidei, dicente Iohanne Apostolo, ad eos qui iam in Christum credebant: Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Quo sane Iohannis testimonio videtur indicatum, in doctrina fidei non esse opus vllius hominis ministerio. Vnde & hac ratione videtur dixisse Saluator: Vos autem nolite vocari rabbi, vnus est enim magister vester Christus. Quod tractans Augustinus: Nolite, inquit, putare quenquam hominem quicquam discere ab homine: magister qui docet intus est Deus. Magis ergo videtur quærendus scripturarum intellectus simplici oratione, ex reuelatione Dei per spiritum reuelantis, quicquid necessarium est saluti animarum & ecclesiæ. Quod & Iacobus Apostolus significasse videtur: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, postulet autem in fide, nihil hæsitans. Saluator quoq;: Petite, inquit, & accipietis, quærite & inuenietis, si quid petieritis patrem meum in nomine meo, hoc faciam. Humiliter petentibus, reuelat Deus doctrinæ suæ mysterium. Abscondisti hæc, inquit, à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Vnde potest sic formari ex supradictis ratio. Euangeliis cæterisque scripturis sacris credere debemus, non propter Ecclesiæ, aut vllorum hominum testimonium, sed propter inspirationes Dei intus & docentis Euangeliis credendum esse, & inspirantis spiritum fidei, qua credimus sic, vt Christiani sumus. Hæc enim fides est Dei donum, Ecclesia autem, est cœtus Christianorum, qui homines sunt. Hieronymus, Augustinus quoque & cæteri patres fuerunt homines, qui in scripturis exponendis, & falli, & hallucinari potuerunt. Neque oportet nos omnia eorum scripta sic credere, quemadmodum ea, quæ in scripturis sacris continentur, quæ credimus à spiritu sancto esse profecta. Tertium argumentum. Nemini licet, nec secundùm suum spiritum, nec secundùm sensum humanum scripturas intelligere. Quo enim spiritu scripturæ, inquit Bernardus, factæ sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendæ sunt. Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec vsu bonæ intentionis in lectione eius, & studio assiduæ meditationis, spiritum eius imbiberis. Nunquam intelliges Dauid, donec ipsa experientia ipsorum Psalmorum affectus indueris: sicque de reliquis. Hactenus ille ad fratres de monte Dei. Ex quibus consequens videtur, quòd oporteat vnumquemque sacræ theologiæ studiosum, intelligere scripturas eodem spiritu, quo & æditæ sunt. Hic autem spiritus nusquam præsentiùs, nusquam viuacius, quàm in suis sacris, quas ædidit, literis inueniri potest. Vnde paruifacientes venerandam patrum & Ecclesiæ antiquitatem, solent nobis obiicere hoc pacto:

Quicunque

II. argumẽtũ.

1. Iohan. 2.

Matth. 16. In expositione epistol. Iohan. tract. 3.

Iacobi 1. Lucæ 11. Iohan. 14.

Matth. 11.

III. argumẽt.

A Quicunque innixi doctrinis hominum, scripturas secundùm Hieronymi, Augustini, aliorúmue hominum sententias, & non Augustini, Hieronymi sententias secundùm scripturas sacras conantur intelligere, hi procul dubio scripturas torquent secundùm hominum dogmata: cùm econtrariò potius hominum dogmata oporteat flectere secundùm irrefragabiles scripturæ sacræ sententias. Cyprianus errauit in baptismo hæreticorum, imitatus prædecessorum suorum sententias. Consequens ergo videtur, vnumquemque sepositis hominum commentariis, oportere ex scripturis sacris intendere ad earundem scripturarum intellectum, quod & scriptura significasse videtur. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Optimus, inquit Hilarius, scripturæ interpres, qui sensum potius ex scripturis retulerit, quàm attulerit. Quartum argumentum: Maior est scripturæ sacræ authoritas, quàm omnium veterum doB ctorum maiestas, etiam præsentis ecclesiæ, aut conciliorum pape, quod multis rationibus videtur posse ostendi. Primò, quia scripturæ sacræ authoritas maior est, quàm olim fuerit authoritas Ecclesiæ Apostolorum, dicente Paulo de sua Ecclesia: Sed licet aut nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis anathema sit. Ad Gala. 1. Cùm dicit nos, intelligit aut Apostolos, aut Apostolorum Ecclesiam. Deinde præsens Ecclesia in fide & moribus dirigi debet secundùm scripturas, nec fas est Ecclesiæ quæ nunc est, aut vlli hominum congregationi quicquam definire, præcipere aut docere contra scripturas sacras. Nec cõcilium, nec Papa potest extra scripturas sacras articulos fidei nouos condere, nec tota Christianorum Ecclesia potest efficere, vt nouũ nunc aut quintum habeatur Euangelium. Nec enim pendet ex arbitrio Ecclesiæ, aut euangeliC orum numerus, aut fides Christianæ religionis. Quintum argumentum. Multi errores in omnium patrum scriptis reperiuntur, quorum & interpretationes super scripturas sacras creberrimò inter se variant: adeò vt propter diuersas doctorum interpretantium sententias tota scriptura videatur conturbata & confusa: quibusdam sic, quibusdam autem aliter interpretantibus, etiam crebrò contrarias inter se sententias afferentibus, & se inuicem arguentibus: Origenes, Hiero. Hilarius, Athanasius, & Ambrosius, tractantes verba Apostoli ad Rom. dicẽtis: Ego autem carnalis sum, vẽundatus sub peccato, & reliqua: exponunt Apostolũ dixisse huiusmodi sententias non pro sua persona, quæ iam erat sub gratia, sed in persona aliorũ, nondum sub gratia constitutorum. Augustinus autem contra IulianũD omnibus patribus illis cõtradicens, docet Apostolũ hoc pro sua ipsius persona dixisse: & ita huiusmodi voces esse voces iustorum, qui in hac vita etiam sub gratia constituti lugent suã miseriam & pericula. Insuper Hiero. & August. interpretantes verbum Apostoli: Oportet episcopum esse vnius vxoris virum, sententias contrarias attulerunt, vt recitat Gratianus 26. distinctione. Cyprianus & omnes collegę eius, totumq; Africanum concilium de baptismo hæreticorum aliter sensêrunt quàm August. Stephanus, & Cornelius, & Romanorum ecclesia. Id genus sunt alia in doctrinis ecclesiasticorum complurima, veluti in supputationibus septuaginta hebdomadarum Danielis temporumq; ac regum. Et de quibus loquitur scripturæ sermo, super quibus plerunq; tanta est sententiarum diuersitas, quanta exponentium magistrorum varietas. Sextum argumentum. Hieronymus ad Galatas dicit: Quicunq; sacram scripturam aliter intelligit, quã sensus spiritus sancti efflagitat, in quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit, tamẽ hæreticus posit appellari. Sensum autem aliquem esse, quem spiritus sanctus intenderit cognoscere nõ possumus, nisi per aliam scripturam ab eodẽ spiritu ditã. Hæc & similia sunt, quibus forsitan hęretici suos conantur defendere errores. Pro quibus refutandis primum ostẽdemus, ꝙ falsum sit scripturam sacrã esse

Argumẽta aduersariorum.

Psalm. 118.

Lib. 1 de Trin. IIII. argumẽtum.

V. argumẽtũ.

Ambrosius ad Roman. 7. 2. lib. 2. & contra 2. epist. Pela. lib. 1 cap. 10 August. super epist. ad Titũ. 1. ad Tim. 3.

VI. argumẽt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

per se facilem. Deinde ꝙ accedentibus sacræ Theologiæ studium, nō sufficit credere totam scripturam sacram esse verissimam. Tertiò, ꝙ in scripturis interpretandis contra hæreticos pugnandum est non solùm scripturis, sed etiam armis. A

Error aduersariorum.

De scriptura sacra Lutheranum dogma prædicat ipsam per se esse verisimā, facilimam, suiipsius interpretem. Et idcirco eandem scripturā addiscendam esse per seipsam, & non esse opus vllis doctorum aut magistrorū interpretationibus, glossis, aut commentariis. Sed huic errori manifestissimè per seipsas obuiant scripturæ propheticę & apostolicę, quę in ipsa sui prima ostensione densissimam secum adferunt caliginē, inuolutę tropis, parabolis & figuris, mysticis sensibus sub cortice literalis historię tacitè insinuantis: quos tametsi ipse Paulus spiritu sancto illustrante, sit dignatus suis in epistolis aperire, in eis tamē etiam fidei nostrę sacramenta, altaq;, grandia & sublimia legis & prophetarum mysteria à Deo magnificè interpretatur, tractat, & docet, vt & de ipsis attestatur Apost. Petrus, in illis esse B

Reprobatio aduersariorū.

quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. In scripturis sacris quantæ sint difficultates planè ostendit Hierony. in epistola ad Paulinum. Libri Ezechielis principium & finem tantis, inquit, obscuritatibus esse inuoluta, vt apud Hebræos cum exordio Geneseos, ante annos triginta non legantur. Isaiam, Hieremiam, Danielem quis potest absq; doctore, & magno studio intelligere? In Actibus Apostolorum sanctus vir Eunuchus, cùm legeret Isaiā, interrogatus à Philippo: Putas ne intelligis quę legis? Respondit: Quomodo possum, nisi aliquis me doceat? Ego, vt de me interim (inquit Hiero.) loquar, nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior. Vnde & alibi de se loquitur: Ab adolescentia non cessaui, aut legere vnq̄, aut doctos viros ea quæ nesciebam interrogare: neq; meipsum tantum (vt plerique) habui magistrū. Deniq; nuper ob hanc vel maximè causam perrexi Alexandriā, C

Principiū Ezechielis difficillimum.

Prophetas nemo potest absque doctore & magno studio intelligere

vt viderem Didymum, & ab eo in scripturis omnibus, quæ habebam dubia, scisciterer. Hæc ille in præfatione epistolæ ad Ephesios. Item in epistola ad Paulinum iam citata, Iacobus, Iohannes, Petrus, & Iudas Apostoli, septem epistolas ædiderunt, tam mysticas, quàm succinctas & breues, pariter & longas: breues in verbis, longas in sententiis, vt rarus sit, qui non in earum lectione cæcutiat. Apocalypsis Iohannis tot habet sacramenta, quot verba. Hæc Hieronymus in epistola ad Paulinum dicit à se perstricta, vt intelligamus nos in scripturis sacris sine præuio & præmonstrante doctore, semitam non posse ingredi. Idcirco autem spiritus sanctus mysteriorum formas obtectas esse voluit in scripturis sanctis, & non palàm atque in propatulo haberi: quod non expediebat olim humano generi cœlestium secretorum margaritas, sanctaq; incarnationis & passionis dominicæ sacramenta manifestari apertis scripturæ verbis, ne sancta publicè porcis ca D

Omnis in scriptura obscuritas à spiritu sancto est, vt ait beatus Augu. 2. de doc. Christ. cap. 6.

nibusq; exposita conculcarentur ab indignis, & ne paruuli (quibus adhuc conueniebat, vt ducerentur terrenis promissionibus in altiora prouehendi) interim suo lacte fraudarentur. Qualiscunq; fuerit in sacris scripturis obscuritas, ea facta est à spiritu sancto, non quidem inuidente humano generi salutarem scripturæ intellectum, sed medicinaliter prouidente, tum ad nostram edomandam sancto labore superbiam, tum ad remouendū à fastidio humanum intellectum, cui facilè inuestigata, facilèq; intellecta plerunq; vilescunt, Sacræ scripturæ vilescerēt, si mox vt leguntur omnibus patescerent. Quę facilè acquiruntur, minus appreciantur: quę aūt cum labore plus diliguntur. Verū non ob hęc præcepta dogmataq; Christianæ fidei æstimari debent tanquam occulta, suspecta, & ambigua, & incerta, & talia quæ non possunt lucidissimè ex sacris literis, & ex authoritate ecclesiæ de-

Aug. 2. de doc. Christ. cap. 6.

monstrari. Siquidem in articulis fidei, & præceptis Dei nihil, vt inquit Augustin. de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè alibi dictum reperiatur.

Proinde

A Proinde nihil inter se pugnant, scripturas esse intellectu difficiles, obscuras, & multis in locis ambiguas, & nihilo minus præcepta Christi dogmataque Christianæ fidei apertè & luculenter esse à Christo & Apostolis declarata. Iam videndū est, qua via quærendus est verus scripturarū intellectus, & quibus armis pugnandum sit contra hæreticos. Quamuis autem omnes hæreses prodeant ex scripturis sacris, quæ sic ex voluntate Dei sunt inspiratæ, vt hæretici inde sumant suorū errorū occasiones, non tamen inde consequens est, scripturas ipsas esse vituperādas. Nihil enim tam bonum in hac vita, quo non interdum suggerente dæmone abutatur peruersa voluntas humana: & id quidem cùm in omnibus sit execrandum, longè tamen peruersissimum, & in Ecclesia Christiana pernicioſum est, si fiat re saluberrima & sanctissima, qualis est sacrosancta Theologia. Tota scriptura veteris legis & Prophetarum, communis est Iudæis & Christianis: sed Iudæi quia B in Christum non credunt, idcirco easdem scripturas non intelligunt, quibus & Propheta loquitur: Nisi credideritis, non intelligetis. Vsq; in hodiernum diem, inquit Apostolus, cùm loquitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cùm autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. 2. ad Corinth. 3. Velamen, quo velatur eis mysterium legis, est carnalis intelligentia legis, absque scientia gratiæ Christi in lege abscōdita. Quando Christus pependit in cruce velum templi scissum est, & patuerunt ipsius templi secreta. Ita in hodiernum vsq; diem secreta legis patuerūt quidē Iudęis, verùm non omnibus, sed transeuntibus ad Christum. Cùm conuersus, inquit, fuerit populus ad Dominum, scilicet Christum, auferetur velamen. Vnde Saluator Iohānis 5. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Et Iudæi effuderunt sanC guinem innocentis Christi, & in hodiernum vsque diem manus eorum sanguine sunt plenæ: quippe qui sunt consentientes in necem illius, & blasphemantes illum. Idcirco misit illis Deus spiritum soporis, id est, alienationem mentis, vt non videant veram scripturarū intelligentiam, quemadmodum & prænunciauit de illis Isaias propheta: Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, id est, Isaiæ. 29 clausi & sigillati: quem cùm dederint scienti literas, & dixerint: Lege librum istum. respondebit: Non possumus, signatus est enim, id est, clausus. De quo & Iohannes Apocalyp. 5. Quis, inquit, dignus est aperire librum, & soluere signacula eius? Cumq; nullus fuisset inuentus, fleuisse se dicit, & Dei tandem ad se meminisse sermonem. Noli flere, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, vt aperiat librum, & soluat signacula eius, id est, mysteria pandat legis & Prophetarum: vbi significatur Christus esse verus expositor legis & Prophetarum, qui & earunD dem scripturarum intellectum suis tradidit Apostolis, & per Apostolos Ecclesiæ, quæ rectè interpretatur scripturas vsque in finem seculi. Iudæi nolunt audire Christianorum Ecclesiam, idcirco sacra Apostolorum Euangelia Epistolasque eorum contemnunt, & quantumuis scripturas sacras habeant, quas & verissimas credunt, tamen verum earum intellectum habere non possunt. Sicut & tota hæc tam veteris, quàm nouæ legis scriptura communis est omnibus Christianis, & multis hæreticis, vtrisque docentibus easdem scripturas totas esse verissimas, diuinas, & à spiritu sancto æditas. Sed controuersia hinc inde. Vbinam, & penes quos sit earundem scripturarum intellectus, verus sensus, vera expositio. Hęreticis iactantibus hanc penes se esse, veris Christianis non dubitantibus hanc penes se esse. Quo fit, vt scripturis, quibus ecclesiastici patres vtuntur ad demonstrandam Christianæ fidei veritatem, eisdem & hæretici vtantur ad stabiliendum suas hæreses. Verùm hic catholici contra hæreticos habent in scripturis canonicis intelligendis irrefragabilem machinam, qua & ante nos vsi sunt contra eas Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Athanasius, Basilius, & cæteri patres

Universidad de Deusto
Biblioteca

ecclesiastici, secundùm seriem successionis ab initio. In scripturis videlicet interpretandis, seruandam esse Ecclesiæ doctrinam ab Apostolis traditã, & ab eis deuolutam ad patres, à patribus ad successores descendentem, & vsque ad præsens tempus in Ecclesia permanentem. Hanc machinã docuit Beatus Clemens Petri successor, scribens ad fratrem Iacobi, episcopum Hierosolymorum, dicens diligenter esse obseruandum, vt lex Dei cùm legitur, non secundùm propriam ingenij intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque præsumit. Et ideo oportet, inquit, intelligentiam scripturarum discere ab eo, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat. Hac machina vsus est contra Valentinianum hæreticum, Irenæus: contra Marchionem, Tertullianus: contra Celsum Origenes: contra Nouatum, Cyprianus: contra Arrianos, Nycenum concilium: contra Luciferianos & Iouianum, Hieronymus: contra Donatistas, Augustinus. Sic & cæteri patres ab initio secundum successionis seriem ad hæc vsque tempora, contra temporum suorum hæreticos hoc vsi sunt argumento. Quòd si quispiam sacras literas tractans, voluerit seponere, & in scripturis interpretandis ex suo capite afferre glossemata, redibunt mox olim damnatæ, & iamdudum sepultæ hæreses. Contra has non habentibus nobis tam euidentia scripturæ testimonia, vt ex eis conuicti cedant earundem hæresum authores, easdem scripturas nimirum aliter, quàm tradidit Christianorum schola interpretantes. Quibus cùm dicimus in scripturis sacris interpretandis seruandas esse cautelas, videlicet non ex nostris cerebris afferenda esse commenta, sed ex clariori loco illustrandum esse obscuriorem, consideranda esse quæ præmittuntur, quæ sequuntur, & consulendum esse linguarum (in quibus scripturæ primùm sunt æditæ) proprietates, pio supplicique animo rogandum esse Deum, qui intellectum dat, & reuelat fidei suæ mysteria paruulis, abscondens illa ab huius seculi sapientibus & prudentibus. Respondent nobis, se seruare hæc omnia, se esse verè pios, humiles, paruulos, quos illuminare dignatur Dei spiritus, sese in scripturis interpretandis pio supplicique animo huiusce modi cautelis semper vti, nos autem longè ab illis deuiare. Sed cùm obijcimus illis sententiam scripturarũ, & expositionem omnium traditionum ecclesiasticarum quærendam esse secundum antiquum Ecclesiæ statum, vbi est veritas disciplinæ, & Christianæ fidei: iam mox in nos stomachantur, nihili faciunt Ecclesiam, reijciunt patres, contemnunt omnia, quæ nobis veneranda tradidit antiquitas. Ex quibus intelligere possumus, in primis necessarium quidem esse, vt quisque sacræ Theologiæ studiosus scripturas sacras totas, etiam nondum intellectas, credat esse verissimas, venerandas, diuinas, salutares, non suspectas vlla falsitate, habeatque omnia in eisdem asserta tanquam maiestatis plena, grandia, & sublimia: quantumuis videantur in superficie literę parua & contemptibilia, vsqueadeò, vt nihil in eis contemnat tanquam abiectum, exiguum, ac vile, Deoque indignum: sed omnia colat tanquam magnifica, alta, & egregia, vt etiam quæ minuta videntur & indigna, quæ in diuinis literis contineantur, veneretur & colat. Sed hoc non sufficit. Quandoquidem Iudæi totius legis & prophetarũ scripturas credunt esse verissimas, salutares, & diuinas. Deinde hæretici multi, & qui nunc sunt, & qui olim ante multos annos extiterunt, totum vetus & nouum testamentum credunt esse verissimum, æditumque diuino spiritu. Hoc igitur non sufficit. Verùm & oportet, vt quisque sacræ Theologiæ studiosus, ita intellectum suum captiuum teneat in obsequium fidei, vt credat eas esse veras non secundum suum sensum, quem sibi præsumit, non secundum adulterinas interpretationes eorum, qui foris sunt: sed secundum antiquam Ecclesiæ traditionem interpretatas. Non sunt credendę veræ scripturarum sententiæ,

Irrefragabilis machina, qua contra hæreticos ecclesiastici patres vsi sunt.

tiæ, quæ ab ecclesiastica traditione discordant: vt omnis superbia mentis, & ingenij capacitas penitus cedat antiquitati ecclesiasticæ traditionis. Non aliæ veteris atque huius temporis Theologiæ sunt sententiæ Christianæ fidei. Verus scripturarum intellectus concordat cum antiquo Ecclesiæ statu, conspirat cum matricibus & originalibus Apostolorum Ecclesijs, quæ doctrinam fidei ab Apostolis ipsis acceperunt, prædicantibus viuis vocibus, priusquam scripta essent quatuor Euãgelia. Apostoli à Christo, Christus à Deo. Vnde & Ecclesiæ posterius instituę Apostolicæ dicuntur, quia cum prioribus eadem fidei doctrina conspirãt. Proinde & omnes Ecclesiæ sunt vna Apostolica ecclesia, quarũ vnitas stat in communione pacis, appellatione fraternitatis eiusdem fidei, eiusdem doctrinæ contestatione, eorundem sacramentorum societate. Solet quidem in sacris literis circunstantia scripturæ illuminare sententiam, dum ea quæ sequuntur & præmittuntur diligenti discussione tractantur. Scripturæ sacræ mos (inquit Hieronymus) est, obscuris manifesta subnectere. Verùm hoc non in omnibus comperimus. Sunt aliqua in scripturis loca, quorum intellectum præ nimia obscuritate certum assequi non possumus: adeò intricata, adeò tenebrosa, adeò densitate parabolarum & figurarum cooperta, vt nec ex ipsis, nec diligenti excussione eorũ, & quæ præmittuntur, & quæ sequuntur, nec ex alijs locis scripturas huiusce modi interpretantibus, nec aliter, quàm reuelatione diuini spiritus valeamus certò mentem authoris deprehendere, quæ sacræ Theologiæ magistri interpretantes, non pro certitudine definiendo, sed quasi opinando, & probabiliter conijciendo, piè reuerenterque interpretati sunt: relinquentes interim iudicijs aliorum, qui forsitan spiritu Dei suggerente meliores magisq; accommodatas valeant inuenire sententias. Non quibuslibet ergo interpretibus & magistris adhærendum est. Idcirco quòd se iactent docere, & habere apostolicæ fidei symbolum, eadem Euangelia, easdem scripturas, & se velle viuere, mori in vera religione Christiana. Pelles ouium sunt scripturæ sacræ, foris scriptæ in membrana: visibilia fidei sacramenta, Christiani nominis superficies foris apparentes, quas hæretici & falsi Prophetæ, intus lupi rapaces, foris induunt, in quos Christus pastor ouium, id est, verorum Prophetarũ & Apostolorum, omnium discipulorum magister, sutura præuidens, voluit nos esse præmunitos: Attendite, inquit, à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Omnis hæresis sese palliare studet, sub prętextu doctrinę veri Euangelij, sub titulo Christiani nominis. Nec oboritur vnquam hæresis, nisi aut ex verarum scripturarum falso intellectu, aut ex falsarum scripturarum vsu: quæ cùm non sint Christi, recipiuntur vt doctrinę Christi. Proinde vetustissimus ille Tertullianus docuit hęreticos non esse vllo pacto admittendos ad disputationem de scripturis sacris: tum quòd orthodoxis tantùm competit scripturarũ professio, tum quòd ex congressionibus istis plus est mali, quàm boni. Paulus, qui & hæreses, inquit, inter carnalia crimina scribens ad Galatas enumerat, Tito suggerit, hominem hæreticum post primam correctionem recusandum, quòd peruersus sit huiusmodi, & delinquat vt à semetipso damnatus. Ideo à se, inquit, damnatum dixit hæreticum, quia in quo damnatur sibi eligit. Nobis autem nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere quod quis de arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec sibi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed accepta à Christo sententia, fideliter nationibus insinuauerunt, ita vt si etiam angelus de cœlo aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis. Et post pauca: Nobis (inquit) curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium, cùm credimus: nihil desideramus vltrà credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod vltrà credere debeamus: tãquam dicat, non aliud creden-

Ecclesiæ Apostolicæ.

Isaiæ. cap. 19

Vestimenta ouium. Matth. 7

De præscriptione hæreticorum.

Galat. 5
Ad Titum 3.

Hæreticus à se damnatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

credendum, quàm quòd Christus ipse Dei filius, legis & Prophetarum finis, per se & Apostolos docuit atque instituit: qui legem impleuit & Prophetas, ipse ad discipulos ait: Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis: omnia, inquam, quæ potuistis portare modò, id est, quorum fuistis pro imbecillitate vestra capaces. Nam & alia multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò. Tanquam dicat: Multa sunt quorum nondum estis capaces. Cùm adimpleta videbitis in me ea, quæ in lege & Prophetis sunt adumbrata, ad quæ implenda missus sum à patre meo in mundum: tunc aperientur sensus, vt intelligatis scripturas. Fruſtrà igitur laborãt hæretici, qui audacias figmentorum suorum hac occasione Euãgelicæ sententiæ colorare nituntur, quasi sententiæ, quas ipsi confingunt, sint de numero eorum, quæ discipuli portare non potuerunt, quæ & spiritus veritatis docuerit illos, semper quærentes & pulsantes. Falluntur insuper hæretici, dum ad ingerendam curiositatem inculcant scripturas. Scriptum est, inquiunt: Quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Sed quòd hanc scripturam detorquent in sensum à veritate alienum, ex illa arbitrãtes multa esse credenda alia, quàm quæ Christus & Apostoli docuerunt, quæ & oporteat quærere, manifestum erit considerantibus tempus & personas, pro quibus Dominus hanc vocem emisit. Tempus quidem, nam puto dictum pro tempore, cùm adhuc Christus erat quærendus, in ipsis scilicet doctrinæ suæ principijs, cùm adhuc dubitaretur apud homines, an Iesus esset Christus, cùm adhuc nec Petrus illum prænunciasset Dei filium. Personas autem nam ad illos pertinet totus sermo suggillationis istius, qui habebãt vbi Christum quærerent. Habent, inquit, Moysen & Heliam, id est, legem & prophetas, vbi Christum quærere & inuenire possent, secundum quòd alibi apertè dicit: Scrutamini scripturas, in quibus salutẽ speratis, illę enim de me loquuntur ad Israelẽ. Ergo loquebatur quemadmodũ ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Nondum canibus iactabat panem filiorum, sed filijs, id est, eis qui sciebant Deum, à quo erat aliquid promissum, Deum scilicet Abraham, Isaac, & Iacob, quem nationes gentium nondum nouerant, nondum mandauerat ire in viam gentium, quibus non quærentibus, non petentibus vltrò salus erat obuentura. Quemadmodum, inquit, inuentus sum à non quærentibus me: palàm apparui ijs, qui de me non interrogabant. Abutebantur ergo hæretici huiusmodi verbis, arbitrantes ex illis consequens esse, multa fuisse Apostolis abscondita, & ita semper quærenda esse à Deo alia & alia, quæ credamus. Omnia quidem verba Domini omnibus sunt posita, & per Iudæorum aures ad nos pertransierunt: sed pleraque in personis directa, non proprietatem admonitionis nobis constituerunt, sed exemplum. Proinde si demus sermonẽ hunc omnibus nobis dictum, ratio verborum constituenda est, vt quæramus vbi res est, quam inuenire desideramus, & illic pulsemus vbi verus est Deus, qui audit & aperit. Est qui semper petit, semper quærit, semper pulsat, & nunquam inuenit, nunquam ostium quo intret in domum Dei apertum habet, nunquam accipit: quia ibi quærit, vbi veritas non est: illic pulsat, vbi nemo audit. Nos dum iam credimus, nõ quærimus, vt aliud quod quærimus inueniamus: sed potius, vt id quod credimus custodiamus, & magis magisque habeamus, inueniamus, arripiamus, & intelligamus. Nobis ergo quàmuis quærendum est adhuc & semper, non tamen apud hæreticos quærimus nouam fidei regulam: sed ex fide, in nostro, & à nostris, & de nostro, quod in nobis salua regula fidei in quæstionem venire potest. Regula autem est fidei, vt credamus vnum solum Deum esse mundi creatorem, qui vniuersa ex nihilo produxerit per verbum suum, filium appellatum, visum Patriarchis, in Prophetis auditum: postremò, ex spiritu Dei patris delatum in virginem, carnẽ factum in

Iohan. 15. — Hæc omnia Tertul. de præscript. hæreti.

Hæretici fallũtur per scripturas.

Luc. 16.

Iohan 6 Matth. 15.

Nobis credentibus dicitur, quærite & inuenietis.

in vtero eius, ex ea natum, exinde prædicasse nouam legem, cruci affixum, tertio die resurrexisse, in cœlos erectum, sedere ad dexteram patris, misisse vicariũ vim spiritus sancti, qui credentes agit, venturum tunc cum claritate ad sumendos sanctos in fructum cœlestium promissorum æternæ vitæ, & ad prophanos adiudicandos igni perpetuo, facta vtriusque partis resuscitatione cum carnis restitutione. Hæc regula fidei à Christo instituta nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quas hæretici faciũt. Aduersus hanc fidei regulam quęrendum est nihil. Proinde si doctor quispiam scientiæ gratia donatus, curiosius ex scripturis tecum tractare voluerit, quòd hanc regulam vel obtenebrare, vel ambiguã reddere videtur, ignorare melius est, quàm (quod non debeamus) velle cognoscere. Fides tua, inquit, te saluum fecit, non exercitatio scripturarum. Et hæretici, quia de rebus fidei alium desuadere non possunt, nisi ex literis sacris, id-circo communis hæreticorum mos est de scripturis agere, de scripturis suadere, ad scripturas prouocare, scripturas obtẽdere, clamare Euangelium Domini, Euangelium Domini: & hac sua audacia aduersus Ecclesiam congredientes, statim quosdam mouent orthodoxos, fatigant infirmos, & pusillos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Et proinde hic potissimum gradus imprimis est obstruendus, vt non admittamus eos nobiscum ad vllam de scripturis disputationẽ, apostolo Paulo docente: Hæreticum hominem post vnam aut alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Non dixit, Post vnam disputationem, sed post vnam, inquit, correptionem. Dum interdicit nouis eorum vocibus aures accommodare, simul & de scripturis disputationem interdixit. Primùm, quòd, vt sæpe iam diximus, nihil proficiunt cum huiuscemodi congressibus scripturarum. Deinde, quòd nullo modo possessio eis competit. Siquidem non Christiani nullum ius habent Christianarum literarũ. quibus meritò dicit Ecclesia: Qui estis vos & vnde, & quando venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo iure syluam meam cæditis: Qua licentia meos fontes transuertitis? Mea est possessio, olim possideo, habeo origines firmas. Ego sum Apostolorũ hæres. Ipsi Apostoli, sicut testamento suo cauerunt, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæredauerunt semper & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos. Vnde autem estis inimici & extranei Apostolis? Nisi ex doctrinæ diuersitate, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos, aut protulit, aut recepit. Ista hæresis non recepit quasdam scripturas, etsi recipit aliquas, adiectionibus, detractionibus, ad dispositionem sententiæ suę interuertit. Etsi recipit, non recipit integras: etsi aliquatenus integras, nihilominus per diuersas expositiones & commentaria peruertit. Tantùm veritati obstrepit sensus adulter, quantùm corruptor stylus. Ratio ergo est propositi nostri definire, non esse admittendos hæreticos, ad inundam de scripturis prouocationem. Nam etsi etiam fueris orthodoxus in scripturis exercitatissimus, cõgrediens cum illis nihil proficies. Quoniam si quid defenderis, ipsi negabunt: si negaueris, defendent: nihil consequeris, nisi vilem de blasphematione laudem. Errare, inquit Hieronymus, existimant corrigentem eos, lucrifacere volunt eum, à quo docentur. Quòd si etiam cum illis in congressum descendis scripturarum propter causam alterius, quem dubitantem in via fidei confirmare velis, is cùm videbit ex scripturis hinc inde altercationes, incertior discedet, nescions vtram partem esse hæresim iudicet, videns nos in illos retorquere eadem, quæ & ipsi in nos. Ergo nec ad scripturas prouocandum, nec in ijs constituendum est certamen, in quibus aut incerta, aut parum certa victoria est: sed illud prius proponendum est, quibus competat fides ipsa, cuius sunt scripturæ, à quo, & per quos, & quibus tradita sit Christi diuina doctrina, per quam homines

Tertull. de præscript. hæreticorum. Ad Tit. 3.

Vox ecclesię in hæreticos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

homines sunt Christiani. Vbi enim apparuit esse veritatem disciplinæ & fidei A
In epist. ad Pammach. & Oceanum. Obiectio. Christianæ, illic erit & veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianorum. Hæc est Tertulliani doctrina, sine cuius lectione (Hieronymo teste) nec ipse Cyprianus vllum diem pertransisse legitur. Sed hic mox occurres dicturus: Si non est cum hæreticis disputandum, qua ratione patres ecclesiastici, Hieronymus, Augustinus tot voluminibus scriptis contra diuersas hæreses cum hæreticis sunt congressi? Deinde cur & ipse Tertullianus cum hæreticis disputauit, & contra illos volumina scripsit? Cur Paulus apostolus inualescebat & confundebat Iudæos, & loquebatur cum gentibus, & disputabat cum Græcis? Actuum 9. Respondeo, aliud esse pro Ecclesia contra hæreses seu doctrinas
Solutio. hæreticorum scribere, confutare errores & rationes eorum, argumenta contra fidem facta pro Christi fidelibus dissoluere, malignas scripturarū interpretationes ab eis datas Ecclesijs manifestare, quemadmodum fecêre ecclesiastici patres B
in diuersis voluminibus contra hæreticos scriptis. Aliud est disputare cum hæreticis, præsertim coram plebe & de scripturis sacris, quas malignis interpretationibus deprauant, quod vt in pluribus non expedit neque ipsis hæreticis, quippe qui pertinaces sunt, & superba animositate inflati, nec suasionibus (vt inquit Bernardus) flectuntur: quia subuersi sunt, nec Christi Ecclesiam audiunt, quia illam apud se esse dicunt: neque authoritatibus corriguntur, quia non recipiunt: neque ipsis audientibus, præsertim infirmis in fide, qui & facilè aliorsum sunt mobiles, quibus & plerunque hæreticorum rationes, & malignę scripturarum interpretationes videntur sanctis catholicorum sententijs verisimiliores. Quamobrem frequentius plus mali inde prouenit, quàm boni: quàmuis & interdum pro tempore & loco expediat, vt doctores in sacra scriptura magis eruditi contra illos disputent, ad corroborandam fidem catholicorum eorum, qui audiunt, qui & alioqui procliues erant propter falsa & verisimilia quædam argumenta hæreticis consentire. Sic & sæpenumero congressi sunt patres cum hæreticis, secun-
Ad Titum 1. dum doctrinam apostoli Pauli docentis, oportere, vt Episcopus seruet, amplectatur & teneat sermones fidei, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui
1. Pet. 3. cõtradicunt arguere: vt & iuxta Petri doctrinam paratus sit ad satisfaciendum omni petenti rationem fidei & spei nostræ. Notanda sunt verba Potens exhortari, & paratus ad satisfaciendum semper: tamen caueat minus eruditus catholicus, & in sacris literis non satis exercitatus, ne vnquã congrediatur cum hæreticis doctis in scripturis sacris exercitatis. Pro temporibus itaq;, personis, causis & rationibus interdum licet cum hæreticis disputare, & interdum non licet. Et proinde hac in re opus est sale discretionis, & prudentia, qua diligenter obseruetur, quid tempori, loco, personæ, spectanti, & conditionibus personarum audientium expediat. Tertullianus autem considerauit ea, quæ accidunt frequentius, & vt in pluribus. Quàmuis ergo catholici nequeant ex scripturis sacris efficere, vt hæretici victi cedant: quandoquidem ipsæ scripturæ sacrę sunt communes hęreticis & catholicis, vtrisque eas consentientibus eas esse verissimas, diuinas, & à spiritu sancto æditas: sed dissentientibus in earundem scripturarum expositionibus, hæreticis præsumentibus veros scripturarum sensus apud se esse, catholicis autem contradicentibus: non tamen reliquit Christus catholicos in se credentes destitutos inuictissimis armis quibus se contra hæreticos tueantur: verum scilicet scripturarum intellectum in ijs, quæ sunt de necessitate salutis & fidei, apud Ecclesiam remanere, vsque in consummationem seculi. Hac machina in scripturis (quemadmodum diximus) exponendis contra hæreticos vsi sunt ante nos, Irenæus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, & cæteri ecclesiastici patres ab initio. Sunt quidem in scripturis sacris variæ & multiplices sanctorum patrum interpretantium
C
D
senten-

A sententiæ, sed huiusmodi non aliam fidei regulam superinducunt, dum in his quæ fidei sunt, conueniant omnes. Et quàmuis non omnis fidei veritas valeat ex scripturis sacris, aut euidenter, aut necessario argumento demonstrari, nec rursus omnis hæresis possit ex eisdem necessario argumento confutari: eiusdem tamen scripturæ sacræ à nobis (inquit Augustinus) tenetur veritas, cùm hæc faci-
Contra Cresc. lib. 1. cap. 33. Matth. 16. mus, tenemus, & credimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam sacra scriptura sine vlla ambiguitate demonstrat, quæ & iuxta Apostolum Paulum firmamentum est & columna veritatis, aduersus quam nec portæ inferi. i. hęreticorum doctrinæ, iuxta Saluatoris prophetiam, vnq̃ pręualebunt, spiritu veritatis dirigẽte illam vsque in finem seculi. Ex antiquorum igitur patrum sententijs discimus, quibus armis pugnandum sit contra hæreticos, & qua via inuestigandus sit verus
B scripturarũ intellectus. Ex superioribus ergo primùm sequitur: Quotquot probè, & non arroganter sacras scripturas student intelligere, eos non suis inniti ingeniis, sed pia & sedula inuestigatione intendentes in ea quę sequuntur & pręmittuntur, conferentesque scripturas scripturis, ex manifestioribus locis colligere sensum quendam in locis obscuris designatum, qui non aduersetur vetustis Christianæ Ecclesiæ traditionibus. Secundò consequens est, synceros sacræ Theo-
Secundò. logiæ studiosos, consulere pro loco & tempore commentarios aliorum, non eorum, qui inimici fuerunt Ecclesiæ Christi: sed eorum, qui in nullo à sanctæ Ecclesiæ catholicæ consortio deuiauerunt, nec fuerunt ab eius fideli prædicatione
August. de vtilitate credendi cap. 6. tos atque obscuros, ab eius inimico exponendos putat. Nemo vnquam Geometricas Archimedis literas discere voluit à magistro Epicuro, qui nihil earum in-
C telligent, contra illas pertinaciter disserebat. Ita nemo pius Christianæ philosophiæ studiosus, sacræ scripturæ intellectum putat inuestigandum ab inimicis Ecclesiæ Christi: sed studet sese potius condere in eiusdem Ecclesiæ gremio, quę ab Apostolis fundata hactenus, & vsque in consummationem seculi, per successiones episcoporum, inter hæreticos circumlatrantes, & inter persequutores sæuientes steterit immobilis. Tertiò, ex his consequens est verum intellectum scri-
Tertiò. pturarum veteris testamenti, non esse quęrendum ex Hebraicis Iudæorum glossis & commentarijs. Quàmuis enim Hebraicæ Iudæorum Bibliæ magis fidamus, quàm æditionibus Græcis & Latinis. Et ideo vbi de vero textu inter nos quæstio versatur, consulimus eorum codices, vt scripturæ sacræ textum verum teneamus ab his, à quibus eundem accepimus: eiusdem tamen sacræ scripturæ sensus & intellectus magis est quærendus ex patrum orthodoxorum commentarijs, quàm ex Hebræorum & Iudæorum glosis & expositionibus: præsertim
D æditis post Euangelium ab eisdem, de quibus iam est impleta prophetia Chri-
Matth. 21. sti, dicentis: Auferetur à vobis regnum Dei, id est, scripturæ sacræ sensus, & dabitur genti facienti fructus eius. Idcirco Hieronymus cæterique patres sancti, cùm admonent sacræ Theologiæ studiosos, vt vbi quæstio est, recurrant ad Hebræorum codices, & scientiæ veritatem magis de fonte, quàm de riuulis quærant. Fontem, & Hebræorum codices, non illic appellant eorundem Hebræorum in scripturas sacras commentarios, vtpote eorum Talmud, & Caballistas, cæterosque expositores, siue literaliter siue allegoricè, siue anagogicè exponentes. Habet quidem Hebræorum synagoga diuersorum Generum expositores:
De preciosa veste Aaron. habet, qui in literali sensu versantur: habet & alios, qui allegoriam sequuntur: habet & caballistas, quibus peculiare, omnia in Deum reducere. Hieronymus ad Fabiolam recitat mysticam Hebræorum interpretationem super vestibus, preciosisque lapidibus portandis ab Aaron pontifice. Verùm sensus hos & si habeant interdum veros, in pluribus tamen habent longè diuersos, longeq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

abhorrentes à ſenſibus myſticis, deſignatis ab Apoſtolo Paulo, & in commentariis orthodoxorum patrum, qui à Chriſto & Paulo edocti, in exponendis ſcripturis veteris legis, regulam habẽt Chriſtum pro nobis incarnatum, paſſum & mortuum: in quem ceu in ſcopum tendunt Lex & Prophetæ. Iudæis autem inimicis crucis Chriſti, hanc regulam contemnentibus, liber iſte Legis & Prophetarũ, atteſtantibus Iſaia & Paulo apoſtolo, clauſus eſt. Menſa verbi Dei facta eſt in laqueum, in retributionem, & in ſcandalum. Vſque in hodiernum diem, inquit Paulus, dum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum: & idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum, quod in Chriſto euacuatur, & cùm fuerint conuerſi ad Deum, per Chriſtum auferetur velamen, 2. ad Corinthios 3. Senſum quidem literalem nobiſcum habent communẽ, præſertim vbi hiſtoriæ ordo palàm texitur. In multis autem non habent, nonnulla exponentes ad literam, quæ propter tropologiam & metaphoras non ſic ad literam carnaliter ſunt accipienda. In Lege, in Pſalmis, & in Prophetis prænunciantur gentes ab extremis terræ fluere, properare & venire aut ad montem ſanctum Syon, aut ad Hieruſalem. Hæc autem non, quemadmodum ipſi Iudæi intelligunt, ſunt accipienda de curſu, fluxu, aut corporali greſſu ad terrenam Syon, aut Hieruſalem in Iudæa, ſed de curſu ſeu fluxu ſpirituali, qui fit innouatione cordium ex Babylone huius mundi, in ſpiritualem montem Syon, id eſt, in vnam ſanctæ Eccleſiæ ſocietatem, qui adorant in ſpiritu & veritate verum Deum, in omni loco & gente, de quibus in ſequenti libro latiùs. Quartò, ex ſuperioribus ſequitur: Ea quæ ſunt ex cauſis & rationibus generaliter prohibita, eſſe interdum quibuſdam permiſſa & conceſſa, eiſdem cauſis ceſſantibus. Proinde Chriſtianus quiſque iam in fidei ſacris eruditus, potens probanda vel improbanda diſcernere, licitè interdum legit hæreticorum, & Hebræorum commentarios, quẽadmodum & apocryphos gentilium & infidelium libros, & id quidem multis ex rationibus, vt videlicet aut ſumat ex eis aliquid, quo ceu proprio mucrone illos iugulet, aut diſſoluat argumenta contra veritatem ab illis conficta, aut etiam diſcat nominum, verborum & orationum vires ac proprietates, & quaſdam etiam ſententias veras in ſcripturis ſacris ab illis intellectas, accipiat. Vnde & Dionyſius Alexandrinus magni Origenis diſcipulus ſuper hac re, teſte Euſebio ſeptimo libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, capite ſexto, ſic loquitur: Ego (inquit) tractatus hæreticorum lego, & traditiones eorum perſcrutor, etiam ſi videar ad horam verbis eorum pollui. Sed multùm mihi confert, quòd ex ipſorum verbis arguere eos poſſum. Deniq; cùm aliquis ex fratribus & compresbyteris prohiberet me, ne hæretica lectione tanquã ſœtore cœni alicuius polluerer, viſio mihi quædam à Deo oſtenditur, quę me cõfirmaret, & ſermo ad me factus eſt, hæc mihi euidenter proloquens: Lege omnia quęcunq; in manus tuas venerint, quia probare ſingula quęq; & diſcernere potes: Quandoquidẽ ab initio hęc tibi fuit cauſa credẽdi. Amplexus ſum viſionẽ, quia & apoſtolicæ ſententiæ concordabat dicẽti: Omnia legite, quæ bona ſunt tenete. Hactenus ille. Vnde & ſcribunt interdum vtilia quędam hęretici, & ipſi etiam ethnici. Sic diuus Hieronymus legit hęreticorum & ethnicorum libros. Sic & ipſi in apologia aduerſus Ruffinum loquens: Ego, inquit, in commentariis ad Epheſios, Origenem, Apollinarem & Didymum, qui contraria habent inter ſe dogmata, ſic ſecutus ſum, vt fidei meę non amitterem veritatem. Eorum qui commentaria ſcribunt officium eſt, etiam hæreticorum & aduerſariorum varias expoſitiones refellere, verſasq; & ſolidas approbare. Cõmentariorum, inquit, officium eſt, aliorum explanationes edifſerere: quæ obſcurè dicta ſunt, plano ſermone manifeſtare, multorum ſententias replicare & dicere: hunc locum quidam ſic ediſſerunt, alij ſic interpretantur: illi ſenſum ſuum

Pſalm. 68. 2. Corint. 3.

Quintò.

Hiero in apologia aduerſus Rufinum.

& intelligentiam his teſtimoniis & hac ratione nituntur firmare, vt prudens lector cùm diuerſas explanationes legerit, & multorum vel probanda vel reprobanda didicerit, iudicet quid verius ſit, & quaſi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Cæterùm & ipſe Origenes, Clemens, Euſebius, ipſe etiam Hieronymus, aliique complures, quando de ſcripturis aliqua diſputant, & volunt approbare quod dicunt, ſic ſolent ſcribere: Referebat mihi Hebræus, & audiui ab Hebræo, & Hebræorum iſta ſententia eſt. Et ſcripturam Hebręam interpretantes, interdum non dedignantur per ſingula loca, quid Hebræis videatur inferre: de quibus prolixè ſatis Hieronymus in Apologia præfata. Quintò: Ex ſuperioribus conſequens eſt, Iudæos & Chriſtianos habere eaſdem veteris teſtamenti ſcripturas, ſed controuerſiam eſſe, quòd ipſi pertinaciſsimè tradũt, & dicunt eas à nobis eſſe malè intellectas prauèque expoſitas. At contrà, nos conſtantiſsimè credimus, nec dubitare debemus eaſdem malè ab ipſis intellectas, illoſque in earundem ſcripturarum expoſitionibus falli & hallucinari, quod & ipſi itidem de nobis tradunt quàm zeloziſsimè. Verùm nos neque falli, neque decipi reuera nobis perſuaſum habemus à Deo, intus operante in nobis, & teſtificante per filium ſuum Ieſum, per quem aperuit Apoſtolis & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ verum earundem ſcripturarum ſenſum, omnia fidei noſtræ myſteria in lege & Prophetis deſignata. Creditis in Deum, inquit, & in me credite: quod conſequẽs non eſſet, niſi & ſermo illius Dei ſermo eſſet: & quę ipſe loquitur, Deus ipſe, qui falli non poteſt, loquitur. Qui credit in filiũ, habet teſtimoniũ Dei in ſe. Quàm-uis autem ſcire non poſsimus, hanc perſuaſionem myſteriorum per Chriſtũ, per Apoſtolos, & per Eccleſiam ſanctam catholicam propoſitorum nobis emanare à Deo, intus teſtificante & operante in nobis, eoque quàm diu hic viuimus, in fide ambulamus: argumentis tamen ſeu ſignis quibuſdam longè certioribus magisq; veriſimilibus, quàm ſunt ipſorum argumẽta, humanitùs colligimus hanc noſtrã, quam intus ſentimus ſuaſionẽ, ab infallibili veritate deſcendere, videtes Prophetarum vaticinia de lege & iuſtitia Chriſti, & Eccleſia illius ex Syon, inter gentes manifeſtanda in vniuerſo mundo, iam olim eſſe impleta, conſiderãtes veteris teſtamenti ad nouum tam congruentia teſtimonia, tam diuturna vetuſtate firmata, tanta miraculorum maieſtate iam olim declarata, tot martyrum & doctiſsimorũ hominum teſtimoniis corroborata: & quod maius omnibus eſt, tãtis de Domino noſtro Ieſu Chriſto perceptis inter huius mundi preſſuras experimentis internarum conſolationũ, quibus pro loco, pro tẽpore ſentit ſe animus refici, animus vereciat omnia huius mundi, carnisq; oblectamenta, quæ longè abſunt à carnaliũ Iudæorum mentibus. Sextò: Ex ſuperioribus ſequitur, oportere oẽs ſacræ Theologiæ piè ſtudioſos, atq; expoſitores in domo Dei, quę eſt Eccleſia, habitare vnanimes, concordes, & vt colũbas ſimplices, non morſibus ſæuos, non vnguibus violentos, & iuxta Pauli apoſt. doctrinã, Idipſum dicere omnes, & non eſſe inter eos ſchiſmata, & ſtultas quæſtiones, rixas & contentiones deuitare, & ad ædificationẽ fidei omnem ſermonem componere ob deſiderium veritatis, & non gloriari in ſententiarum ſingularitate, prętermiſsis patrum ſententiis. Quandoquidem hęreticus eſt, vt mea, inquit Auguſt. ſert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusq; ſui gratia, falſas ac nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur. Hæreſis ac ſciſmatis mater ſuperbia eſt, & gloria vana, etiam in viris eruditis, charitate vacuis. Nam & Tertullianus & Nouatianus non paruæ inquit Ambroſius, ſcientię fuerunt, ſed quia per zelũ perdiderunt charitatis fœdera, in ſchiſma verſi, ad perditionem ſui hęreſes creauerunt, contra inueteratũ Eccleſię morem confingentes ſententias nouas. Hinc dinoſcuntut hæreticorum & ſchiſmatico-

Quintò.

Sextò.

De vtilitate credẽdi, cap. 2.

Ambr. ſuper 11. cap. epiſt. 2. ad Corinth.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corum dogmata,quòd venerandam patrum antiquitatem contemnant,q; dissonantiam quandam præ se ferant à regula & simplicitate antiquæ fidei,q; ex diuersis scripturæ locis nouas quasdam sententias, apud Ecclesiam vel inauditas ac insolitas,vel olim euentilatas,suspectas, & contrarias eruant quòd falsitates suas occultè intermisceant inter sanctas & verisimas sententias, q; ipse quoq; eorũ stylus modusq; docendi deprehendatur esse diuersus ab humili & modesto sermone sanctorum patrum,à quibus cùm dissentiunt, non cum ea quæ decet reuerentia,sed contumelioſè dissentiunt atq; id ita faciunt,vt venerandã antiquitatẽ obscurent,atq; authoritatem patrum hactenus probatam,faciant contemptibilem: cùm nihil magis custodiat Christianę Ecclesiæ fidem , quàm & declarare omniũ sanctorum patrum secundùm successionis seriem easdẽ fuisse regulas , & fidei, & Christianorum præceptorum,& commonstrare ſicubi dissenserint, eos vel in rebus fidei non dissentire,vel vnam aut alteram suam sententiam aut declarasse seu retractasse, eosq; in scripturis exponendis omnem nouitatem abhorrentes tradidisse sententias,quibus corroborentur dogmata veteris Ecclesię: apud quam semper mãsit scripturarũ veritas,per quã & ad nos peruenit verę fidei regula, veraq; viuendi secundùm Christum norma,in euangelicis apostolicisq; libris designata. Qua sepositа in scripturis exponendis,si quisquã voluerit suo inniti ingenio,& elaboratissimas sanctorum patrum expositiones reiicere,mox in Ecclesia Christiana renouabitur omnium antiquarũ hæresum ingens aceruus. Ex doctrina euangelica de Eunuchis, Matth.19.& ex apostolica doctrina, primę ad Corin.7. & ex aliis locis hactenus didicerunt patres ab initio , meritum virginitatis maius esse apud Deum,quàm meritũ coniugalis pudicitiæ.Sic scripturas intellexerunt, Cyprianus,Ignatius, Chrysostomus,Ambrosius,Hieronymus,Augustinus.Si quis ergo ex sententia apostoli Pauli dicentis: Hoc autem dico bonum esse propter præsentem necessitatem , ita interpretetur,vt inde concludat , non propter regnum cœlorum,sed propter solum præsens seculum virginitatem esse vtilem, tanq; virgines in futura vita nihil amplius sunt habituræ : is profectò interpretatur scripturas secundùm sensum,quem sibi præsumit, qui & iam ante mille annos reprobatus est à patribus,tanquam prorsus à mente Diui Pauli alienus . Virginitas non ob vitanda solùm vel matrimonij onera,vel præsentis vitę incommoda:sed propter futuram gloriam est eligenda. Tractat autem de his latiùs Augustinus in libro de bono coniugali , & in libro de sancta virginitate . Cyprianus in Tractatu de virginitate,& Hieronymus contra Heluidium. Si catholicę Ecclesię antiquitas secundùm successiones patrum,non sit in scripturis exponendis regula seu norma,vnicuiq; sacrę Theologię studioso præstituta atq; præscripta,quibus armis cõuincentur nefanda hæreticorum commenta , iam olim conflicta ex scripturis sacris prauè intellectis,& iam olim etiam euersa à patribus ex eisdem scripturis sacris interpretatis secundùm catholicæ Ecclesiæ spiritum? In exponendis scripturis,si expositoris,seu interpretis intentio non est dirigenda secundùm Ecclesię catholicæ definitiones,vnde prohibebitur,quisquis cum Heluidio cæterisq; hæreticis,dixerit matrem Domini Iesu,nõ permansisse virginem post partum, cùm adduxerit pro se verbum euangelicum,& hoc videlicet, quo dicitur : Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum . Et illud rursus,quo dicitur Christus habuisse fratres? Quibus argumentis cõuincentur Iouiniani ineptię, docentis virgines,viduas,& maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt,si non discrepent cæteris operibus, eiusdem esse meriti : & eos, qui semel plena fide in baptismate renati sunt non posse subuerti, & inter abstinentiam ciborum & perceptionem cum gratiarum actione nullam esse distantiam ? Deinde qua via conuincentur Pelagiani,dicentes baptismum non prodesse infantibus, eo quôd nondum

1.Cor.7.

August. ferè per totum.
Veteres patres de virgin.

Matth.1.

Marci.3.

dum possunt neq; credere,neq; habere voluntatẽ vt baptizentur? Hieronymus quidem congessit scripturas contra huiuscemodi errores.Sed quia illis non fatebantur hæretici se victos,aliter interpretantes easdem , & rursus alias pro suis stabiliendis erroribus adferentes , idcirco ipse contra eosdem errores commouet totam veterum scriptorum seriem,Ignatium,Polycarpum,Irenæum,Victorinũ, Iustinum martyrem,addens multos alios Apostolicos eloquentes viros extitisse, qui aduersus Hebionem, Valentinum, aliosque hæc eadem sentientes , plena sapientiæ volumina conscripserunt.Quibus armis confodientur,qui voluerunt resuscitare Arrij dogma,docentis Christũ quidem similem esse patri,& vnum cum patre largitate gratiæ & cõcordia voluntatum,non proprietate naturæ?Qua via explodemus impium Macedonij errorem, docentis filium per omnia simile esse patri,spiritum verò sanctum cum patre & filio nihil habere cõmune in substantia naturæ?Item qua ratione docebimus à fide Christi esse alienos,qui dicunt patrem sic esse vnum cum filio,vt ipse filius sit is, qui pater est. Adferebant olim Arriani pro se quadraginta scripturarum capita : quæ nisi intelligantur secundùm interpretationem Ecclesiæ , loquentis secundùm successiones per patres , Ignatium, Dionysium,Polycarpum,Clementem,cæterosq; orthodoxos, tumultuabitur rursus Ecclesia , & tot fient schismata,quot capita. Poterimus quoque & nos, volentes recedere à sententiis iam olim receptis ante mille annos , ex scripturis sacris secundùm sensum nostrum interpretandis,multa noua confingere dogmata, deuia ab antiqua fidei regula, ex scripturis positis Matth.5.atque aliis in locis, & secundùm illas literaliter intellectas dicere , in omni casu prohibita esse & iuramenta,& bella etiam defensoria,& nunquam esse licitũ, aut resistere malo, aut in iudicio contendere,nostraque repetere. Quòd si has scripturas quis dixerit interpretandas esse ciuiliter, & secundùm iura quædam naturalis æquitatis, quemadmodum reuera sunt exponendæ , mox quisque volens esse pertinacior contra Ecclesiæ decreta instabit , & dicet eadem ratione scripturas super indissolubili vinculo matrimonij , ad Romanos 7. & 1.Corinth. 7. & apud Matthæum in 5. & 19. cap. oportere interpretationes quasdam recipere secundùm rationes quasdam naturalis æquitatis,quibus videtur expedire matrimonium consummatum interdum ita esse dissolutum,vt liceat vtrique cum altero contrahere . Si verba Christi iubentis,vt non iuremus omnino, & non resistamus malo,& neque in iudicio contendamus ,& id genus alia, recipiant ciuilem intelligentiam,secundùm regulas æquitatis expedientis societati,& paci conuictus ciuium , cur non & verba Christi dicentis, vt homo non separet coniuges, quos Deus coniunxit,aliaque quibus significare videtur , matrimonij vinculum esse indissolubile, interpretari possunt secundùm talem æquitatem,secundùm quam interdum expedire videtur comitati quorundam matrimonia dissoluere . Pro qua sententia Auicenna Machumetista in vltimo libro suæ Methaphysicę,capite vltimo adfert rationes,quibus probare conatur hoc expedire interdum ciuitatibus: hanc tamen separationem neque facilè admittendam,neque pendere ex voluntate mulieris,quæ facilis est ad concupiscendum,& irascendum, sed in arbitrio iudicis, qui cognoscat causam discordię , propter quam liceat viro aliquando vxorem dimittere , alioquin multa damna prouenient . Et idcirco interdum oporteret ex arbitrio iudicis interuenire separationem coniugum , & alia quærere coniugia : præsertim quando coniuges sese oderunt ,& non se admonent ad generandum . Secundùm hæc & id genus alia coniugij iura apud infideles , fidei Christianæ persequutores,si velimus sacras literas interpretari , deuiabimus à regulis Christianæ religionis. Puto, inquit Augustinus, neminem Christianum reluctari illum adulterum esse , qui vel diu languente , vel diu absente sua vxore alteri commixtus est fœ-

Hiero. aduersus Heluidium

Arrij hæresis. Macedonij hæresis.

Auicenna contrà Ecclesiam de dissolubilitate matrimonij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minæ. Interrogatus Christus, an quacunque ex causa liceret vxorem dimittere? A
Respondens secundùm vniuersalem sententiam, solam excepit fornicationem, atque eam quidem sic excepit, vt & simul ostenderet per illam vinculum matrimonij non dissolui. Proinde patres, qui non aliter quàm secundùm communem & receptam Ecclesiæ traditionem scripturas sunt interpretati, intellligunt vxorem & maritum hac in re esse pares, vt neuter habeat sui corporis potestatem, &
Hiero. in epist. ad Amandum vtrunque esse in adulterio, si altero viuente fuerit cum alio coniuge. Omnes causationes (inquit Hieronymus) Apostolus amputat, apertissimè definiens, viuente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit quàm diu viuit vir, licet adulter sit, licet Zodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & propter hæc scelera ab vxore derelictus, maritus reputatur suæ vxoris, cui alterum virum accipere non licet: quæ etiam si per vim alterum acceperit, non potest absque B
pœnitentia communicare Ecclesiæ. Quotquot igitur plena humilique fide secundùm modestiam Christiani pectoris sacras literas tractant, non suæ innituntur prudentiæ, sed sequentes authoritatem Ecclesiæ in omnibus magistram, non eius solùm, quæ nunc est, sed quæ olim fuit ante annos mille, ex communibus & receptissimis scripturæ locis, frequenter à patribus discussis & examinatis, non præsumunt inuenire vllas fidei & morum novas sententias, quæ hactenus aut repudiatæ fuerint, aut fugerint, aut latuerint Ecclesiam. Vnde & consulere student doctissimos & oculatissimos patres, in eorum scriptis considerantes veterem Ecclesiæ morem. Verum quidem est, quòd prætextu religionis Christianæ non est turbandus ordo ciuilis iustitiæ, aut pax & tranquillitas rei publicæ: sed minus turbanda est à Christo instituta sacramenti euangelici sanctitas, quæ in nostris coniugibus, inquit Augustinus, plus valet, quàm fœcunditas vteri. Seruanda quidem sunt Christi præcepta secundùm regulas quasdam naturalis æquitatis, sed illis iungenda est modestia fidei charitatisque Christianæ, & euangelicæ doctrinæ, quæ omnibus naturæ legibus supereminet, ad quam morales philosophi, innixi solius rationis internæ lumini, non peruenerunt. His præmis-
Solutiones argumentorum. sis respondendum est ad argumenta. Ad primum dicimus, admittentes propositionem antecedentem, hanc videlicet: Ecclesia fidelium, quæ nunc est, habet eundem fidei spiritum, quem & ea, quæ à principio fuit, Ecclesia acceperat: sed non inde consequens est, Ecclesiam quæ nunc est, posse ex eisdem scripturis discere aliam fidem. Nam si sit idem fidei spiritus, is facit & Ecclesiam, quæ nunc est, ex scripturis sacris eadem credere, quæ Ecclesia olim credidit. Nequaq; ergo fieri potest, vt Ecclesia, quę nunc est, ex scripturis aliam habeat fidem, quàm
Non oēs patres in fide fuerunt pares olim habuerit ex eisdem scripturis Apostolorum Ecclesia. Quemadmodum nec D
Apostolorum Ecclesia ex scripturis propheticis aliam habebat fidem, quàm veteris legis patres. Sed quemadmodū non omnes in fide fuerunt pares, ita & in scripturis propheticis, & Christi verbis exponendis ac intelligendis, non omnes credentes sunt æquales. Aliud donum fidei, qua sic credimus Euangeliis cæterisque scripturis, vt Christiani sumus. Aliud donum intelligendi seu interpretandi Euangelia, cęterasq; scripturas. Manifestum est, veteres iustos, habentes fidei spiritum, non omnes scripturas ex eodem fidei spiritu intellexisse. Arbitramur enim, sicuti & ante nos venerabiles patres, Augustinus, Gregorius, & Bernardus, intellexerunt ex scripturis sacris secundùm incrementa temporum creuisse, & fidem, & scientiam spiritualium patrum: qui quantò viciniores aduentui Domini Saluatoris extiterunt, tantò mysterium fidei de redemptione humani generis per Christum plenius perceperunt. Abraham antequam verbum promissionis diuinitùs acciperet, ex fide quadam tunc futuræ redemptionis iustificatus erat, prius quàm crederet ex semine suo nasciturū Redemptorem, in quo & benedicerētur
omnes

A omnes gentes. Ita Moyses scribit Deum ad se loquentem dixisse: Ego sum Deus Exod. 3.
Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, & nomen meum Adonai nō indicaui eis subaudis, sicut & tibi. Ostendit ergo se de Dei notitia & fide, plus aliquid præcedentibus patribus accepisse, quemadmodum & Dauid cùm diceret: Super senes in- Psalm. 118.
tellexi. Sed & propheta Daniel: Pertransibunt, inquit plurimi, & multiplex erit Daniel. 12.
scientia. Vides ergo consequentiam in argumento prorsus inualidam esse. Vnde simili argumento concluderetur, non magis inhærendum esse apostolis, scripturas prophetarum olim interpretantibus, quàm alijs eundem fidei spiritū habentibus. Hoc autem constat falsum esse. Nam tametsi idem sit spiritus in omnibus credentibus, non tamen in omnibus eadem gratiarum distributio, æquale donū intelligendi ac interpretandi scripturas. Quod Apostolis est datum, non omnibus credentibus datur. Vnde & Paulus 1. ad Corinth. 12. donum fidei distinguit à
B dono prophetiæ, secundum quam fit occultorum & absconditorum interpretatio. Petrus, Paulus, cæteriq; Apostoli, de quibus dicit scriptura: Annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt: in scripturis propheticis & doctrinis Christi intelligendis magis fuerunt illuminati, quàm nunc sunt, Papa, Episcopi, Apostolorum successores, & forsitan quàm omnia quæ nunc sunt membra in ecclesia Christiana. Obijcientibus ergo nobis: Si veteres cùm non essent expositio- Obiectio.
nes vllæ, ex spiritu fidei scripturas intellexerunt, cur non licet nobis hodie sepositis interpretationibus humanis, easdem per eundem spiritum discere? Respō Solutio.
demus, ex spiritu fidei scripturas non discit, qui ecclesiam, per quam spiritus scripturas interpretatur, non audit. In his quæ spectant ad fidei & morum necessitatem, spiritus sanctus nunc dirigit ecclesiam quemadmodum & olim: sed tamen
C scientiam spiritualium rerum, mysticas intelligentias legis & prophetarum, præcipiebat Apostolorum ecclesia plenius, quàm ea quæ nunc est. Proinde generale concilium Papæ, Cardinalium, Episcoporum, doctorum, in scripturis prophetijs intelligendis & exponendis, non est nunc tantæ authoritatis, quantæ fuerat olim Apostolorum collegium, quàmuis etiam nunc fieri non possit, vt generale concilium, in quo residet totius ecclesiæ consensus, in fide & moribus ad salutem attinentibus pernicioſè fallatur. Ad secundum argumentum, in quo assumi- Solutio secundi argumenti.
tur: Ea quæ fidei sunt, non oportet ab alio discere, quàm à spiritu fidei. Respondeo, Antecedens hoc secundū sensum quendam est falsum, & secundum quendā est verum. Nam ea quæ fidei sunt & salutis, non oportet ab alio discere, quàm à spiritu fidei, qui docet omnem veritatem fidei & salutis, quam credere oportet, proponens vel per semetipsum sola inspiratione interna, vel per homines, pro-
D pheras, videlicet Christum, Apostolos, & ecclesiā. Vnde spiritus fidei docet, quicquid Apostoli, & traditio ecclesię catholicæ, in qua spiritus fidei loquitur, hactenus docuerūt. Omnis verò Christianus ex dono fidei credens ea quę ecclesia credit, non humano vel spiritui, vel testimonio innititur, sed primæ veritati intus testificanti ea, quę scriptura sacra & ecclesia proponūt, dicente Apostolo Ioanne: Qui credit in filium Dei, habet testimoniū Dei in se. Apostolis & prophetis credenda proposuit Deus ore proprio, intus & foris reuelans fidei articulos. Prophetæ & Apostoli sic à Deo docti absq; hominum ministerio, non ideo crediderunt quia ecclesia tradidit eis, sed quia ipsi audierunt ex ore eius. Nobis autē iam Christus non per os proprium, sed per ecclesiam & scripturam sacram proponit quæ credere debemus. Ipse tamen est, qui intus per spiritum fidei docet, vt quod ecclesia & scriptura sacra proponunt credamus. Ad verbum Iohannis dicentis: 1. Iohan. 2.
Non necesse habetis vt aliquis doceat vos: quo videtur indicare, in mysterijs fidei intelligendis, non esse opus vllius hominis ministerio. Respondeo, Iohannes ad eos loquebatur, qui iam instructi erant de omnibus, quæ ad necessitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

salutis pertinebant. Ad verbum Christi, nec vocentur magistri, quia magister A
Matth.23. De cognitiõe veræ vitæ cap. 36. & in epist. Iohã. tract.3. vester vnus est Christus. Quod tractãs August. inquit, non esse putandum, quenquàm hominem quicquam discere ab homine. Respondeo, non omnem voluntatem vocandi magistrum vetuit Christus, sed certam, vtpote vanam & ambitiosam, secundum quam non potest quisquam neq; velle se vocari magistrum, neq; velle alium vocare magistrum. Vocare autem vel vocari magistrum tanquã ministrum aut Christi, aut sub deo, à quo est omne bonum, non intelligitur esse vetitum. Quemadmodũ Christus ibidem tacitè vetuit, ne vocemus nobis magistros, dicens: Nolite vobis vocare magistrum super terram, ita vt dicit ibidem: Nolite vocare vobis patrem super terram. Manifestum est autem nos habere parentes, qui nos in terra genuerunt, sicut & magistros, qui nos docuerũt: sed quemadmodum ea, quæ generantur in terra, vt proles, segetes, vineas, cæteroſq; fructus, non B
Deus dat quicquid natura generat. oportet ab alio sperare quàm à Deo qui dat, creat, producit quicquid natura generat: ita & ea, quæ per vim naturalis industriæ, vel ratiocinando, vel inuestigando pariuntur in anima, non oportet ab alio sperare quàm à Deo. Veruntamen, sicut in agro non producit fructum Deus, si sit colendi & seminandi negligentia: ita nec ipse docet ea, quæ nobis vel vtilia sunt, vel necessaria, si sit discẽdi segnitia. Quemadmodũ in naturalibus rebus, vinearum & agri cultores, non formatores sunt fructuũ, & tamen necessariò sua impendunt opera, applicantes semina terris debitè præparatis, sine quibus laboribus terra nõ germinaret. Ita & in animabus nostris magistri, qui vocibus suis nostras foris percutiunt aures, non sunt formatores scientiarum & artium in animabus nostris, & tamen non frustrà impendũt suas operas, dum sensibilibus signis exponunt res ipsas intellectui, excitantes illũ ad considerandum dependentiam vnius ex altera, vt examinando, discurrendo, C
ratiocinando, vel ex suasione aliqua credat veracem esse eum, qui loquitur: vel ex ratione ad scientiã illius perueniat, quod ignorabat. Vnde & hac ratione concludit Apost. ad Rom.9. fidem esse ex auditu. Quomodo enim quis posset credere, nisi id quod credendum est conciperetur mente? quomodo mente conciperetur, si non ab aliquo testificante proponeretur? Et quemadmodũ in scripturis Deus dicitur facere, quicquid corporalis causa sub Deo operans reperitur naturaliter agere, dicente scriptura. Qui produxit in montibus fœnum, & herbã seruituti hominum. Ita & Deus in scripturis sacris dicitur facere omnem scientiam, omnem veritatis cognitionẽ, omnẽ credulitatẽ, quam rationalis anima sub Deo operans per lumen rationis internæ, cooperante libero suo arbitrio, in se parit.
Psalm.146.
Et vide, an ne hæc sit doctrina Apostoli Pauli dicẽtis: Nec qui plantat est aliquid,
1.Corint.3. nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Attamen & qui plantant & qui rigant ministri, sunt Dei operantis. Ita Paulus & Apollo sunt ministri eius, cui credidistis. Intellectus verò doctrinæ Christi dicentis: Petite & accipietis. Omnis qui petit, accipit, patet ex his, quæ Lucæ 11. Saluator ipse docens discipulos orare præmisit: Si perseuerauerit, inquit, pulsans, dabit ei panes quotquot habet necessarios. Quo verbo Deus significatur exaudire orantes. Primò, si perseueranter petant: & deinde, si petant pro pane ad salutem necessario. Postremò, si etiam secundum talenta desuper data sese laborando accommodent vt habeãt. Frustrà orat agricola vt segetem habeat, qui ocioſus & segnis in ſuiſ[illegible] non laborat. Manifestum est autẽ, non totius scripturæ intellectum esse ad salutem necessarium. Si quid autem pro qualitate personarum, loci & temporis nobis videtur vt sciamus necessarium, id etiam oportet nos supplici oratione Deo fisos, vel ab homine, vel studio nostro discere, quemadmodum Cornelius Centurio ad Petrum mittitur instruẽdus. Virtus autem fidei, quãmuis diuinitus vel infundatur, vel inspiretur, ex eaque habita augmentum eius impetretur sola oratione vt in nobis abundet, magisq;

A magisq; eam ac magis habeamus: ea tamen, quæ nos ex hac fide oportet credere, non semper à solo Deo nobis proponuntur absque hominum ministerio. Ex hac eadem doctrina patet solutio ad sententiam Iacobi: Si quis vestrum indiget sapientia. Loquitur enim de sapientia ad salutem necessaria, quæ facit animum pudicè, humiliter, & castè viuere, pro qua Sapiens orauit: Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. Hæc autẽ est increata, quam habentes ex fide postulamus, vt magis magisq; habeamus. De his autem in alijs latiùs. Deinde & hoc sciendum, quòd Deus dare dicitur non solum quod sine ministerio creatæ causæ nobis largitur (nam & sic rarò facit) sed & id etiam, quod tribuit nobis per causarũ naturaliter aut voluntariè operantium ministeria. Ipse dat quicquid natura generat, donat omnem fructum quem per causas naturales sub ipso operantes accepimus: ita & ipse dat omnem fidem, omnem verarum scripturarum intelligentiã, B
quam vel per ecclesiam, vel per hominem interpretem, vel per sanctorũ patrum scripturas discimus. Ex suprà dictis itaq; manifestum est, quemadmodum frustrà pro fructibus terræ oraret, qui ociosus in agro suo nec plantaret, nec seminaret: ita & frustrà orat pro scripturarum intellectu, qui segniter viuens laborẽ discendi non impendit. Et quẽadmodum agricola, qui iam laborat & seminat, iusta ratione etiam orat Deum, vt ad suam salutem quod sperat detur ab illo: qui nisi dederit efficaciam generandi, vacuus & inanis erit omnis labor humanus. Ita & in scripturarum sacrarum agro, qui studio & labore curat proficere, iusta etiam ratione debet orare. Quàmuis igitur oporteat vnumquemq; sacræ theologiæ studiosum ad scripturarum intellectum peruenire supplici oratione, spiritus sancti operatione, & collatione scripturarum ad inuicem, non tamen inde consequens
C
est eum debere aut seponere, aut reijcere sanctorũ interpretationes, & magistrorum docentium seu interpretantium officia: quin potius sic debet quisque ad intelligendum scripturas accedere, vt primùm sese humiliter instituendum submittat ipsi Deo. deinde homini præceptori, magistro, & ecclesiæ, in qua vsq; ad consummationem seculi residet spiritus veritatis, docens in his quæ ad necessitatem fidei & salutis sunt, omnem veritatẽ. Vtrumq; proinde caueat, ne videlicet innixus suæ prudentiæ, ita suo fidat ingenio, vt arbitretur non opus esse sibi humano magisterio: rursus ne ita fidat in munere diuino, vt arbitretur nõ opus esse sibi laborè suo aut studio. Sic olim sancta Apostolorum ecclesia intellexit magistri sui Christi doctrinam, dum discipuli in Antiochia, non per solum fidei spiritum Acto.15.
sepositò humano consilio, præsumebant ea quæ de fide & moribus in quæstionẽ
D
veniebant, à Deo petere: qui non innitentes solũ supplici orationi, miserunt ad Apostolos & seniores in Hierusalem. Sic & Paulus instituendus in fide, missus est Act.9.
ad Ananiam. Sic & ad Petrum Cornelius Centurio. Vt quid opus erat mittere, si per solum spiritũ supplici oratione poterant discere? Cur Deus qui per seipsum Act.10.
fidem inspirat, qui & cuncta cùm vult potest reuelare, mittit nos instruendos ad homines? Nisi quatenus intelligamus ipsum docere id etiam, quod per hominẽ discimus. Ad id verò quod in eodem argumento assumitur, oportere nos credere Euangelio, propter testimonium non hominum, sed Dei intus docentis: cùm iuxta Apostoli Pauli doctrinam, fides sit Dei donum. Dicimus verum quidẽ esse, omnes Christianos credere Euangelio, ex inspiratione spiritus sancti intus loquẽtis & docentis. Sed & hoc sciendum, quòd spiritus sanctus multifariã multisq; Spiritus sanctus per multos loquitur.
modis loquitur, suggerens & testificans, nũc per scripturam, nunc per ecclesiam, nunc per angelum atq; prædicatorem. Sicut olim Dei donum erat fides veterum patrum, credentiũ Deum loqui in Patriarchis, in Moyse, in Prophetis, in quibus reuera spiritus Dei loquebatur: ita & nunc Dei donum est, fides Christianorum credentium Deum fuisse locutum in Christo, in Apostolis, & per Apostolos, nũc in scriptu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ſcripturis canonicis & in eccleſia Chriſtianorum, vſque in conſummationem ſeculi. Ad id aũt quod vltrà aſſumitur: Hieronymus, Auguſtinus, & totus Chriſtianorum cœtus, fuerunt homines, qui & falli & fallere poſſunt, dicente ſcriptura: Omnis homo mendax. Fatemur homines ex ſe poſſe & falli & fallere: ſed ſpiritu ſancto viuificante eccleſiam Chriſtianorum, & habitante in ea, & dirigente eam vſque in conſummationem ſeculi, in his quę ſunt fidei, & de neceſſitate ſalutis, nec fallit, nec fallitur vnquam. Mittam vobis paracletũ (inquit Chriſtus) ſpiritum veritatis, vt maneat vobiſcum in æternum. Omnis homo ex ſe quidẽ mendax eſt, Deus autem qui in homine & eccleſia loquitur, verax. Vnde & ſimili argumento concluderetur, prophetarum & Apoſtolorum eccleſiam in docendo fidem, potuiſſe errare, & ſcripturam eorum à nobis poſſe haberi tanquam incertam, humano ſpiritu compoſitam, cùm in ea nihil habeamus ſcriptũ digito Dei, quæ & tota eſt nobis adminiſtrata per homines, in quibus credimus locutum eſſe Dei ſpiritum. Ad argumentum tertium, in quo aſſumitur nemini licere ſecundum ſuum humanũ ſpiritum ſcripturas intelligere. Dicimus oportere vnumquemq; ſacræ theologiæ ſtudioſum conari, vt ſcripturas ſacras intelligat eodem ſpiritu quo ſcriptæ ſunt: ſed non inde conſequens eſt, vnumquemq; in ſcripturis intelligendis ſuæ poſſe inniti prudentiæ, ſepoſitis ſanctorum patrum interpretationibus. Spiritus veritatis olim eccleſiæ datus, manens cum eadem vſque in conſummationem ſeculi, cùm ſit ſpiritus humilitatis, charitatis, vnionis, & pacis, non ſuggerit, vt ſepoſitis interpretationibus æditis & conſcriptis ab hominibus, innitamur prudentiæ noſtræ, neq; vt ſepoſitis literis ſacris in hæreamus ſolis hominũ cõmentarijs: ſed ſuggerit, vt ſcripturas intelligamus ex ſcripturis ſecundum traditionem eccleſiæ interpretatis. Traditiones autem eccleſiæ in his quæ ſpectant ad neceſſitatem fidei ſalutaris, aut demonſtrantur ex ſacris ſcripturis manifeſtis, aut traduntur ex ſcripturis patrum, ſecundum ſucceſſionis ſeriem ad nos deuolutis. Ad id autem quod obijcitur ex quadam erronea ſententia Cypriani, de baptiſmo ab hæreticis ſuſcepto, ſentientis aliter quàm debuit. Dicimus hoc non ſolum non obſtare ſuprà dictis, ſed magis corroborare. Nam & Cyprianus ſic errans, aliter ſentiebat, quàm forma & conſuetudo habebat Romanæ eccleſiæ, ſcripturas quaſdam malè interpretans: intelligens ex ipſis illos oportere rebaptizari, qui ab hæreticis aut ſchiſmaticis fuerant baptizati. Error igitur ille non accidit illi propterea, quòd innixus fuerat cõſuetudini communis eccleſiæ, aut antiquis interpretationibus patrum, ſed potius econtrariò, quòd paucorum epiſcoporũ ſub Agrippino conuenientium ſententijs adhæſerit: non ſatis ſtudioſè attendens eccleſiæ & antiquorum patrum morem, deſerens vetuſtam Romanę eccleſię cõſuetudinem, ſeruans nihilominus vnitatem pacis & charitatis cum eis, à quibus diuerſum ſentiebat, in ea præſertim re, quæ nondum tunc erat vllo manifeſto eccleſiæ iudicio eliquidata. Vnde de hac Cypriani ſententia ſic loquitur Auguſtinus: Non accipimus quod de rebaptizandis hæreticis & ſchiſmaticis Cyprianus ſenſit, quia hoc eccleſia non accipit, pro qua Cyprianus ſuum ſanguinem fudit. Correxiſſe iſtam ſententiam Cyprianus non legitur: non ingruenter tamen, inquit, de tali viro exiſtimandũ eſt, quòd correxit, & fortaſſis ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt: quanquam non deſunt, qui hoc Cyprianũ prorſus non ſenſiſſe contendant: ſed ſub eius nomine à præſumptoribus & mendacibus fuiſſe confictum. Nec enim ſic potuit integritas atq; notitia literarũ vni⁹ viri, quàmlibet illuſtris epiſcopi cuſtodiri, quemadmodum ſcriptura canonica, tot linguarum literis & ordine, ac ſucceſſione celebrationis eccleſiaſticæ cuſtodita. Contra quam tamen non deſuerunt, qui ſub Apoſtolorum nominibus multa confingerent: fruſtrà quidem, quia illa ſic cõmendata, ſic celebrata, ſic nota eſt.

Iohan. 14

Solutio 3. argumenti.

Augu. in epi. ad Vincentiũ quæſt. 48.

Nos

Nos tamen duas ob cauſas, inquit, non negamus illud ſenſiſſe Cyprianum, quòd & ſtylus eius habet quandam propriã faciem, qua poſſit agnoſci: & quòd ibi magis noſtra cauſa cõtra Donatiſtas monſtratur: aut ergo Cyprianus nõ ſenſit, quod eum ſenſiſſe recitatur: aut hoc poſtea correxit in regula veritatis, aut hunc quaſi næuum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit vbere charitatis, dum vnitatem eccleſiæ toto orbe creſcentis copioſiſſimè defendit, & perſeuerantiſsimè tenuit vinculum pacis. Hæc ille in epiſtola ad Vincentiũ. Humanum ergo ſpiritum ſequuntur, qui exponentes ſcripturas, moliuntur ſenſum à ſententijs patrum & eccleſiæ alienum in fide & moribus confingere. Id quidem ne fiat, prima ſit cura, omniũ librorum veteris nouiq; teſtamenti ſententias ex priſcis illis interpretibus diſcere. Longè alia & iam eſt, & olim fuit omnium hæreticorum conſuetudo, qui ſpretis his, quæ veneranda nobis tradidit antiquitas, ſententias in fide & moribus nouas cõfinxerunt. Nouatiani, Arriani, Pelagiani, Donatiſtæ, viri olim in ſcripturis ſecundum ſuperbiam humani ingenij exercitatiſſimi, idcirco in ſuas prolapſi ſunt hæreſes, quòd eaſdem ſcripturas interpretati ſunt contra veterem totius eccleſię conſuetudinem & traditionem. Contrà verò, eccleſiæ patres ſemper honorauerunt ſuorum prædeceſſorum ſentẽtias, intellectum quoq; ſcripturarum tum ex ſcripturis lucidioribus, tum ex ſacris interpretibus, tum ex antiquis eccleſiæ traditionibus ſtuduerunt addiſcere. Irenæus & Tertul. hæreticis ſuorum temporum, antiquam eccleſiæ conſuetudinem obiecerunt. Cyprianus nullum diem, inquit Hieron. prętermiſerat, quo non aliquid ex commentarijs Tertulliani audiret. Hieronymus autem Gregorio Nazianzeno interprete, ſacras literas didicit. Auguſtinus in ſcripturarum expoſitionibus Ambroſium habuit interpretẽ. Optima quidem ratio interpretandi ſeu exponendi literas diuinas eſt, ſi locum obſcurum ex aliorum locorum collatione reddamus illuſtrem, & myſticam ſcripturam myſtica ſcriptura ſacra exponamus. Vnde & eccleſiaſtici patres ſemper ſtuduerunt ſeruare ab initio hanc regulam. Sed ſunt quædam in ſcripturis loca, quorum intellectus nondum eccleſiæ innotuit, dum in eccleſia alij ſic, alij autem ſic interpretantur. Vbi incipiant & vbi finiant Danielis hebdomadæ, adhuc incertum eſſe videtur, quàmuis certum ſit eas iam longum tempus prętęriſſe. Huius generis multa ſunt in ſcripturis propheticis obſcura & ambigua. Quòd ſi Apoſtoli forſitan habuerunt omnium ſcripturarum propheticarum ſenſus, ipſi tamẽ illos in ſcripturis nobis non tradiderũt: ſed illa curauerunt tradere, quæ ad neceſſitatem fidei & morum eccleſiæ ſpectant, quorum nihil eſt in vno ſcripturę loco obſcurè dictum, quod non alibi in eadem ſcriptura planiſſimè dicatur. Scriptura ſacra, inquit Gregorius, tota quidem propter vos ſcripta eſt, ſed nõ tota intelligitur à vobis. Multa quidem in illa ſunt apertè ſcripta, vt paſcant paruulos. Quædam verò ſunt ſcripta obſcurioribus ſentẽtijs, vt exerceant fortes, quatenus cum labore intellecta plus ſint grata. Quædam verò ita ſunt in obſcuris clauſa, vt dum illa non intelligimus, agnoſcentes infirma cæcitatis noſtræ ad humilitatem magis, quàm ad intelligentiam proficiamus. Hic iam ſi obijciatur: In ſcripturis ſi ita quædam ſunt clauſa, vt quis fuerit ſenſus ab authore & ſpiritu ſancto deſignatus, nondum eccleſiæ innotuit: fruſtrà igitur ſunt ſcripta. Reſpondeo ex ſupra dicta Gregorij ſententia, conſequentiam eſſe inualidam. Quædam enim ſunt obſcuritatibus inuoluta, vt agnoſcentes cæcitatem noſtrã humiliemur, & ardentiùs cupiamus intelligere. Verbum autem Hilarij in argumento corruptè citatur. Primo de Trinit. lib. ſic admonet, vt optimus diuinorum voluminum lector, dictorum intelligentiã expectet ex dictis potius quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit: neq; cogitet id videri dictis contineri, quod ante lectionem pręſumpſerit intelligendum. Et iſta ſententia non ſolum non obuiat ſupra dictis,

Cyprian. vnitatem eccleſiæ perſeuerantiſſimè ſeruauit.

Hiero. in epiſt. ad Pammach. & Oceanum.

Auguſt. lib. cõfeſſ. cap. vlt.

Auguſt. lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 16.

ſed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſed magis corroborat illa. Ad id quod argumento adijcitur : Patres in exponendis ſcripturis eſſe diſſentientes. Reſpondeo, patres quidem diſſentire interdum ſuper ſcripturarum intellectu, alijs ſic, alijs non ſic exponentibus. Sed aliud eſt diſputare, diſceptare, ac dubitare, quinam fuerit huius, vel illius ſcripturæ intellectus: aliud dubitare ac diſputare, an ſenſus in ſcriptura ſignificatus ſuit verus. Nã iſtud minimè licet, illud autem piè, & frequenter cum pace catholica in plerisq; locis obſcuris contingit inter ſacræ ſcripturæ interpretes.

Solutio argumenti quarti.

Ad quartum argumentum in quo aſſumitur, maiorem eſſe ſcripturæ ſacræ authoritatem, quàm eccleſiæ maieſtatem. Dicimus falſam eſſe propoſitionem hanc antecedentẽ. Nam ſcriptura ſacra in pargamena ſcripta, cùm ſit ipſius eccleſiæ teſtimonium, poſterior eſt eccleſia, quàmuis vtriſque ſecundum naturam prius ſit euangelium, ſeu veritas Euangelij. Aliud autem euangelium, aliud ſcriptura euangelij. Deinde aliud eſt ſcriptura euangelij intus ſcripta in cordibus Apoſtolorũ, aliud ſcriptura euangelij foris ſcripta corporalibus literis · quemadmodũ & in prophanis, aliud teſtis, aliud res quæ teſtatur, aliud de re ipſa teſtimonium, ſiue dictũ, ſiue ſcriptũ. Erat quidem euangelium, cùm ad Apoſtolos loqueretur Chriſtus: Euntes in vniuerſum mundum, prædicate euangelium vniuerſæ creaturæ. Sed nondum erat ſcriptura foris in membranis ſcripta vllius ex quatuor euangelijs, nec ſcriptum

Matth.26

adhuc foris erat euangelium Matthæi. Vnde cùm Chriſtus antequam pateretur cohibebat diſcipulos Magdalenę indignãtes, dicens: Quid moleſti eſtis huic mulieri? Amen dico vobis, vbicunq; prædicatum fuerit euangeliũ hoc in toto mundo, dicetur quòd hæc fecit in memoriam eius. Non illic euangelij nomine ſignificatur ſcriptura euangelij ædita à Matthæo quæ nondum erat. niſi forſitan dixeris Chriſtum demonſtraſſe ſcripturam euangelij ſecundum Matthæum, quam in

Tertul. in principio.

ſpiritu futuram vidit: quod non oportet. Vnde ex Tertull. vetuſtiſſimo, lib. 4. adverſus Marcionem diſcimus, apud Iudæorum ſynagogam aliam, quàm eſt apud nos, legem fuiſſe, aliumq; ſermonem, aliaq; documenta, ſed non aliam fidem, non alia ſalutis myſteria, cùm nihil in nouo fit inſtrumento, quod non in veteri figuris & vmbris plenius ſignificetur. Aliud ergo euangelium, aliud ſcriptura euangelij. Quàmuis euangelium nomine, interdum ſermo ipſe euangelicus, ſiue ſcriptura euangelij deſignetur. A cunctis fidelibus Euangelium nuncupatur, veneratur, & colitur. Et quia Græcum eſt vocabulum, multis Latinis eſt incognitum.

Quid ſit Euãgelium.

Proinde nomen illud omnes quidem Latini dicunt, ſed non omnes intelligunt quod dicunt. Euangelium, eſt bonę rei nuncium, à Chriſto manifeſtatum, in ſcripturis legis & prophetarum velatum. Vnde dicitur euangelium pacis, euangeliũ regni cœlorum, euangelium ſalutis æternæ, euangelium gloriæ Dei, euangelium gratiæ & miſericordiæ, euangelium magni gaudij. Et Apud Apoſtolum Paulum: Euangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti. Euangeliſta, bonæ rei nuncius. Euangelizare, eſt bona hæc annunciare, regnum videlicet cœlorum, pacem, ſalutem æternam, gratiã & miſericordiam. Quæ ſane omnia iam per Ieſum Chriſtum ſunt facta & manifeſtata. Antequam euangelium eſſet in ſcripturis reuelatum, angelus paſtoribus iam euangelizabat, id eſt, euangelium prædicabat, ſeu ſalutis æternæ nunciũ illis reuelabat. Ecce (inquit) euãgelizo vobis gaudiũ magnũ,

Galat.1.

quia natus eſt hodie vobis ſaluator. Patet igitur ex verbo Pauli: Si quis vobis aliud euangelizauerit, etc. non eſſe cõſequens ſcripturã euangelij à Matthęo ęditam eſſe prius, & maioris authoritatis ac poteſtatis, quàm fuerit primitiua Apoſtolorum eccleſia. Vnde non eſt inutile pro intellectu huius conſiderare, quid interſit inter ſcientiam & fidem, inter videre & credere. Quemadmodum ea quæ à noſtri corporis mentisq; aſpectu abſunt, credimus hominibus dicẽtibus aut ſcribẽtibus, non propter eorum teſtimonia ſeu dicta, aut ſcripta in ſe, tanquam illa contineant

tineant in ſe credulitatis ſuæ apparentiam ſeu rationem, quæ ad credendum moueat, ſed econtrariò potius teſtimoniis tum dictis, tum ſcriptis credimus per homines ita teſtificantes, de quibus aliqua ratione perſuaſum eſt nobis, eoſdem eſſe probatos & dignos, quibus fides habeatur, ſicut & inſtrumentis fidem habemus, propter teſtes fide dignos, quorum chirographis ſigillisque eadem inſtrumenta eſſe communita. Et conſideratione huius, inquit Auguſtinus, ego euangelio non crederem, niſi me eccleſiæ commoneret authoritas: eccleſiam intelligens, non particularem hanc vel illam, ſed vniuerſalem & catholicam, quæ vna & eadem eſt ſecundum membrorum ſuorum incrementa, de qua in libro contra Fauſtum Manichæum: Palam eſt, inquit, quantum in re dubia ad fidem & certitudinem valeat catholicæ Eccleſię authoritas, quę ab ipſis fundatiſsimis ſedibus Apoſtolorum, vſque in hodiernum diem, ſuccedentibus ſibimet epiſcopis ſecundum ſeriem ſucceſsionis, & tot populorum conſenſione firmatur. In hac Eccleſia factis, ſignis, & miraculis Deus olim demonſtrauit ſe loqui, in Apoſtolis primitus à Chriſto miſsis, accipientibus viſibili ſigno ſpiritum Dei, ſpiritum veritatis, qui & palàm eorum doctrinam probauit ſub atteſtatione ſignorum & prodigiorum, quemadmodum dicitur Marci vltimo: Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Proinde eccleſiæ illius veracitas magis erat manifeſta, quàm veracitas ſcripturæ euangelicæ. Quippe quæ cognoſcebatur eſſe ſacra & vera ex ea, quæ tunc erat eccleſia, cui ipſe Chriſtus perhibuit teſtimonium, & viua voce ſignorum & prodigiorum atteſtatione. Proinde fides tunc ex perſona probanda veniebat. In eccleſia autem quæ nunc eſt, Chriſtus nec ſic præſens propria voce loquitur, nec ſe loqui oſtendit ſub atteſtatione prodigiorum & ſignorum, nec ſpiritus ſanctus in ea iam ita manifeſtus apparet in ſignorum & prodigiorum atteſtationibus, quibus nunc non opus eſt ad corroborandam euangeliorum doctrinam, olim multifariam & ſufficienter corroboratam. Proinde fides non amplius ex perſonis probanda venit, ſed econtrariò ex ſua fide probantur perſonæ, ſicut & ex ſcripturis ſacris cognoſcitur ea quæ nunc eſt eccleſia. Et idcirco vera Chriſti eccleſia quæ nunc eſt, quàmuis habeat eundem fidei ſpiritũ, quem habuit & ea, quæ olim fuit, ipſam tamen non ſic ex manifeſtis ſignis deſuper datis iam cognoſcimus, nec tamen nobis eſt occulta & abſcondita. Nam & eã manifeſtius & abundantius, quàm olim ante Chriſtum ex ſcripturis ſacris cognoſcimus, ſecuudùm doctrinam prophetarum & Chriſti, certò ſcientes eſſe eam, quæ ex Iudæorum ſynagoga deſerta creuit in omnes gentes per Apoſtolorum prædicationem, & ita illam remanere apud eos, qui Apoſtolicas ſeruant traditiones, ſub eadem fraternitate in omni loco & gente, habentes eundem Deum patrem, iuſtificantẽ omnia viua eccleſię membra, eandem ſymboli legem, eadem ſacramenta, eaſdem ſcripturas, eaſdẽ ſcripturarum interpretationes in his, quæ ad legem fidei & morum attinent. Apoſtolorum igitur eccleſiæ olim credebat populus, quia Dominus illi teſtimonium perhibebat ſignis, prodigijs, & ſcripturis doctrinã illius approbando. Eccleſiam autem quæ nunc eſt, eatenus cognoſcimus & credimus, quatenus apoſtolicas ſcripturas & traditiones honorat, prædicat ſecundùm præcedentium ſeriem eccleſiarũ. Hæc eccleſia non nouam fidem debet dare, ſed potius quod prædicatum eſt, ad animam & ſanguinem confirmare. Et ex huius cõſideratione dicit Apoſtolus. Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizamus, anathema ſit. Concedimus itaq; maiorem eſſe authoritatem ſcripturæ ſacrę, quàm eccleſiæ quę nunc eſt in terris, in ſe conſiderata, non habita videlicet conſideratione ad priores eccleſias, ex quibus vnà cum iſta, quæ iam eſt, cõſtituitur tota eccleſia catholica, ſucceſsione temporum cõtinuata, ſicut tempus quod nunc eſt,

In lib. contra epiſtol. Manichæi. quã vocãt fundamẽt. cap 5. Lib. 13. cap. 2.

Ex ſcripturis ſacris cognoſcitur eccleſia quæ nunc eſt.

Galat. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

continuatur tempori præterito, quàmuis ecclesia quæ fuit non sic vt tempus præterierit, quippe quæ iam in cœlo triumphat, expectans donec omnium membrorum integritate fuerit consummata. Quòd si velimus ecclesiam intelligere vniuersalem, quodammodo maior est ecclesiæ docentis, quàm scripturæ loquentis authoritas, & quodammodo eadem atque æqualis propter multa. Primùm, quòd scripturam hanc esse sacram atque diuinam, habemus ex illius testimonio, quæ secundùm seriem successionis, has eadem scripturas sacras esse docet. Deinde, ꝙ eadem ecclesia docet quædam ad fidem & religionem Christianam attinentia, quæ ex scripturis sacris demonstrari non possunt. Postremò quòd ex eiusdem ecclesiæ doctrina attingimus verum scripturarum intellectum, in his quæ ad fidem & mores spectant. Horum itaque consideratione maior est Ecclesiæ, quàm scripturæ sacræ authoritas. Eadem verò quodammodo & æqualis, quia vtrobique est vnus & idem spiritus loquens & docens. Vnde & scriptura nihil aliud est, quàm testimonium ipsius Ecclesiæ, scriptum ex spiritu sancto, testificantis & loquentis. Et quemadmodum ecclesia regitur in fide & moribus secundum scripturas sacras, sic & scripturæ sacræ intelliguntur non secundùm sensum, quem sibi vnusquisq; præsumpserit, sed secundùm sensus, quos spiritus sanctus hactenus per ecclesiam docuit, docet & suggerit, dicente magistro ecclesiæ Christo: Paracletus quē mittet pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia, & suggeret omnia quæcunq; dixero vobis, cū venerit ipse spiritus veritatis, manebit vobiscū in ęternū, & docebit vos omnem veritatem. Et q̄is ecclesia non possit aut definire aliquid contra scripturas sacras, aut extra scripturas sacras condere nouum fidei articulū, qui non anteà fuerit de veritate fidei, nec discernere quodlibet pro suo arbitrio, nec augere euangeliorū numerū: vtiq; tamen potest per spiritū veritatis semper in se habitantē, docere id, quod pridē occultū erat, & ad fidei veritatē pertinebat declarare & manifestare, vel ex scripturis sacris iam manifestatis, vel etiā traditionibus apostolicis, ad nos serie tracta deuolutis, vel aliàs diuinitus reuelatis. Hic aūt si dixeris, oportet nos credere euangelio, non propter testimonium hominum, aut ecclesiæ, sed propter testimoniū Dei intus docentis: cùm iuxta doctrinā Pauli apostoli, fides sit Dei donum, non ex operibus. Patet responsio ex his quæ diximus in solutione argumenti secundi. Omnes veri Christiani euangelio credunt ex virtute spiritus sancti intus operantis fidem in cordibus suis, & loquentis in ipsis. Verū spiritus sanctus multifariè loquitur, suggerens nunc per scripturā, nunc per prophetas, nunc per Apostolos, nunc per ecclesiam. Ad argumentum quintum respondeo, propositionem assumptā esse falsam, qua dicitur, in omnium patrum scriptis inueniri errores, intelligendo de erroribus in fide, & moribus Christianæ religionis pernicioſis. In his enim cōsona voce scripserunt ecclesiastici patres ab exordio primitiuæ ecclesiæ secundùm successionis seriem ad hæc vsque tempora. Quòd si ex propria industria interdum aliquid dicendo errauerint, non pertinaciter id præsumpserunt defendere, submittentes omnia sua ecclesiæ iudicio. Et cùm in argumento assumitur, sanctorum patrum interpretationes super scripturas sæpe variant, & vnus sic, alius autem non sic, sed aliter interpretatur. Respondeo. Aliud est errare in expositione aut translatione scripturarum, & non attingere verū scripturæ sensum ab authore scripturæ significatum. Aliud est errare in regula fidei, aut in via morum. Aliud est intellectus scripturarum, aliud fides scripturarum. Nam & credimus vera esse etiam ea quæ nondum intelligimus, aut de quibus vel dubitamus, vel piò opinamur. Credimus vera esse omnia quæ asseruntur in Apocalypsi Iohannis, & in libris prophetarum, quāmuis non omnia intelligamus. Credo verū esse quod dicit Saluator: Regnum cœlorū simile est grano sinapis, q̄is nondum sciam quid nomine regni cœlorum voluerit significare.

Scriptura est testimonium Ecclesiæ.

Ephes. 2

Solutio argumenti quinti.

Matth. 13

Item

Item credo verū esse ꝙ in nouissimo die stellę cadent de cœlo, & virtutes cœlorū mouebuntur. q̄is non intelligam quid Saluator nomine stellarum, & quid per casum de cœlo intellexerit. Vnde sacra scriptura prius est credenda, q̄ intelligenda, dicente Isaia propheta secundū translationem 70. Nisi credideritis, non intelligetis. Fides exercitationi scripturarum est præferenda. Scripturarū sacrarum expositores discordant crebrò in scripturarū intellectu, dū vnus alias sententias ex eisdē intelligit, q̄ alter. Verū expositiones singulorū sunt cōsonæ regulę fidei & morū. Vnde & ipsi catholici interpretes, ex vno idiomate in aliā scripturā transferentes, diuersas quādoq; tradunt sententias, sed non contrarias moribus fidei Christianæ religionis, cùm singulorū sententiæ, vel ex aliis sacrę scripturę locis, aut ex aliqua traditione Ecclesię deduci valeant, vel in rebus gestis factisq; cōsistant: quę siue sic, siue aliter, siue alia intentione, siue alio tempore aut loco fuerint facta, nullum est in lege fidei periculū: vbi oportet non pertinaciter vnius, aut alterius sententiis inhęrere, sed per opinionem & coniecturā potius sentētias tradere, donec vel experimento, vel ex alio scripturę loco vna aut altera sentētia fuerit demōstrata. Et huius distinctionis ignorātia traxit nonnullos à veritate fidei in errorē: qui videntes in scripturis tā varias interpretantiū sententias, arbitrati sunt fidē nostrā consistere ex solis opinionibus magistrorū interpretantium, in cordibus suis scandalum patientes occultum de religione Christiana. Ad id quod in argumento assumitur, Augustinus est cōtrarius suis prędecessoribus in exponēda doctrina Pauli: Ego aūt carnalis sum, vęnundatus sub peccato, non quod volo bonum hoc ago. Respondeo: Nulla est inter Augustinū & patres cōtrarietas in sententiis datis, sed in scripturarū intellectu, dum vtriusq; partis sententię intellectę ex verbis Apostoli sunt verissimę. Nā & verba Apostoli conueniunt homini iā sub gratia cōstituto, secundū sensum quendā, quē magis placuit Augustino in verbis Apost. intelligere. Secundū alium verò sensum etiā verissimū, quē magis placuit aliis patribus in verbis Apostolicis designare, conueniunt homini nō sub gratia, sed adhuc carnaliter viuēti. Vnde nec Aug. voluit ita pertinaciter cōtra expositiones præcedētes defendere verā suam sententiam fuisse in Apostolo designatā, quin & admiserit aliorum patrū sententias ex verbis Apostoli intellectas etiam esse verissimas. Nec patres ita pertinaciter asseruerūt verā suā sententiā intelligi in eisdē Apostoli verbis, quin & audientes Augustini expositiones, admisissent eas in Apostolicis verbis intelligi potuisse. Vtriusq; ergo sententię verę sunt, sed cōtrouersia est, an istas veras, an potius illas veras, voluerit Apost. designare. Intelligit Augst. verba ipsa Apostoli secundum sensum quendā propriū & necessariū cōuenire etiam homini sub gratia constituto, & ita Apostolū dixisse huiuscemodi verba pro se, iam prorsus conuerso. Nā iustus quisq; constitutus in corpore mortis huius, adhuc carnalis est, vęnundatus sub peccato, faciens malū quod odit, mente seruiens legi Dei, carne aūt legi peccati: non ꝙ ipse secundùm carnē ambulet, sed ꝙ ea quę carnis sunt sentiat, dum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnē. Patres autem intellexerunt verba illa Apostoli secundū sensum, quē ipsi conceperūt, nō posse homini conuenire sub gratia, & ita Paulum hoc dicentē in se transfiguraſſe personam veteris status, intelligentes hominē carnalē & carne seruientē legi peccati esse, qui secundū carnē viuit, licet mēte sentiat stimulos spiritus & interioris legis contra carnē. Ad aliā contrarietatē, quæ recitatur fuisse inter Augustinum & Hieronymum de verbo Apostoli: Oportet episcopū esse vnius vxoris virum. Quo verbo patres isti intellexerūt Apostolū iussisse ne bigamus in episcopum ordinetur: vbi cōtrouersia est inter Hieronymū & Augst. Hieronymo docente, eū qui vnā habuit vxorē ante baptismū, & secundā duxerit in Christianismo, nihilominus posse ordinari in episcopū: Augustino verò docente contrariū talē videlicet

Isaiæ 6.

Isaiæ 7.

Contra 2. epi. Pelagian. lib. 1. cap. 10.

Augst. supræ epist ad Titū. Hiero. in epist. ad Ocean. quę incipit: Nunquā filii Oceane.

Contrariæ inter se sententiæ Augustini & Hieronymi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordinari non posse. Respõdeo, q huiuscemodi contrarietas erat in re, quę nondũ erat aut per scripturas sacras, aut per vniuersalis ecclesiæ concilium elucidata. Ex his prædictis patet similiter esse respondendũ ad contrarietatẽ, quę fuit inter Cyprianum & alios patres super baptismo ab hęreticis suscepto. Huiuscemodi errores in altera parte erant sine pertinacia, sub sanctæ matris ecclesiæ seu apostolicæ sedis iudicio, salua pace & vnitate: & in his rebus, super quibus nõ erat veritas per vniuersam ecclesiã manifestata. Vnde sunt nonnulla in quibus olim dubitare fuit

De hebdomatibus apud Danielem.

permissum, quę iam firmiter credere & obseruare est necessariũ. Ad illud, quod in argumẽto adiicitur de contrariis aut diuersis interpretantiũ sentẽtiis super hebdomatibus Danielis, & super supputationibus temporũ, annorũ, & regũ, de quibus in scripturis sacris est sermo, similiter dicemus, hanc interpretantiũ altercationẽ cõcurrere in vnitatẽ fidei. Nã & oẽs catholici sacrę theologię interpretes, q̃tũuis dissideãt in supputationibus regũ & pontificũ, & annorũ huius vel alterius regni, conueniũt tamẽ in vnitate fidei de Christo iã olim nato, & in illo esse adimpletũ Danielis vaticiniũ, q̃uis vnus aut alter errauerit, plerunq; aut in numeris annorũ regũ, aut pontificũ Iudęorũ, aut super initio hebdomadarũ, super his quę ex scripturis sacris probari poterant, mutuãtes pro sua sentẽtia stabilienda, sentẽtias ex historiis gentiliũ & Græcorũ, non sic diuino spiritu editis. Vnde & sciendũ est, q Iudęorũ rabbini post Christũ natũ, partim ex ignorãtia (mutuãtes descriptiões tẽporum, annorũ, ac successorũ regũ Persarũ à Græcis, qui sunt in historia fallaces) partim in odiũ fidei Christianę, lõgè aberrarũt plerũq; in supputatiõib⁹ annorũ regũ gentiliũ, de quibus in sacris literis scribitur fuisse negotij aliquid cũ Iudæorũ populo. Prouenit & plerunq; sic aberrãdi occasio per multitudinẽ regũ sortiõtiũ idẽ nomen, aut Darij videlicet, aut Assueri, aut Artaxerxis, & Nabuchodonosor. Quibus cõtigit, vt 70. Danielis hebdomadas reddiderit nobis tã obscuras, vt tanta sit fermè in sumẽdo illarũ hebdomadarũ initio sententiarũ diuersitas, q̃ta sit scribentiũ varietas. Super quibus si inspiciamus, & ad verã Metasthenis Chronographiã de monarchijs regũ publica authoritate scribentis, vsq; ad tẽpus Alexandri Magni, & disertissimi Philonis Chronographiã, hæc ipsa ex successione pontificum Iudęorũ, declarantis vsq; ad sua tẽpora post Christũ natũ, luce clara deprehendemus 70. Danielis hebdomadas cõcurrere in tempus Christi, iam olim nati, quemadmodũ latius ostendemus in libro sequenti. Ex his patet responsum ad argumentũ sextũ ex dicto Hieronymi ad Gala. dicẽtis: Quicunq; scripturã aliter intelligit, q̃ sensus efflagitat spiritus sancti, à quo scriptura est, licet ab ecclesia non recesserit, tamẽ hæreticus potest appellari. Nam Hiero illic tacitè occurrit quæstioni sibi forsitan obiiciẽdę. Cùm alibi ex doctrina Pauli docẽtis, oẽm hæreticũ post vnam aut alterã admonitionẽ esse vitandũ, & a semetipso esse damnatũ, docuisset hęreticũ sua sponte de ecclesia recedere: hic iã docet hęreticũ posse appellari eũ, qui secundũ opinionẽ suam de ecclesia nõ recedit, velut qui aut pertinaciter suæ prudentię innixus, aut temerariè, aut carnaliter torquet scripturã ad disciplinam quã putat meliorẽ. Talia sunt in scripturis multa, quæ possunt maligna interpretatione torqueri ad vnũ sensum, quẽ sibi vnusquisq; præsumit. Diuersę aũt sententiæ magistrorũ dissimiliter scripturas interpretantiũ, in quorũ scriptis fidei Christianę pietas nõ cõperitur vacillare, nõ sunt carnales & temerarię, nec aliter q̃ spiritus sanctus efflagitat daræ, dũ vnaquæq; pia est, & regulæ fidei & morũ consona non pertinaciter dicta, & suis rationibus ac argumentis congrua, sententiis cohærentibus. Nihil periculi est in scripturis exponendis, dum vnusquisq; cum pace & fide catholica, quod sibi visum est sonare Christũ, & pium esse & catholicum, depromit: aut ex probabili sententiarũ cohærentiũ dependentia, aut ex aliis manifestioribus scripturæ locis, aut ex vetustioribus, aut ex alio probabili argumento.

Solutio argumenti sexti.

IOHANNIS DRIEDONIS DE TVRNHOVT, SACRAE THEOLOGIAE apud Louanienses professoris, Liber Tertius, de regulis quibusdam compendiosis, & dogmatibus: quibus considera-tis, iuuantur studiosi ad intelligendum locos obscuros, & ad hauriendum literales & mysticos sacræ scripturæ sensus, in tres tractatus distributus.

DE catalogo librorum scripturæ sacræ, & de diuersis eiusdem scripturæ interpretibus, editionibus, sensibusque multiplicibus, & de generali via, in qua oportet permanere vnumquenque sacræ scripturæ studiosum, ad perueniendum in verum scripturarum intellectũ, iam in superioribus libris dixi-mus. Restat in hoc tertio libro tradere modos quosdam, speciales locos, seu regulas, quibus consideratis, ambigua, clausa pleraque & abstrusa, parabolis, ænigmatibus, allegorijsq; obtecta, fiant apertiora: nec tamen omnia, quæ in diuinis libris ita sunt scripta, vt non facilè intelligantur, poterunt his regulis inueniri. Sunt nempe innumerabiles obscuritatum & difficultatum nodi, quos in vnum colligere, nimis longum, nimisq; foret operosum. Sufficiet autem pro introductione ad sacrosanctam theologiam accedentibus, generalia quædã ex multis collecta tradere. Et quia in quibuslibet disciplinis obscuritas contingit, vel propter sermonem nunc obscurè, nunc ambiguè positum, vel propter res ipsas difficiles. Secundam genitam istam causam partiemur librum istum in tractatus tres. In primo generalia quædam desumpta ex libris Augustini de doctrina Christiana, de vtraq; causa explicabimus. In secundo specialiter de obscuritatibus quibusdam, quæ secundum sermonem, seu dictionem cõtingunt. In tertio de difficultatibus quæ sunt in scripturis propter res ipsas in se difficiles.

Primi tractatus CAP. I.

PRimùm igitur sciendum est, quòd super his rebus Augustinus ædidit libros quatuor, quos inscripsit de doctrina Christiana: quorum tres tractant modos quosdam inueniendi intelligendarum scripturarum sensum. Quartus autem modos tradit docẽdi ea, quæ iam intelligimus, vt quas iam didicerimus scripturas, planè, aptè, suauiterq; pronunciemus ac doceamus. Quantum attinet ad modos inueniendi scripturæ sacræ sententias, sciendum est, quòd omnis scripturarum difficultas seu obscuritas accidit, vel propter res ipsas, quę per signa dicuntur, vel propter signa ipsa aut ignota, aut ambigua, quibus res ipsæ intimantur. Sunt enim res quædam, quæ sua vi & sublimitate aut non intelliguntur, aut vix seu difficulter intelliguntur, quantolibet etiam plano dicantur eloquio. Sunt rursus res aliæ, quæ quòd minus tardiúsue intelliguntur, in causa est sermo dicentis, & non perspicuè eloquentis. Proinde sacræ theologiæ studiosus, præter laborem quem præstare habet, vt intelligat & linguas ac vocum atque orationum, ac rerũ secundùm literam gestarum significationes, addere debet & laborem contra difficultates, quas ingerit ipsa rerum grandium sublimitas. Vnde falluntur, qui arbitrantur ad intelligendam sacrosanctam theologiam sufficere vnicuique, si vel linguam intelligat, in qua ædita est ipsa scriptura. Psalterium Dauidicum, libriq; prophetarum etiam si versi forent plebi in vulgarem linguam, manerent nihilominus miris difficultatibus inuoluti propter res ipsas difficile intellectu, & propter sublimia quædam Christianæ fidei mysteria, etiam quantumuis plano eloquio expressa, pro-

Quatuor libros ædidit Aug de doct. Christiana.

In sacra scriptura obscuritas bifariam accidit.

Ad intelligendũ in scripturis obscuritates, nõ sufficit linguarum peritia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sa, propter naturalium rerũ, de quibus est sermo scripturæ proprietates, propter varias sententiarum connexiones, consequentias, propter multas contrarietates appar entes. In linguam vernaculam translatæ etiam planissimo sermone Pauli epistolæ non intelligerentur. Neque sententiæ absque studio magno & labore ca perentur à crassioribus vulgi animis. Mysteria fidei nostrę in euangelio Iohannis sunt planissimo sermone expressa, sed non inde conficitur eiusdem euangelij intellectum esse apertum omnibus planè intelligentibus linguam, in qua ipsum est ęditum vel conscriptum. His ceu preambulis quibusdam, pro intellectu dicendo rum per nos premissis, accedimus ad sententias Augustini diuisionem quandam

Augustlib 1. de doct. Christian. cap. 2

præmittentis, & ex illa præscribentis tractandi ordinem. Omnis, inquit, doctrina vel rerum est, vel signorũ: sed res per signa discuntur. Propriè nunc res appellaui, quæ non ad significandum aliquid adhibentur, sicut, lignum, lapis, pecus atq; huiusce modi cętera, in se considerata quod sunt, non quatenus ad aliud etiam præter seipsas ad significandum assumuntur. Vnde illud lignum, quod in aquas amaras Moysem misisse legimus, vt amaritudine carerent, Exod. 15. Et lapis quem Iacob sibi ad caput posuerat, Gene. 28. Et pecus quod pro filio immolauit Abrahã, Gene. 22. & id genus alia in scripturis gesta, ad aliquid aliud adhibita, ita sunt res, vt aliarum etiam rerum sint signa. Sunt & alia signa, quorum omnis vsus in significando est, sicuti sunt verba. Nemo enim vtitur verbis, nisi aliquid significandi gratia. In diuisione nostra, qua prius de rebus, posteà de signis disseremus, res intelligimus in se consideratas: signa verò accipimus siue verba sint, siue res aliæ, quatenus assumptæ sunt ad aliquid significandum. Hæc ergo diuisione præmissa,

Cap 3.

idem venerabilis pater in primo lib. de rebus ipsis tractaturus, trifariam diuidit easdem: & alias, inquit, esse summas, quibus fruendum est, quibus & beatificandi sumus: alias infimas, quibus tanquã vehiculis quibusdã vtendum est, vt perueniamus ad eas quibus fruamur. Nos verò in medio esse qui fruimur & vtimur inter vtrasque constituti. Ad piarum igitur mentium studia vtcunq; iuuanda, aliquot de rebus scripturæ sacræ sententias ex eodem libro primo collectas declarare conabimur. Prima sententia de significationibus sit hæc: Frui est amore alicui rei

I. Sentantia.

inhærere propter seipsam. Vti autem, est id quod in vsum venerit referre ad obtinendum id quod amas, si tamen amandum est. Nam vsus illicitus abusus potius vel abusio est nominanda. Vnde pro huius sententiæ intellectu sciendum est, quòd frui & vti sunt actus solius rationalis voluntatis. Frui quidem est actus

Quid frui. Quid vti.

voluntatis, per amorem quiescentis in aliquo tanquam in fine. Vti autem est actus eiusdem voluntatis mouentis, applicantis, seu accommodantis potentiam, membrum instrumentum, vel aliud quippiam in opus ad obtinendum id quod amamus. Voluntas vtitur sensu, intellectu, corporis membro, calamo, gladio, & id genus aliis, sub sua potestate, dum mouet illa in opus. Deinde & voluntas dicitur etiam vti sole, luna, cæterisq; astris & angelis: non quòd moueat illa in opus, sed quòd de illis aut super illa moueat in opus aliquam potentiam subiectam suo

Rom. 1.

imperio: veluti cùm iuxta Pauli doctrinam, contemplamur à Deo conditas creaturas, vt perueniamus ad cognoscendam sapientiam conditoris ex cõspecta mundi fabrica. Deinde sciendum, quòd animus idcirco re aliqua fruitur, non ꝙ in ea

Quibus vtendũ & quibus fruendum. II. Sententia.

delectatur, sed ꝙ in ea moram faciens, eiq; inhærens, finem in ea ponit tanq; in patria, & in loco conseruationis & optimæ suæ quietis. Secunda sententia est: Res quibus fruendum est, sunt pater, filius, & spiritus sanctus: vnus Deus, summũ, eternum, & incommutabile bonum, quod solum beatos nos facit. Res quibus vtendum, sunt res corporales seu temporales huius mundi. Nos in medio constituti, si

Augustlib 1. cap. 4

hoc mundo rebusq; visibilibus huius mundi, quibus vtendum est, frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquãdo etiã deflectitur, vt ab his rebus, quibus fruendum

fruendum est, obtinendis, vel retardemur, vel etiam reuocemur, amore inuisibilium rerum prępediti. Posteriorem huius sententię partem vulgari declarat exemplo. Quemadmodum in hac vita peregrini, qui æstimant se beatè non posse viuere, nisi in patria, in ea peregrinatione sentiunt se miseros, miseriam peregrinationis suæ finire cupiunt, habentes opus terrestribus marinisq; vehiculis, quibus vtantur, vt valeant peruenire in patriã, qua frui desiderant. Qui si forsitan interdum amœnitate itineris & ipsa vehiculorum gesticulatione delectati conuertantur ad fruendum his, & morandum in eis, per quę transeundũ erat in patriam, peruersa quadam suauitate vel tardantur vel alienantur à patria, deficitq; & perit in eis ipsius patriæ amor & desiderium. Sic filij Adæ per peccatum facti peregrini à Domino, eiecti à Paradiso, in huius mortalitatis vita constituti, si per Iesum liberati à seruitute peccati, redire in patriam volunt, vbi verè possunt esse beati, vtuntur hoc modo, non fruuntur, & visibilibus & temporalibus rebus, ceu vehiculis quibusdam, aut instrumentis vtentes, ex his tanquam perituris transitum ad æternam, inuisibilem & cœlestem patriam faciunt. Hæc patria est Deus, locus veræ adorationis sempiternus, vbique totus, rationali animæ vera paradisus. Qui si voluptate aut amœnitate quadam visibilium rerum abstracti & illecti, incipiant rebus huius mundi immorari, impeditur cursus eorum, & aliquando etiam deflectitur, vt ab his rebus, quibus fruendum est, obtinendis: vel prorsus alienentur, inferiorum amore prępediti. Ex his consequens est, quòd rationalis animus, si rectè viuit, hunc mundum non patriam suam, non mansionem, sed viam & peregrinationem facit: vtens visibilibus creaturis, vt fruatur rebus summis, patre & filio, & spiritu sancto, vno Deo, qui nobis in scripturis sacris proponi-

Quid Deus.

tur, author conditor seu creator omnium visibilium & inuisibilium: cuius altitudo & sublimitas tanta est, vt non facilè habeamus nomen, quod tali excellentię conueniat. Vnde & nominibus multis describitur, esse excellentissima quædam

Aug. lib. 1. ca. 7

immortalitatisque natura, summa, simplicissima, incommutabilis & incomprehensibilis essentia, fixa & immobilis æternitas, summa potestas, sapientia, veritas pura, integra, stabilis bonitas. Omnes qui pro excellentia Dei certatim dimicant, etiam qui multos colunt Deos, siue in cœlo, siue in terra, Deum deorum cogitant, quo nihil melius atque sublimius cogitari potest: nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo aliquid melius est. In hoc omnes consentiunt, vitam incommutabilem, semper sapientem, à qua pendet omnis vita, omnisq; vitæ suauitas, esse præferendam vitæ commutabili, quæ aliquando potest deficere, aliquando sapit, aliquando desipit. Et hoc qui intus non videt per infusum claræ ac præsentis lucis æternæ fulgorem, est quasi cæcus in sole. Qui autem videt ipsum, conuertens mentis aciem ad lumen rationis æternæ: sed consuetudine carnalium vmbrarum refugit, is inualidam ac infirmam mentis aciem gerit. Tertia sententia: Ab ipsa vita æterna, quæ est summa bonitas, incommutabilis veritas, & sapientia omnium creaturarum est clausa, homines cupiditate fruendi creatura pro ipso creatore, repercutiuntur: iam per Adæ lapsum configurati huic mundo, facti imbecilles & infirmi, mundanarum rerum sequaces, & ideo mundi nomine congruentissimè appellati. Proinde purgandus est animus hominis, vt illam lucem perspicere valeat, illique inhærere. Quam purgationem quasi ambulationem quandam, & quasi nauigationem ad patriam esse arbitramur: non enim ad eum qui vbiq; præsens est loci propinquitate mouetur, sed à cupiditatibus recessu, bono studio bonisque moribus. Quarta sententia: Sic animum purga-

III. Sentẽtia. Cap. 10.

IIII. Sentẽtia Cap. 10.

re, vt valeamus lucem illam æternam & incommutabilem sapientiam perspicere, illique adhærere non possumus, nisi ipsa sapientia huic nostræ infirmitati dignata fuisset sese accommodare, & infirmitatis nostræ vulneribus mederi per in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

firmæ carnis susceptionem, & viuendi nobis præbere exempla, & seipsam facere viam nobis ad patriam, vt ipsa esset nobis simul & via & patria. Hac ergo ratione æterna illa sapientia, quæ sano & puro interiori oculo vbique est præsens, apparere dignata est etiam carneis oculis eorum, qui interiorem oculum infirmum & immundum habent, dicente scriptura: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Neque est, quòd sentientes hanc nostram infirmitatem atque imbecillitatem causemur Deum creatorem nostrum. Quandoquidem ab hac æterna sapientia in initio conditus sit homo, rectus atque immortalis, liber ab omni infirmitate & miseria, constitutus in delitiarum Paradiso, vbi absque vllo impedimento & difficultate illum suum conditorem, etiam nondum facie ad faciem visum, intelligeret, atq; conspiceret agnitum diligeret ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente sua, vt illi obediens mereretur absq; morte transferri de Paradiso terrestri in cœlestem quandam vitam longè suauiorem, vbi iam perpetuò frueretur eodem summo Deo facie ad faciem viso. Homo autem sic in honore constitutus, quia gloria hac immortalitatis, cæteris q; donis, quæ à Deo conditore acceperat, malè vsus est, serpentis astutia deceptus est: & idcirco iam per inobedientiam & superbiam factus est filius iræ, mortalitati & corruptioni obnoxius, fugitiuus à Deo, sequax desideriorum suæ carnis, internæ mentis oculis auersis à Deo, & à spiritualibus ac cœlestibus rebus atque in vmbras rerum carnalium, quibus peruersè fruatur, apertis atque conuersis. Quibus factum est, vt homo sic delectus in vallem hanc tenebrarum atque miseriæ indiguerit & liberatore, qui Deum patrem faceret propitium, & illuminatore atque magistro, qui hominem iam sic factum in cernendis cœlestibus rebus cæcum, carnalem ac miserum erudiret odire atque abnegare carnalem hanc cupiditatem, & diligere Deum, verum beatificum finem. Quinta sententia: Quemadmodum medicus cùm sanat corporum vulnera, non incòpositè, sed aptè id facit, adhibendo vulneribus contraria quædam, sicuti frigidum calido, humidum sicco, vel aliud huiusce modi: & etiam quædam similia, sicut linteolum rotundum vulneri rotundo, longum oblongo, ligaturā q; ipsam non eandem membris omnibus, sed similem similibus coaptat. Sic Christus vera Dei patris sapientia per infirmæ carnis susceptionem, adhibens medicinam nostris vulneribus accommodam. verbi gratia: Per superbiam homo lapsus est, Christus per humilitatem infirmæ carnis nos sanauit: per serpentis sapientiam decepti sumus, volentes esse sapientes sicut Dij: per crucem, quæ gentibus est stultitia, liberamur. Nos immortalitate semel accepta malè vsi sumus, ita vt moreremur: Christus assumpta nostræ carnis mortalitate bene est vsus, vt viueremus. Per fœminam morbus, per fœminam salus: per hominem mors, per hominem vita: per hominem serui, per hominem liberati. Hęc, & id genus alia, & contraria, & similia nostris vulneribus adhibuit sapientia, se viam nobis faciens, & sese in omnibus viuendi speculum atq; exemplar, & figuram rerum experendarum ob oculos nostros ponens. Cuius in cœlos ascensio magna spe fulsit fidem nostram, cuius & aduentus, in quo iudex mortuorum & viuorū expectatur è cœlo, magnum timorem incutit negligentibus. Quibus verbis dici, aut quia cogitatione potest capi præmium, quod ille in fine daturus est, quando ad consolationem huius itineris tantùm nobis dedit de spiritu sancto, vt non solùm sine murmuratione, sed etiam cum delectatione patiamur aduersa, & faciamus mandata? exercens hoc tempore & purgans electos suos medicinalibus quibusdam molestiis, vt Ecclesiam etutam de hoc seculo, in æternam sibi copulet coniugem, sine macula & ruga. Quid sapientius, quid liberalius & misericordius facere potuit, quàm seipsum nobis quo rediremus substernere? dans per spiritum sanctum claues Ecclesiæ, quibus hic in terra soluti susciperemur in gremium seu consortium corporis

Fidei Christianę fundamēta

Genes. 3

Cap. 14

V. Sententia

De Christo in carnē venie te, vt esset medicus humani generis.

Contraria contrariis curantur.

Cap. 13.

De clauibus Ecclesiæ.

Cap. 18

corporis eius, quod est Ecclesia: & participes facti sanguinis illius, habitaremus tanquam vnius corporis membra vnanimes, morientes quotidie huic seculo: incipientes configurari veritati huius æternæ sapientiæ, certa fide tenentes, neq; animum nostrum, neq; corpus humanum prorsus pati interitum, sed impios resurgere ad inæstimabiles pœnas, pios autem ad vitam æternam. Et tandem venerabilis pater ex suprà dictis concludit: In his omnibus rebus illę tantùm sunt, quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemorauimus. Cæteris autem vtendum est. Hominem autem in medio constitutum esse, qui superioribus fruitur, & his quæ infrà sunt vtitur. Sexta sententia: Homo nec altero homine, nec seipso frui potest. Hanc sententiam sic tractat Augustinus: Magna quædam res, inquit, est homo, factus ad imaginem & similitudinem Dei: non inquantum mortali corpore includitur, sed inquantum bestias rationalis animæ honore præcellit. Itaque magna quæstio est, vtrùm frui se debeant homines, an vti, an vtrunque. (præceptum est enim nobis vt diligamus inuicem) Si propter se diligendus est homo à nobis, fruimur illo: si propter aliud, vtimur illo. Videtur autem mihi homo propter aliud, inquit, esse à nobis diligendus. In eo enim, quod propter se est diligendum, constituitur vita beata. Vitæ autem beatæ, & si nondum res, tamen spes nos in hoc tempore consolatur: spem autem in hac vita non possumus ponere in homine. Maledictus enim qui spem suam ponit in homine. Sed neque seipso quisquam frui debet, quia nec sibi potest sufficere, neque semetipso potest animus hominis permanere contentus. Seipsum ergo non debet propter seipsum diligere, sed propter illud, quo subsistit, satiatur, & beatificatur. Deus autem, qui purum, integrum, & stabile bonum est, nullius indigens, seipso contentus, & beatus semper: imò & ipse sua beatitudo tota, seipso fruitur semper: in quo & ipsi nos diligentes, semper debemus quiescere. Hæc est enim regula dilectionis diuinitus constituta: Diliges, inquit, proximum sicut teipsum. Deum verò ex toto corde, & tota anima, & ex tota mente: vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers: vt quicquid aliud venerit in animum illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit. Septima sententia: Non omnia, quibus vtendum est, sunt diligenda, sed ea solùm, quæ aut nobiscum societate quadam frui possunt Deo, sicuti est homo, vel angelus: aut ad nos relata beneficio Dei per nos indigent, sicut corpus. Cùm ergo quatuor sint diligenda, vnum quod supra nos est, vt Deus: alterum quod nos sumus: tertium quod iuxta nos est, vt proximus: quartū quod infra nos est, vt corpus nostrum. De secundo & quarto nulla præcepta erant danda, sed modus tantùm diligendi erat præcipiendus: ita vt & de illo, quod supra nos, & de illo, quod iuxta nos est, præceptum sumeremus. Habet hæc sententia quinque partes: quarum prima docet, non omnia esse diligenda, quibus vtendum est, quam probat. Nam martyres vsi sunt scelere tyrannorum persequentium, quod tamen scelus non dilexerunt. Secunda pars docet, quòd quatuor sunt diligenda: videlicet Deus, nosipsi, proximus, & corpus. Hæc certè Augustini sententia si cum præcisione intelligatur, habet difficultatem: eò quòd alia multa videntur ex charitate diligēda, vt scientię & virtutes, & charitas & gratia Dei. Verùm ad hoc dices Augustinum sumere numerum illum diligendorum de his solùm, quæ diligenda sunt secundùm dilectionem amicitiæ, qua vult alicui summum bonum, quemadmodum patet ex probatione primæ partis: quæ docet ea solùm diligenda à nobis, quibus summum bonum volumus. Ea quibus volumus beatitudinem aut summum bonum, non sunt nisi quatuor supradicta. Charitatē autem cæteraque dona diligimus tanquam bona, quibus aut quiescimus in summo bono, aut attingimus seu peruenimus ad ipsum. Tertia pars dicit, de secundo

A

B

C

D

Homo nō sibi sufficit, idcirco nec seipso frui debet.

Ierem. 17

Math. 22.

VII. sententia. Cap. 23

Quatuor à nobis sunt diligenda ex charitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

do & quarto præcepta danda non erant, hanc probat: Quantumlibet enim (inquit) homo excidat à veritate, manet in eo dilectio sui, & dilectio corporis sui. Fugax animus ab incommutabili bono omnium regnatore id agit, vt ipse sibi regnet & corpori suo: sed neq; corpus suum quisquam odit. Verum enim est quod ait Apostolus: Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam sicut Christus Ecclesiam suam. Ephes. 5. Cap. 24. Quòd autem quidam dicunt, malle se omnino esse sine corpore, omnino falluntur: non enim suum corpus, sed corruptiones eius & pondus oderunt. Spiritus cùm in domanda carne persequitur corpus suum, nõ id agit vt non habeat corpus, sed vt per laboriosam quandam militiam libidines, id est, consuetudines & declinationes animę ad fruendum inferioribus extinguat. Per vinculum enim, quod à parentum propagine inueteratum lege naturæ inoleuit, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibiinuicem aduersantur. Galat. 5 Hæc enim (dicit Apostolus) propter indomitam carnalem inclinationem & consuetudinem, aduersus quam spiritus concupiscit, non vt interimat corpus, sed vt faciat ipsum spiritui subiugatum: quod naturalis ordo desiderat, & quod post resurrectionem cum quiete summa & pace fiet. Ex quibus concludit: Non est ergo opus præcepto, vt quisque aut se, aut corpus suum Cap. 26. diligat. Nam dubitare an quis se diligat, hoc est, an sibi & corpori suo velit prodesse, dementis est. Quòd quisque velit & sibi bene esse, & corpus suum saluum habere, atque integrum, manifestum ex inconcussa lege naturæ, quæ etiam in bestiis promulgata est. Neque ideo quisquam non diligit corpus suum, quia aliquid amplius diligere potest, quàm salutem & integritatem corporis sui: quod patet in multis, qui dolores & amissiones membrorum voluntarias suscepisse inueniuntur, vt alia quæ amplius diligebant consequerentur: sed non propterea non diligebant salutem & incolumitatem atque integritatem corporis sui. Nam & auarus quàmuis pecuniam diligat, tamen emens panem exponit illam, quam multùm amat & augere desiderat, pluris æstimans salutem corporis sui, quæ pane illo sulcitur quàm pecuniam. Quarta pars dicit de nobismetipsis & corpore nostro diligendis, modum diligendi fuisse tantùm homini præcipiendum, secundum quem videlicet quisque & se & corpus suum diligeret, vt illis valeret ordinatè prudenterque consulere atque prodesse. De nobis & corporibus nostris diligẽdis modus diligẽdi intimandus erat. Hoc autem facit cùm id agit, vt totus hæreat atque constringatur incommutabili bono. Sanitas animi est, firmissimè inhærere potiori & conseruatori totius sui esse. Sanitas corporis est incorruptio, & integritas corporis cum summa quiete, obedientis animo, & nullis inquietis motibus spiritui resistentis. Nos ergo tam in nobis, quàm in aliis odientes, non corpus, non carnem, non membra, quæ Deus condidit, sed in illis peccatum, corruptionis pondus, iugumque graue super omnes filios Adæ, per laboriosam quandam ipsius corporis militiam mortificamus libidines, inclinationes, & desideria carnis nostræ, quibus abstrahitur & alienatur rationalis animus à Deo, vero suo beatifico bono. Eccl. 40 Quinta pars sententię dicit, præcepta dilectionis tantùm esse data de illo, quod supra nos est, & de illo quod est iuxta nos, hoc est de deo, & de proximo. Matt. 22 Diliges (inquit Christus) Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus præceptis vniuersa lex pendet & Prophetæ. Quòd si te totum intelligis, id est, animam tuam, & corpus tuum, & proximum totum, id est, animam & corpus eius, nullum genus rerum diligendarum in his duobus præceptis prætermissum est. Cùm præcipitur tibi vt diligas proximum sicut teipsum, non est dilectio tui omnino prætermissa. VIII. Sentẽcia Cap. 27. Octaua sententia multas continens partes de ordine diligendorum: Ille sanctè & iustè viuit, qui rerum integer est æstimator. Talis autem est, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat quod non est diligendum

ligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod est minus diligendum, aut minus diligat quod est amplius diligendum, aut æquè diligat quod vel minus vel amplius est diligendum. Omnis peccator, inquantum peccator, non est diligendus: Omnis homo inquantum homo, est diligendus propter Deum. Et ideo quisque Deum magis quàm seipsum debet diligere. Deus omni homine amplius est diligendus, omnis homo amplius est diligendus quàm corpus nostrum. Omnes homines æquè sunt diligendi. Sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi quasi sorte quadam iunguntur. Cap. 28. Nona sententia: Ex supra dictis Deum ex toto corde diligis, & ex tota anima, & ex tota mente, si omnes cogitationes tuas, omnem vitam tuam, omnem intellectum conferas in illum, à quo habes ea ipsa quæ confers, & bellum geras contra omnia, quæ aduersus hanc dilectionis regulam aliorsum rapiunt animum tuum. IX. Sentẽtia. Cap. 22. Et hoc iam est rectè diligere temetipsum, hoc videlicet tecum agere, vt neque in te, neque in vlla creatura, sed in Deo resideas, quiescas, habeasque illum tanquam cordis tui thesaurum optimum. Proximum autem tanquam teipsum rectè diligis, si hoc cum eo aut velis aut agas, vt etiam ipse ex toto corde, tota anima, & tota mente Deum diligat. Proximus noster est, quisquis fuerit consors naturæ nostræ: qui scilicet nobiscum vel particeps est, vel particeps fieri potest dilectionis huius. Quis sit proximus. cap. 30. Hoc igitur præcepto: Diliges proximum tuum sicut teipsum, etiam inimicum nostrum in hac vita diligere præcipimur, cui neque misericordiæ beneficium possimus negare, Domino dicente: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Matth. 5. Luc. 10 Dilectio proximi non operatur malum in vllum hominem. Vnde concludit Augustinus sub hoc præcepto, quo iubemur proximos nostros diligere, etiam contineri sanctos angelos, à quibus nobis tanta misericordiæ beneficia impenduntur. Ipse etiam Christus docuit se proximum nostrum in parabola euangelica, significans proximum vnicuique esse eum, à quo nobis si indigemus, est misericordiæ beneficium exhibendum. Vnde consequens est, vnumquenq; proximum esse cæteris omnibus creaturis, quæ nobiscum æternæ beatitudinis participes fieri possunt. Proximi enim nomen ad aliquid est, neque proximus nobis quisquam esse potest, nisi & econtrariò illi fuerimus proximi. Decima sententia: Deus multùm nos diligit, & dilectionem eius erga nos scriptura multùm commendat, sed diligendo nos non fruitur nobis, neque enim indiget bono nostro, sed neq; vtitur nobis, sic vt nos vtitur rebus, sed tamen vtitur. X. Sententię. Cap. 31. 32. Ille enim vsus quo Deus vtitur nobis, non ad illius, sed ad nostram refertur vtilitatem, quę in illius ordinatur bonitatem. Nos etiam dum proximum diligimus non fruimur illo, sed vtimur dum miseremur illius, aut cõsulimus illi ad vtilitatem illius, quam & opere nostro intuemur, quàmuis etiam nostra vtilitas sit inde consequens, cùm Deus misericordiam quam impendimus proximo, non relinquat sine mercede. XI. Sententia. Cap. 33. Vndecima sententia: Omnes, qui Deo fruimur, etiam nobis inuicem in Deo fruimur, dum nos in hac vita fessos inuicem consolamur, vt illo pariter fruamur. Fatigantur enim sanctorum animi in hac vita, & reficiuntur suauitate quadam delectationis seu gaudij in præsentia amicorum, parentum, filiorum, consolationem accipientes à Dei creaturis, quibus cum delectatione vtuntur, vt perueniant ad illum quo fruantur perpetuò. Frui interdum pro vti cum delectatione. Ad Philemonẽ ait Paulus: Itaque frater ego te fruar in Domino. Vnde consequens est, quòd frui interdum accipitur pro vti re aliqua cum delectatione. Cùm enim adest quod infra Deum diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat. Per dilectionem ergo creaturæ si transieris, eamque ad illud vbi permanendum est retuleris, vteris illa, & abusiuè non propriè diceris illa frui. Si verò inhæseris atque permanseris

Universidad de Deusto
Biblioteca

seris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc verè & propriè dicendus es frui, quod
A non est faciendum, nisi in illa trinitate, summo & incommutabili bono. Nulla res
in via tenere nos debet, quando nec ipse Dominus, inquantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluit, sed transire, quemadmodum ait apostolus Paulus. Et
si noueramus secundum carnem Christum, sed iam non nouimus. Hæ sunt res, circa quas versatur tota scriptura sacra ad fidem, spem & charitatem pertinentes,
de Deo summo & beatifico bono incommutabili, trinitate in vnitate, & vnitate
in trinitate, De iudicio Dei & iustitia, & gratia, & misericordia, vtpote de lapsu
& damnatione humani generis, & de filio Dei, propter humani generis salutem,
incarnato, passo, & mortuo, per quem facta est humani generis, quod perierat,
reparatio, in veram dilectionem Dei, quo solo fruendum est, & in dilectionem
proximi, qui nobiscum Deo fruatur. His & id genus alijs tanquam in summa sup-
B positis, rebus theologicis illic præmissis, tradit regulam generalem, quam obser-
Cap.35 uans quisque ad sacræ Theologiæ studium accedens pernicioſè non fallitur. Omnium igitur, inquit, quæ prædicta sunt ex quo de rebus tractamus, hæc summa est,
vt intelligatur legis & omnium diuinarum scripturarum plenitudo & finis, esse
dilectio rei, qua fruendum est, & rei quæ nobiscum ea re frui potest. Quisquis ergo scripturas, inquit, diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt in illo suo intellectu non ædificet istam geminam charitatẽ, Dei & pro-
Totius scri- pturæ finis est dilectio Dei & proximi. ximi, nondum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam dixerit, quę huic
ædificandæ charitati est vtilis, non pernicioſè fallitur, etiam quàmuis forsitan aliter intelligat, quàm ille qui scripsit, neque omnino mentitur, quàmuis ita deuiat
& errat, ac si errore quisquam deserens viam rectam, eò tamen per agrum pergat,
quò etiam via illa perducit, corrigendus tamen est error, & demonstrandum est
C illi, vtilius esse viam non deserere, ne consuetudine deuiandi in peruersum ire
cogatur. Asserendo enim temerè quod ille non sensit, qui scripsit, plerunque incurrit in alia, quæ illi sententiæ contexere nequeat: quo fit vt amando suam sententiam, incipiat magis offensus esse scripturæ, quàm sibi: quod malum si serpere permiserit, euertetur ex eo. Tria sunt quibus & scientia omnis, & prophetia
Cap 32. Fides & Spes pereunt, sola Charitas manet. militat: fides, spes, charitas. Fide autem & spe decedentibus, cùm peruenerimus
ad id quod credimus & speramus, charitas non perit, sed augebitur potiùs. Si
enim credendo & sperando diligimus id, quò nondum peruenimus, quantò magis dum peruenerimus? Inter temporalia quippe & æterna hoc interest, quòd
temporale aliquod plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cùm aduenerit. Non enim satiat animam, cui vera & certa sedes est æternitas: ad quam
D cùm peruenerit, plus gaudij inueniet, quàm de illa potuit cogitare. Postremùm
concludens librum: Homo itaque fide, inquit, spe & charitate subnixus, eaque
Conclusio 1. lib. de Doctri. Christ. cap. 39. inconcussè retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instituendum. Multi per
hæc tria in solitudine etiam sine codicibus viuunt. Quapropter quum quisque
cognouerit finem præcepti, charitatem, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, omnem scripturarum intellectum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum librorum securus accedit. Hactenus compendium de rebus, in quibus versatur sacra scriptura.

¶ *Caput Secundum huius tractatus, in quo traduntur sententiæ ex libro secundo Augustini de Doctrina Christiana.*

Gemina signa

NN 2. & 3. libris idẽ venerabilis Augustinus modos tradit inueniẽdi intellectus scripturarũ sacrarũ, quę non facilè intelligũtur propter signa, quibus res ipsæ in diuinis libris insinuantur. Et id quidem docet cõtingere duabus ex causis, videlicet quia vel ignota sunt signa, vel ambigua. Primũ enim tradit obseruationes seu institutiones, ne

A ne quis propter signa ignota impediatur à vero scripturarũ intellectu: & id quidem in libro secundo. Deinde institutiones tradit, ne quis aut impediatur, aut decipiatur propter signa ambigua, & id quidem in libro tertio. Signum definit esse rem, quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se facit in cogitationẽ mentis venire. Ad nihil aliud sunt signa data seu imposita, quàm ad depromendum seu traiiciendum propriam cogitationem seu voluntatẽ in alterius mentem. Sunt aũt signa quædam naturalia, sicut est gemitus, significans mœrorẽ animi: sicut fumus, faciens ignem venire in cogitationẽ, sicut vultus irati affectionem indicat animi. Habent etiam, inquit, bestiæ quidem inter se signa, quibus produnt appetitũ sensus sui. Nam & gallus gallinaceus reperto cibo, dat gallinæ signum vocis vt accurrat: & columbus gemitu suo columbam vocat, & ab ea vicissim vocatur. Verùm hæc & id genus alia naturalia signa sunt nostro negotio
B impertinentia. Signorum, quibus homines insinuant internas aut cogitationes, aut voluntates, quædam sunt visibilia, quemadmodum nutus oculorum, & motus manuum, vexilla militum. Quædam autem sunt, quæ auditu percipiuntur, non tamen voce prolata, vt tubæ, tibiæ, & cytharæ soni, qui plerunque fiunt non propter suauitatem, sed significandi gratia. Sed omnia hæc signa verbis comparata, pauciſsima sunt. Verùm quia verba prolata statim transeunt, nec diutius manent quàm sonant, literę sunt inuentę, per quas ceu per signa quędam permanentia oculis ostensa, voces nobis insinuantur. Signa igitur verborum quia per literas fiunt, quibus aut propriè aut translatè acceptis, res ipsę diuinæ nobis insinuantur. Horum ignorantia facit scripturas sacras esse obscuras, dum propter tropos, metaphoras, aliosque diuersos loquendi modos, densissimam interdum secum adferunt caligine. quod totum non dubito, inquit Augustinus, diuinitus esse prouisum, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocãdum, cui facilè inuestigata plerunq; vilescunt, quæsita autem cum aliqua difficultate, aut per similitudines quasdam deprompta, gratius sapiunt. Cùm sanctos Apostolos quasi dentes gregis tonsi, id est, Ecclesiæ secularibus desiderijs detonsæ considero, præcidere errores ab hominibus, & de lauacro baptismi in cœlestia ascendere, multos filios procreare in gemino charitatis præcepto, suauis reficior, quàm si nulla talis similitudo promeretur. Proinde quod Ecclesiæ in Canti. dicitur: Dentes tui sicut grex tonsarum ascendens de lauacro, quæ omnes geminos creant, & non est sterilis in eis. Hoc de prædicantibus, qui mordent & resecant hominũ vitia, intellectum, sic per similitudines pronuntiatũ, magis delectat, quàm si nudè diceretur, non adhibita vlla similitudine. Magnificè proinde & salubriter spiritus sanctus scripturas sacras ita modificauit, vt locis apertioribꝰ fámi occurreret:
D obscurioribus autem, fastidia detergeret: nihil enim de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. Deinde recitatis septem gradibus ascendendi ad veram sapientiam, enumeratisque canonicis libris regulam tradit generalem ad venandum scripturarum sensum. In his omnibus (inquit) libris, vtpote canonicis, timentes Deum, & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei, cuius laboris prima obseruatio est nosse libros istos. Diuinarum enim scripturarum solertissimus erit indagator, quisquis primùm libros canonicos nouerit, totosq; legerit, memoriæque mandauerit, etiam si nondum intelligat. Deinde si in eis, quæ apertè sunt posita, studuerit solertius diligentiusque inuestigare præcepta viuendi, regulasq; credendi: quæ quantò quisque plura inuenit, tantò est intelligentia capacior. In his enim quæ apertè in scripturis sunt posita, inueniuntur omnia illa, quę continent fidem moresq; viuendi: spem scilicet & charitatem. Tum verò facta quadam familiaritate cum ipsa diuinarum scripturarũ lingua, pergendum est, in ea quæ obscura sunt aperienda & discutienda, vt ad ob-

Cap. II.

Quid signum Cap. 1. & 2.

Signa naturalia.

Signorũ quędam visibilia, quædã audibilia non vocalia, quædam vocalia sunt, cap. 3. 4.

Cur scripturę sacræ sunt obscuræ.

Cap. 6.

Cant. 4.

Regula generalis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. II.

Cap. 10.

ſcuriores locutiones illuſtrandas, de manifeſtioribus ſumantur exempla. Poſt hæc reuertitur Auguſtinus ad ſigna, tradens documenta ad inueniendum ſacræ ſcripturæ ſenſus, cùm accidit ſcripturæ obſcuritas propter ſigna incognita: quorum, vt inquit, duæ ſunt ſpecies. Nam aut ignotum verbum ſeu dictio facit hærere & dubitare lectorem, aut ignota locutio, & in vtraque ſpecie ſigna interdum propriè, interdum verò tranſlatè accepta, obſcuras reddunt ſententias. Propria dicuntur, dum in rebus ſignificandis adhibentur, propter quas ſunt inſtituta, ſicut cùm dicimus bouem, intelligimus pecus: cùm dicimus aquam, intelligimus mundi elementum: cùm dicimus petram, intelligimus ſaxum: cùm dicimus hyſopum, intelligimus herbam. Tranſlata autem ſigna, cùm & ipſæ res, quas propriis verbis ſignificamus, ad aliquid aliud ſignificandum vſurpantur,

1.Cor 9. veluti apoſtolus Paulus, cùm in boue triturante intelligit prædicatorem verbi Dei, dicens: Non alligabis os boui trituranti. Et Saluator, cùm in aqua intelligit ſpiritum ſanctum, dicens: Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, hoc eſt, fiet in eo gratia ſpiritus ſancti ſalientis, ſiue ſalire facientis in vitam æternam. Et Propheta cùm in hyſopo intelligit donum ſpiritus ſancti, facientis cor contritum & humiliatum, & id genus alia innumera. Neque verba ſolùm aut nomina ſic tranſlatè accipiuntur, ſed & integræ interdum locutiones, veluti cùm dicitur: Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, eſt aptus regno. Documenta igitur generalia, ne quis decipiatur, aut impediatur ab intellectu ſcripturarum propter ſignorum ignorantiam, hæc ſunt. Primùm neceſſaria eſt cognitio artis Grammaticæ in illa lingua, ſub qua ſcriptura nobis diſcenda proponitur. Inſuper & contra eadem ignota ſigna propriè accepta, magnum remedium eſt trium linguarum peritia: propterea quòd ſcripturæ veteris legis ex Hebræa lingua ſint in Græcam per ſeptuaginta interpretes tranſlatæ, & rurſus ex Græca lingua in Latinam linguam traductæ. Noui autem teſtamenti volumina Græcè ſcripta, in linguam Latinam ſunt verſa. Quamobrem multitudo interpretum præſertim peritorum plus iuuat, quàm impedit ſcripturarum in Latinum verſarum intelligentiam, dum vnius tranſlatio intelligitur eſſe alterius interpretatio & expoſitio: ſi modò legentes non ſint negligentes, ſed in fide Eccleſiæ catholicæ ſtabiles. Cæterùm ſi vſpiam propter Latinorum interpretum varietatem occurrerit dubitatio de ſigno aliquo vel oratione, dum vnus ſic, alius aliter in Latinam linguam verterit, vtile eſt conſulere duas linguas alias, Hebræam ſcilicet & Græcam, vt ad exemplaria, ex quibus ſacræ ſcripturæ ſunt traductæ, recurratur. Deinde contra ſigna ignota tranſlatè accepta, propter notitiam linguæ ſeu idiomatis, inueſtigandæ ſunt rerum naturæ & transactorum temporum ordo, locorum & prouinciarum in orbe ſitus, numerorum & rerum muſicarum rationes. Nam & multa quæ de ordine temporum transactorum tradit hiſtoria: multa inſuper, quæ de locorum & animalium, herbarum, lignorum, lapidumque naturis ſunt ſcripta, plurimùm valent ad ſoluendum ſcripturarum ænigmata. Artes inſuper quaſdam, & res artibus fabricatas cognoſcere, valet nonnihil ad ſcripturas intelligendas, dum de his artibus aliquas figuratas locutiones inſerit ſcriptura. Primùm ergo naturalium rerum ignorantia figuratas locutiones facit obſcuras, cùm ignoramus animantium, lapidum vel herbarum, aliarumve rerum naturas, quæ plerunque in ſcripturis alicuius ſimilitudinis gratia ponuntur. Multi propter ignorantiam naturæ aut aquilæ, aut ſerpentis, vel aſpidis, vel hyſopi non intelligunt ſcripturas. Renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Sicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantis. Aſperges me Domine hyſopo. Inſuper numerorum & muſicarum rerum

ignorantia

Luc 9. Documẽta, ne quis fallatur propter ſignorum ignorãtiã cap. 11 12.

Cognitio Grammaticæ.

Multitudo interpretum iuuat.

Cap. 16.

Ad Theologiã vtilis naturalium rerum cognitio.

CAP. II.

ignorantia, multa facit non intelligi tranſlatè aut myſticè poſita in ſcripturis. Neque enim caſu aut fortuitò putandus eſt numerus recitatus, veluti quòd dicitur de piſcibus centum quinquaginta tribus, quos retia poſt reſurrectionem Domini in dextram partem miſſa ceperunt. Item quod dicit Propheta ad Naamiam Syrum: Vade, & lauare in Iordane ſepties. quod dicitur: In pſalterio decem cordarum pſallite ei. Laudate eum in pſalterio & cythara. Laudate eum in cymbalis beneſonantibus. Tertiò, diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quę in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſoluenda plurimum valet: tantum ibi cauenda eſt libido rixandi, & puerilis quędam oſtentatio decipiendi aduerſarium. In hac diſciplina diſcuntur regulę connexionum, quid ſit conſequens, quid non conſequens, quid repugnans. Aliud eſt, noſſe regulas connexionum, aliud ſententiarum veritatem. In ſententiarum veritate ipſę per ſe ſententię, non earum connexio, ſeu dependentia vnius ex altera conſideranda. Verę autem connexiones non ſolùm verarum, ſed etiam falſarum ſunt ſententiarum. Cuiuſcemodi eſt illud Apoſtoli: Si reſurrectio mortuorum non eſt, Chriſtus non reſurrexit. Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prędicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra, inuenimur & falſi teſtes: quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ipſe ſuſcitauerit quem non ſuſcitauit. Et infrà: Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Hic patet etiam falſarum ſententiarum veras eſſe connexiones. Proinde facilè eſt veritatem, ſeu veras cõſequentias diſcere etiam in ſcholis illis, quę pręter Eccleſiam ſunt. In his autem quæ fidei ſunt ſententiarum veritas, in ſanctis libris eſt inueſtiganda. Et quia totus fermè textus ſcripturarum, ratione diſputandi in ſententiarum connexionibus, ceu neruis quibuſdam eſt colligatus, ideo talis diſciplina magis, inquit Auguſtinus, adiuuat legentes ad ſoluendas & explicandas ſententias ambiguas, de quibus in libro tertio tractatur, quàm ad cognoſcendum incognita ſigna, de quibus in libro ſecundo. Ex ſupradictis ergo facilè eſt conſiderare, quantum neceſsitatis & vtilitatis ad inueniendum ſcripturarum intellectum adfert ipſa Dialectica, docens cognoſcere veras connexionum, conſequutionum, ſententiarum cohęrentias, ſeu dependentias. Inſuper patet etiam, gentilium philoſophorum artes iuuare plurimum ſacræ Theologię ſtudioſum, ad inueniendum verum ſcripturarum intellectum. Sed in his ſupra dictis omnibus, videlicet in multa peritia, ſuper rerum naturis, in numerorum ac rerum muſicarum rationibus, tranſactorum temporum hiſtoriis, in ſitu orbis, & locorum, prouinciarum diſtinctionibus, cauendum eſt ſacræ Theologiæ ſtudioſo, ne quid nimis. Nam talium rerum vel forſitan ſunt pauca quæ ſcriptura commendat, vt non ſit neceſſe Chriſtiano in multis propter pauca laborare. Vel forſitan à viris, qui fraternæ vtilitati prodeſſe ſtuduerunt, ſeparatim ſunt poſita, & conſcripta, quæ de terrarum locis, de animalibus, herbis, arboribus, metallis ſcriptura commemorat, vt non ſit neceſſarium ſacræ Theologiæ ſtudioſo, ad intelligendum ſcripturas in multis gentilium Philoſophorum voluminibus occupari. Item quę olim dubitationes atque obſcuritates quaſdam afferebant ex Latinorum interpretum infinita varietate de Hebręa Græcaque lingua, ſunt nunc à bonis doctiſque Chriſtianis elaboratà, eliquidata, aut notata certis in locis, vbi poterant ſuboriri difficultates ſuper eo, quod interpretes non rectè attigiſſent mentem authoris in originali lingua conſcribentis. Et ita iam ad ſacrę Theologię ſtudium accedenti, in hac noſtra Latinorum Eccleſia, vbi tota ſcriptura linguę Latinę reddita multifariè eſt examinata, ſufficere nobis videtur vnius linguę, vtpotę Latinę peritia. Et quemadmodum Euſebius olim in temporum hiſtoria conſcripta propter diuinorum librorum quęſtiones, profuit

Iohan. 21.

4.Reg.5.

Diſputationis diſciplina, quæ eſt Dialectica. Cap. 31. 32. 33.

1.Cor.15.

Dialectica vtilis eſt Theologiæ ſacræ diſcipulo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. II.

fuit omnibus sacræ Theologiæ studiosis: ita & alij quidam viri docti, curantes prodesse fraternæ vtilitati separatim tradiderunt, quę scriptura commemorat de locorum situ, de herbis, arboribus, lapidibus: digerentes sola quæ ad scripturarum faciunt intellectum. Propter superstitiosos errores in Poetarum & gentilium Philosophorum libris, non debemus musicam, cæterasve artes, quas liberales vocant, fugere: si quid in eis vtile ad intelligendas scripturas sanctas rapere potuerimus. Neque enim ideo mala sunt, quia ab illis aut reperta, aut scripta esse dicuntur. Neque enim & literas discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium: imò quisquis bonus verusque Christianus est, Domini sui esse intelligat, vbicunque inuenerit veritatem. Quicquid autem superstitiosum est, repudiet, tanquam figmentum præsumptione humana instigante dæmone confictum. Sed vt totum istum locum diligentius explicemus, nam maximè (inquit Augustinus) est necessarius. Sciendum est duo esse genera doctrinarum apud gentiles etiam in moribus hominum: vnum earum rerum, quas instituerunt homines: alterum earum rerum, quas animaduerterunt aut iam peractas, veluti in historiis: aut diuinitus institutas in ratione rerum perpetua. Illud quod est secundùm institutiones gentilium hominum, partim est superstitiosum, partim superstitiosum non est. Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominibus, ad facienda & colenda idola pertinens, vel ad colendam sicut Deum creaturam, aut vllam creaturæ partem, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita & confœderata, qualia sunt documenta magicarum artium: quæ quidem commemorare potius, quàm docere solent Poetæ. Ex quo genere sunt aruspicum & augurum libri, omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat: siue in præcantationibus, siue in quibusdam rebus ligandis & suspendendis in membris corporum: non ad temperationem corporum, sed ad significationes quasdam, sicuti sunt maures in summo singularum aurium: siue in vanissimis obseruationibus, veluti cùm dicitur tibi singultienti, vt dextra manu teneas pollicem sinistrum, aut si amicis iunctim ambulantibus, vel lapis, vel canis, vel puer, medius interuenerit, tanquam ille direptor sit amicitiæ: aut si quis dum calcauerit se, sternutauerit, aut cùm vestis à soricibus corrosa deprehenditur, quis plus cœperit timere suspitionē futuri mali, quàm dolere præsens damnum. Vnde illud est eleganter à Catone dictum, qui cùm esset consultus à quodam, qui sibi à soricibus erosas caligas diceret, Respondit non esse illud monstrum, sed verè monstrum habendum fuisse, si forices à caligis roderentur. Huic etiam generi perniciosæ superstitionis iunguntur Genethliaci, nunc appellati vulgò Mathematici, qui ex stellarum positionibus nascentium mores, actus, & euenta prædicere conantur: qui & si veram stellarum positionem consectentur, & perquirant secundùm naturalem philosophiam, tamen quòd inde conantur actiones & euenta eorum qui nascuntur, prædicere, nimis errant: quod in geminis fratribus declaratur, qui sub eisdem constellationibus nati, dissimilimos comperiantur habere mores, vt patuit in Esau & Iacob. Neque ad rem pertinet quòd dicunt ipsum momentum temporis minimum, quòd geminorum partum disterminat, multùm valere in rerum natura, & in cœlestium corporum velocitate rapidissima. Etsi enim concedam, inquit Augustinus, vt plurimum valeat in constellationibus, tamen à Mathematico inueniri non potest: quibus inspectis, se fata dicere profitetur. Quare istæ quoque opiniones, quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa quasi quædam cum dæmonibus pacta & conuenta referendæ sunt. Verum quidem est, quòd istis superstitiosis & perniciosis diuinationum generibus multa præterita & futura

A

Cap. 19. & sequentibus.

Duo sunt doctrinarum genera apud ethnicos & gentiles.

B

Quid sit superstitiosum.

C

Genethliaci.

D

CAP. II.

futura dicantur. Sed hoc euenit, inquit Augustinus, illusionibus & deceptionibus angeli mali, qui cupidos malarum rerum homines conatur facere syderum seruos. Hactenus de genere doctrinarum gentilium superstitiosarum. Deinceps videndæ sunt institutiones hominum gentilium, non superstitiosæ, id est, non à dæmonibus, sed cum hominibus institutæ. Vnde omnia quæ ideo valent inter homines, quia placuit vt inter eos valeant, instituta sunt hominum. Huius item generis duæ sunt species: Quædam sunt superflua & luxuriosa, veluti histrionum signa, & fabulæ hĉtæ, quarū mendaciis & nugis homines vanè delectantur. Quædam autem commoda ac necessaria. Et hæc sunt sine quibus humana societas, aut non omnino, aut minus commodè geritur, veluti quæcunque in habitu vel cultu corporis, ad sexus & honores discernendos placuerunt, quæque in ponderibus, mensuris, & numorum impressionibus vel æstimationibus sua cuique ciuitati sunt propria. Hæc autem tota pars humanorum institutorum, quæ ad vsum vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda Christiano, imò quantum satis est intuenda, memoriaq; retinenda. Hactenus de genere earum rerum, quas instituerunt homines. Iam de altero genere differendum est, de gentilibus videlicet doctrinis earum, quibus aut transacta, aut diuinitus instituta, in ratione rerum perpetua traduntur. Quicquid de ordine temporum transactorum indicat historia, etiam à gentibus conscripta, plurimùm nos adiuuat ad sanctos libros intelligendos, etiam si præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam & per olympiades, & per consulum nomina, multa sępe quęruntur à nobis. Vnde ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, vel quo passus est, nonnullos coëgit errare, vt putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Christum, quia per tot annos ædificatum esse templum, dictum est à Iudæis, quod Dominici corporis imaginem habebat. Annorum quidem ferè triginta baptizatum esse retinemus authoritate euangelica. Sed postea quot annos in hac vita egerit, quanquam ex textu ipso actionum eius animaduerti possit. Tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur de historia gentium collata cum Euangelio, liquidius certiusque colligitur. Historiæ etiam iungendum est, cùm præterita hominum instituta narrantur. Aliud enim est narrare facta, aliud docere facienda. Libri autem aruspicum & augurum intendunt non recitare facta, sed docere facienda & obseruanda. In hoc etiam genere sunt, quæcunque de locorum situ, naturisq; animalium, lignorum, lapidum, & herbarū, aliorúmve corporum scripta sunt, de quo genere superiùs egimus, earumque rerum cognitionem valere ad soluenda ænigmata scripturarum ostendimus. Quemadmodum liberales disciplinę non ab hominibus sunt institutæ, sed potius indagatæ atque inuestigatæ: ita & veritas connexionum scientiaque definiendi, diuidendique & partiendi, quanquam rebus falsis plerunque adhibeatur, ipsæ tamen falsæ non sunt, neque ab hominibus institutæ, sed in ratione rerum perpetua, insuperabili lege diuina sic se habentia, ingeniosorum sagacitate comperta sunt atque inuenta. Ex supradictis concludit Augustinus: Quamobrē mihi videtur studiosis & ingeniosis adolescentibus & timentibus Deum, beatamque vitam quærentibus, salubriter pręcipi, vt nullas doctrinas, quæ præter Ecclesiam Christi exercentur, tanquam ad vitam beatā capessendam securè sequi audeant, sed eas sobriè diligenterq; diiudicent: & si quas inuenerint ab hominibus institutas, & modo supradicto, aut superstitiosas, aut superfluas, & luxuriosas, repudient penitus & detestentur. Si verò quas inuenerint ab hominibus institutas, valentes ad societatem hominum conuiuentium pro ipsa huius vitæ necessitate, non negligant. Si autem quas inuenerint doctrinas, non ab illis institutas, sed vel de rebus gestis historias, vel de naturalium rerum proprietatibus, vel de situ locorū, vel vtilium rerum artibus, assumant ex illis quantum

A

Non omnia instituta à gẽtilibus sunt superstitiosa. Cap. 25.

Historiæ gentium sunt vtiles ad intelligẽdum sacras literas. Cap. 27. & 28

Error Irenæi super ætate Christi hic insinuatur ab Augustino.

B

Cap. 39.

C

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtile est, & ne quid nimis. Philosophi autem, & maximè Platonici, si qua fortè A
vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, non solùm formidanda non sunt, sed
Philosophi multa vera dixerunt fidei nostræ accommoda, cap. 40
ab eis tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim
Ægyptij non solùm habebant idola & onera grauia, quæ populus Israel fugiebat,
sed etiam vasa aurea & argentea, & vestimenta, quæ populus Israel exiens de Ægy
pto ex Dei præcepto sibi ad vsum meliorem clanculum vendicauit. Sic Philo
sophorum gentilium doctrinæ habent non solùm simulachra & superstitiosa fi
gmenta, quæ vnusquisque nostrum debet fugere, sed etiam liberales disciplinas,
vsui veritatis aptiores, quæ continent præcepta vtilissima moribus, & de vno ip
so Deo colendo nõnulla apud illos vera inueniuntur, quæ tanquam aurum & ar
gentum apud eos non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ
prouidentiæ, quæ vbique diffusa est, eruerunt. Alia insuper quædam ab illis quo- B
que instituta, si inueniuntur accommoda humanæ societati, qua in hac vita care
re non possumus, iusta ratione in vsum licitum euangelicæ doctrinæ ab eis ausfe
Sacræ scripturæ eminentia.
runtur, quibus peruersè atque iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur. Ve
rùm cuncta scientia, quæ est vtilis de libris gentilium collecta, si diuinarum scien
tiarum scripturæ comparetur, est tanquã arena exigua, & admodum parua. Nam
quicquid homo didicerit, si noxium est, in scriptura sacra damnatur: si vtile, ibi
inuenitur: & cùm ibi quisque inuenerit omnia, quæ alibi vtiliter didicit, multò
abundantius ibi inueniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantum-
modo scripturarum mirabili altitudine discuntur. Hæ sunt regulæ generales,
quas tradit Augustinus in 2. libro de Doctrina Christiana obseruandas, ne quis
impediatur à scripturarum sacrarum intellectu propter signa incognita, cùm vi-
delicet lector non plenè cognoscit, quæ res verbis ipsis sunt significatæ, aut quæ C
sunt earum rerum significatarum naturæ.

¶ *Sequitur Tertium Caput huius Tractatus, in quo traduntur regulæ intelligen-
di scripturas, ex tertio libro Augustini de Doctrina Christiana.*

IN tertio autem libro idem venerabilis pater Augustinus, do-
cet quæ sunt obseruanda ad inueniendum sententias scriptura-
rum, vbi obscuritas accidit propter signa ambigua, veluti cùm
incertum est, quonam modo distinguere oporteat orationẽ, aut
diuidere dictiones atque sententias, aut secundùm quem casum
accipienda sit dictio posita, aut quomodo orationem pronun-
ciare oporteat, an enunciando, an potius interrogando, & per-
cunctando, an per Ironiam, aut hyperbolen, an signis propriè an metaphoricè
Prima regula est de ambiguis distinctionibus & pronunciationibus, cap. 2.
acceptis. Tradit autem super istis regulas multas. Vnam in primis generalem de D
orationibus, quæ propter diuersitatem tum distinctionũ, tum pronunciationum
sunt ambiguæ. Cùm adhibita, inquit intentio lectoris viderit incertum esse, quo-
modo sit distinguenda oratio, aut quomodo pronuncianda, consulat regulas fi-
dei, quam de scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ authoritate percepit.
Nam si talem inde sententiam intellexerit, quæ regulis fidei & charitatis ædifi-
candæ consona est, non pernicioſe fallitur, etiam quàmuis aliter forsitan, quàm
ille qui scripsit, intellexerit. Quòd si plures ambiguitatis partes secundùm fidem
sonuerunt, consulenda sunt ea, quæ præmittuntur, & quæ sequuntur, vt videa-
tur cui sententiæ illa suffragentur. Quòd si neque præscripto fidei, neque con-
textu sententiarum antecedentium & sequentium explicari possit ambiguitas,
nihil obest, quam velis sententiam veram & catholicam, orationem distinguen-
do colligere. Huius autem regulæ exempla ponit ibidem tria, vbi ambigui-
tas potest ob diuersitatem distinctionum contingere. Hæreticorum quorun-
Iohan. 1.
dam nolentium confiteri Verbum esse Deum, fuit distinctio: In principio erat
verbum,

A verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat: vt alius sensus fit, verbum hoc
erat in principio apud Deum. Sed hæc sententia ex regula fidei est refellenda.
Deinde exemplum tradit, vbi ambiguitas tollitur ex sententiarum cohærentia.
In verbo Apostoli ad Philip. 1. Quid eligam ignoro, coarctor autem ex duobus
concupiscentiam habens dissolui, & esse cum Christo multo magis optimũ, per-
manere autem in carne necessarium propter vos. Vbi incertum est, vtrùm locu-
tio illa, ex duobus, iungenda sit cum verbo, concupiscentiam habens, vt dicatur:
coarctor autem, & deinde sequatur: ex duobus cõcupiscentiam habens dissolui:
Tanquam dicat: Vtriusq; rei, tam vitæ, quàm mortis desiderio torqueor. An po-
tius ex perspecta sententiarum cohærentia sit iungenda cum verbo coarctor, vt
dicatur: coarctor aut ex duobus. & deinde sequatur: concupiscentiam habens dis-
solui, & esse cum Christo, multo enim magis optimum: permanere autem in car-
D ne, necessarium propter vos. Et hunc sensum dicit Augustinus esse Pauli, quem &
noui quoque interpretes nunc approbant. Tertium exemplum ponit, vbi neque
ex præscripto fidei, neque ex sermonis contextu ambiguitas tolli potest, ex 2. ad
Corint. 7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes
sanctificationem in timore Domini. Dubium est, an spiritus iungendus sit inqui-
namento, vt dicatur, ab inquinamento carnis & spiritus, vt simus sancti corpore
& spiritu: & deinde sequatur, perficientes, & cæt. An potius sit iungẽdum ad san-
ctificationẽ: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis. & deinde sequatur:
& spiritus perficientes sanctificationem in timore Domini capite nos. Id genus
sunt in scripturis innumera, quemadmodũ latius infrà manifestabimus. Amplius
autem declarat August. Quod dictum est de ambiguis distinctionibus, idẽ obser- Cap. 3.
C uandum esse in ambiguis pronũciationibus. Nam tales aut regulis fidei corrigun-
tur, aut præcedentis vel cõsequentis cõceptione sermonis, aut præcedentis linguę
inspectione, aut interpretum collatione tolluntur. Aut si ambiguitas, neque præ-
scriptio fidei, neque ipsius sermonis contextu corrigi potest, quolibet modo pro-
nunciauerit lector, non est in culpa. De hoc tradit exempla. Primum, in quo am-
biguitas tollitur per regulam fidei, veluti ad Rom. 8. hanc percunctationẽ: Quis
accusabit aduersus electos Dei? subsequitur: Deus, qui iustificat. Et iterum hanc
percunctationem: Quis est qui condemnet? subsequitur: Christus Iesus, qui mor-
tuus est. Hic nisi fides reuocarit nos credentes, Deum & Dominum nostrum Ie-
sum neque esse accusaturum aduersus electos, neq; condemnaturum eos, possent
ea quæ sequuntur, huiuscemodi percunctationes pronunciari, tanquam essent ea-
rum responsiones. Quod dicere quia blasphemum est, idcirco & ea velut nõ re-
sponsiones, sed sono interrogantis enũcianda sunt hoc pacto: Quis accusabit ad-
D uersus electos Dei? An Deus, qui iustificat? vt tacitè respõdeatur, non. Et iterum:
Quis est qui condemnet? An Iesus Christus qui mortuus est? vt vbique respon-
deatur, non. Sunt qui huiuscemodi amphibologiam aliter, quàm August. absol-
uunt, dicentes ea quæ sequuntur interrogationes, neque interrogantis sono, neq;
respondentis sono, sed pronunciantis sermone legenda esse, adijcientes copulam
est, vt hoc pacto: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, &
Christus est qui mortuus est. Deinde tradit exemplum, vbi ambiguitas soluitur
ex sententiarũ contextione, veluti cùm idem Apostolus ait: Quid ergo dicemus? Rom. 9.
Φ gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. Hæc locutio
ambiguam habere potest pronunciationem, aut vt totũ intelligatur percunctan-
do, aut interrogando dictũ, aut vt solum hoc quod dicitur: Quid ergo dicemus,
intelligatur esse interrogatio, & quod subsequitur, videlicet, quòd gentes quæ
non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, intelligatur esse responsio.
Verùm hæc ambiguitas tollitur per sententiarum cohærentiam. Qua nisi post

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. III.

percunctationem illam, qua dicitur: quid ergo dicemus? intelligatur subsequi responsio hæc, quòd gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, textus cõsequens non cohærebit. Tertiò ponit exemplum, vbi ambiguitas neq; per regulam fidei, neq; ex sermonis contextione dissoluitur: & idcirco po-
Iohan.1. test oratio pronunciari quomodo libet. Veluti quod Nathanael dixit: A Nazareth potest aliquid boni esse. Potest pronunciari tam interrogantis, quàm affirmantis voce. Vterq; sensus fidem non impedit, neque liquet ex contextione sermonis, quo sensu sit pronunciatum. Deinde venerabilis pater addit idem documentum seruandum esse, vbi ambiguitas cõtingit ex sono dubio syllabarum, aut
Psalm.138. ex ignorantia casuum. Nam quod scriptum est: Non est à te absconditũ os meũ, quod fecisti in occulto. Non relucet lectori, vtrũ correpta litera os pronunciandum sit vt intelligatur in plurali numero habere ossa, an producta, vt intelligatur habere ora. Sed talis ambiguitas linguæ præcedentis inspectione dijudicatur, vbi manifestum est dici in ea significatione, qua dicitur os ossis. Id dicitur ad Thessa-
1.Thess.3. lon. Propterea consolati sumus fratres in vobis. dubium est, vtrùm ô fratres in vocatiuo, an hos fratres. Neutrum horum est contra fidei regulam, sed Græca lin gua hos casus non habet pares: idcirco illa inspecta renunciatur vocatiuus esse, id
1.Cor.15 est, ô fratres. Item quod .1. Corint. dicitur. Quotidie morior propter vestram gloriam fratres quam habeo in Christo Iesu. Ambiguam habet sententiam, sed in Græco vox est manifesta iurantis sine ambiguo sono. Proinde interpres quidam: quotidie morior, per vestram iuro gloriam fratres. Secundã regulam tradit Augustinus. in eodem iij. lib. docens inuenire intellectum scripturarum, vbi sunt locutiones ambiguę propter hoc, quòd incertũ est, an signa sunt propriè, an translatè
De locutionibus figuratis duo documẽta. cap. 5. accepta: & si translatè, in quam rem significandam transferantur: & de his tradit generalia documenta duo. Primum, In principio inquit, cauendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipiamus. Ad hoc enim cauendum pertinet quod ait Apostolus: Litera occidit, spiritus autem viuificat. Cùm id quod figuratè dictum est, sic accipitur tanquam sit propriè dictum, carnaliter sapitur: neque vlla mors animæ congruentius appellatur, quàm cùm id etiam quod in ea bestias antecellit, carni subijcitur, sequendo literam. Qui literam sequitur, translata verba sicut propria accipit: neque illud quod proprio verbo significatur, ad aliã significationem refert: verbi gratia, si sabbathũ audierit, intelligit quẽlibet vnum diem de septem: cùm audierit sacrificium, non cogitat nisi sacrificium, quod de victi-
Cap.6. mis pecorum terrenisq; fructibus fieri solet. Et hæc est miserabilis animæ seruitus, huiusce modi signa pro rebus accipere, in illis non leuare mentis oculum in ipsum lumen æternum, quæ tamen seruitus in Iudæo populo longè à cæterarum gentium more distabat, quandoquidem Iudæi ipsi signis illis temporalibus ita subiugati erant, vt in omnibus vnus eis Deus commẽdaretur. Et quanq; signa rerum spiritualium pro rebus ipsis obseruarent, nescientes quo referrentur, id tamen insitum habebant, & tali seruitute vni omnium placerent Deo, quem nõ vi-
Gala 5. debant. Quam custodiam tanquam sub pædagogo paruulorum scribit fuisse Apostolus. Quamobrem Christiana libertas eos quos inuenit sub vtilibus signis, ad eas res quarum sunt signa eleuauit, liberans eos, interpretatusque eisdem signa illa, quibus subditi erant. Sub signo enim seruit, qui operatur aut veneratur rem ali-
Cap.9. quam significantem, nesciens quid significet. Qui autem operatur & veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed aliud potius quo talia cuncta sunt referenda, & talis iam homo spiritualis est & liber, etiam in seruitutis tempore, quo nondum oportet carnalibus animis reuelari signa illa, quorum iugo sunt edomãdi. Tales autem spirituales erant patriarchæ & prophetæ, omnesq; in populo Israel,

CAP. II.

rael, per quos spiritus sanctus solatia scripturarum nobis ministrauit. Huic autem obseruationi, qua cauemus figuratam locutionem quasi propriam sequi, adiungenda etiam illa est, ne propriam locutionem quasi figuratam velimus accipere. Cap.10.
Sed prius operæprecium est ostendere modum inueniendæ locutionis, propria ne, an figurata sit: & pro hoc ponitur secundum documentum. Secundum documentum, ad inueniendum an propria sit locutio, an figurata, iste (inquit) est modus. Quicquid in sermone diuino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscitur. Morum honestas est, ad diligendum Deum: fidei veritas, ad cognoscendum Deum & proximum. Non præcipit scriptura, nisi charitatem: nec culpat, nisi cupiditatem, & eo modo conformat mores hominum. Non asserit autem nisi catholicam fidem, rebus præteritis, præsentibus & futuris. Omnia hæc ad eandem charitatem nutriendam atque corroborandam, ad cupiditatem autem extinguendam aut vincendam valent, Charitatem autem, dum ingerunt animis hominum aut spem, aut timorem. Ad hoc etiam peccata magnorum virorum sunt scripta, vt Apostolica illa sententia vtique tremenda doceatur: Qui stat videat ne cadat. Nulla est enim Iacobi 4.
ferè pagina sanctorum librorum, in qua non sonet, quòd Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam. Proinde omnia ad corroborãdum charitatis regnum valent. Charitatem voco, motum ad fruendum Deo propter ipsum in se, atque Quid charitas
proximo propter ipsum Deum. Quod agit charitas, quò sibi profit, vt animus in Deo beatus fiat, vtilitas est: quòd autem agit vt prosit proximo, beneficentia vocatur. Hæc duo apertis locutionibus præceptiuis passim iubentur in diuinis literis. Cupiditatem verò voco, motum animi ad fruendum se & proximo, & qua- Cupiditas.
libet re non propter Deum. Quod ait indomita cupiditas, corrumpens seu ter- Flagitium.
renis immergens hominis animum, vocatur flagitium: quòd autem agit alteri Facinus.
nocens, facinus dicitur. Hæc duo apertis locutionibus in eisdem diuinis libris ve- Cap.11.
tantur, quibus dicitur: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Et quanto magis regnum cupiditatis destruitur, charitatis augetur. Quicquid ergo asperum, & quasi sæuum factu dictuque, aut erga se, aut proximum, in sanctis scripturis legitur ex persona Dei, vel sanctorum eius, ad cupiditatis regnum aut destruendum in homine, aut euertendum cum homine valet, vel in bonum eius, in quo destruitur, vt transferatur in regnum charitatis, vel in vindictam eius in quo euertitur. Qui suam cupiditatẽ in hoc seculo sequi voluerit, sentiet vltionem diuinæ iræ, periturus æterno igne, vna cum sua cupiditate. Et interdum scriptura, vel destructionem hanc, vel euer- Galat.5.
sionem perspicuè sonat. Destructionem quidem, veluti cùm dicit Paulus: Qui Euersio regni cupiditatis.
Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Quàmuis & illic voces quædam translatè accipiantur, sicuti est ira Dei, & crucifixerunt, sed non tam multa sunt, vel saltem non ita sunt posita vt obtegant sensum, & allegoriam vel ænigma faciant, quam propriè figuratam locutionem vocant. Supradictum igitur Apostoli verbum destructionem cupiditatis perspicuè sonat. Euersionem autem perspicuè sonat quod dicitur indignatio, tribulatio, & angustia, in
omnem animam hominis operantis malum. Et in talibus non figurata, sed pro- Rom.2.
pria est locutio. Interdum autem scriptura huiusce modi regni cupiditatis destructionem non perspicuè sonat, sed sub metaphoris, figuris, parabolis, vel ænigmatibus. Et tunc intelligenda est locutio tanquam figuratè dicta. Veluti quod apud Hieremiæ 1.
Hieremiam dicitur: Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & dispergas, & dissipes: non dubium, quin figurata sit locutio tota, referenda ad destruendum in hominibus cupiditatis regnum, & ad ædificandum cha- Cap.12.
ritatis imperium, in eo quod subditur: Et ædifices, & plantes. Rursus: Quicquid in scriptu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. III.

in scripturis aut flagitiosum, aut quasi ex cupidine seu libidine exortum: ex persona Dei vel sanctorum eius factum commendatur, valet ad ædificandum vel corroborandum in hominibus Christianæ fidei & charitatis regnum, quemadmodum quæ dicuntur in Canticorũ libro, & in aliis de sponso & sponsa, & quod Dominus Iesus vnguento precioso à muliere voluit perfundi, non cupiditatis seu libidinis erat, quemadmodum est mos luxuriosorum & nequam hominum, quorum talia conuiuia detestamur, sed magnæ cuiusdam rei erat signum: odor enim bonus fama est bona, quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, Christi vestigia sequens, quasi pedes eius preciosissimo odore perfudit. Sic & alia est in perditis moribus, alia est in vaticinatione Oseæ Prophetæ: Coniunctio meretricis, non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est. Fieri enim potest, vt sine aliqua libidine preciosissimo cibo vel vnguento sapiens vtatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum olus ardescat, quemadmodum ex libidine Esau vescebatur lentis edulio. Sic & omnia, quæ in Canticorum libro videntur carnalem sonare amorem, sanctam spirant charitatem inter Christum & Ecclesiam. Si ergo præceptiua locutio est, quæ videtur aut flagitium aut facinus iubere, aut vtilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est locutio, valens vel ad cupiditatis regnum destruendum, vel charitatis regnum ædificandum. Verbi gratia, cùm dicit Saluator: Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Facinus siue flagitium videtur iubere, videlicet dentibus conterendam & manducandam esse carnem filij hominis, sicut caro manducatur, quæ venditur in macello, quemadmodum & Iudæi audiẽtes intellexerunt, dicentes: Durus est hic sermo. Quos & arguit Saluator, dicens: Caro non prodest quicquam, spiritus est qui viuificat. Est igitur figurata locutio, præcipiens ad ædificandum charitatis regnum, spiritu cõmunicandum esse passioni Domini, & suauiter & vtiliter in memoriam recondendum, quòd pro nobis caro eius sit vulnerata & crucifixa. Item cùm ait Dominus: Qui amat animã suam perdet eam. Flagitium iubere videtur, & vetare vtilitatem, quia debet quisque conseruare animam suam. Figurata est locutio, præcipiens destruere cupiditatis seu libidinis regnum, perdat animam suam, id est, perimat vsum siue amorem, quem nunc habet peruersum atque prepposterum, dum ipsa ita immersa iacet temporalibus commodis atq; delicijs, vt æterna non quærat. Sic & quod dicit: Si oculus tuus scandalizat te, erue illum. Figurata est locutio præceptiua, valens ad destruendum libidinis regnum, dum oculorum videlicet concupiscentiam iubet eruere & resecare. Tertiam regulam tradit ibidem de præceptiuis locutionibus, dicens: Ad intelligendum scripturas obseruandum esse, vt sciamus alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusq; generibus personarum, quicquid de vxore & diligenda & regenda sancti libri præcipiunt, hoc non intelligitur præceptum ei, qui in superiori gradu spiritualis vitæ constitutus, cœlibem amplexus est vitam, & se castrauit propter regnum cœlorum. Quarta regula, quàmuis omnia, vel penè omnia, quæ in libris testamenti veteris gesta continentur, non solùm propriè, sed etiam figuratè sunt accipienda: non tamẽ omnia quæ etiam propriè accepta in illis sunt laudata, nobis sunt imitanda. Multa enim in sanctis illis antiquis dispensatione diuina sunt facta officiose, & idcirco sine libidine, quia ex obedientia sunt facta Deo iubente, quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, domino illa nunc vetante. Multa rursus in illis sanctis sine libidine fiebant congrua opportunitatibus illorum temporum, & societati illorum hominum, quę nunc sine libidine non fierent, humana institutione aut consuetudine prohibente illa, tanquàm incongrua humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus. Suscipiendæ prolis causa erat vni viro inculpabilis consue-

Iohan.12.
Matth.3.
Osee.1.
Gen.25.
Cap.16.
Iohan.6.
III. regula.
IIII. regula. Cap.10. & sequentibus.

CAP.II.

consuetudo plurium simul habendarum vxorum. Vnam autem fœminam maritos habere plurimos honestum non erat. Vnus vir ex pluribus fœminis potest generare, sed vna mulier non potest à pluribus viris simul esse impregnata. Deinde & meretricia potius turpitudo est mulieris proles esse quasi vulgo quæsitas, seu incertos habere patres. Multa sunt, quæ tempore illo officiosè sunt facta, quæ non nisi libidinosè fieri possunt. Quod alijs gentibus aliisque temporibus & locis, vel in coniugijs, vel in conuiuiis, vel in vestitu, cæteroque humano victu flagitiosum esse videtur, aliis in locis, temporibus & gentibus non videtur flagitiosum. Qua varietate innumerabilium consuetudinum commoti quidam dormitantes, non euigilantes in sapientiæ luce, putauerunt nullam esse iustitiam per seipsam, sed vnicuique genti consuetudinem suam iustam videri: quæ cùm sit diuersa omnibus gentibus, abitrati sunt nullam esse vsquam incommutabilem iustitiam: non intelligentes, non posse vlla gentili diuersitate mutari naturæ iura, quibus præcipimur colere & diligere Deum supra omnia, & ne alijs fecerimus, quod nobis fieri non volumus. Hæc sunt, quæ si secundum legem fidei seruauerimus, tyrannidem cupiditatis euertimus, & ędificamus regnum charitatis Dei & proximi. Seruabitur ergo in locutionibus figuratis regula huiusmodi, vt tam diu versetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem locutio hoc regnum propriè sonat, nulla putetur figurata locutio. Ex quibus consequens est, quòd in scripturis sacris præceptiua locutio, perspicuè vel vetans flagitium aut facinus, vel iubens vtilitatem & beneficentiã, non est figurata. Locutio autem, quæ aut flagitium aut facinus videtur iubere, vel vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Ait scriptura: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ*: perspicua & non figurata locutio est. Sed quod sequitur: Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius: maleuolentiæ facinus videtur indicare. Ne igitur hoc putes, regula hęc docet, figuratè hoc esse accipiendum: vt intelligas carbones ignis, esse vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia eius sanatur, qui dolet se inimicum fuisse eius, à quo miseriæ suę subuenitur. Nam quę quibusdam in locis pro vituperatione ponuntur, rem malam significantes, aliis in locis in laudem dicuntur, rem bonam significãtes. Sic fermentum, leo, serpens, aqua, panis, in malam ponuntur partem, cùm dicit scriptura: Cauete à fermento pharisæorum. Aduersarius vester diabolus, tanquàm leo rugiens circuit. Timeo ne serpens seduxit Euam. Aquæ furtiuæ dulciores. Panis absconditus suauior. In bonam autem partem ponuntur: Quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum. Vicit leo de tribu Iuda. Estote prudentes sicut serpentes. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ego sum panis viuus. Sunt etiam quædam, de quibus incertum est in quam partem accipi debeant, sicut: Calix in manu domini vini meri plenus mixto. Incertum est, vtrùm iram Dei significet in calice non vsq; ad fecem, id est, nouissimam pœnã: an potius gratiam scripturarum, à Iudæis ad gentes transeuntem, qui inclinauit ex hoc in hoc, remanentibus apud Iudæos obseruationibus & scripturis, quas carnaliter sapiunt. Interdum etiam eadem res non in contraria, sed in diuersa significatione ponitur. Aqua nunc spiritum sanctum significat, vt flumina aquę viuæ: nunc populum, Apoc.17. Scutum, nunc bonam voluntatem, nunc fidem significat. Dicit enim scriptura vtrumque, & scutum bonę voluntatis, & scutum fidei. Sed & aliæ res multę in scripturis ponuntur diuersa in significatione, quod cùm fit, ex locis apertioribus discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris. Sexta regula ex doctrina Augustini ibidem, pro inueniendo scripturarum intellectu collecta est. Quãdo ex eisdẽ scripturæ verbis non vnũ aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiam si latet quid senserit ille, qui scripsit: nihil periculi est, si quodlibet

Error eorum, qui putauerũt nullam esse per se iustitiam.
Cap 15.16. Generalis regula adhibendã scripturæ sensum in locutionibus figuratis.
Prouerb 25. Roma.12.
Psalm 74.
Iohan.7.
VI. Regula Cap.20.21

Universidad de Deusto
Biblioteca

libet illorum congruere veritati ex aliis sacræ scripturæ locis doceri potest. Id tamen eo, qui diuina scrutatur eloquia, conante, vt ad voluntatem & mentem perueniat authoris, per quem scripturam illam sanctus operatus est spiritus, siue hoc assequatur, siue aliam sententiam regulis fidei consonam de illis verbis exsculpat: ille quippè author in eisdem verbis, quæ intelligere conamur, & nostram sententiam forsitan vidit, & certè Dei spiritus, qui per eum talem sermonem operatus est, etiam ipsam occursuram pio lectori vel auditori sine addubitatione prouidit. Nam quid in diuinis eloquiis largius & fœcundius potuit diuinitus prouideri, q̃ vt eadem verba pluribus intelligantur modis? Vbi autem talis sensus eruitur, qui certis aliis scripturarum testimonijs non potest demonstrari, periculosus est interpretandi modus, nisi ratione reddita manifestus fiat. Per scripturas diuinas multo tutius ambulatur, vt dum eas verbis obscuris obumbratas interpretari volumus, eam inde eruamus sententiam, quæ aut non habeat controuersiam: aut si habeat, ex scripturis adhibitis testibus determinetur. Septima regula: Tropos legendi cognoscere in scripturarum ambiguitatibus dissoluendis præcipuè est necessarium. Nam manifestum est, authores scripturæ sacræ vsos fuisse omnibus loquendi modis, quos Græci Græco nomine tropos vocãt: quos tropos qui ex Grammatica nouerunt, ad intelligendum scripturas plurimũ adiuuantur. Sed hic eos ignaris tradere non decet, ne artem grammaticam docere videamur. Istorum troporum non solùm exempla, sed quorũdam etiam nomina in diuinis libris leguntur, sicut allegoria, ænigma, parabola: quãmuis penè omnes hi tropi, qui literali arte dicuntur cognosci, etiam in eorum reperiãtur locutionibus, qui nullos grammaticos audierunt, contenti sermone quo vulgus vtitur. Sunt autem tropicæ locutionis species: ironia, antiphrasis, hyperbole, metaphora, & id genus alia multa. Ironia pronunciatione indicat quid velit intelligi, veluti cùm dicitur homini mala facienti, res bonas facis. Antiphrasis, vt cõtraria significet non voce pronunciantis efficitur, sed verba habet sic posita, vt à contrario intelligatur quid loquimur, veluti si dicamus: Caue tibi ab illo quia bonus homo est. Postremum Augustinus in eodem libro 3. enumerat septem Ticonij cuiusdam regulas, quibus consideratis multæ scripturarum ambiguitates atque obscuritates dissolui possunt. Ticonius quidam, inquit, qui contra Donatistas inuictissimè scripsit, cùm ipse fuerit Donatista, fecit librum, quem Regularũ vocauit, quia in eo quasdam septem regulas executus est, quibus quasi clauibus diuinarum scripturarum aperiuntur occulta: quarum primam ponit de Christo & eius corpore, quod est ecclesia, quæ aliquando in scripturis sacris intimatur tanquam vna persona, cui tribuuntur nunc ea, quæ Christo, vt capiti, conueniunt: nunc ea quæ corpori, quod est ecclesia, cõpetunt: sed quandoq; à capite transitur ad corpus, quandoq; à corpore ad caput: & tamẽ scriptura ab vna eademq; persona non videtur recedere. Vna persona loquitur Isaiæ, sic dicẽs: Sicut sponso imposuit mihi mitrã, & sicut sponsam ornauit me ornamento. Secundam regulam ponit de corpore Christi bipartito. Vnde poterat regula ista sic appellari, vt diceretur de permixta ecclesia Christi, cui tribuuntur nunc quæ zizanijs, nunc quæ aliis membris viuis competunt, quemadmodum ipsa ecclesia in Canticis ait: Nigra sum, sed formosa, vt tabernacula Cedar, vt pellis Salomonis. Vtrunque se esse dicit ecclesia, propter temporalem vnitatem intra vnum rete piscium bonorum & malorum. Tabernacula Cedar, pertinet ad Hismaelem, qui non erat hæres cum filio liberę. Tertiam regulam ponit de promissis & lege, quę alio modo, (inquit Augustinus) dici potest de spiritu & litera. Vnde frequens est transitus de litera in spiritum. Proinde vigilare debet studiosi lectoris intẽtio, vt intelligatur quid secundũ spiritũ, quid secundùm literam sit accipiendum. Quartam regulam ponit de specie & gene-

A B C D

VII. regula. Cap. 29. Troporũ cognitio est theologo necessaria.

Species tropicæ locutionis

De 7. Ticonij regulis, ca. 30

I. regula de Christo & eius corpore.

Isaiæ. 61.

II. regula de bipartito corpore Christi.

Cant. 1. b

III. regul. de promissis & lege.

& genere, id est, de parte & toto. Scriptura sæpe parti, videlicet Tyro Babyloniæ, siue alterius cuiuslibet prouinciæ ciuitati tribuit ea, quę cõueniunt omnibus gentibus. Proinde in scripturis intelligendis vigilare debet lectoris intentio, ne quærat in specie seu in parte, qd certius & melius potest inuenire in toto. Quin tam regulam ponit de temporalibus, aut quãtitate temporum, quæ regula, vt inquit Augustinus, etiam de aliarum rerũ numeris est accipienda, vbi vigilare debet lectoris intentio, vt intelligat in scripturis sæpenumero aliquid dici secundùm totum aliquod tempus, quòd secundùm partem solum illius temporis, aut præteritum, aut futurũ est intelligendum. Veluti quòd Christus dicitur tribus diebus & tribus noctibus fuisse in visceribus terræ, secundùm tropum synechdochen accipiendum est. Et rursus aliquid dicitur secundùm certam temporũ quãtitatem, quod pro vniuerso tempore accipiendũ est. Veluti quod dicitur: Septies in die laudem dixi tibi, nihil est aliud, q̃ semper est laus tua in ore meo. Sextam regulam ponit de recapitulatione, secundùm quam est reditus ad ea, quæ fuerant in superioribus prętermissa. Hic vigilare debet mens studiosi lectoris, ne quis posterius in scripturis recitata, intelligat tanq̃ sequãtur in ordine temporis, & sint posterius facta, quemadmodum Geneseos 2. quæ dicuntur de paradiso, non intelliguntur secundùm tempus facta post illa, quæ scribuntur Geneseos 1. Septimam regulam ponit de diabolo & eius corpore, vbi quemadmodum in prima regula vigilandum est, vt dum scriptura loquitur de diabolo & ecclesia eius, tanq̃ de vna persona, intelligatur quid capiti diabolo, & quid corpori eius ecclesiæ malignantium sit attribuendũ. Hæ quidẽ omnes regulæ diligenter obseruatæ, plurimum quidem adiuuant ad penetranda obscura seu tecta diuinorum librorum eloquia: q̃is non omnia, inquit Augustinus, quæ in diuinis libris ita scripta sunt, vt non facile intelligãtur, possunt his regulis inueniri, sed alijs modis plurimis, vsq; adeò vt etiã ipse Ticonius multa exponat obscura, in quibus nullã harum adhibet regularum. Et proinde ipse supra q̃ debuit, easdẽ regulas cõmendauit, tantũ eis tribuẽs, quasi omnia, quæ in diuinis libris obscurè posita inuenimus, eisdem regulis bene cognitis atq; adhibitis intelligere valeamus. Hactenus ex tribus libris Augustini de doctrina Christiana, generalia quædã dogmata collecta sunt, quib⁹ intellectis diligenterq; perspectis & obseruatis, quisq; sacræ theologię studiosus, multos difficultatis nodos, & obscuritates varias in scripturis sacris poterit dissoluere atque elucidare. Iam verò, vt quod scribimus valeat prodesse etiam minus eruditis, minusq; capacibus, ad quædam magis specialia descẽdemus. Et cùm idem venerabilis pater Augustinus subsequenter in quarto libro suo de eadem doctrina Christiana tradat doctoris, expositoris, seu tractatoris diuinarum scripturarum officia esse, fidem rectã defendere, errores debellare, bona docere, mala dedocere, atque in sermone docendi conciliare auersos, remissos erigere, auditores & lectores intentos ac beneuolos facere, & cætera quę agenda sunt ita sapienter dicere, vt prosit audientibus, sententias quasdam ex eodem libro recitabimus.

A B C D

V. Regula de temporibus.

Matth. 12.e

Psalm. 118. Psalm. 33. a.

VI. Regula de recapitulatione.

VII. Regula de diabolo & eius corpore.

Lib. 3. cap. 30. de Doct. Chr.

Cap. 4. a

¶ *Sequitur Caput quartum, continens sententias quasdam ex quarto libro de doctrina Christiana.*

IN superioribus ergo libris tribus Augustinus de rebus & de signis, tam propriè, q̃ translatè acceptis secundũ regulas quasdã, quibus iuuantur sacrarum literarũ studiosi hactenus egit. Addens eosdẽ non solum admonendos esse, vt in scripturis sacris genera locutionũ sciant, vigilanterq; aduertant: verùm etiam, quod præcipuũ & maximè necessariũ est, orent vt intelligant: quoniã Dominus dat sapientiã, & à facie eius intellectus & scientia. A quo & ipsum studiũ piamq; voluntatẽ discẽdi sacras literas acceperunt. Et

Theologiæ studioso orandum vt intelligat quæ legit

N hæc,

Universidad de Deusto
Biblioteca

I. TRAC.

hæc, quatenus attinet ad sacræ theologiæ discipulos, hactenus tradidit Augusti. A
Consequenter in quarto libro tradit sententias attinentes ad doctores & expositores, quibus sacrarum literarum docendarũ incumbit officiũ, ad quod aptè congruèq; exercendũ nõnihil vtilitatis habent rhetorica præcepta. Sed seorsum hæc discenda sunt, si cui forsitan bono viro etiam hæc vacat discere. Cõpendiũ facientes, colligemus ex eodem lib. 4. aliquot sententias.

Prima Sentẽtia, rhetoricã esse vtilem doctoribus veritatis. cap. 2.

Prima est: Rhetorica præcepta sunt vtilia ad defendendũ veritatẽ. Nam cùm per artẽ rhetoricã & vera suadeantur & falsa, quis audeat dicere veritatẽ in defensoribus suis aduersus mendacium debere cõsistere inermẽ, vt videlicet illi, qui res falsas persuadere conantur, nouerint auditorem vel benevolũ, vel intentum, vel docilem in proœmio facere. Isti aũt, defensores scilicet veritatis, non nouerint. Et illi falsa, breuiter, apertè, verisimiliter: isti vera sic narrent, vt audire tædeat, intelligere nõ pareat, credere postremò non libeat: Illi fallacib⁹ argumẽtis veritatẽ oppugnẽt, asserãt falsitatẽ: isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare. Illi animos audientiũ in errorẽ mouentes, docendo terreãt, cõtristent, exhilarẽt. Isti pro veritate lenti frigidiq; dormitẽt. Quis ita desipiat, vt hoc dicat? Si ergo mali hanc eloquij facultatẽ vsurpãt in vsus iniquitatis & falsitatis, cur nõ eam defensores veritatis pro studio sibi comparãt, vt deseruiat veritati? B

II. Sententia cap. 3.

Secunda sententia: Quæcũq; sunt de facundia hac seu eloquentia obseruationes atq; præcepta extra istas sacras literas nostras seposito ad hoc cõgruo temporis spatio, apta & cõuenienti ætate discenda sunt eis, qui hoc celeriter possunt. Nam vt ipsos Romanæ eloquẽtiæ principes non piguit dicere, quòd hanc artem nisi quis citò possit, nunquàm omnino possit perdiscere. Quæ etiam si possit à tardioribus tandem aliquãdo perdisci, nos tamẽ eam, inquit Augustinus, non tanti pendimus, vt in eius præceptis discendis iam maturas vel graues etiam hominũ ætates velimus impendi. Satis est vt adulescentulorũ ista sit cura: nec ipsorũ omnium, quos vtilitati ecclesiasticæ cupimus erudiri, sed eorum, quos nondum magis vrgens huic rei vlla prẽponenda necessitas occupauit. Quoniam si acutum & feruens adsit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus & audientibus magistros eloquentes, quàm sectantibus eloquentiæ præcepta. C

Quomodo & à quibus discẽda Rhetorica.

III. Sententia de eloquentia ecclesiasticorũ patrum. cap. 3 lib. 4.

Tertia sententia: Præter canonicos nostros authores sunt ecclesiastici viri, qui diuina eloquia non solum sapienter, sed eloquenter etiam tractauerunt: quorum scripturas ecclesiasticas legendò, & exercitatione imitando, homines fiunt eloquentes, etiam si non id agant vt eloquentes sint, sed tantummodo rebus ipsis, quæ ibi dicuntur, sint intenti. Sine præceptis rhetoricis, nulla eloquendi arte tradita, nouimus plurimos, eloquentiores plurimis qui illa didicerunt. Sine lectis verò & auditis eloquentium hominum disputationibus vel dictionibus, neminem. Nam neq; ipsa arte Grammatica, qua discitur locutionis integritas, indigerent pueri, si eis inter homines, qui integrè loquerentur, daretur & crescere & viuere. Nescientes quippè vlla nomina vitiorum, quicquid vitiorum cuiusquam ore loquentis audirent, sana sua consuetudine reprehenderent & cauerent, sicut rusticos reprehendunt vrbani, etiam qui literas nesciunt. D

IIII. Sententia de officio doctoris veritatis, cap. 4.

Ex his concluſit Augustinus dogmata quædam, quæ nos includimus in sententia quarta. Debet igitur diuinarũ scripturarum tractator & doctor, defensor veritatis & rectæ fidei, & debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, atq; si opus fuerit in proœmio auditorẽ vel benevolum, vel intentum, vel docilem facere, & in hoc opere sermonis conciliare auersos, remissos erigere, &cęt. quæ agenda sunt in huiusce modi docẽdi officio ita tradere, vt res de qua agitur, innotescat. Si verò qui audiũt monendi potius, quàm docendi sint, vt in eo quod iam sciunt agendo non torpeant, maioribus dicẽdi viribus opus est. Hic enim obsecrationes & increpationes, cõcitationes & coercitationes, & quæcunq; alia valent ad cõmouendos auditorũ animos

A animos sunt necessaria. Sed cùm alij hoc faciant obtuse, deformiter, frigidè: alij ornatè, acutè, vehementer, illum ad hoc docendi officium iam oportet accedere, qui potest disputare vel dicere sapienter, etiam si nondũ potest eloquẽter, vt profit audientibus, etiam si minus, q̃ prodesset, si & eloquẽter posset dicere. Sententia quinta: Insipiens affluens eloquentia tanto magis cauendus est, quanto magis ab eo in his, quæ audire est inutile, delectatur auditor, & eum, quem disertè dicere audit, etiam verè dicere existimat. Hæc autẽ sententia nec illos fugit, qui artem rhetoricam docendam putarunt. Fatsi enim sunt, sapientiam sine eloquẽtia prodesse quidem ciuitatibus, sed parum. Eloquentiam verò sine sapientia plerunq; obesse nimium, prodesse nunq̃. CAP. IIII.

Sententia 5. de eloquentia sine sapientia. Cap. 5.

Sententia sexta: In scripturis sacris vera est sapientia, & ideo sapienter dicit homo tantò magis vel minus, quantò magis minúsque profecit in eisdem scripturis bene intelligendis, diligenterq; earum sensi-
B bus indagandis. Ex quibus consequens est, ꝙ doctori, defensori veritatis, qui sapienter debet dicere etiam quod nondum potest eloquenter, maximè necessariũ est tenere verba sacrarum scripturarum. Quantò enim quisq; se pauperiorẽ cernit in suis, tantò eum oportet in istis esse ditiorẽ: vt quod dixerit suis verbis, probet ex illis: & qui proprijs verbis minor erat, magnorũ testimonio quodammodo crescat, sapientissimorũ authorum verba suis locis & temporibus ingerendo. Porrò qui non solùm sapiẽter, verũ etiã eloquenter vult dicere, quoniã profectò (inquit Augustinus) plus proderit, si vtrũq; potuerit, ad legendos vel audiendos doctores eloquentes, eum mitto lubentius, q̃ magistris artis rhetoricæ vacare præcipio, si tamẽ hi qui leguntur & audiũtur, nõ solũ eloquenter, sed & sapienter vel dixisse, vel dicere veraci prædicatione laudentur. Propter quod non ait scriptura: Multitudo eloquentium, sed multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.

Sententia 6. in scripturis sacris verũ esse sapientiã ca. 6.

Sapien. 6. d

C Qui sapienter dicunt, salubriter dicunt: etiã quàmuis amara sunt plerunq; audiẽtibus quæ dicuntur. Sicut autem sæpe sumenda sunt amara salubria, ita semper vitanda est pernicioſa dulcedo. Sed salubri suauitate, vel suaui salubritate quid melius? Septima sententia: Authores, qui scripturę sacrę nobis canonem fecerũt, non solùm sapientia fuerunt præditi, sed etiam sua quadam eloquentia, quę viros summa authoritate dignissimos, planeq; diuinos decet. In quorum scripturis ipsa lex artis oratoriæ ita plerunq; seruatur, vt tamen non ostentetur, multaq; per tropologiam ita sapienter obteguntur, vt quantò magis translatis verbis videntur operiri, tantò magis cùm fuerint aperta dulcescunt. Nam vbi eos, inquit, intelligo non solùm nihil eis sapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Vbi verò eos non intelligo, minus quidẽ mihi apparet eorũ eloquentia, sed eam non dubito esse talem, qualis est vbi intelligo.

VII. Sententia Cap. 6.

Octaua sententia: Huic
D tali scripturarũ sacrarum eloquentiæ quędam sententiarum obscuritas cõgrua ratione mixta est, in qua proficere noster intellectus non solùm inuentione, verùm etiam exercitatione deberet.

VIII. Sentẽtia

Nona sentẽtia: Quãuis canonici scripturarũ authores nonnulla sub magna obscuritate dixerunt, sic obscurè locuti vtiliter & salubriter, ad exercendas quodammodo legentium mentes, ad rumpenda fastidia, ad acuenda ingenia volentium discere, ad celandum & abscondendum mysteria superbis huius mundi sapientibus: non tamẽ earundem scripturarũ expositores nobis iam humiliter credentibus ita loqui debent, tanq̃ ipsi exponendos se simili authoritati proponãt, sed in omnibus sermonibus suis primitus ac maximè vt intelligantur elaborent, ea quantũ possunt perspicuitate dicendi, vt aut multũ tardus sit qui non intelligit, aut in rerum quas explicare atq; ostendere volunt difficultate ac subtilitate nõ in eorum locutione sit causa, quò minus tardiúsve quod dicunt possit intelligi.

Sententia. 9. causas obscuritatis in sacrã scrip. explicat. Cap. 8.

Decima sententia: Curare debet is qui docet, non quanta eloquentia doceat, sed quanta euidẽtia: non solicitus quid bene sonet, sed quid

Sententia 10. quòd sit clarè docendum ea pite. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

I. TRAC.

bene indicet, atq; intimet quod ostendere intendit. Ad vitandam obscuritatem & ambiguitatem consultius est interdū, minus congruè minusq; latinè dicere, q̄ orationem latinam obscuram & ambiguā tradere. Sic non piguit scripturæ interpretem pluraliter de sanguinibus dicere, quod in Latina lingua tantūmodo singulariter dicitur. Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cùm loquēdi nulla omnino sit cauta, si quod loquimur non intelligant illi, propter quos vt intelligāt loquimur? Sententia vndecima: Tria sunt, quæ perfecta oratione fiunt, vt doceat, vt delectet, vt animum flectat seu vincat. Alius est modus docendi, alius delectandi, alius flectendi. Docēdi modus est, ita dicere, vt is qui discit intelligat. Qui docent, res ipsas multiplici varietate dicendi versant, vt faciant eos qui audiunt intelligere. Delectandi aūt gratia dicuntur etiam ea, quæ sunt nota & intellecta, vbi non ipsa quæ dicūtur, sed modus quo dicuntur attenditur. Qui delectant, ita eloquenter suauiterq; orationem ædunt, vt alliciant, & auditorū animos quadam audiendi voluptate teneant suspensos. Modus autē flectendi est, vt ea quæ dicuntur intellecta & suauiter dicta ita dicantur, vt moueatur is qui audit ad operandum. Qui mouet seu flectit, ita orationē ædit, vt affectus concutiat audientiū, atq; eorū animos transformet, vt vel ament quod odiebant, vel odio habeant quod amabant. Dixit ergo quidam eloquens, & verum dixit, ita debere dicere eloquentem vt doceat, vt delectet, vt flectat. Docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Horum trium quod primo loco positum est, docendi videlicet necessitas, in rebus quas dicimus constituta est. Reliqua duo in modo, quo dicimus. Sicut ergo est delectandus auditor, vt teneatur ad audiendū, ita est & flectendus, vt moueatur ad agendū. Et sicut delectatur, si suauiter loqueris: ita flectitur, si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, amplectatur quod commendas, doleat quod dolendum exaggeras, gaudeat cùm quid lætandū prædicas, misereatur eorum quos miserādos ante oculos dicendo cōstituis, effugiat quos vitandos proponis. Sanctus vir Cyprianus tam plano, suaui & viuaci sermone docuit sancta, iusta, & bona, vt & intelligenter, & libenter, & obedienter audiretur. Sententia duodecima: Doctor Ecclesiasticus, vt sancta & iusta valeat sic dicere, vt libenter & obedienter audiatur, pietate magis orationum, q̄ rerum facultate est opus, vt orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus: sit orator, antequam dictor. Quis enim nouit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere vel per nos audiri expediat, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit, vt quod oportet, quemadmodum oportet, dicatur à nobis? nisi in cuius manu sumus & nos, & sermones nostri. Sententia decima tertia: Qui docere vult alios, prius oportet eum discere & nosse omnia docenda, & facultatem docendi sibi comparare, quemadmodum decet Ecclesiasticum virum. In hora verò ipsius dictionis, cogitet illud bonæ menti conuenire quod Dominus ait: Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri est, qui loquitur in vobis. Si ergo spiritus sanctus loquitur in eis, qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non & in eis, qui tradunt discentibus Christum? Sententia decimaquarta: Ecclesiasticus doctor, qui docendo nititur oratione sua persuadere quod bonū est, nihil horum trium spernit: scilicet vt doceat, vt delectet, vt flectat, rectèque orat, aptè & conuenienter agit, vt intelligenter, libenter, obedienterq; audiatur. Nam & si spiritus sanctus doctores efficit, & vnctio doceat audientes. Non tamen inde cōsequens est homines non esse admonendos vel instruendos, quid vel quēadmodum doceant: alioqui & simili argumento possit dici, quòd nec orandum nobis esset, quia Dominus ait: Scit pater vester cœlestis quid vobis necessariū sit, prius q̄ petatis ab eo. Deinde, quòd nec Apostolus

Sententia 11. Cap. 12. Differunt docere, delectare & flectere.

Laus Cypriani.

Sententia 12. Cap. 13.

Sap. 7. b.

Sententia 13.

Matth. 10. c

Sententia 14. Cap. 16. 17.

Matth. 6. b

A

B

C

D

CAP. IIII.

A Apostolus Paulus debuisset præcipere Timotheo & Tito, quid vel quemadmodum doceret alios. Timotheo præcepit: Annuncia hæc & doce, formā habe verborum sanorum quæ à me audiuisti. Satis age, teipsum probabilem operarium exhibens Deo, non erubescentem, verba veritatis rectè tractantem. Predica verbum, insta oportunè, importunè argue, obsecra, increpa in omni longanimitate & doctrina. Item ad Titum dicit, episcopum iuxta doctrinam fidelis verbi perseuerantem esse debere, vt potens sit in doctrina sana, & contradicentes arguere. Nunquid contra seipsum sentit Apostolus, qui cùm docet doctores operatione spiritus sancti fieri, ipse illis præcipit quid & quemadmodum doceant. An intelligendum est, & hominū officia ipso sancto spiritu largiēte in docendis etiam ipsis doctoribus, non debere cessare, & tamen neq; qui plantat aliquid esse, neque qui rigat, sed Deum esse, qui incrementum dat? Sicut enim corporis medicamenta,

B quæ ab hominibus adhibentur hominibus, non nisi eis prosunt, quibus operatur salutē Deus, qui & sine illis mederi potest, cùm sine ipso illa non possunt, & tamen adhibentur: & hoc si officiose fiat, inter opera misericordiæ & beneficentiæ deputatur. Ita & adiumenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibitę per hominem. cùm Deus operatur vt prosint, qui potuit Euangeliū dare homini etiam non ab hominibus, neq; per hominem. Igitur in rebus etiam ecclesiasticis doctor quisq; non ideo suis viribus fidit, q̄ laborat sancti spiritus monita prudenter & ornatè dicere. Sententia decimaquinta: Officium disertè loquentis est, nunc submisse, nunc temperatè, nunc granditer dicere. Sed aliter tria hæc seruātur in forensibus causis à principibus eloquētiæ huius mundi. Aliter in ecclesiasticis quæstionibus à sanctis patribus. Illi submisse dicunt, quia de rebus paruis, vtpote pecuniarijs putant se agere. Granditer verò, quia de rebus magnis, vtpote de salute & capite hominum agitur. Vbi verò nihil horum agitur, sed tantummodo vt delectetur auditor, temperatè seu moderatè loquuntur. Isti autē nostri siue canonici, siue ecclesiastici patres, referentes omnia quæ dicunt ad hominum salutem, nec temporariam, sed æternam, vbi etiam cauendus est ęternus interitus & ignis inextinguibilis: omnia æstimant magna, quæ dicunt, etiam in rebus minimis: propter fidem, iustitiā, charitatem, pietatē, quæ magna sunt, etiam in rebus quàmlibet paruulis. Neq; enim parua est iustitia, quam & in parua pecunia debemus custodire, dicēte Domino: Qui in minimo fidelis est, & in magno fidelis est. Nam sicut ratio rotūditatis eadē est & in magno disco, quæ & in nummulo exiguo, vt à puncto medio omnes lineæ in extrema ductæ sint pares: Ita vbi parua iustè geruntur, non minuitur iustitiæ magnitudo. De iudicijs secularibus seu pecuniariis cùm loqueretur Apostolus granditer loquitur, vt vinceret & flecteret auersos illorum hominum

D animos. Audet (inquit) quisquam vestrum, habens negotium aduersus alterum iudicari ab iniquis, & non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundū iudicabunt? Si in vobis iudicatur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quia angelos iudicabimus, nedum secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis, eos qui contemptibiles sunt in ecclesia, hos constituite ad iudicandū. Ad reuerentiā vobis loquor. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare, sed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infidēles. Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscū. Quare non magis iniquitatē patiminī? Quare non potius fraudaminī? Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis, & hoc fratres. An nescitis quia iniusti regnum Dei non possidebunt? Quid est quod sic indignatur Apostolus? sic corrigit? sic exprobat? sic increpat? sic minatur? Quid est, quòd sui animi affectum tam crebra, tam aspera vocis mutatione testatur? Quid est postremū, quòd de rebus minimis tam granditer loquitur? Tantum negotia secularia hoc meruerunt? Absit. Sed hoc facit propter iustitiam,

1. ad Timo. 4. & 5. a
2. Timo. 1. c
2. Timo. 4. a
Ad Titum 1. b
Spūs sanctus homines per hominē docet
1. Cor. 3. b
Sententia 15. Cap. 18.
Luc. 16. c
1. Cor. 6. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. IIII.

tiam, charitatem, pietatẽ. Etiam calix aquæ frigidæ res minima est atq; vilissima, A
Matth.10.d non ideo tamen minimũ atq; vilissimũ est quod Dominus ait, q̃ eum qui dederit discipulo ipsius, non perdet mercedem suam. Quamobrem cùm doctor in ecclesia tacit inde sermonem, non debet existimare se paruum aliquid dicere. Et ideo sibi hoc non granditer, sed submisse esse dicendum. Nonne quando accidit, vt de hac re loqueremur (inquit Augustinus) ad populũ, Deus adfuit vt non incõgruè diceremus, tanquam de illa aqua frigida quædam flamma surrexit, quæ etiam hominum frigida pectora ad misericordiæ opera facienda, spe cœlestis mercedis
Sententia 16. quod doctor Ecclesiasticus nõ semper gtãditer dicturus est. Cap. 19. accenderet. Sententia decima sexta: Ecclesiasticus doctor cùm debeat esse doctor magnarum rerum, & earum quibus liberamur ab æternis malis, & ad æterna peruenimus bona, non semper tamen debet res magnas granditer dicere, sed submisse, cùm aliquid docetur: temperatè, cùm aliquid aut vituperatur, aut laudatur. Cùm verò aliquid agendũ est & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec B
tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos cõgruenter: & aliquãdo de vna & eadẽ magna re, & submisse dicitur, si docetur: & tẽperatè, si prædicatur: & granditer, si auersus inde animus, vt cõuertatur, impellitur. Submissæ dictionis exemplum est apud Paulum Apostolũ ad Galatas: Dicite mihi sub lege volentes esse, legem non legistis? Scriptum est enim,
Gala.4.c quòd Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, vnum de libera, &c. Temperatæ dictionis exemplũ est: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrẽ: iuniores, vt fratres. Grandis dictionis exemplum est: Quid ergo dicemus ad hæc? Si
1.Timo.5.a
Rom.2.f Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?
Sententia 17. Docẽdi genera alternanda. Cap.21. Quis accusabit aduersus electos Dei &c. Sententia decimaseptima: Genus C
granditer dicendi, neq; debet esse solum, neq; prolixum, sed trãsire in genus submissè aut temperatè dicendi. In grandi quoq; genere, aut semper, aut penè semper temperata debent esse principia. Deinde & genus submissè dicendi aliorum generũ interpositione debet variare, vt dictionis impetus, sicut maris æstus alternet. Proinde eum, qui intelligenter vult dicere submisso genere dicendi, etiam in reliqua duo debet intendere. Et quantum potest agere, vt etiam libenter & obedienter audiatur, interponendo singula dicendi genera certis, congruis, aut necessarijs locis. In potestate eloquentis est, vt dicantur nonnulla submissè, etiam quæ possent granditer dici, vt ea quæ dicuntur granditer, ex illorum fiant cõparatione grandiora.
Sententia 18. quãtũ habeat ponderis bona vita doctoris. Cap.27. Sententia decimaoctaua: Omni granditate dictionis vt obedienter audiatur, maius pondus habet vita dicentis. Nam qui sapienter & eloquenter dicit, viuit autem nequiter, erudit quidem dicendi studio, multisq; pro- D
dest: sed longè pluribus prodesset faciendo quæ dicit. Plerunq; fit, vt non obedienter audiant eũ, qui se ipsum non audit: & Dei verbũ, quod eis prædicatur, cum ipso prædicatore contemnant. Paulus ad Timotheum scribens, cùm dixisset:
1.ad Tim.4.c Nemo adolescentiam tuam contemnat: subiecit, vnde non contemneretur, atq; ait: Sed forma esto fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in fide, in castitate. Talis doctor vt obedienter audiatur, non solum submissè, verùm etiam granditer, non impudenter dicit, quia non contemptibiliter viuit: qui etiam in ipso sermone mauult rebus placere, quàm verbis, nec existimat dici melius, nisi
1.Cor.1.c quod dicitur verius, neq; ipse seruit verbis, sed verba facit seruire sibi. Hoc enim est quod ait Apostolus: Non in sapiẽtia verbi, ne euacuetur crux Christi. Ad hoc
2.Timo.2.c etiam valet quod ait ad Timotheum: Noli verbis contendere, ad nihil enim est vtile, nisi ad subuersionem audientium. Neque enim hoc ideo dictum est, vt aduersarijs veritatem oppugnantibus, nihil nos pro veritate dicamus: alioqui vbi erit, quod ipse Apostolus ostendens qualis debeat esse Episcopus, inter cætera ait,
vt potens

A vt potens sit in doctrina sana, & contradicentes possit redarguere. Verbis con- CAP. IIII.
tendere, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dic- Tit.1.b
tio dictioni alterius præferatur. Porrò qui non verbis contendit, siue submissè, siue temperatè, siue granditer dicat, id agit verbis, vt veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat, quoniam nec ipsa charitas, quæ præcepti finis est, plenitudo legis, vllo modo esse recta potest, si ea quæ placent & diliguntur, non vera, sed falsa sunt. Plurimum ergo prodest, & sapienter & eloquẽter dicere: sed qui vtrunq; non potest, dicat sapienter quod non dicit eloquẽter, potius, q̃ dicat eloquenter, quod non dicit sapienter. Si autẽ ne hoc quidem potest, ita conuersetur, vt non solùm præmium sibi comparet, sed etiam præbeat aliis exemplum, & sit ei quasi copia dicendi, forma ipsa viuendi. Sententia XIX: Sunt qui bene pronunciare possunt, quid autem pronuncient excogitare non possunt. Hi profectò si quod Sentẽtia XIX. Cap.19.
B dicant, ab aliis sumant, eloquenter sapienterque conscriptum, memoriæq; commendent, atq; ad populum proferant, si eam personam gerunt, non improbè faciunt. Nec deterrendi sunt isti voce Hieremiæ prophetæ, per quem Deus arguit Hiere.23.f
eos qui furantur verba eius, vnusquisque à proximo suo. Qui enim furantur, alienum auferunt, verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui obtemperant. Ille potius dicit aliena, qui cùm bene dicat, viuit malè. Hactenus generalia quædam dogmata, omnibus sacræ Theologiæ studiosis, scitu dignissima. Quæ sanè ego cernens in proprijs me pauperem, virtutibus & ornamentis eloquendi prorsus vacuum, sumpsi atq; collegi ex quatuor libris Augustini, illuminatissimi doctoris,
C cupiens regulis quibusdam atq; sentẽtijs, viisq; compendiosis, iterum atq; iterum inculcandis iuuare pia studia adolescentum: quibus forsitan vel neq; suppetit librorum copia, vel neq; adsunt singulis sanctorum scriptorum libris legendis, ac perdiscendis congrua temporum spatia, vel neq; est tanta ingenij perspicuitas & exercitatio, vt iam valeant in illis legendis proficere: quibus & his nostris sententijs viam quandam & manuductionẽ præparamus ascendentibus ad altiora. Doctis autem & eruditis videbuntur forsitan hæc superflua, habentibus iam exercitatos sensus tam in scripturis sacris, quàm in ecclesiasticorum patrum libris.

¶ *Secundus huius Libri Tractatus, in quinque Capita distributus, de obscuritatibus propter dictionem siue sermonem scripturæ sacræ.*

¶ *Primum Caput de homonymis, seu æquiuocis.*

Causæ obscuritatis in scripturis sacris.
D VOluminum obscuritas ex tribus fieri cõsueuit: vel rerum magnitudine, vel authoris dictione, non perspicuè eloquentis quod intendit significare, vel audientis seu discentis duritia, ac tarditate nimia. Quorum primum, magnitudinem inquam & sublimitatem rerum inesse scripturis sacris, ex superioribus est vtcunque manifestum, per sententias in primo capitulo præcedentis Tractatus recitatas ex 1. libro Augustini de Doctrina Christiana. Specialius tamen declarandum in 3. Tractatu subsequenti. Secundum etiam, sermonem videlicet obscurum inesse scripturis sacris, patet ex multis æquiuocationibus, amphibologiis, tropis, parabolis, & sermonum inuersionibus, quibus vsi sunt scripturæ sacræ authores: non quidem ex imperitia, quemadmodum pleriq; cæterarum rerum scriptores, sed ex spiritus sancti prouidentia. Quippe qui non aliter loqui debuerunt, quàm spiritus ille veritatis illis eloqui dabat: volens multa in eisdem scripturis esse obtecta, & ad edomandam nostro labore superbiam, & ad velandum ethnicis sacratissima fidei nostræ mysteria. Tertium, vtpote desidiam & tarditatem vincet quisque sacræ Theologiæ discipulus, intelligendi desiderio, orationum auxilio, & discendi studio assiduo. Prosequentes ergo diuisionem Augustini in superioribus traditam, dicimus scripturas sacras bifariam esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

difficiles: videlicet aut propter signa incognita, aut propter res ipsas in se difficiles. De vtrisque generalia quædam dogmata ad iuuandum studia adolescentum, sumpsimus ex libris Augustini, de Doctrina Christiana. Reliquum est iam ad specialia quædam descendere. Seruantes autem ordinem in principio huius libri præscriptum, in hoc secundo tractatu speciales quasdam obscuritates & difficultates, quæ in scripturis contingunt propter incognita signa commonstrabimus: & primùm quasdam dictiones æquiuocas ostendemus, propter quarum inconsiderantiam solent plerique lectores aut turbari, aut deuiare à vero scripturarum intellectu. Primùm in scripturis sacris nomina propria, aut regum, aut locorum, aut vrbium, aut aliarum rerum solent conturbare lectorem, & magnos ingerere difficultatum scrupulos. Apud Ægyptios Pharao erat nomen proprium regiæ dignitatis, & idcirco apud eos multi reges Pharaones. Apud Persas autem & Medos reges appellabantur Darij, & Xerxes, Artaxerxes, vocati ab Hebræis Assueri. Apud Babylonios multi Nabuchodonosor. Apud Syrios omnes reges Antiochi. Apud Ægyptios multi Ptolemæi. Apud Iudæos sub Babyloniis, multi Ieconiæ reges. Apud Iudæos sub Romano imperio multi Herodes. Sic & dicuntur duæ esse Galileæ, duæ Bethleem, duæ Salem. Quibus fit, vt nomina æquiuoca, tum vrbium, tum regionum ac prouinciarum, tum hominum, multos à vero scripturarum intellectu fecerint deuiare, qui existimauerunt de vno aliquo aut loco, aut Rege, aut homine dici, quæ de pluribus dicta debent intelligi. Quod non solùm in sacris, sed in aliis quoque rerum prophanarum historiis accidit. Ex chronographia Philonis, & chronographia historiarum secundùm successionis seriem habemus tres Herodes, quorum primus Ascolonita alienigena, qui Hircano vltimo Iudæorum duce atque pontifice à Parthis capto, iubente senatu Romano, inuitis Hæbræis, regnum eorum tyrannicè occupauit, qui & (vt inquit idem Philo) collegium sceptri de domo Dauid deleuit, Hircanum pontificem à captiuitate reuersum, & filium, filiosque filiæ interfecit. Hic est Herodes alienigena, sub quo natus est Christus, qui & infantes iugulauit in Bethleem Iudæ, qui vt (inquit Eusebius) anno 6. à natiuitate Christi morbo intercutis, atque scatentibus toto corpore vermibus, miserabili morte periit. En vides ex testimonio Philonis Iudæi, sceptrum Iudęorũ de domo Dauid seu Iudæ translatum esse in ditionem Romanorum. Habes itaq; argumentũ robustum contra Iudæos, temporibus Christi nati impletam esse prophetiam Moysi: Non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est. Secundus fuit Herodes tetrarcha, superioris filius, qui non rex totius Iudęæ, sed quartæ partis Iudęæ princeps constituitur, gubernans annis 24. qui & Iohãnem Baptistam decollauit. Hic etiam damnatus perpetuo exilio, grauiter cruciatus interiit. Tertius fuit Herodes Agrippa, qui occidit Iacobum fratrem Iohannis gladio, & Petrum clausit in carcere: qui & sibi diuinum honorem tribuens, confestim percussus ab angelo Domini, consumptus à vermibus, expirauit, vt dicitur Actuum 12. Alius ergo Herodes, de quo dicitur Matthæi 2. alius Herodes, de quo dicitur Matthæi 11. & de quo dicitur Lucæ 22. & alius de quo dicitur Actuum 12. vnus enim & idem fuit Herodes, qui occidit Iohannem & Christum illusit. Item alius Nabuchodonosor magnus, de quo 4. Regũ 24. Hieremiæ vltimo, Danielis 1. & 2. qui destruxit templum, & transtulit Iudam in Babylonem: cuius nepos succedens ei in regnum, nomine Balthasar, fuit à Dario & Cyro interfectus. Alius verò Nabuchodonosor successor Cyri, de quo Iudith primo & secundo, qui primi Esdræ 4. vocatur Assuerus. Præterea alius est Assuerus, de quo Danielis 9. In anno primo Darij filij Assueri, de semine Medorum. Hic Assuerus Darii pater fuit alio nomine vocatus Histaspes. Alius Assuerus de quo 4. cap. primi Esdræ. Alius verò & posterior illo

De obscuritate propter incognita signa.

De æquiuocis propriorum nominum.

De nominib⁹ regũ ver. testa.

Tres Herodes in scripturis.

Sceptrum Iudæis ablatum ante Christũ natum. Genes. 94.

Multi Nabuchodonosor.

Multi Assueri.

A

B

C

D

A or illo est Assuerus, de quo in libro Hester, quemadmodum in libro primo demonstrauimus. Alius Ioacim, per cim in fine, qui fuit filius Iosiæ, qui & Eliacim appellatur, 2. Paralipomenon 36. qui & ducitur in Babylonem cum vasis domus Domini, & Daniel, Assarias, & Misael cum illo, Danielis 1. Vocatus est etiam apud Matthæum Ieconias. Alius Ioachin, per chin in extrema syllaba, qui & fuit prædicti Ioacim filius. Alio nomine etiam appellatus Ieconias, vt patet Hieremię 22. *Si fuerit Ieconias filius Ioacim regis Iuda, annulus in manu dextra mea, inde euellam eum.* Qui itidem ducitur in Babylonem captiuus cum cæteris vasis. Et hoc quidem, vt testatur Hieronymus cum Ezechiele & Mardochæo, in cuius locum substituitur Sedechias. Vnde Ieconias sub eodem contextu in scripturis æquiuocè capitur, vt apud Matthæum. Alius Ieconias de quo dicitur: Iosias genuit Iechoniam. Alius Ieconias, de quo posteà dicitur: Post transmigrationem Babylonis

B Ieconias genuit Salathiel. De quo tractat Hieronymus in principio Danielis, tradens apud Matthæum vnam generationem deesse. Hactenus innumerabiles codices mendosæ scripti confusionem fecerunt studiosis, habentes duos istos reges similibus nominib⁹, cũ tamen pater scribi debeat per cim, & filius per chin. Ioacim est, de quo dicitur Danielis 1. Anno tertio regni Ioacim regis Iuda, venit Nabuchodonosor. Ioachin verò superioris Ioacim filius est, de quo scribitur Ezechielis primo: In quinta mensis quinti anni transmigrationis regis Ioachin, factum est verbum Domini ad Ezechielem. Hæc nisi diligens lector obseruauerit, videbuntur scripturæ inter se pugnare, quia Ioacim vndecim annis regnauit, priusquàm contra illum veniret Nabuchodonosor, vt patet 2. Paralipomenõ 36. Ioachin autem filius eius tribus mensibus & decem diebus regnauit. Cumq; volueretur anni circulus, venit cõtra eum Nabuchodonosor, vt similiter patet 2. Paralipomenon 36. Hæc autem si eadem vtrobique intelligeretur persona, non videbũtur posse stare cum eo, quod in principio Danielis dicitur: Anno tertio regni Ioacim venit Nabuchodonosor, & obsedit Hierusalem, & tradidit Dominus in manum eius Ioacim. Nec item cum eo quod Hieremiæ 25. dicitur, quòd annus quartus regni Ioacim, fuerit annus primus regni Nabuchodonosor. Si autẽ ex 2. Paralipomenon 36. consideremus vtrunq; fuisse à Nabuchodonosor captiuum, & Ioacim patrem Ioachin fuisse sub Nabuchodonosor tribus annis regni tributarium in Hierusalem, vt dicitur 4. Regum 24. facilè intelligemus quid in Daniele dicitur: Anno tertio regni Ioacim regis Iuda venisse Nabuchodonosor, accipiendum esse de anno tertio regni sui tributarij. Item alius fuit Antiochus Soter, huius nominis primus, Seleuci filius, alij cæteri Antiochi quinque sequentes

D Syriæ reges, inter quos penultimus Antiochus illustris radix peccati: qui & postquam percussit & subiugauit Ægyptum, ascendit Hierusalem in multitudine gra ui, intrans sanctuarium in superbia, accipiens omnia vasa templi, & fecit cædem magnam: qui & abiens in terram suam, post annos duos misit principem tributorum, qui intrauit ciuitatem sanctam, succendit illam, & destruxit muros, ponens illic gentem peccatricẽ, cogens Iudæos seruare gentilium ritus: cui & multi ex Israel consenserunt, & sacrificauerunt idolis, primi Machabæorum primo. Insuper alius fuit Darius Medus, Cyri auunculus, vel vt alij putant, patruus, qui cum eodem Cyro Chaldæos, Babyloniosque superauit, & Balthasarem interfecit, qui & Danielem in lacum leonum iussit mitti, & illæsum præseruatum extraxit de lacu, decernens vt in vniuerso regno paueant Dominum Deum Danielis. Sub cuius Darij anno primo regni facta est reuelatio de numero septem hebdomadarum, & visio de nouissimis temporibus, & de Antichristo. Cui duobus annis regnanti super Chaldęos successit Syrus, qui dedit Iudæis in Babylone captiuis licentiam redeundi in Hierusalem, & ædificandi templum: qui accusatione

aduer-

CAP. I.

Multi Ieconiæ

Matth. 1.

Multi Antiochi.

Multi Darij in scripturis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC. aduersus Iudæos ab hostibus Iudæorum accepta, rursus impediuit idem templum ædificari. De quo Dario & gestis illius habes Danielis 5. & 6. & sequentibus capitulis. Et de Cyro, 1. Esdræ 1. 2. 3. & 4. capitulis. Alius verò Darius, rex Persarum, longè posterior, vtpote post Cyrum secundus, qui cognominatur Longimanus, de quo primi Esdræ 4. 5. & 6. & Aggæi 1. 2. & Zachariæ 1. & sequentibus capitulis. Alij rursus fuerunt Darij successores, vtpote Darius Nothus, cuius scriptura non meminit, & Darius Mnemon, qui iuxta chronograph. Philo. in libro Hester vocatur Assuerus, & 1. Esdræ 7. vocatur Artaxerxes magnus, rex regum. Postremum, alius est Darius vltimus, de quo 1. Machabæorum 1. dicitur, quòd interfectus sit ab Alexandro rege Macedonum: qui sanè Alexander Magnus, quia transtulit, vt inquit Metasthenes, imperium in Græcos, idcirco 1. Machabæorũ 1. dicitur primus regnasse in Græcia, quia illic primus regnauit vt Monarcha. Hactenus de Dariis multis. Iam de Artaxerxibus: Alius Artaxerxes, de quo primi Esdræ 4. In regno Assueri ipse est Artaxerxes, qui & Cyro successit, sub quo & historia Iudith contigit. Vnde & quemadmodum suprà patuit, idem Artaxerxes in eadem historia Iudith, ipse est qui vocatur Nabuchodonosor. Alius verò Artaxerxes illius successor, qui 1. Esdræ 4. & 5. alio nomine vocatur Darius. Alius Artaxerxes Magnus, de quo & 1. Esdræ 7. & 2. Esdræ 2. Factum est in mense Nisan, anno 20. Artaxerxis regis, & viuum erat ante eum. Iste apud Græcos vocatur Artaxerxes Darius Mnemon, sub quo constructa sunt mœnia ciuitatis Hierusalem. Quòd autem iste Artaxerxes fuerit alius & posterior Artaxerxe Longimano, colligi potest ex duobus. Primùm quòd ædificatio hæc murorum Hierusalem facta sit in diebus Eliasib pontificis, qui (tametsi Eusebius & ipsius sequaces aliter sentiant) non sub Artaxerxe Longimano, sed sub Artaxerxe Mnemone pontificatũ gessit. Deinde quòd & hoc indicant verba ipsius sacræ scripturæ, 1. Esdræ 7. in principio capitis: Post hæc verba, inquit, in regno Artaxerxis. apertè insinuans alium fuisse Darium, de quo locutus fuerat: alium Artaxerxem, de quo postea sermonẽ sit habiturus. Sic & in scripturis Assueri multi. Alius Assuerus, de quo dicitur Danielis 9. In anno primo Darij filij Assueri. Alius qui vocatur Assuerus, 4. Esdræ 1. Alius insuper, qui vocatur Assuerus in libro Hester, in Daniele Assuerus vocatus est Astyages auus Cyri. In 1. Esdræ 4. Assuerus vocatur Darij Medi filius, in regnum successor Cyri. In Hester autem Assuerus est longé posterior, Darius videlicet Mnemon. Item, alius Nathan filius Dauid, qui & ponitur in genealogia Christi, Lucæ 3. Alius Nathan Propheta, quemadmodum docet Augustinus lib. 2. Retractationum, cap. 16. Insuper alia est Salem iuxta Iordanem, pertinens ad Sychimitas in tribu Effraim, de qua Iohãnis 3. dicitur: Erat Iohannes baptizans in Eimon iuxta Salem. De qua & Geneseos 39. Venit Iacob in Salem, vrbem Sichomorum. Alia verò Salem, vbi nunc est Hierusalem, & vtranque Salem credimus esse Sacerdotalem, & fundatã ab ipso Melchisedec, qui & proinde rex Salem appellatur. Sic nonnulli patres olim vt concordarent Euangelistas, suspicati sunt duas fuisse Marias Magdalenas, quemadmodum Ambrosius super Lucam: & ipse item Hieronymus ad Hebidiam recitat quosdam contendere, duas fuisse Magdalenas, de eodem vico Magdalo. Item Origenes super Cantica, duas fuisse suspicatur: vnam, quæ peccatrix vnguentum super pedes effudit: alteram, quæ non peccatrix super caput Iesu vnguentum effudisse monstratur. Sed hanc sententiam refellit Augustinus, nec eam approbat ecclesiastica consuetudo. Huius generis sunt multa in scripturis æquiuoca, quæ recensere prolixũ foret. Ex suprà dictis patet, quòd non solùm multi reges appellantur nomine vno, sed & vnus & idem nominibus multis est appellatus. Apud Persas idem rex vocabatur Darius, Xerxes, Artaxerxes, qui & apud Hebræos vocabatur Assuerus. Vnde & aliud iam docu-

A

B

C

D

Multi in scripturis Artaxerxes.

Aedificantur muri Hierusalem.

Multi Assueri in scripturis.

Multi Nathan.

Multæ Salem.

De duabus Magdalenis.

Vt multi reges eodem nomine, ita vnus pluribus appellatur nominibus.

documentum est obseruandum. Quemadmodum lectorem sacræ scripturæ studiosum oportet vigilare, ne in vno nomine fallatur, in diuersis locis pro diuersis rebus accepto: Ita & oportet vigilare, ne fallatur in diuersis nominibus, eandem rem significantibus. Non modò apud Persas, verùm & apud regiones alias, vnus & idem rex binominis, trinominis fuit. Vnus & idem rex, vt iam patuit, & Darius, & Xerxes, & Artaxerxes, & Assuerus dictus fuit. Sciendum est enim, huiusce modi nomina Xerxes, Artaxerxes, non propriæ, sed communis qualitatis esse. Et quemadmodum Berosus in libro suæ chronographiæ docet, Xerxes interpretatur victor seu triumphator: Artaxerxes, bellator, & victor maximus. Artaxerxes ab Hebræis (inquit Hieronymus) appellatur Assuerus. In 2. Paralypom. Ochosias rex fuit trinominis, 21. cap. appellatur Ioachim, in sequenti capite appellatur Ochosias, & alibi etiam nominatur Asarias. Item qui apud Matthæum appellatur Ieconias, apud Lucam 3. capite dicitur Neri, in libris Regum & Paralipomenon vocatus Ioachim. Et qui apud Matthæum & Lucam vocatur Zorobabel, in 3. cap. Neemiæ vocatur Barachias. Qui autem Salathiel, dicitur Mesezebeel. Is autem quem Lucas vocat Resam, 2. Paralipomenon cap. 4. & Neemiæ. 3. dicitur Misciolla. Proinde quod illic dicitur: Misciolla filius Barachiæ. filij Mesezebeel, idem est ac si diceretur apud Lucam, Resa filius Zorobabel, filij Salathiel. Et hæc sic sese habere patet ex chronographia Philonis Iudæi citantis septuaginta seniores. Solet dici, ꝙ Hiebus, Salem, Syon, Moria, Hierosolyma, Hieruſalem, eiusdem vrbis sunt nomina. Sed sciendum est, quòd quadriurbs potius fuit regia Hierosolyma, constans ex Salem, Syon, Hiebus & Moria. Salem erat iuxta vallem Iosaphat, Hiebus in parte superiori, quasi arx, & hęc dicitur secunda vrbs, 4. Regum 22. In qua superanda Dauid vires adhibuit. 2. Regum 5. Tertia vrbis pars fuit arx Syon, quam cepit Dauid, & ædificauit per gyrum, & vocauit eam ciuitatem Dauid. Quartam partem voluit Dauid in colle Moria ædificare cum templo, vt vrbem Hierusalem faceret tetrapolim: sed prohibuit eum Deus per Nathan. Idem Iacobus Alphæi, Iacobus frater Domini, Iacobus cognomento iustus, qui & primus fuit Hierosolymorum episcopus. Dicitur quidem Iacobus Alphæi, id est, filius Alphæi, habens patrem nomine Alphæum. Frater Domini, quia filius sororis Mariæ virginis: quàmuis Ambrosius in commentariis ad Galatas existimet, quòd Ioseph Mariæ vir anteà habuerit vxorem, ex qua genuerat Iacobum, & idcirco ipsum Iacobum congrua ratione appellatum fratrem Domini, propterea quòd filius fuit putatiui patris Christi: quam opinionem recitat & Hieronymus, sed eam refellit aduersus Heluidium. Possumus, inquit, hac æstimatione possibilitatis contendere, ipsum Ioseph plures habuisse vxores, quemadmodũ & plures habuit Abraham, plures habuit Iacob, & de his vxoribus esse fratres Domini: quod plerique non tam pia quàm audaci temeritate confingunt. Ego autem mihi vendico etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, eumque custodem potius fuisse Mariæ, quàm maritum: qui pater Christi meruit appellari, vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Eundem igitur credimus esse fratrem Domini, & Iacobum Alphæi. Vnde sciendum est, ꝙ in scripturis frequens est eiusdem rei seu sententiæ repetitio, nunc in diuersis locis, temporibus, nunc simul in eodem sententiarum contextu: & id quidem interdum per easdem voces, interdum per diuersas. Et idcirco non oportet sacræ Theologiæ studiosum vbique curiosius immorari ad inueniendum sentẽtias nouas, in vocibus seu orationibus multiplicibus. Quæ in vno scripturæ loco vocantur litera & spiritus, in alio vocantur lex & gratia, quemadmodum docet Augustinus. Verum quidem est, quòd in sacris scripturis apex vnus, aut iota vnum non præteribit à lege, donec omnia fiant, quia etiam quæ minima putantur in lege, sacramentis spiritualibus

A

B

C

D

CAP. IIII.

Vno nomine diuersa significari in script.

Ochosias trinominis.

Nomina Hierusalem.

Ciuitas Dauid

Nomina Iacobi Alphæi apostoli.

Galat. 1.

Frequẽter eadem diuersis tamen oratiõnib⁹ in scripturis repetuntur per epimonẽ.

Lib. 15. contra Faust. cap. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus sunt plena. Neque est quicquam in lege Moysi promissum aut proditum, quod Euangelium non absoluat. Omnia quæ in lege sunt sub vmbris designata, etiam quæ minima videntur, recapitulantur in Christo. Sed non inde consequens est, diuersas orationes in eodem contextu sibi cohærentes, semper oportere diuersas intimare sententias. Nam & species quædam est tropi, dicta epimone: quæ exaggerat crebrò sententias easdem, tum ad significandum vehementiâ, nunc in laudem, nunc in vituperationem: tum ad excitandum lectores & auditores. Est autem mos iste frequens in Psalmis & Prophetis, in quibus plerunque non alij sed eadem diuerso modo, aliis verbis, diuersis tropis, figuris & metaphoris repetuntur. Ideo autem frequentius, quia oportet sæpius eadem cœlestia commemorari nobis, quæ mundus, caro, & diabolus cogunt nos obliuisci, conantes de cordibus nostris tollere semen verbi Dei. Deinde & omnia sic multipliciter dicuntur, vt varietas locutionum fastidium tollat. Vnde & in Psalmis Christus multa sortitur nomina. Appellatur verbum Dei, nomen Dei, salutare Dei, brachium Domini, dextera Domini, lumen gentium. Insuper & lex Dei dicitur in scripturis via, testimonium, iustificatio, iudicium, mandatum, præceptum, sermo, eloquium, testamentum. Hæc omnia sunt vnius rei nomina multa, rationes autem plures: vnius rei, inquam, videlicet, legis Dei, accipiendo legem pro toto sermone, quem locutus est Deus per Moysen. Vnde & plerisque in locis, vbi nos legimus iustificationes, & testimonia tua, Hieronymus habet mandata tua, & iudicia tua. Et vbi nos habemus: Vt custodiam sermones tuos, Hieronymus habet: Vt custodiam verba tua. Vbi nos dicimus: Ad custodiendas iustificationes tuas, Hieronymus habet: Ad custodiendum præcepta tua. Idem proinde est, si dixerimus: Lex tua meditatio mea est. &: Testimonia tua meditatio mea est. &: Meditabor in iustificationibus tuis. Idem insuper est: Docebit mites vias suas. &: Docebit mites sermones seu iustificationes suas. Verùm hæc omnia non de lege sola literaliter intellecta sunt accipienda, tanquam propheta Dauid in nuda cognitione legis veteris consistentis in præceptis & sacrificiis illis scriptis, tantopere fideret aut meditari desideraret: sed sunt accipienda de lege secundùm spiritum intellecta, ex omnibus legis illius cæremonijs & sacrificijs transiens in Christum, qui finis est legis, & forma, & perfectio legis. Proinde non est arbitranda absurda interpretatio eorum, qui per viam intelligũt ipsum Christum. Veluti cùm dicitur: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. Et lex ipsa, ipse Christus alibi intelligitur: Lex Domini immaculata, conuertens animas. Vnde omnia sacramenta & mandata legalia apud Prophetam appellantur fidelia, propterea quòd veraciter in Christo adimpleta, confirmata in veritate & æquitate, cuius & causam mox secutus adiecit: Redemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum, dedit escam timentibus se: dedit, inquam, instituens calicem noui testamenti celebrandi in commemorationem mortis suæ, vsque in consummationem seculi. In Prophetis igitur & Psalmis, sub eodem contextu sententiarum est frequens repetitio eiusdem rei sub nominibus multis & diuersis, sub tropis ac figuris variis, tanquam sit res alia & alia, quæ tamen eadem in omnibus intelligitur, diuersis rationibus cõsiderata. Sic in Psal. 67. eadẽ res, vtpote Ecclesia Christi, vocatur domus Dei, & hæreditas Dei, mons Dei pinguis, currus decem milibus multiplex, & columba deargẽtata.

Hactenus de nominibus propriis æquiuocis pauca quædam, & ea quidem generalia, & de multis vocabulis quibusdam, tam propriis, quàm communibus, ad eandem rem pertinentibus: ex quibus lector, quid in cæteris similibus sit obseruandum, potest considerare, Iam de nominibus & verbis quibusdam communibus, variè in scriptura acceptis, videamus. Verùm hic duo sunt præmittenda.

Nomina Christi in scriptura

Lex variè in scripturis nuncupatur.

Psalm. 118.

Psalm. 18. b

Psalm. 110.

In

CAP. I.

Denominibus & verbis communib⁹ varie in scriptura acceptis.

In primis sciendum est, non ideo oportere vocabulum esse æquiuocum, quia reperitur multis attributum, & nunc in bonam, nunc in malam partem acceptum, dum multa illa cõueniunt in generali aliqua ratione substantiæ significatę secundum nomen illud. Neque enim tristitia est æquiuocum, propterea quòd Paulus distinguit eam in tristitiam seculi, quæ mortem operatur, & in tristitiam secundum Deum, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Quemadmodum neque dilectio aut fruitio æquiuocè accipitur, propterea quòd alia sit crassa, & carnalis, & vitiosa: alia spiritualis, bona, & laudabilis. Multa sunt finium genera. Est finis temporis, finis operationis, finis motus, finis ambulationis, finis spatij. Dabo pacem in finibus vestris. Regina Saba venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. In omnibus huiusmodi locutionibus finis est quælibet extremitas rei. Quæ res si sit sola duratio aut motus, dum finitur perit ac transiit. Secundum aliam verò rationẽ finis actionis aut alterius rei dicitur id, cuius gratia actio facta est, veluti finis ambulationis est sanitas. Sic fidei finis (inquit Apostolus) est salus animarum, finis legis Christus. Aliter (inquit Augustinus) dicitur finis, qui pertinet ad consummationem seu perfectionem rei: aliter, qui pertinet ad consumptionem: aliter finitur tunica texendo, aliter vrendo, sicut cibus finitur dum consumitur. Apostolus cùm dicit: In Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine. Primitiæ dormientium Christus. Deinde hi, qui sunt Christi. Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo patri. Finem appellat, finem mundi, aut interitum: non regni Christi, sed mortalitatis eius, corruptionis, belli, luctæ, & militiæ contra aduersarios. Sed non inde consequens est, finem in omnibus illis rebus accipi æquiuocè. Sic solent distinguere doctores, aliam esse confessionem laudis seu gratiarum actionis, aliam verò confessionem peccatorum. Sed non ideo æquiuocè ad hæc dicitur, cùm vtrobique significet spontè fateri, affirmare seu agnoscere in laudem eius, cui confitemur: siue bonum quod accepimus, agentes gratias ei qui dedit: siue malum quod fecimus, ad pœnitentiam nostram qui fecimus. An autem scripturæ locus intelligatur de laudis, an de pœnitentis confessione, regulariter deprehenditur ex his quæ cõsequuntur. Veluti cùm dicitur: Confitebor aduersum me iniustitiã meam. Confitemini alterutrum peccata. vbi manifestum est confessionem esse gementis. Quum autem dicitur: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniã audisti verba oris mei. manifestum est confessionem esse gratiarum actionis. Sic alia est solicitudo prohibita, de qua dicitur: Volo vos sine solicitudine esse. Et iterum: Nolite soliciti esse quid manducetis aut bibatis. Alia verò præcepta, de qua dicitur: Solicitudine non pigri. Et iterum: Solicitè ambulate cum Domino Deo vestro, omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum. Sed non inde consequens est, quòd in huiuscemodi scripturis nomen solicitudinis sit æquiuocè acceptum: sed quòd sollicitudinis multæ sint species in genere moris, videlicet bona & laudabilis, cùm soliciti sumus supra id quod bonum est, aut habendum, aut conseruandũ, & cùm curam gerimus contra pericula peccati & æternæ mortis. Alia est solicitudo praua, insuper & mala, quæ est de rebus huius mundi fruendis & diligendis. Siue in bono, siue in malo sit solicitudo, non est aliud, quàm anxia inquietudo, seu vehemens mentis cura. Qui capit vxorem, solicitus est de his quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Qui autem sine vxore est, solicitus est de his quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo. Sic in scripturis sacris geminæ sunt hebdomadę. Sunt enim hebdomadæ annorum, quarum quælibet continet annos septem, quemadmodum patet Leuitici 25. de quibus & loquitur scriptura Danielis 9. Sunt & hebdomadæ dierum, quarum quælibet continet dies septem, de

Confessio in scripturis geminata.

Psalm. 5. Iac 5. d

Psalm 117. Psalm. 110.

Solicitudo.

1. Cor. 7 Matth. 6 Rom. 12

1. Cor 9. f

Hebdomada

O quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

quibus legitur Geneſis 29. Nec inde ſequitur nomen hebdomadæ æquiuocè acceptum. Significat enim ſignificatione generali ſeptenarium numerum ſiue dierum, ſiue annorum, ſiue etiam aliarum rerum, quemadmodum apud Aulum Gellium legitur, ſeptuaginta librorum hebdomadas. Secundò ſciendum, nos non velle ad locum iſtius capituli ſpecialiter pertinere vocabula per metaphorã dicta, qui facturi ſumus de his caput tertium ſpeciale: nam & talium infinita eſt ſylua. Neque eſt vllum opus corporale, neque res vlla corporalis, ſiue ſubſtantia ſit, ſiue accidens, ſiue animata, ſiue inanimata, quæ non propter ſimilitudinem quandam transferatur interdum in ſcripturis ſacris ad rem myſticam, ſiue in anima, ſiue in Chriſto, ſiue in Eccleſia Chriſti, ſiue in diabolo, & miniſtris eius. Singula corporis membra, tam interna, quàm externa: vt renes, venter, præcordia, oculi, aures, os labia, dentes, lingua, manus & pedes. Horũ inſuper officia & qualitates: vt videre, audire, guſtare, calidum, frigidum, tepidum, in ſcripturis ſacris transferuntur ad inuiſibilia quædam in anima incorporali, inuiſibili, quæ ſuas habet partes, ſeu vires, ſeu oſſa, id eſt potentias ſuas, operationes ſuas, qualitates, ſuis veſcitur cibis atque alimentis. Singuli corporis morbi ad animæ vitia referuntur: leproſi, hydropici, paralytici, cæci, luſci, lippi, ſurdi, muti. Claudi in ſcripturis dicuntur non ſolùm, qui corporibus ſic ſunt vitiati: ſed qui mentibus ſunt corrupti, & moribus deprauati. Quòd ſi ſecundùm hiſtoriam vel ad illos, vel de illis, qui tales ſunt corpore, loquatur ſcripturæ ſermo, in ipſis voluit deſignare eos, qui tales ſunt mente. Habet os ſuum anima, habet linguam, labra, & dentes, habet ſuas nares & aures, habet ventrem, oſſa & renes. Inſuper & ipſa anima nunc frigida eſt, nunc calida ſeu feruida, nunc tepida, non cæca, ſurda & muta. Et hinc iam intelliguntur ſcripturæ Prophetarũ prophetantium ſub Chriſto rege, futurum eſſe tempus, in quo ſurdi eſſent audituri, cæci reciperent viſum, & claudi ambularent: quæ etſi ſecundùm literam ſunt per Chriſtum & Apoſtolos in nomine eius corporaliter adimpleta, magis tamẽ magnificè ſpiritualiter ſunt ad impleta, quotidieq; adimplentur, & complebuntur vſq; ad conſummationẽ ſeculi. Qui erant ſurdi ad percipiendum verba ſalutis, quotidie audiunt, cæci quotidie lumen ſalutis vident. Ad epiſcopum Eccleſiæ Laodiceæ loquitur Deus per ſeruum Iohannem in Apocalyp. Scio opera tua, neque calidus es, neque frigidus: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis, diues ſum & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me argentum ignitum, probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat dedecus nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos tuos vt videas. Ecce ſto ad oſtium & pulſo. Si quis aperuerit mihi ianuam, &c. Facilè poteſt mens ſtudioſi lectoris etiam mediocriter erudita ad harũ ſcripturarum intellectum peruenire, dum ex officiis & proprietatibus corporalium rerum tranſit in cognitionem aut cœleſtium, aut inuiſibilium. Verbi gratia, auris, oculus, guſtus in corpore ſunt, quibus ſentiuntur ea, quæ foris ſenſibus noſtris obiecta, corpus noſtrum vel oblectant, vel contriſtant. De corporis ore loquebatur Chriſtus: Quod intrat in os non coinquinat hominem. Intus autem in anima auris, oculus, aut guſtus, non eſt corporeum organum, ſed vis ipſius rationalis animæ, intendentis in ea quæ ſibi oſtenduntur, proponũtur, ſuggeruntur aut immittuntur: vel conſentientis in opus quoduis, aut bonum, aut malum. De ore ſic accepto continuò ſubiunxit: Quod exit de ore coinquinat hominem. En vides in eodem ſermonis contextu tranſitũ fieri de ore corporis ad os animæ. Neq; enim voluit Saluator dicere: Quando manducas & bibis non coinquinaris: ſed quando vomis aut ſpuis coinquinatus efficeris. Sed ſignificabat hominem coinquinari proprio corde conſentiente in furtum, vel adulterium, aut aliud malum perpetrandum.

Secundò præmittitur. De vocabulis metaphoricè acceptis.

Officia animæ nominibus rerum corporalium ſignificari.

Apoca.3.c

Quid auris, os, oculus interior.

Matth.15.b

A B C D

petrandum. De ore ſic accepto per omnem fermè locum ſcripturæ loquuntur: Os iuſti meditabitur ſapientiam. Dilata os tuum, & implebo illud. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, hoc eſt, cor noſtrum. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. Hyperbolicè & metaphoricè loquitur, tanquam dicat: Corda ſua exaltatione ſuperba ſtatuerunt tanquam eſſent cœleſtia numina, blaſphemantes Deum, & æſtimantes non eſſe vllam Dei prouidentiam. Et lingua eorum, id eſt, affectus & deſideria tranſeunt in terra, hoc eſt in carnis & huius terræ delicias. Ponunt & iuſti os ſuum in cœlum, dum ſurſum habent corda ſua ad Dominum. Sic videre, audire, & guſtare quàm ſuauis eſt Dominus, poſſunt etiam hi, qui ſunt corpore ſurdi, cæci, aut muti. Sic quoq; calidum eſſe in anima, eſt feruere igne ſpiritus dilectionis. Eſſe autem frigidum, eſt concuti ſpiritu timoris diuini iudicij. Tepidum eſſe, eſt neque dilectione affici, neque timore conturbari. Quibus conſideratis patet ſupradictæ ſcripturæ ſenſus: Vtinam calidus eſſes aut frigidus: ſed quia tepidus es, incipiam te, &c. In huiuſcemodi metaphoris debet quiſq; ſacræ Theologiæ ſtudioſus occupari, aut ſolicitus eſſe, non vt diſcat à Grãmaticis tales multas vocabulorum æquiuocationes aut ſignificationes: ſed vt ab eiſdem Grammaticis intellecta re propriè ſignificata ſecundùm vocabulorum vires atque originem, attendat eiuſdem rei proprietates, conditiones, qualitates, & actiones. Et ex illis ſecundùm aliquam ſimilitudinem inuentam, quærat propoſitæ ſcripturæ ſenſum: conſiderans in eodem ſcripturæ loco priora, extrema, & media. Exempli cauſa: diues à diuo appellatur, eò quòd diues quaſi Deus nihilo indigere videtur. Hinc diuites in ſcripturis appellantur in malam partem elati, inflati, ſuperbi, abundantes ſtatu ſuo, qui ſeſe beatos æſtimant, cùm fruuntur bonis huius mundi, aut qui ſibi nihil iuſtitiæ deeſſe putant: quemadmodum Phariſæus, de quo in Euangelio. Et ideo neque eſuriunt neque ſitiunt iuſtitiam, æſtimantes ſeſe non indigere vero pane, qui eſt Chriſtus, tentantes ſe fieri iuſtos ſuis viribus, ſuiſque meritis & operibus. Econtrariò pauperes ſpiritu appellantur, qui ſibi ſunt pauperculi & paruuli in oculis ſuis, qui non apponentes corda ſua ad huius ſeculi bona, ſibi multa deeſſe agnoſcunt, qui ſuam inſufficientiam, ſuam egeſtatem, captiuitatem ſentientes, agnoſcunt ſe ſuis viribus non poſſe iuſtitiam apprehendere ſine ipſo Redemptore, trepidantes ſub diuina Maieſtate, iuxta Auguſtini ſententiam, ſic appellati à paruitate proprii ſpiritus ſeu flatus, tanquam non inflati, aut non elati. Qui tales ſunt in hac vita, ſentiunt ſeſe imperfectos, dicentes cum Paulo: Velle mihi adiacet, perficere non inuenio. Quibus conſideratis facile intelliguntur ſcripturæ: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Edent pauperes, & ſaturabuntur. Poteſt & hæc oratio: Pauperes ſpiritu, aliter interpretari, vt videlicet ſpiritus accipiatur aut pro voluntate ſpirituali, aut pro ſpiritu, quemadmodum Hieronymus & Bernardus interpretantur, beatum eſſe, qui ſpirituali voluntate viuunt, tanquam non habentes in hoc ſeculo vlla, quibus apponant & occupent prorſus corda ſua: & tales quia contemnunt diuitias & gloriam huius mundi, ſunt humiles. De quibus legimus: Humiles ſpiritu ſaluabit. Sed recurrit interpretatio hæc in ſententiam eandem. Appellantur & diuites in partem bonam in diuitijs ſalutis, quibus habitis efficiuntur homines verè diuini, hoc eſt, diuinitatis participes & conſortes, cùm vel fruuntur habito iam vero bono beatifico, vel ad ipſum tendunt vt fruantur. In hac vita dum eſurimus & ſitimus talem iuſtitiam per Chriſtum Dominum, ſumus profectò ſpe diuites veris diuitiis, quæ non pereunt, ſed tranſeunt in melius. Econtrariò appellantur pauperes in partem malam, veræ ſalutis diuitijs vacui.

CAP. 1.

Pſalm.115. Pſalm.72.

Pſalm.72

Quid calidũ eſſe, quid frigidum, quid tepidum.

Regula ad intelligendũ vocabula metaphoricè accepta.

Appellatio diuitis.

In ſer. Domini in monte.

Rom.7 Matth.5.

Cant Mariæ. Pſalm.21.f

Pſalm.33.d

Cæterùm ad ſpecialia quædam vocabula, quibus in ſcripturis frequens eſt

Universidad de Deusto
Biblioteca

II TRAC. vsus,descendamus.Huiusmodi sunt: lex,peccatum,mors,iudicium,iustitia,misericordia, & veritas regnum cœlorum, & id genus alia quædam. In sacris libris mors peccatum & lex variè inueniuntur accepta. Mors significat nunc corporalem mortem, qua separatur anima à corpore,veluti cùm dicitur: Omnes morimur,& tanquam aquæ dilabimur in terram. Et hæc est vsitata in scripturis omnibus hominibus, etiam gentibus bene nota:tametsi causa per quam ipsa intrauit in vniuersum genus humanum non omnibus sit cognita. Nunc spiritualem, qua separatur Deus, qui vita est animæ, secundùm suam gratiam ab illa, aut perpetuò in gehenna. Veluti cùm dicitur: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Si quis manducauerit ex hoc pane,non morietur in æternum. Secundùm æquiuocationē hanc acceperunt omnes Pelagiani occasionē, vt dicerent per Adam peccantē in hunc mundum non intrasse corporalem mortem, sed mortē solùm spiritualem, intelligentes textum Geneseos 2. In quacunq; die comederis ex illo, morte morieris: non de morte corporali, sed de spirituali morte tantùm: existimātes hominē fuisse corporaliter moriturū,etsi non peccasset. Sed de hoc in sequentibus libris.

A

Mors variè in scripturis accipitur. 3.Reg.14.c

Ezech.18. Iohan.8.c

Sic & peccatū in scripturis accipitur variè,plerunq; sub eiusdem orationis cōtextu. Deus pater eum,qui non nouerat peccatū, pro nobis peccatū fecit, de peccato damnauit peccatū. Sciendum ergo est,q̄ peccatū dicitur nunc fomes,secundùm quem caro prona est cōcupiscere aduersus spiritum, veluti cùm dicit Apostolus: Per vnum peccatum intrauit in hunc mūdum, id est,in vniuersum genus humanum. Sic capitur in toto capite ad Romanos 6 Non regnet peccatū in mortali corpore vestro, vt obediatis concupiscentijs eius, scilicet peccati, neq; exhibeatis membra vestra peccato,concupiscentiæ peccati habitantis in carne nostra, motus sunt fomitis. Peccatū vobis non dominabitur, quia non estis sub lege, sed sub gratia. Si obeditis peccato, serui estis peccati ad mortem: liberati à peccato, serui estis iustitiæ. Liberati à peccato dicuntur,non ideo, quia non habeant vitiū fomitis,neque idcirco,quòd semel regenerati sint absoluti à reatu originalis peccati: sed idcirco, quòd sic regenerati in Christo Iesu,soluti sunt à reatu illius, non amplius ambulantes secundùm peccatum illud, desideriis eiusdem non consentientes,sed reluctantes. Item ad Romanos 7. Si quod nolo malum illud facio,iam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Ambrosius autem in postremis his testimonijs per peccatum intelligit diabolum, qui author est peccati in nobis habitans. Apostolus ex æquo ponit & peccatum & Deum. Existimate (inquit) vos mortuos esse peccato, viuentes Deo. Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato,sed exhibite vos Deo. Vnde & Christus in Euangelio desideria peccati, motusque in nobis illicitos appellat desideria diaboli. Sed siue pro fomite, vt vult Augustinus, siue pro diabolo, quemadmodum vult Ambrosius,accipiatur,non oportet contendere. Nam & diabolus per peccatum fomitis habitat in nobis,& per motus fomitis illicitos ingreditur ad interiora nostra.

Peccatū variè in scripturis accipitur. 2.Cor.5.d

Rom.5.b

Liberum esse à peccato iuxta Apostolum Rom.6

Ambrosius. Peccatum pro diabolo pon. Rom.6.b

Ioham.8.f

B

C

D

Secundò modo peccatum dicitur motus fomitis, sicut aliud est timidum esse, aliud timere: Ita aliud est concupiscitiuum esse, aliud concupiscere. Et hoc peccatum ab Apostolo vocatur malum, cùm dicit: Si quod odi malum hoc facio, iam non ego operor illud. Tertiò modo peccatum est, facere, dicere, vel cogitare aliquid contra legem Dei: veluti cùm quis desideriis peccati consentit: & sic idem sunt peccare, & facere peccatum. Quarto modo peccatum dicitur reatus peccati, de quo reatu dicit Christus: Si quis dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Peccata quæ transeunt actu, manent reatu. Et huiusceinodi peccatorū reatus in oratione Dominica debita appellantur. Quintò dicitur peccatum, sacrificium vel oblatio pro peccato. Sic Christus factus est pro nobis peccatum. Sic pastores peccata populi comedunt, edentes oblationes

Rom.7.d

Matth.5.c

nes pro peccatis populi datas. Ex his consequens est,q̄ aliud est peccare,aliud peccatum habere. Item aliud cessare ab actu peccati,aliud surgere à peccato,seu liberari à peccato. Aliud non peccare,aliud non habere peccatum. Si nupserit virgo non peccauit,sed tamē ob id peccatū non habet. Sic & aliud est in scripturis mori seu mortuū esse peccato,intellecto peccato in casu datiuo. Aliud mori seu mortuum esse peccato,accepto peccato in casu ablatiuo. Secūdùm priorem modum, bonum est mori & mortuū esse ipsi peccato, hoc est, non amplius viuere aut seruire ipsi peccato. Secūdùm modum autē posteriorē,malum esse mori,vel mortuum esse in peccato. Ignorantia horum in scripturis sacris fecit errare multos. Sed de his latius in sequentibus libris de natura & gratia, & de liberi arbitrij captiuitate & seruitute. Deinde nonnulla obscuritas nascitur in scripturis ex vocabulo legis,præcipuè in epistolis Pauli, qui cap. 8. ad Romanos triplicem insinuat legem. Lex spiritus vitę (inquit) liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem. &c. Primùm ibi significatur lex spiritus,quæ est lex fidei, seu fides ipsa,vel charitas aut creata,aut increata,de qua. Lex Domini immaculata,conuertens animas. Vnde sunt, qui non absurdè interpretātur: Lex spiritus sancti. i. lex quę est ipse spūs sanctus sanctificans nos,de qua olim prænunciatū erat: Scribam legem meam in visceribus eorū. Deinde significatur lex peccati,videlicet lex in membris habitans,quæ est fomes derelictus,factus in homine per Adæ peccatū, de qua lege præmiserat: Captiuantē me in lege peccati, quæ est in membris meis: quanq̄ non erit forsitan intellectus absurdus si lex peccati & mortis illic appelletur lex Moysi. Verùm magis cohæret sententia accepta pro lege,quam appellamus fomitem in membris. Lex spiritus vitæ liberauit nos à lege peccati & mortis, non vt non amplius sit in nobis fomes ille, sed vt non dominetur nobis, neque secundùm reatum æternæ mortis, neque sic vt obediamus desideriis eius: & ita liberauit nos iam in Christo renatos à iure seu dominio peccati. Tertiò,& illic significatur lex Moysi,cùm dicitur: Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnē, Deus filium suū fuit mittens in similitudinē carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne sua. Lex Moysi cōplectitur triplicia præcepta,videlicet Moralia, quæ sunt decalogi præcepta: Iudicialia & Cæremonialia. Et secundùm quamlibet harum partium lex ista existit sine spiritu,occidit,& iram operatur,& virtus seu robur est peccati: non quia lex mala est, non quia efficit aut suggerit vt peccet homo, sed quia legem, quæ vetat concupiscentiam,accipiens homo vacuus spiritu Dei intus adiuuante,inde occasionem peccati sumit,ardentius nitens in vetitum. Res bona etiam plerunq; est odiosa aut damnosa malis, qui ex re illa bona sumunt peccandi occasionem. Vnde lex occidit,non quia mortem efficit,sed quia mortis occasio existit: non quidem quòd ex animabus viuis fiant mortuę,non quòd viuę animæ ex lege sumant sibi occasionem peccandi: quod & si interdum sumerent, non tamen sensum illum prætendit Apostolus,sed quòd occasio existit animabus iam in peccato mortuis, quòd magis efficiantur mortuæ,magisque obnoxiæ. Desiderium operis illiciti auget superueniens prohibitio, nisi iustitia sic diligatur,vt desiderium illiciti operis vincatur dilectione iustitiæ, quam facit spiritus gratiæ. Maiores ergo vires accipit concupiscentia ex superueniente lege. Et ad illum sensum loquitur Apostolus: Virtus peccati lex. Non quidem peccata iubendo, neque ad peccatum instigando: sed id, vnde alij sumunt peccandi occasionem,existendo. Nam illa sine spiritu amoris iustitiæ intrante & prohibente id quod ratio carnalis & amat & desiderabat, est auctum carnale desiderium: quia vbi gratia non est,auget prohibitio desiderium. Nitimur in vetitum. Deinde etiam virtus peccati lex, propterea quòd robustius, grauius seu grandius est peccatum

A

De nomine variè accepto.

B

Pſalm.18

Hiere.21.f

Rom.7.d

In lege Moysi contenta.

Quo lex occidit.

1.Cor.15.f Virtus peccati lex.

C

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC. Vide Aug. lib. 14 de Ciuitate Dei cap. 1. Officium legis Moysi.

cùm etiam contra legem fit, quàm si lege sic data non prohibeatur. Maiores vires (inquit Augustinus) habet concupiscentia crimine preuarications adiuncto, cùm etiam contra legem facit, quàm si nulla lege prohiberetur. Lex Moysi data est, non quæ peccatum aut insereret, aut exterminaret, aut à reatu peccati animes liberaret: sed quæ peccatum ipsum demonstraret, & insinuaret, atq; ita animam humanã (quæ secundùm suam concupiscentiã viuens, quasi secura de sua innocẽtia sibi viuebat) demonstratione peccati faceret ream, & ex ipsius reatus solicitudine, simul & viribus stimulantis concupiscentiæ doceret confugere ad gratiam liberantem. Hac ratione in scripturis lex Moysi appellatur lex mortis, litera occidens, ministratio mortis literis deformata, id est, insculpta literis, ministratio damnationis. Quartò, in epistola ad Romanos, accipitur lex pro lege naturæ intus scripta, eius reliquias non prorsus extinxit Adæ peccatũ, quim & illic possumus accipere legem mentis. Gentes, quæ legem non habent, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Conueniunt autem significationes legum omnes in ratione quadam communi, secundùm nomen legis à legendo, vt inquit Cicero, appellarum, quòd in ea legimus aliquid esse faciendum. Sic generaliter accepta lex est, quæ aut iubet, aut vetat, aut inclinat ad opus aliquod. Sicut lex naturæ, est inclinatio naturæ: ita lex carnis, est inclinatio carnis, quæ per peccatum Adæ vitiata, facta est in malum prona. Vnde hic sciendum, quòd sancti dum conferunt legem Moysi ad legem Euangelij, non conferunt legem Moysi foris in membrana scriptam, ad legem Euangelij foris conscriptam in membrana: neque cognitionem illius legis ad cognitionem huius: sed id quod legislator Moyses fecit, dando legem, cõferunt ad id quod legislator Christus fecit, dando legem Euangelij. Ille mihi fecit, nisi foris exhibendo scripturam, & demonstrando illis præcepta operum, quæ vel facere vel vitare debeant. Proinde ab Apostolo vocatur lex factorum seu operum. Legislator autem Christus tradendo legem Euangelij suis discipulis, intus operatus est in cordibus eorum spiritum fidei & charitatis, & liberantem à reatu & dominio peccati, & adiuuantem infirmitates atque imbecillitates nostras. Vnde & ab Apostolo vocatur lex fidei, lex iustitiæ Dei, lex spiritus vitæ in Christo Iesu, ministratio iustitiæ. Hanc differentiam nouæ legis à veteri tradit Paulus Apostolus, 2. ad Corinthios 3. Epistola, inquit, estis Christi Iesu scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis carneis: qui & fiduciam talem habemus per Christum, qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non literæ, sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus autem viuificat. Præterea in scripturis sacris iudicandi & iudicij vocabula sunt voces ancipites. Iudicare nunc sonat condemnare, nunc statuere seu decernere. Ad Romanos 14. vtroque modo reperitur acceptum: Qui non manducat, manducantem non iudicet, id est, non condemnet. In eo autem quod postea dicit: Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri. Iudicate videtur acceptum non pro condemnate, sicut antea, sed pro statuite, decernite. Iudicium pro condemnatione plerunque ponere, & iudicare pro condemnare, peculiare est Hebræis. Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, id est, vt condemnet mundum. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Iudiciũ pro condemnatione est positum. Quemadmodum 1. ad Corinth. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis, id est, ad condemnationem vestram. Verùm in omnibus sermonibus, meo quidem iudicio, conuenit communem quandam rationem iudicij considerare, secundùm vim & proprietatem dictionis appellatiæ à nomine ius, & verbo dicere. Est enim iudicare aliquem, vel alicui ius dicere, seu

A

B

C

D

Rom. 2. c Nomen legis generale.

Quatenus lex Moysi comparatur legi Euangelij.

Rom. 3. d

Quo lex noua dicitur lex fidei, &c. 2. Cor. 3. a

Rom. 14. a De acceptione iudicij, & multiplici iudicandi modo.

Iohan. 3. b Iohan. 3. c

1. Cor. 11. g

In omnibus sermonib' cõmunis quædã iudicij ratio.

seu decernere quid iustum & æquum, ferendo sententiam de illo, siue in absolutionem à calumniatore iuxta innocentiam illius, siue in condemnationem supplicij iuxta meritum iustitiæ illius. Sunt qui has significationes distinguunt, dicentes iudicare accusatiuo iunctum, esse acceptum pro cõdemnare, iunctum autem datiuo, pro sententiam ferre: veluti cùm dicimus, iudicare pupillo & viduæ. Verùm hæc differentia non est vniuersalis. Nam & considerata supra dicta iudicij significatione generali in scripturis etiam sancti & iusti orant Deum, vt ipsos iudicet, quemadmodum & impij timent ne iudicentur. Reperitur igitur in sacris literis verbum iudicare etiam accusatiuo iunctum non semper pro condemnare, sed interdum pro ius dicere, seu sententiam pro aliquo ferre acceptum, quemadmodum apud Prophetam sanctus orat: Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Et iterum: Iudica me Deus, & discerne causam meam. Decernere quid iustum est de aliquo fieri, siue extra innocentiam, siue iuxta iniquitatem eius, est quidem iudicis causam examinantis officium: hoc tamẽ ab vnoquoq; nostrũ nunc licitè, nunc illicitè fieri cõtingit à ratione nostra intus præsidente, & occulta mentis sententia, decernente aliquem commendabilẽ esse, vel condemnabilem. Et de hoc iudicio secundùm speciem iudicij condemnationis accepti ait Christus: Nolite iudicare, & non iudicabimini, pro eo quod est: Nolite cõdemnare, & non condemnabimini. Secundùm codices nostros vtrunque dixit Christus, per posteriorem sermonem indicans, priorem de iudicio condemnationis esse accipiendum. Vnde in multis scripturæ locis iudicium & iustitia, misericordia & veritas simul iuncta reperimus. ita videlicet, vt quemadmodum veritas passim misericordiæ iuncta est, ita & iustitiam iudicio reperimus sociatam. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Item: Didici iudicia iustitiæ tuæ. Quatenus ergo magis penetremus intellectum scripturarum, non est inutile interpretationes horum nominum, quantum ad intellectum scripturæ attinet, hic inserere. Iudicium propriè, vt iam patuit, est actus mentis decernentis aliquid esse iustum. Iustitia autem est rectitudo voluntatis viuentis conformiter iudicio mentis. Iudicij finis, inquit Ambrosius, est iustitia. In iudicio est veritatis custodia: in iustitia fructus æquitatis. Iudicium, inquit Augustinus, est discretio boni & mali. Iustitia autem est prosecutio boni, & fuga mali. Facimus iudicium, discernentes bonum à malo. Iustitiam autem facimus, facientes bonum, & declinantes à malo. Et quia mens creata, iam post Adæ peccatum, vanitati subiecta, potest errare iudicando, idcirco iudicium tam in malam partem, quàm in bonam reperitur acceptum. Et quoddam dicitur iudicium bonum & æquum, quoddam verò iniquum. In Deo, qui errare non potest, iniquitas iudicij reperiri non potest. Proinde in scripturis omnia illius iudicia seu decreta dicuntur veritas, æquitas, iustitia, quia discernens vnumquodque secundùm veritatem sibi consubstantialem, errare non potest. Sicut ergo iustitia in homine, est rectitudo voluntatis operantis conformiter legi mentis, quæ sanè rectitudo est genus omnium virtutum in voluntate: Ita & iustitia in Deo, est rectitudo diuinæ voluntatis operantis conformiter veritatis suæ & legi suæ, quam seruat, siue in adimplendo promissa, siue in retribuendo vnicuique secundùm ipsius opera. Et quia gratiam & misericordiam promisit dare in Christo salutari suo, idcirco sancti plerunque in sacris literis postulantes iustitiam Dei, non ex confidentia meritorum, cupiunt retributionem fieri sibi, sed desiderant gratiam & misericordiam promissam omnibus sperãtibus in salutari illius, veluti cùm orat Propheta: In tua iustitia libera me. postulauit supra se non iustitiam Dei retribuentis secundùm merita, sed gratiam secundùm fidem verbi ipsius promittentis mi-

A

B

C

D

Psalm. 9. g

Psalm. 17. a Psalm. 42. a

Matth. 7. a

Psalm. 118 Psalm 84. b Psalm. 118 Eodem.

Quid iudicium. Quid iustitia.

Iustitia Dei.

Psalm. 30. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

fericordiam in ſalutari ſuo. Hæc autem iuſtitia non eſt aliud, q̃ fides in Deo, quam A
ſeruat implendo promiſſa. Ab hac iuſtitia Deus eſt iuſtus, quia verax in promiſ-
ſis, ſeu fidelis in omnibus verbis ſuis: quæ iuſtitia etiam alio nomine veritas ap-
pellatur, Reperitur rurſus quædam inſtitia Dei in ſcripturis ſacris, non quæ in
Deo, ſed quæ à Deo eſt in nobis, qualis eſt iuſtitia fidei ſeu rectitudo, qua nos iu-
ſtificati ab illo ſumus iuſti ſeu recti corde, quæ iuſtitia in nobis eſt Dei iuſtitia: ſi-
cut Domini eſt ſalus, quia ſalus eſt nobis à Domino. Nec te fallant nomina in mul
titudinis numero attributa Deo, quia hæc non multos in Deo actus, ſed in creatis
Iudicia Dei. rebus multos deſignant effectus. Et quemadmodum opera, quæ ipſe Deus facit
Voluntas Dei & fieri vult, dicuntur voluntates Dei: ita & iudicia Dei appellantur, quæ ſunt ab
ipſo Deo iudicata, decreta, tãquàm iuſta diſpoſita ſeu ordinata, ſiue ſint martyria,
ſiue flagella, quibus flagellat iuſtum & impiũ: ſiue opera, quibus ſaluat electos: ſi- B
ue rationes omniũ, quæ facit ſecundùm ſapientiæ ſuæ conſilium: quæ maxima ex
parte ſunt nobis occulta. Quamobrem & iudicia Dei dicuntur abyſſus multa, in-
Iudicia oris Dei. comprehenſibilia, inueſtigabilia, omnia tamen æqua, iuſta, ac rationabilia. Proin-
de in huiuſcemodi Dei iudicijs diſcutiendis & cognoſcendis non debet occupata
eſſe mens noſtra. Iudicia verò oris Dei ſunt eloquia, quæ ipſæ in ſcripturis nobis
reuelauit per os Prophetarum, quæ & à nobis diſci & ſciri voluit, quibus promit-
tit gratiam & miſericordiam: admonens mentes noſtras ſperare ſuper miſericor-
dia ſua, & formidare ſuper iuſtitia ſua, quibus & docet, quid credere, quid diligere,
quid facere debeamus. In his vult mentes noſtras occupari, his immorari his
Pſalm. 118 delectari. De quibus & Propheta paſsim loquitur: In labijs meis, inquit, pronun-
Os Dei ciaui omnia iudicia oris tui. Os Dei eſt Propheta quiſque, per quem Deus locu-
Pſalm.18. c tus eſt nobis. Iudicia tua iucunda, deſiderabilia ſuper aurum, & lapidẽ pretioſum C
multum, dulciora ſuper mel & fauum. Iudicia Domini appellat decreta ſacro ore
in ſcripturis nobis reuelata, quibus gratiam & miſericordiam pollicetur filijs iræ,
promittens ſalutem omnibus credentibus & ſperantibus in illum, & confugien-
tibus ad illum, omnibus inuocantibus nomen eius. Hæc ſunt iudicia iucunda ab
angelis, à Chriſto, ab Apoſtolis nobis reuelata, à Prophetis expectata & prænun-
ciata, quæ ſunt verba æternæ vitæ, verba regni cæleſtis, verba pacis. Sunt etiam
iudicia quædam oris Dei terribilia, veluti eloquia, quibus comminatur mortem
æternam omnibus incredulis, omnibus adulteris, fornicarijs, periuris, ſuperbis.
Pſalm.118 Propter quæ & dixit: A iudicijs tuis formidauit cor meum. A iudicijs tuis timui.
Vbique quale iudicium velit intelligere Dauid, cautiſsimè oportet obſeruare.
Pſalm.118.f Alioquin videbũtur ſcripturæ inter ſe eſſe cõtrariæ. Orat Propheta: Secundùm
Pſalm.142.a iudicium tuum viuifica me. Alibi autem orat: Non intres in iudicium cum ſeruo
Quo ſancti orent à Deo iudicari tuo Domine, &cæ. Eſt iudicium quoddam, quo Deus retribuit nobis ſecundùm D
opera noſtra, quæ à nobis ſunt, de quo dictum eſt: Non intres in iudicium cum
ſeruo tuo. Eſt rurſus iudicium, quo decernit Deus ſecundùm verbum promiſsio-
nis ſuæ, facere tibi filios hæredes regni ſui ex ſeruis iræ. Et hoc eſt iudicium ſeu
propoſitum prædeſtinationis diuinæ. Iudicio ſic accepto orat: Secundùm iudi-
Pſalm.118.f cium tuum viuifica me. Ac ſi dicat, ſecundùm decretum miſericordiæ tuę ſaluum
me fac. Hoc iudicio iudicari poſtulat, qui nihil de ſuis viribus, nihil de ſuis ex ſe
meritis præſumit: totum bonũ ſuum tribuens diuinæ miſericordiæ. Eſt inſuper
iudicium ſeu decretum, quo retribuit ſecundùm vniuſcuiuſq; opera bona, quæ
præparauit ipſe in vnoquoque & præſtant gratiam benè operandi in hac vita, &
Pſalm 118 mercedem cœleſtem omnibus credentibus & inuocãtibus nomen eius, omnibus
ambulantibus in lege ipſius. De quo dixit: Aſpice in me, & miſerere mei ſecun-
dùm iudicium diligentium nomen tuum, hoc eſt, miſerere mei ſecundùm decre-
tum, quo iudicas diligentes nomen tuum, hoc eſt, Chriſtum.

Hactenus

CAP. I.

De miſericordia & veritate.

A Hactenus de ſignificatione nominum iudicij & iuſtitiæ: iam de miſericordia
& veritate videamus, quæ etiam multis in locis ſimul iuncta reperimus in ſcri-
pturis. Interdum veritas præcedit, & ſubſequitur miſericordia. In veritate tua
(inquit Propheta) humiliaſti me. Fiat miſericordia tua, vt conſoletur me ſecun- Pſalm.118.
dùm eloquium tuum ſeruo tuo. Interdum verò miſericordia præcedit, & ſubſe- Eodem.
quitur veritas. In Domino ſperaui, inquit, non infirmabor, quoniam miſericor- Pſalm.25.a
dia tua ante oculos meos, & complacui in veritate tua. Veritas in huiuſcemodi Veritas Dei.
ſcripturis eſt fides, ſeu (vt ita dicam) fidelitas, quam ſeruat Deus implendo pro- Pſalm.118
miſsiones ſuas & comminationes. Vnde Hieronymus, quod vulgaris tranſlatio
dixit: In generatione & generationem veritas tua. ipſe ſecundùm Hebraicam ve-
ritatem dixit: In generatione & generatione fides tua, qua ſcilicet fidelis es in
omnibus verbis tuis. Et huiuſcemodi veritas in geminis Dei verbis conſiſtit. Bifariam intel
B Nam & veritas, qua Deus agit conformiter verbis ſuis prænunciantibus vindi- ligitur veritas Dei.
ctam ſuam ſuper eos, qui peccauerunt, cuiuſmodi eſt veritas verbi Dei, vt iudi-
cis punientis hominum genus ſecundùm eloquium ſuum, quod locutus erat:
Quocunque die comederis ex eo, morte morieris. De qua loquitur Propheta: Geneſ.2
In veritate tua humiliaſti me. Fiat miſericordia tua ſuper me, vt conſoletur me Pſalm.118.
ſecundùm eloquium tuum. Hic primo veritatem poſuit, qua ſumus humiliati in Pſalm.32.d
miſeriam & mortem, ſecundùm verbum, quod ſupra hominem, ſi peccaret, præ-
dixerat. Deinde poſuit miſericordiam, qua Deus ſubuenit miſeriæ noſtræ. Fiat Pſalm.32.d
(inquit) miſericordia tua ſuper me. Hæc ſunt miſericordia & veritas in Deo, Quo miſeri-
quæ obuiauerunt ſibi. Secuta eſt autem conſolatio, ſeruata vtrinque concordia, cordia & veri-
dum veritas promittitur à cœlo in terram deſcendere, & miſericordiam ſimul tas ſibi obuia-
C atque iuſtitiam ſeruare pro liberando homine, quæ conſolatio fuit abſcondita ab C
hominũ oculis, niſi acceſsiſſet verbum promiſsionis: cuius promiſsionis memo-
riale, ſecundùm ſucceſsionis ſeriem, fuit ſuper omnes Patriarchas & Prophetas à
generatione in generationem. Et rurſus: Veritas quædam, qua Deus agit confor-
miter verbis ſeu eloquiis ſuis, pollicentibus Chriſtum mediatorẽ, authorem gra-
tiæ & miſericordiæ. De hac miſericordia & veritate loquitur: In Domino ſpe- Pſalm.25.a
rans, non infirmabor, quoniam miſericordia tua ante oculos meos, & compla- Pſalm.137.
cui in veritate tua. Et rurſus: Confitebor nomini tuo ſuper miſericordia tua, &
veritate tua, quoniam magnificaſti ſanctum tuum, id eſt, Chriſtum, ſuper omne
nomen. Miſericordia Dei ſuper nos miſeros, à noſtris miſeriis ſubleuandos, non
ſit nobis, niſi per Chriſtum ſalutare Domini, nobis promiſſum. Veniat, inquit Pſalm.118
Propheta, ſuper me miſecordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundùm eloquium
tuum. & reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperaui in ſermoni-
D bus tuis. In ſcripturis ſacris nonnulla difficultas ſeu obſcuritas naſcitur ex D
nomine Regni cœlorũ, quod multifariè, & non eũdem in modum videtur acce- Regnum cœ-
ptum, etiam plerunq; in vno eodemq; ſcripturæ capitulo: veluti cùm Matth. 13. lorum variè in
regnum cœlorum legitur aſsimilatum nunc homini, qui ſeminat bonum ſemen ſcriptura ca-
in agro, nunc grano ſinapis, nunc ſagenæ miſſæ in mare, nunc theſauro abſcondi- pitur.
to in agro, nunc fermento. Item alibi decem virginibus, quarum quinque ſunt fa-
tuæ, quinque prudentes. Alibi homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Vnde Am- Matth.11.b
broſius: Regnum cœlorum vim patitur. Hic regnum cœlorum, inquit, non niſi Ambroſius,
Chriſtus intelligitur, qui regnat in cœlis. Hieronymus: Regnum cœlorum eſt Hiero. in com-
prædicatio Euangelij, & notitia ſcripturarum, quæ ducit ad vitam, de qua dicitur ment. ſuper 13.
ad Iudæos: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. cap. Mat.
Simile eſt (inquit) regnum cœlorum grano ſinapis. Prædicatio Euangelij mini- Matt.21.d.13.d
ma eſt omnibus diſciplinis, quæ parua videbatur in principio, creuit in arborem,
dilatata per mundum vniuerſum. Vnde & eadem prædicatio ſimilis dicitur fer-

mento

Universidad de Deusto
Biblioteca

I. TRAC.

mento, in quo iuxta Euangelistæ interpretationem, significatur doctrina, cùm dicitur: Cauete à fermento Pharisæorũ. Hilarius autem & Remigius, regnum cœlorum appellant filium Dei, qui se ipsum comparauit & homini, qui seminauit bonum semen, & grano sinapis: cuius virtus pressuris accensa, sepulta in terris, resurgendo creuit in vniuersum mundum: & fermento, quod mulier, id est, Ecclesia, accipiens commiscuit farinæ satis tribus, scilicet: Legi, Psalmis, & Prophetis, dum ad Christum & ad doctrinam eius, & ad regnum illius cœleste refert omnia in his scripta. Ex Christo & Euangelio eius fermentata est tota Legis & prophetarum doctrina. Chrysostomus tractans: Simile est regnum cœlorum decem virginibus. Regnum cœlorum (inquit) præsentis temporis Ecclesia dicitur, sicut & ibi: Colligent de regno eius omnia scandala. Remigius: Regnum cœlorum (inquit) quatuor modis dicitur Christus, secundùm illud: Regnum Dei intra vos est. Sancta scriptura, secundùm illud: Auferetur à vobis regnum Dei. Sancta Ecclesia, secundùm illud: Simile est regnum cœlorum decem virginibus. Supernũ solium, secundùm illud: Recumbent in regno cœlorum. Ex Grammatica discimus, quòd regnum propriè est possessio regis. Vnde & rex dicitur in regno, vt in possessione. Sicut regnum Romanorum dicitur ipse cœtus seu communitas Romanorum, qui gubernantur & diriguntur in pace & tranquillitate sub rege suo. Ita regnum cœlorum dicitur cœtus seu communio cœlorum, qui sic appellantur non inanimati, sed viui ciues, qui facti sunt mentibus cœlestes, de quibus & dicitur: Annunciauerunt cœli iustitiam eius. Congrua ratione sic appellati. Fulgebunt enim iusti sicut sol in regno patris sui. Sciendum est ergo quòd regnum cœlorum noua vox est in primordio euangelicæ prædicationis à magno illo præcursore Domini, Iohanne Baptista primùm nunciata, nomen prioribus seculis inauditum, sonans magnum aliquod glorioſum, iucundum, regnum aliquod fixum, perpetuum, stabile, & incorruptibile: sic appellatum ad differentiam regni terrarum, siue regni huius mundi, quod est regnum infirmum & caducum. Vnde de hoc regno loquens rex noster Christus: Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. Non negat regnum suum esse in mundo isto. Nam ad quosdam loquebatur ipse: Regnum Dei intra vos est. Regnum Christi est quidem hic, sed non est hinc. Quæcunq; intimantur in voce regni terrarum, tam rex ipse, quàm regnum eius, & pax, & copia diuitiarũ eius, sunt caduca, vana, & transitoria. Sed omnia quę significantur voce regni cœlorum, tam rex ipse, quàm possessio, seu regio, & ciuitas, super quam regnat. Lex insuper sancta, per quam regit & gubernat. Pax item & tranquillitas & securitas, sunt fixa, stabilia, & perpetua. Et si quæ in hac vita sunt aut imperfecta, aut diminuta, mutabuntur in melius, cùm tradiderit regnum istud Deo patri, & euacuauerit omnem principatum, potestatem, & virtutem. Vnde & regnum cœlorum in hac vita, domus Iacob appellatur, & solium, thronus, seu sedes Dauid, domus Israel, ciuitas Dei in monte sancto eius, dispersa per vniuersam terram. Iacob autem luctator, seu pugnator, & bellator. Quemadmodum de Christo rege nostro dicit scriptura: Regnabit in domo Iacob. In domo Iacob habitant, quotquot supplantant diabolum de cordibus suis, quotquot luctantur cum vitiis & concupiscentiis, vt non peccatum ipsis dominetur: sed regnet in cordibus eorum Christus Iesus, rex pacis, nunc per fidei spei & charitatis gratiam, donec perueniant ad visionis gloriam, vbi erunt plena iam pace securi, hoc est, regnum cœlorum, id est, eorum qui facti sunt regenerarione cœlestes, vt angelorum & hominum eorum, qui exuti veterem hominem, seu carnalem vitam ex Adam, luctantur contra libidinem, luxuriam, ambitionem. Hoc regnum cœlorum, seu domus Iacob à Iudæis repulsum, in gentes, & in fines orbis terrarum creuit, in quod principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, vbi reges

Matth. 16. a
Hilarius.
Remigius.

Chrysostom⁹.
Matth. 25. a

Idem 18. f
Regnum cœlorũ secũdum Remigium quatuor modis.

Psalm. 96. a
Matth. 13. f

Iohan. 18. f

Luc. 17. c

1. Cor. 15

Regnum cœlorum domus Iacob, &c.

Luc. 1. c

A B C D

CAP. I.

reges conueniunt ad laudandum & glorificandum Dominum Deum Israel. Vnde & regnum hoc à Christo nomen accepit, & dicitur Christianorum regnum, vt sicut sunt hæredes nominis, ita sint & imitatores sanctitatis. Veri regis officiũ est, regnum suum dirigere in iustitia, in pace, tranquillitate, in bonorum copia & affluentia, perfectiones suas, vtpote sapientiam, bonitatem etiam deriuare in eos, qui subijciuntur ei: & non tam imperare illis, quàm pascere & dirigere: vt & ipsi non coacti ab ipso, sed voluntarij sub eo, etiam cum eo in iucunditate cõreguent & imperent supra hostes. Vnde Apoc. 5. Fecisti nos Deo patri regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Qui sunt nunc reges, olim vocabantur pastores. Dominus regit me, inquit Propheta, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. His præmissis ad intelligendum scripturas, sermonem facientes de regno cœlorum, oportet considerare communem quandam rationem duorum nominum, regni videlicet & cœlorum. Et per regnum, à regno appellatum intelligere vel eum, qui regnat, vel id super quod regnat, vel ipsum dominatum & principatum, potestatem, legem, vim, seu virtutem, & directionem, quibus regnat & gubernat. Singulum horum secundùm vulgarem loquendi vsum congrua ratione appellatur regnum, per reductionem ad propriam significationem verbi regno. Vnde dicimus initium esse aut finem regni huius regis, quia est initium aut finis imperij, principatus & dominatus illius. Dicimus etiam in his pagis aut oppidis esse initium aut finem alicuius regni, quia est initium aut finis regionis. Et vbi est potestas regis, illic dicimus esse & regnum eius. Dicimus etiam regnum Francorum esse in hac ciuitate, dum rex illic est. Et hæc de nomine regni. Cœlos autem intelligere oportet, non huius mundi elementa, non solùm lunam & stellas: sed eos qui sursum habentes corda incorruptibilem expectant vitam: qui non cordibus suis versantur interrenis huius mundi bonis, citò perituris. Proinde non oportet studiosum sacræ Theologiæ lectorem turbari in æquiuocatione vocis regni cœlorum. Nam & si in sermone regni cœlorum diuersa quædam intimentur, ipse videlicet Christus, & dominatus ac principatus, potestas, virtus, operatio, protectio illius in nobis, doctrina & lex Euangelij ac prædicatio. Et cœli ipsi, hoc est, sancti, spiritu cœlestes, sub ipso Christo regnantes & dominantes: omnia tamen spectant ad vnum regnum Christi, ab ipso tradendum Deo patri, sic appellata: secundùm communem quandam significationem intellecta in verbo regnare. Vnde cùm dicit Baptista Iohannes: Penitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, significauit iam instare, & appropinquasse regnum cœlorum, secundùm corporalem ipsius Christi præsentiam, simul & secundùm principatum & dominatum illius olim promissi, & iamdudum expectati ab omnibus Patriarchis & Prophetis. Rectè proinde Origenes, Hieronymus cæteriquè sacræ Theologiæ interpretes, dicunt in scripturis regnum cœlorum appellari nunc patrem, qui propterea quòd super Ecclesiam suam regnat, congruè regnum regnans appellatur: nunc filium, qui illi conregnat: nunc præsentis temporis Ecclesiam, super quam regnat, quæ adhuc luctatur & militat: nunc futuri seculi Ecclesiam, quæ triumphat: nunc fidem vel scripturam sacram, aut fidei & Euangelij prædicationem: nunc regnationem in suorum electorum cordibus, nunc cœlestem beatitudinem, quæ est vita æterna, de qua Christus: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Cœleste regnum complectens suum regem, & regnum, & legem, atque directionem, secũdùm aliquid sui dicitur esse simile aut huic, aut illi. Vnde regnum istud cœleste secundùm principale membrum suum dicitur aut Deus pater, aut Christus qui regnat. Tota vis regni est in rege, ideo ipse rex regnum dicitur, quêadmodum de capite ciuitatis dicimus: hic est ciuitas tota, significãtes quòd in illo pendet

Christianorũ regnum.
Officiũ veri regis.

Psalm 22. a

Quid nomine regni intelligitur.

Quid nomine cœlorum.

Matth. 3. a

Quo multa sunt intellecta in voce regni cœlorum.

Iohan. 17. a

A B C D

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILTRAC. det ciuitas tota. Congruè dicimus: Similis est ciuitas hæc homini regi, intelligendo hanc locutionem secundum eum, qui regit ciuitatem. A
Origenes. Homilia 22. super Matth. Sic olim Origenes interpretatus est: Regnum cœlorum, inquit, secundum eum qui regnat, simile est homini regi: secundum autem eum qui cõregnat, simile est filio regis: secundùm ea verò quæ sunt in regno, assimilatum est seruis & inuitatis ad nuptias. Hactenus ille. Secundum hanc ergo considerationem regnum cœlorum, secundum id quod regitur, vtpote cœtum sanctorum, consortium iustorum, in hac vita zizaniis commixtum: simile est decem virginibus, quarum quinq; sunt fatuæ, quinque prudentes. Simile etiam est sagenæ missæ in mare. Sagenæ, hoc est, piscatorio reti dispersо per totum mundum cõgreganti pisces bonos & malos. In consummatione autem seculi idem regnum constituetur Ecclesia, sine macula & ruga, cùm separabit Christus bonos à malis, quemadmodum ipse ait: Mittet angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Deinde regnum cœlorum secundùm aliquid sui, videlicet secũdùm virgam directionis, & vim seu virtutem, per quam regitur & gubernatur, est intellectus Legis & Prophetarũ, notitia scripturarum, doctrina seu lex Euangelij, seu prædicatio eius, aut fidei, spei, & charitatis gratia. Vnde Origenes: Forsitan autem vnaquæque virtus regnum cœlorum est, & omnes virtutes simul sunt regnum cœlorum, sicut ait Apostolus; Regnum Dei est iustitia & pax. Ex huius consideratione, homines qui conuersantur secundum virtutes, dicuntur esse in regno cœlorum: dicitur & regnum cœlorũ esse in ipsis. Et secundum hunc forsitan intellectum dicitur: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum: vt non ad tempus, sed ad actum & propositum hominis referatur: quemad modum dicitur Matthæi 15. Peruenit in vos regnum Dei. Et quemadmodum dicitur Lucæ 10. Appropinquabit in vos regnũ Dei. Et Lucæ 17. Regnum Dei intra vos est. Regnum Dei, hic est Christi virtus in cordibus nostris operans iustificationem, sanctificationem, remissionem, imò est ipse Christus, virtus increata, omnium virtutum in nobis fons & origo, mirabili quodam & ineffabili modo regnans super corda suorum electorũ. Et sic regnum cœlorum secundùm legem dirigentem, quæ est doctrina seu prædicatio Euangelij, dicitur esse simile fermento, quod acceptum mulier abscondit in tribus satis seu mensuris farinæ. Omnis homo doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Doctus in regno cœlorum, id est, in Ecclesia iustorum dicitur, quisquis doctus est in lege iustorum. Thesaurus iste intelligitur Euangelium Christi, in quo sunt poma vetera & noua, id est, veteris & noui testamenti inter sese consona documẽta, de quibus in Cant. Omnia poma vetera & noua seruaui tibi dilecte mi. Ex his facilis potest esse intellectus scripturarum loquentium de regno cœlorum, aut de regno Dei. Si primùm intelligamus, non multa, sed vnum regnum Dei esse regnum cœlorum appellatum, quod partim in terris militat, partim triumphat in cœlis, partim nobiscum in terris visibile spiritualiter regnans, & colluctans non in ferro & gladio, sed armis spiritualibus, vt pote: fide, spe, & charitate, contra inuisibiles hostes, contra inimicos domesticos, contra carnis & seculi desideria, quæ militant aduersus animam, partim remotum à nobis, fruens æterna pace vna cum angelorum consortio videns regem in decore suo. Vnde & in oratione Dominica, regnum cœlorũ secundùm eam partem, quæ est adhuc in terris sub lucta, militia, in bello & præliis constitutũ, orat vt fiat regnum triumphans: Adueniat, inquit, regnum tuum.

Matth. 13. f

Origenes homelia 4 super Matthæum

Rom. 14. d

Matth. 3. a

B

C

Quatenus regnum comparatur fermẽto Matth. 13. g

Cant. 7. d Vnicum est regnum Dei.

D

De zelo, zelare æmulari & æmulatione.

Hactenus de sermonibus nominis regni cœlorum. Iam videamus de vocabulis, zelus & æmulatio, & zelari & æmulari, quorũ frequens in scripturis vsus, variaque significatio nonnullos scripturæ locos facit obscuros. Quod Græcè zilos dicitur, Latinè æmulatio dicitur: & quod Græcè zelare, aut zelari deponentaliter dicitur,

A dicitur, Latinè æmulari dicitur. Et quemadmodum à nomine zelus, zelare: ita & à nomine æmulus, æmulari deriuatur. Æmulum tradunt Grammatici ab amore esse deriuatum, & præter significationẽ, secundùm vim nominis significantis studiosum quemque eiusdem rei ex amore sectatorem, interdum per antiphrasim contrariam habere significationem, secundùm quam æmulus dicitur inimicus seu aduersarius, quemadmodũ bellum dicitur quod minimè sit bonũ. Proinde vbicunq; in scripturis zelus dicitur, ibi & nos æmulationẽ non ineptè possumus dicere. Et vbicunque zelare, illic æmulari possumus ponere: & econtrariò. Et multis Latinis nomen zelus magis, quàm nomen æmulatio est cognitum. Vnde Hieronymus: Æmulatio (inquit) Græco sermone zilos significantius & notius appellatur. Pro eo quod in æditione Latina nostra legimus ad Romanos 10. Æmulationem quidem Dei habent, alij legunt: Zelum quidem Dei habent. Quod Isaiæ 9. legimus: Zelus Domini exercituum hoc faciet, alij legunt: Æmulatio Dei exercituum. Et quod 2. ad Corinth. 7. legimus: Vestram æmulationẽ pro me. alij habent: Vestrũ zelum pro me. Et ibidem cap. 9. pro eo quod dicitur: Vestra æmulatio prouocauit plurimos. alij legunt: Vester zelus. Et quod in 2. ad Corin. 11. cap. legimus: Æmulor enim vos Dei æmulatione. Ambrosius legit: Zelans enim vos Dei zelo. Pro eo quod in lib. Numero. Moyses ad quendam dicit: Quid æmularis pro me. alij legunt: Quid zelas aut zelaris pro me. Item ad Galat. 4. verbum æmulari ter positum reperimus sub eodem orationis contextu: Æmulantur (inquit) vos non bene, sed excludere vos volunt vt ipsos æmulemini: bonum autem æmulemini in bono. In singulis locis istis Græca lingua originalis, in qua scriptum est testamentum nouum, habet verbum zilo. Communes Grammatici facilè transeunt in significationibus horum vocabulorum, dicentes æmulationem & zelum nomina synomina plura significare, nunc amorem seu desiderium, nunc imitationem, nunc iram, nunc tristitiam, dolorẽ, seu inuidiam. Et secundùm tria hæc zelare & æmulari significare videntur, feruenter amare aliquid, aut desiderare, seu affectare, seu imitari, aut irasci, aut inuidere. Addunt & æmulari interdum acceptum esse pro irritare seu prouocare ad zelum, æmulationem, seu iram. Verùm hic sciendum, quòd in omnibus non satis indicantur horum nominũ & verborum vires. Neque poterit sacræ scripturæ lector ex solis huiusmodi interpretationibus haurire sanctarum sententiarum medullas. Proinde de huiuscemodi vocabulorum viribus differuerunt prolixius doctores antiqui, & Græci & Latini, vt Origenes in expositione Psalmi 36. & Hieronymus in commentariis epistolæ ad Galat. 4. & alijs in locis nonnullis. Augustinus item quibusdam in locis, & Suidas, & alij multi vtriusq; linguæ periti, qui non habentes Latinũ vocabulum, quo vim verbi zilo sufficienter explicarent, ad declarandam significationem eius, multis vsi sunt verbis, rebus etiam corporalibus atque exemplis studuerunt illustrare scripturas ex huiuscemodi verbis compositas. Quatenus ergo ex consideratis nominum & verborũ viribus concipiamus generalem quandam rationem in omnibus scripturæ locis vtentibus verbis aut nominibus istis: sciendum, quòd zelus secundùm primariam significationem videtur sonare feruorem quendam, seu vehementiam animi, ex amore solicitè, studiosè, aut feruenter intendentis in eum quem amat: solicitus vt vel possideat, vel acquirat, vel custodiat id, quod amat in ipso. Proinde qui zelatur & æmulatur non solùm amat, sed ex amore studiosus & solicitus est, aliquid etiam agens pro eo quod amat. Et quia is, qui amat reamari cupit: & id quidem plerunq; adeò, vt & interdum non patiatur consortium in eo, quem amat. Hinc fit, vt ex tali amore plerunque nascatur vehemens ira, nunc contra eum, qui aduersatur, aut impedimentum præstat, ne fiat mutuus & reciprocus amor: nunc contra eum quem amat, dum is violat id quod amatur

CAP. I.

Æmulus.

Hieronymus in cõmẽtariis ad Gal. 5.

Origenes. Hieronymus. Augustinus.

Quid zelus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ipso. Quemadmodum ex amore, quo quis ob castitatem amat coniugē suam, A
ira nascitur si coniunx alienum amare, aut coniugalem castitatem violare deprehenditur: hæc ira transit in zelum, dum corruptio castitatis impunita esse non finitur. Nascitur & inuidia atq; odium contra omnes, qui amantur ab eo, à quo solus amari desiderat: hæc etiā inuidia transit in zelum, cùm incipit insectari eum, cui inuidet. Omnis ergo ira, odium, & inuidia ex amore nascitur, sed non omnis ex amore bono. Omnis insuper zelus ex amore, ira, vel inuidia gignitur, dum affectiones illæ transeunt in feruorem animi, suis quibusdam studijs & operis foris exæstuantis in id, quod amore, ira, vel inuidia prosequitur. Omnis proinde zelus aut mediatè, aut immediatè ex amore trahit origenem. Hæc facilè possunt esse manifesta considerantibus & zelum, quo Deus dicitur zelans, zelator, zelotes, aut erga populum suum, aut contra populum, aut pro populo: & multiplicē zelum, B
quo isti dicuntur zelare pro Deo suo, aut pro lege atque honore illius, aut pro Ecclesia eius. Dominus Deus quàmuis nulla suspitione, sic vt homo zelotypus commoueatur, nulla vicissitudine affectionum transmutetur, tamen & zelans, & zelator erga populùm suum in scripturis dicitur, secundùm metaphoram sic appellatus à zelo maritali, quo zelotypus maritus solicitus est curans de castitate vxoris. Diligit Deus plebem suam, & toto corde ab illo vult diligi, neque patitur amorē suum transferri ad amatores alienos. Ex hoc Dei zelo secundùm effectus varios in plebe sua nascitur zelus iræ, qua ipse incipit prosequi suam plebem, semel sibi desponsatam, & non impunem dimittit illam super alienos Deos fornicantē: Zelatus ego sum (inquit) Sion & Hierusalem zelo magno. Amans Deus Syon & Hierusalem, castigauit peccata eorum: quod ex amore prodiit, quemadmodum & ira, qua populum illum afflixit. Exodi 34. Dominus zelotes nomē eius, Dominus Zach.8.a
æmulator. Et Iosue 24. Non poteris seruire Domino Deo tuo, ipse enim sanctus C
& fortis æmulator, Dominus vlciscens & æmulator. Quibus scripturis significatur, quòd Dominus Deus est tanquam zelotypus amator erga nos, id est solus vult à nobis amari, non sustinens nos aliud amare extra ipsum, quod non diligamus propter ipsum. Ex his igitur sciendum, quòd nominibus zeli & æmulationis non indicatur nudus amor, aut simplex desiderium, aut ira sola, neque solus animi feruor ex amore commoti in desiderium, iram, vel inuidiam. Neque enim omnis qui aut amat, aut desiderat, aut irascitur, aut inuidet, propter hæc zelare dicitur. Neque enim zelat, qui non ex amore, ira, vel inuidia, solicitè aliquid sectatur pro eo, quod amat. Non propriè ob salutem zelat me quispiam, qui non pro salute solicitè seu studiosè aliquid aut conatur, aut sectatur, aut nititur, vt scilicet vel ego custodiam aut acquiram illam, vel ipse eam habeat, me imitando. D
Aut frigidus, aut nullus est in corde tuo zelus, si non cor tuum ex amore, ira, vel desiderio adeò feruet, vt prodeat in opus. Qui zelat aut æmulatur, is ex amore alicuius adeò feruet, id est, adeò vehementer accenditur aut commouetur desiderio, ira, vel inuidia, vt in opus transeat, pro eo quod amat. Ex supradictis ergo est manifestum, quòd zelus non est nudus amor, ira, vel inuidia: sed ex amore, ira, vel inuidia nascitur. Sic loquitur Augustinus: Zelus bonus de amore veniens, non de liuore. Secundò manifestum est, quòd zelus & emulatio dicuntur tam de bona re, quàm de mala. Reperiuntur tam apud reprobos ac impios, quàm apud iustos ac rectos, quemadmodum & amor, ira, & desiderium. Habent Iudæi & Pagani suos zelos, suasque æmulationes pro lege sua, pro idolis suis, & cæremoniis. Neque oportet hæc nomina æquiuocè accipi, propterea quòd tam in malam, quàm in bonam accipiuntur partem. Vnde & apud Apostolum æmulationes, ab inuidijs distinctim nominatæ, & tanquam aliæ sint æmulationes, aliæ inGalat.5.d uidiæ, numerantur inter opera carnis: Æmulationes, iræ, rixæ, & dissensiones, inuidiæ

Quid significetur nomine zeli & æmulationis.

A uidiæ, &c. Et alibi: Cùm sit inter vos, inquit, æmulatio & cōtentio, nonne carnales estis? Æmulationē appellat feruorē inuidiæ, qua alter aliquid nititur cōtra alterum ex amore alicuius, quod solus habere desiderat. Et alibi: Non in cōtentionibus & æmulationibus. In his omnibus zelus & æmulatio in malam partem accipiuntur, quēadmodum filij Iacob æmulabantur Ioseph fratrem suum, Maria quoque & Aaron Moysen amicum Domini. Vnde & apud eundem Apostolum, est zelus quidem Dei non secundùm scientiam. Malus Pauli zelus persequens Ecclesiam Dei, bonus autem zelus est Phinees transfodientis fornicarios, de quo & dicitur Numeri 25. Phinees zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Bis zelus ponitur, semel pro vehementia amoris. Phinees zelum amoris habuit contra Deum, zelum autem iræ contra peccantes. Et talis generis zelus significatur in loco secundo, vt non eos delerem in zelo meo, id est, B
in feruore iræ meæ. Deus irascendo & castigando peccata suorum electorum ita irascitur, vt etiam diligat, & irascēdo diligit. Proinde ad quosdam iratus ait: Recessit à te zelus meus, non irascar tibi amplius. Bonus zelus Heliæ occidentis prophetas Baal, bonus zelus Matathiæ pro lege patrum suorum. In primo versiculo Psalmi 36. vtrunque verbum æmulari scilicet & zelare, ponitur in æditione nostra Latina: Noli (inquit) æmulari in malignantibus, neque zelaueris, & cæt. Magna est interpretum ex Hebræa lingua varietas. Æditio nostra vulgata habet: Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Romana habet: Noli æmulari inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem. Hieronymus habet: Noli contendere cum malignis, ne æmuleris facientes iniquitatem. Alij vertunt: Ne te commoueat in iram, vel ne irascaris in malignantibus. Sanctus Pagninus vertit: Ne misceas te cum malignis, neque zeC
laueris facientes iniquitatem. Vnde sciendum, aliud verbum Hebraicum esse positum loco illius, ne æmuleris: aliud loco illius, neque zelaueris. Vbi nos habemus æmulari, Hæbræi habent verbum futuri temporis titthar, quod secundùm Græcum & Chaldæum interpretem deriuatum à tachar, Latinè prouocare significat, quàmuis alij putent ipsum esse deriuatum ab charah, quod irasci significat. In secundo autem loco, vbi nos habemus: neque zelaueris, originalis lingua Hebræa habet verbum futuri temporis tecanneh, quod est synonymum cum eo, quod nos dicimus æmulari, aut zelari extensis vocibus: æmulari & zelari pro eo, quod est ad æmulationem adducere. Nam & illam significationem habet etiam verbum Hebraicum tecannech, quod & apud Hebræos tam in bonam, quàm in malam partem accipitur, quemadmodum zilo apud Græcos, & æmulari apud Latinos tam in bonum quàm in malum inueniuntur accepta. Quia ergo D
in Hebræo textu aliud verbum Hebraicum ponitur priori loco, aliud verò in loco secundo: idcirco tam Græci, quàm Latini interpretes alia voce sunt vsi in priori parte versiculi, alia in posteriori. Hieronymus iuxta Hæbraicam veritatē interpretans, vt iam patuit, vertit hoc pacto: Noli contendere aduersus malignantes, neq; æmulatus fueris facientes iniquitatem. Idem insuper verbum priori loco positum in duobus versiculis sequentibus bis repetitum eadem voce Latina est à Diuo Hieronymo interpretatum: Noli (inquit) contendere aduersus Hieronymus.
eum, qui proficit in via sua. Noli cōtendere vt malefacias. Sic & Græci interpretes verbum Hebraicum, ftitchar, verterūt per verbum perazilo. Verbum autem secundo loco positum per verbum zilo transtulerunt. Zilo autē verbum simplex & parazilo compositum, non idem prorsus significant. In omni fermè scripturæ loco parazilo in malam partem accipitur, significans ad zelum seu ad æmulationem adducere, aut prouocare, seu irritare, seu contendere aduersus alios. Zilo autem verbum simplex, tam in bonam partem, quàm in malam inuenitur acceptū, Parazilo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC. Origenes.

Vnde & hac ratione Origenes exponens præfatum versiculum primum: Secundùm simplicem (inquit) intellectum literæ hoc videtur indicare sermo diuinus, ne inter malos & pessimos homines quis existat æmulator malitiæ eorum, hoc est author & ductor eorum, velut formam flagitij cęteris prębẽs. Æmulari verò eos, qui faciunt iniquitatem, illud est, si imitetur quis eos, & discat agere iniqua. Hoc ergo est in vtroq; quod dicitur, vt neque exemplum maliciæ cæteris præbeas, neque ipse tu malorum aliorum sequaris exempla. At verò consideratione habita intrinsecus ad rationem sermonis, dat aliam etiam interpretationẽ, dicens, quòd sermo ipse Græcus parazilo priori loco positus, significantius in Latino exprimi
1.Cor.10. videtur per verbum, in zelum concitauerunt, seu irritauerunt me. Sed & in Apostolo (inquit) vbi scriptum est: An æmulamur Dominum, nunquid fortiores illo sumus? In quibusdam exemplaribus scriptum est: An irritamus Dominũ? Ex quibus concludit, quòd æmulari aliquem, interdum accipitur pro eo quod est irritare eum. Æmulari autem inter aliquos, est cùm incitamenta alicuius malitiæ ipsis præbemus Et secundùm has nominum significationes, etiam aliam quandam supra dicti versiculi tradit sententiam, hanc videlicet: Noli aduersum te prouocare zelum malignantium, neque tu malitiam æmuleris alienam. Hic profectò sensus alius, ab eo quem dicimus: Noli inter malignantes esse æmulator, hoc est, prouocator ad imitandum, aut ductor seu author malitiæ ipsorum: vtrobiq; est prouocare. Sed aliud est prouocare aliquem ad imitationẽ, aliud prouocare eum ad iram contra se, quod est irritare. Hi autem qui verbum Hebraicum titthar primo loco positum ab harah, quod significat irasci deriuatũ putant, talem tradunt ex illius verbi sermone sententiam. Non te conturbes, non te in zelum aut iram prouoces, cùm videris malignos prosperè vitam ducere. Noli excandescere contra Dei prouidentiam, vt dicas, quid amplius iusto quàm impio, cùm in hoc seculo videamus magis prosperè succedere impus, quàm iustis, quid prodest iustè viuere? Quia ergo in nõnullis scripturæ locis interpres Latinus parazilo compositum verbum, & zilo simplex, vertit in eandem Latinam dictionem æmulor: hinc est, vt æmulor in sacris literis interdum exponendum est per irritare, prouocare seu adducere ad zelum, æmulationem, vel iram, quemadmodum ibi: An æmula-
Rom.11.b mur Dominum? 1. ad Corinth. 10. Et ad Romanos: Illorũ delicto salus est gentibus, vt illos æmulentur. Quod Deuteronomij 32. in nostra ædition̄e iuxta Hebraicam veritatem Hieronymus transtulit: Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis, & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Hæc secundùm posteriorem partem, in qua videlicet dicimus: Ego prouocabo eos, &c. Paulus ad Romanos 10. citauit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. In omnibus supradictis locis, pro eo quod est ad æmulationem adducere, seu concitare ad iram, vna vox Græca est, videlicet parazilo: quod eruditi interpretes verterunt per prouoco ad iram, seu zelum & æmulationem: & id quidem significantius, quàm per æmulor. Quia ergo in quibusdam scripturę locis interpres Latinus, parazilo compositum verbum & zilo simplex vertit in eandem dictionem Latinam æmulor: hinc factum est, vt æmulor in sacris literis interdum sit exponendum per irritare, seu in zelum iræ concitare. Eius ergo quod dicitur: In zelum me adduxerunt, & cæt. hoc significat, quòd colentes non Deum, sed idola, in iram me concitauerunt. Quisquis peccat, is Deum in iram seu zelum contra se prouocat. Eius verò quod dicitur: Ego vos ad æmulationem adducam in non gentem, sensus est: Ego vos in zelum, iram, seu inuidiam inducam contra non gentem, contra populum stultum, id est, contra populum à vobis nihili reputatum. Quæ prophetia impleta est, dum in

Zelus Iudæorum contra Christianos. Deut.32.d

in hodiernum diem Iudæi videntes & multitudinẽ gentium cõgregari cum Deo Abraham, & Christi ecclesiam crescere, suam autẽ synagogam diminui, æmulantur nos, id est, æmulatione nos persequũtur, hoc est, incessabili odio & inuidia nobis indignari, & nos insectari non cessant. Contra gentes aũt, qui vel blasphemant Deum Abraham, vel idola colunt, non sic (inquit Origenes) concitantur. In omnibus ergo scripturis, qualis sit zelus, qualis æmulatio, quale zelari & æmulari, ex circunstantia literæ, & sententiarũ cohærentia est considerandum. Nunc enim est zelus erga quempiã, nunc contra aliquẽ, nunc pro aliquo, nunc zelus malus, nunc bonus. Est & forsitan, vt inquit Hieronymus, zelus quidam medius: omnis tamẽ Hieronymus. zelus qualiscunque fuerit, ex amore nascitur, & amori coniungitur, & ex amore illo, nunc erga aliquem, nunc contra aliquem sectatur aliquid. Quibus fit, vt zelus & æmulatio dicãtur tam in bonam, q̃ in malam partẽ, & tam apud improbos ac impios, quàm apud iustos ac rectos dicuntur homines zelosi ac zelatores. Suus cuiq; nationi zelus, suaque æmulatio pro lege sua, pro cæremonijs, pro idolis, pro filijs, & parentibus. Neq; oportet hæc nomina æquiuocè esse accepta, propterea quòd nunc in bonam partem, nunc in malam partẽ reperiuntur accepta: ad Galatas 4. verbum æmulari ter repetitum, non ob id oportet variam habere significationem, quòd accipiatur duobus prioribus locis in malam, in postremo autem loco in bonam partem. Ex supradictis patet magna sententiarum ambiguitas, emergens ex verbis zelari, æmulari, zeli, & æmulationis. Sermo, quo dicitur quispiam ob aliud zelare aut æmulari alium, quadruplicẽ potest habere sensum.

Primus est, quo significatur is vehementer illud desiderare ei, quem amat, solicitè nitens vt ille sectetur ipsum, & acquirat vel custodiat illud. Et secundùm hunc modum contingit & bene & malè æmulari. Vnde Ecclesiastici nono dicitur: Non zeles gloriam & opes. Et in Psalmo: Neque zelaueris facientes iniquitatem. Ex bona æmulatione ait Paulus: Æmulor vos Dei æmulatione, despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Quo verbo significat Paulus, sese castitatem, quæ est in Christo Iesu, vehementer desiderare in Corinthijs, & desiderando etiam solicitus curare & conari, vt Corinthij tales sint & permaneant. Sic ad Romanos loquitur: Ministerium meum honorificabo, si quo modo prouocem carnem meam ad æmulandum: supple, & Christum, & omnes nos in Christum credentes. Mala æmulatione æmulabantur Galatas Pseudoapostoli, de quibus ad Galatas quarto: Æmulantur vos non bene. Quo verbo significat, illos falsos Apostolos vehementer desiderare Galatas cultum legis Moysi, solicitèque conari, vt Galatæ imitarentur ipsos, & tales fierent, quales erant ipsi, alieni scilicet à Christo, custodes legis Moysi. Sic & Paulus ante conuersionem suam, zelum Dei habens, non secundùm scientiam legis Moysi, æmulabatur fratres secundùm carnem, volens illos & facere alienos ab Euangelio Christi, & pertrahere ad ritum legis Moysi. Secundus sensus est, quo significatur is vehementer desiderare sibimetipsi acquirere illud, quod in altero amat, solicitus vt imitetur illum, & sit talis qualis est ille. Sic nos qui minores sumus, æmulamur viros sanctos, dum ex amore virtutum, quas spectamus in illis, desideramus tales esse, soliciti etiam imitari vestigia, vt tales virtutes acquiramus. Secundùm hanc significationem Suidas, Zilos, inquit, est boni Suidas de significatione zeli. alicuius desiderium, sine aliqua inuidia, quæ ineat animæ: veluti, habet aliquis fortitudinem, hunc zelo ob virtutem, hoc est, desidero possidere & acquirere hoc bonum: non quidem inuidens possidenti, sed quòd velim etiam esse fortis. Sic loquitur Apostolus ad Corinthios: Æmulamini spiritualia, magis autem vt prophetetis. Ac deinceps: Sic vos, quoniam æmulatores estis spiritualiũ ad ædificationem, &c. Sic & contingit vnumquemq; alienum à Christo malè zelari & æmulari

Pfal.36.a
2.Cor.11.a
Rom.11.b
1.Cor.14.a
Eudem.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

æmulari eos, qui in lege mala, aut cultu falsi Dei habentur duces seu exemplares. A

Tertius sensus est, quo intimatur is, qui amat aliquid vel in altero, vel in semetipso vehementer irasci aut ei, quem amat, dum ille nō curat habere seu custodire, quod eum habere vehementer desiderat, aut alteri qui aduersatur, aut impedit hoc quod amat. Sic Deus æmulatur electos suos peccantes, dum corripit. Sic bonus pater diligens in filio suo timorem Dei, obedientiam, & iustitiam, bene zelat filium suum peccantem, & bene æmulatur in zelo seu feruore iræ suæ, non finens peccatum illud permanere impunitum. Tali zelo æmulatur Christus pro honorificentia domus Dei, eijciens ementes & vendentes de templo. De hoc zelo ipse loquitur: Zelus domus tuæ comedit me, hoc est, feruens amor & desiderium ad honorificentiam domus tuæ & cultus tui totam animam meam in se traxit, ignauit, & inflammauit, & ad vltionem concitauit aduersus eos, qui prophanant ipsam. De hoc etiam zelo dicit: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. B Quartus sensus est, quo significatur talis ex inuidia studiose niti contra eum, qui habet, quod se potius, quàm illum habere desiderat, dolens illum haberi talem, qualem non illum, sed seipsum potius haberi desiderat. Et sic zelus semper est malus, de quo dicit Apostolus: Charitas non æmulatur. Sic zelati sunt filij Iacob Ioseph fratrem suum, propterea quòd à patre, plusquam ipsi, diligebatur. Extra istos quatuor sensus alium quendam sensum facit verbum æmulari, acceptum pro irritare, prouocare, seu adducere in æmulationem, zelum, seu iram & odium, quemadmodum accipitur 1. ad Corinth. 10. An æmulamur Dominum? Sic qui peccat, Deum æmulatur, id est, ad æmulationem & iram contra se prouocat. Verùm hæc quinta significatio, quàmuis respondeat verbo Hebræo tecannech, quod apud Hebræos omnes hos quinq; sensus reperiatur facere: impropria tamen videtur esse dictioni Latinæ æmulor, & Græco verbo zilo, quàmuis dictio composita parazilo sic reperiatur accepta, quemadmodum ex superioribus patet. Et hæc de zelo & æmulatione dicta sufficiant. C Amplius autem sunt in scripturis diuinis considerandi sermones significantes necessitatem quandam, aut impossibilitatē. Huiuscemodi sunt, 1. ad Corinth. 9. inquit de semetipso Paulus: Si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Et 1. ad Corint. 11. oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant. Itē Christus inquit: Væ mundo ab scandalis, necesse enim est vt scandala fiant. Insuper ait ipse discipulis suis: Impossibile est vt non veniant scandala. Et apud Iohannē de Iudæis inquit: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum. Qui ex Deo est, non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Item: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, rursus renouari per pœnitentiam. Insuper & apud Prophetam legimus, quasdam esse nobis necessitates, à quibus cupimus liberari. Pro huiuscemodi ergo scripturis intelligendis sciendum, quòd Necesse, secundùm communem nominis rationem, appellatum est, quasi non cedens, seu non cessans, quemadmodum cœlum necessariò mouetur. Vnde & necessarij dicuntur inter se cognati, quòd nulla sit inter eos cessatio ab officijs vinculi sanguinis. Vnde & ipsum quod impedire non possumus, necessarium dicitur. Hinc necessitas ex communi quadam nominis ratione dicitur, secundùm quam res non potest non esse. Est autem multiplex. Nam est necessitas naturæ seu essentiæ absoluta. Est necessitas ad aliud. Est insuper necessitas rei ex suppositione suæ causæ, aut efficientis, aut finalis. Est & necessitas quædam miseriæ, seu per violentiam, qua premitur quis contra desiderium suum. Est necessitas legis seu præcepti. Est enim necessitas causæ necessariò agentis seu mouentis. Postremùm est necessitas propositionis, & necessitas cōsequentiæ, de quibus disputant dialectici, quæ in multis scripturæ sacræ locis designatur. Necessi-

Pſalm. 68. b
Iohan. 2. c

Pſalm. 118. g
Geneſ. 37.

De neceſſario & impoſsibili.

Matth 18. a
Luc 17. a
Iohan. 11. f

Heb. 6. a
Pſalm. 24

Multiplex neceſsitas.

CAP. I.

A tas essendi absoluta est, cuius nulla est causa vt sit necessitas: quæ cùm non dependeat ab vlla superiori potestate, non potest impediri ab vlla potestate. Sic solus Deus est necessitas absoluta. Solus Deus necessariò est viuens, immortalis, intelligens, sapiens, & omnipotēs, in quo omnes necessitates absolutæ compositionum, connexionum, consequentiarum sunt, vna immutabilis & inuariabilis necessitas. Necessitas ad aliud est, secundùm quam res aliquæ dicuntur necessariæ ei, quod non potest sine ipsis permanere. Et hæc insuper est gemina. Aliter enim corpus & anima sunt homini necessaria, aliter respirare & alimenta sunt eidem homini necessaria. Nàm potestas quædam superior est, quæ potest facere, quòd homo sine respiratione & alimētis viuat, quemadmodum post resurrectionem homines victuri sunt: sed nulla est potestas, quæ potest facere, quòd homo sine corpore & anima permaneat. Necessitas ex suppositione est, secundùm quam aliquid argumento irrefragabili sequitur ex re aliqua, vel ex sententia præsuppositā, veluti cùm dicimus: Si sic malè vixeris, necessariò damnaberis. Talis necessitas est, secundùm quam aliquid non potest non esse, suppositā actione causæ efficientis, ad quam necessitate naturæ hoc sequitur, quēadmodum dicimus: Necesse est hunc qui tali vtitur diæta, ægrotare. Ad hanc necessitatem reducitur, & necessitas ex suppositione finis, secundùm quam videlicet effectus aliquis est necessarius consecutioni alicuius finis, quemadmodum dicimus, quòd bibere medicinā necessarium est homini ægroto, vt sanetur: & nauigare mari necessariū est homini vt sit in patria. Et hæc est necessitas conditionata: Si vis ad vitam ingredi, necessarium est tibi seruare mandata. Sic & in scripturis sacris multa dicuntur necessaria ad aliud, propterea quòd alicui sunt necessaria, vt sanitati corporis, aut saluti animæ, aut alteri fini. Hæc necessitas ex suppositione causæ non est aliud, quàm necessitas consequentiæ causalis propositionis. Necessitas miseriæ seu angustiæ est, quam quis per violentiam patitur inuitus, quemadmodum dicimus, necessitas famis, necessitas carceris, necessitas mortis. Et hæc rursum est gemina: Vna, dum is qui patitur, non potest vllo pacto hæc mala impedire, quemadmodum adiudicatus morti, velit, nolit, mortem patitur: & hæc est necessitas coactionis & violentię. Altera, dum hoc malum quis potest aliquo pacto impedire, aliud aliquid aut faciendo, aut patiendo: ficut cùm quis famem, aut carcerem, aut mortem impedire potest, aut furando, aut Christum negando, aut euangelizando, aut laborando. Vnde dicimus, necessitas famis, aut mortis, aut cruciatus coegit me aut euangelizare, aut laborare, audire sacra, aut furari, & adulterari: quia hæc mala videlicet famem aut mortem, & cruciatum aliter vitare non potui. Est rursus & legis seu præcepti, aut iustitiæ necessitas, quam quis nō potest impedire, cùm non possit eam tollere, secundùm quam & necessarium est viuere, si velit seruare iustitiam, & nolit pœnam luere. Necessitas causę necessariò agentis est, secundùm quam sic agit causa ex vi & inclinatione sibi impressa, vt non possit cessare ab actione, quemadmodum ignis ex necessitate vrit & calefacit corpus sibi proximum, vis in homine digestiua, aut nutritiua ex necessitate operatur. Cuilibet necessitati sua quædam respondet impossibilitas. Si enim necesse est Deum esse veritatem, & fidelem in verbis suis, impossibile est Deum mentiri. Si necesse est hominem, qui intemperata diæta vtitur, ęgrotare, impossibile est eum, qui tali vtitur diæta non ęgrotare. Si bibere medicinam necessarium est homini ęgroto, vt sanetur, impossibile est hominem sanari si non biberit medicinam. Si necesse est vt scandala fiant, impossibile est vt scandala non fiant. Priorē sententiam expressit Christus apud Matthęum, posteriorē apud Lucam. Si necessitate legis aut iustitię seruandę, oporteat hominem legem seruare, consequens est eum non posse legem transgredi, quia non licitè, nec iure potest. His consideratis aperitur via intelligendi

B

C

D

Matth. 18. a
Luc. 17. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

gendi scripturas, in quibus significatur aliquid necesse vel impossibile aut fieri, aut esse. In omnibus scripturis illis considerare oportet, qualis & quid sit huiusmodi necessitas. Apostolus cùm ad Galatas 4. dicit: Testimonium perhibeo vobis, quoniam si fieri potuisset oculos vestros eruisletis, & dedisletis eos mihi. Significat Galatas non potuisse sibi eruere oculos: sed hæc erat impotentia, secundùm quam non poterat eis fas esse aut licitum hoc facere. Est posse per potentiam, est & posse per iustitiam. Hoc possumus facere, quod iure possumus: quod autem iniustum est, facere non possumus. de qua impossibilitate loquitur & Paulus: Non enim possumus aliquid aduersus veritatem. De necessitatibus meis erue me. Saluasti de necessitatibus animam meam. De necessitatibus eorum eripuit eos, & liberauit illos. Vbi Hieronymus vertens pro necessitatibus posuit angustias seu tribulationes, dicens: De angustijs meis eripe me. Saluasti de tribulationibus animam meam. Vnde necessitates hic appellantur omnia mala, quæ impedire non possumus, vt omnes vitæ huius miseriæ & persecutiones. Proinde inter has necessitates sunt motus concupiscentiæ, quos etiam pius animus plerunq; sentit inuitus, quemadmodum ignis ex necessitate inclinationis vrit & calefacit, ita plerunque & caro per peccatum in illo habitans, suos agit motus concupiscentiæ, etiam voluntate inuita. Ab his necessitatibus liberari cupiebat Paulus: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sunt qui dicunt Apostolum Paulum de huiuscemodi necessitate famis fuisse locutum 1. ad Corinth. 9. Si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi, si non euangelizauero. intelligentes: ego si euangelizo, sic scilicet quemadmodum pseudoapostoli propter corpus fulciendum & sustentandum, non est mihi gloria. Necessitas enim sustentandæ vitæ huius incumbit mihi, dum vnde viuam aliunde non habeam. Væ enim mihi est si non euãgelizauero, quia fame cruciabor, & vnde viuam non habeo. Si autem volens ad lucrifaciendum Christo animas, & non propter sustentandam vitam corporalem euangelizo, mercedem habeo. Alij interpretãtur Apostolum illic esse locutum de præcepti aut legis necessitate, secundùm quam oportet hominem aut operari, & secundùm legem viuere aut pœnam luere. De tali necessitate loquitur scriptura multis in locis: Oportet Episcopum esse sine crimine, pudicum, sobrium, non vinolentũ. Oportet nos semper orare, & non deficere. Necesse erat occidi pascha. Oportet nos nasci denuò. Accedentem ad Deum oportet credere. Vobis oportebat primùm loqui. Paulo in nocte apparuit Iesus, dicens: Sicut testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari. In huiuscemodi scripturis per verbum oportet, significatur non absoluta necessitas rerum aut euentuum, sed legis aut iustitiæ debitum, quo quis sic necessitate constringitur, vt hæc faciat si velit seruare iustitiam, vitare peccatum, & euadere supplicij reatum. Aut ergo de priori, aut de hac necessitate secundùm aliorum sentẽtiam loquitur Apostolus in supradicto cap. 9. 1. ad Corinth. vt sit sensus: si euangelizauero, supple, vel sic vt alij pro quæstu & cibo sustentandæ vitæ, vel sub præcepto coactus timore seruili, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit, hoc est, præcepti necessitas mihi imposita est, vt merear pœnam magnam, si non euangelizauero. Vnde subdit: Væ enim mihi si non euangelizauero. Si autem non necessitate famis ductus, neq; timore pœnæ coactus, volens & spontaneè ex amore iustitiæ ad pascendum gregem Christi euangelizo, mercedem habeo. Vtraque expositio continet sententiam Paulo viro sancto dignam. Secundùm vtranque insuper interpretationem designatur, necessitas hæc non auferre liberam potestatem voluntatis. Nam in eo quod subiungit: Væ mihi est, si non euangelizauero. Si autẽ volens hæc ago, mercedem habeo. Apertè insinuat se habuisse liberam voluntatem, & euangelizare, & tacere. Vnde & sciendum est, quòd ipse Apostolus in capite illo nono primùm omnibus modis docet quid sibi liceat, ostendens videlicet se habere potestatem accipiendi vitæ suæ sustentationem ab his, quibus euangelizabat, iuxta ordinationem Christi, qui ordinauit his, qui euangelium annunciant, licitum esse de Euangelio viuere, dicens: Dignus est operarius cibo suo. Et alibi: Dignus est operarius mercede sua. Vnde & naturalis ratio hoc habet, vt quis inde viuat vbi laborat. Cibus quidem est merces debita euangelizanti, sed non est merces, propter quam quis potest euangelizare. De necessitate ex suppositione causæ efficientis, quam præuidet futuram, loquitur Christus cùm dicit: Necesse est vt veniant scandala: quemadmodum si medicus videns hominem vtentem mala diæta, dicat: necesse est hunc ægrotare. Ita stante lapsu, imbecillitate, peruersitate humanæ generis, Christus præuidens zizania inter electos crescere vsque in consummationẽ seculi, dicit. Necesse est vt interdum scandala fiant. & hoc indicat sententia immediatè præmissa: Væ mundo, inquit, ab scandalis, hoc est, malè erit mundo ob scandala, & tunc subiungit: necesse est enim vt scandala fiant, apertè insinuãs necessarium esse, vt in mundo fiant scandala: in mundo, inquam, de quo Iohannes: Mundus totus in maligno positus est. Sed non inde consequens est, hominem prorsus inuitum & inuoluntariũ scandalizare, & peccare. Vnde & continuò adijciens: Veruntamẽ væ homini illi, per quem scãdalum venit. Satis docuit hanc necessitatem, neque cogere, neque excusare eum, qui scandalizat. Loquitur autẽ illis Christus de scandalo gemino, tam passiuo videlicet, quàm activo: palàm insinuans hominem habere in potestate non solùm, ne sit alteri offendiculo, verùm etiam ne ruat ex alterius offendiculo. Si manus tua, inquit, aut pes tuus scandalizat te, abscinde, &c. Deinde & si necesse sit, vt stantibus naturæ inclinationibus in mundo fiant & generationes & commixtiones coniugum: non tamen inde consequens est, quòd homo quispiam interdum ex necessitate aut generet, aut suæ vxori commisceatur. Nam super aliud hic, super aliud illic designatur necessitas. Sic alia designatur necessitas, cùm dicitur: Necesse est vt in mundo scandala veniant. alia, cùm dicitur: Necesse est hunc hominem scandalizare. Nam in priori propositione significatur necessitas veritatis propositionis eius, qua dicitur: In mundo scandala veniunt. In posteriori autem designatur peccare vel scandalizare necessariò conuenire rei, quæ subijcitur: Quàmuis ergo necesse est vt veniant scandala in mundo, non tamen oportet per te scandala fieri. Nam si vis vt te non tangãt scandala, exi de mundo, vt sis in societate eorum, quibus Christus dicit: Ego elegi vos de mundo. Nam etsi mille sint scandala, non tangent eum, qui non fuerit de hoc mundo, in quem intrauit peccatũ per vnum hominem. Deinde etiam hoc considerandum, quàmuis homo iustus non potest diu viuere, quin interdum peccet: tamen non inde consequens est, vllum hominem vnquam aut inuitum, aut ex necessitate peccare. Sed de his in sequentibus libris latius plano lucidoque sermone. De huiuscemodi consequentiarum inualiditate tractat Origenes homilia 5. super Matthæum, addens hanc impossibilitatem viuendi prorsus sine peccato, & necessitatẽ veniendi scandala in hoc mundo, non esse in natura aliqua à Deo sic instituta, sed ortam esse ex arbitrij libertate. Amplius autẽ tradit ibidem, aliud esse ipsa scandala, aliud homines, per quos veniunt scandala. Venientia scandala sunt (inquit) angeli satanæ, & malignus dæmonum chorus, qui hominibus de mundo scandala seu impedimẽta ponere non cessant, quærentes organa, per quos operentur, & ita scandala venire necesse est: sed nõ per illum hominẽ, per quem veniunt, necesse est venire illa. De necessitate medij necessarij ad consequutionẽ finis loquitur scriptura: Non qui sani sunt, sed qui malè habẽt necesse habẽt medico. Si vis ad vitã ingredi, necessariũ est tibi seruare

Galat. 4. b
2. Cor. 13. c
Psalm. 24. d & 30. b & 106. a
Hieronym.
Rom. 7. d
1. Cor. 9. b
Tit. 1. b
Luc. 8. a
Luc 22. a
Iohan. 3. a
Heb. 11 b
Act. 13. g & 23. c
Exponit textũ 1. Conn. 9.
Matth. 10. b
Luc. 10. b
Necessitas ex suppositione.
Matth. 18. a
Matth. 18. a
Eodem. a
1. Iohan. 5. d
Matth. 18. a
Necessitas scãdali & peccati
Matth. 5. a
Matth. 18. a
Origenes
Iohan. 15. c
Marci. 2. c
Matth. 19. c

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC. uare mandata. In eo autem quod ſcriptura dicit: Propterea non poterant credere, quia Iſaias dixit: Excæcauit Deus oculos eorum. non ſignificatur abſoluta impoſsibilitas credulitatis Iudæorum, ſed impoſsibilitas connexionis illius credulitatis cum veritate prophetię, qua pręuiſum erat illos non eſſe credituros: impoſsibile eſt, Deum præuidere Iudæos non eſſe credituros, & tamen Iudæos eſſe credituros. Quemadmodum ſi diceremus: Propterea non poteſt iuſtus electus tranſgredi, quia præuidit eum Deus non tranſgreſſurum. non ſignificatur, quòd iuſtus tranſgredi non poſsit, quia contra hoc loquitur ſcriptura: Potuit malum facere, & non fecit. Ex quo concluditur infallibilem Dei præſcientiam ac prouidentiam non adimere homini poteſtatem & bene & malè operandi, quod adiuuãte Deo, infrà latius in lib. de Concordia prædeſt. & liberi arbit. argumentis ſumus oſtenſuri. Eius quod Paulus dicit: Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant, 1. ad Corinth. 11. ſententia eſt accipienda ex ſententiarum cohærentia. Præmiſerat: Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant. Loquitur enim non de abſoluta neceſsitate criminis hæreſis, tanquam illud futurum ſit ex cauſa ſua neceſſariò agente, ſed de neceſsitate ex ſuppoſitione, ex tanta videlicet hominum de hoc mundo exiſtentium peruerſitate, & tantis malignorum dæmonum, quærentium deuorare filium Mariæ in credentium cordibus, infeſtationibus, quas electi prorſus impedire non poſſunt, & ex ſuppoſitione diuinæ prouidentiæ ita gubernantis homi num genus, vt etiam mala hæc fieri permittat, quæ cedunt in bonum electorum: quibus cauſis ſtantibus, fieri non poteſt quin hæreſes oriantur. Vnde & ex rebus contingentibus, quæ à ſuis cauſis liberè & contingenter oriuntur, ſecundùm ſucceſsiones temporũ vſq; in finem ſeculi conſtituitur propoſitio neceſſaria. quemadmodum ſi dicam: Neceſſe eſt homines comedere, bibere, generare, ſeminare, plantare, & tamen nullus homo neceſſariò comedit, bibit, plantat, & ſeminat: quẽadmodum declarat Origenes in homilia ſuprà dicta. Iam ſi dixeris: Apoſtolus neceſsitatem illam eſſendi hæreſes, ſignificat eſſe propter finem, vt qui probati ſunt (inquit) manifeſti fiant. Videtur igitur hæc neceſsitas declaranda ex ſuppoſitione finalis cauſæ potius, quàm efficientis, quemadmodum ſi dicam neceſſe eſt medicinas eſſe, vt qui ægroti ſunt ſani fiant. Reſpondeo: Malitia hæreſum à ſua cauſa, non per ſe, ſed per accidens & occaſionem eſt ad finem talem. Neque enim hæretici hanc ſuam hæreſim ad illum finem ordinant, neque Deus hæreſes fieri vult propter talem finem: ſed permittens hæreſes eſſe per malas hominum voluntates, etiam illas facit eſſe vtiles & proficere in ſalutem electorum. Proinde & diligenter annotauit Chryſoſtomus coniunctionem, vt, in ſententia illa apoſtolica, non finalem cauſam, ſed euentum deſignare: vt ſenſus ſit, neceſſe eſt hæreſes in mundo eſſe, ita vt qui probati ſunt manifeſti fiant. Hactenus de neceſsitate & impoſsibili in ſacris literis. Chriſtus cùm ex diſcipulis ſuis interrogaſſet: Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, nunquid aliquid defuit vobis? Et illis reſpondentibus: nihil. Continuò ſecutus adiecit: Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Sermo ſcripturæ ambiguus eſt, tum propter variam acceptionem verbi tollat, quod vno modo poteſt intelligi acceptum, pro ſecum deportet, altero modo pro abijciat, & venundet: tum propter incertitudinem accuſatiui caſus ſubintellecti in verbo, non habet: vbi incertum eſt, an hoc pacto debeat oratio impleri, qui non habet, ſupple ſacculum & peram. an potius hoc pacto: qui non habet, ſupple gladium. Geminus ergo emergit illius ſcripturæ grammaticalis ſenſus. Vnus, agnoſcitis hactenus vobis nihil defuiſſe, ſed ego dico vobis nunc, qui habet ſacculum vel peram, tollat, id eſt, abijciat, venundet, vt ſcilicet diſtracto precio

Ioban. 12. f

Eccle. 31. b

Exponit textũ 1. Cor. 11.

1. Cor. 11.

Exponit textũ Luc. 22. d

CAP. I.

precio gladium emat: & qui non habet ſacculum vel peram vendendam, vendat tunicã ſuam, & emat gladium. Secundùm hunc ſenſum Chriſtus non de portando ſacculo & pera, ſed de ſolo gladio deinceps portando eſt locutus, ita vt velit etiam ſacculum, & peram, & tunicam, ſi neceſſe fuerit, venũdari potius, quàm carere gladio. Alius ſenſus eſt, nunc qui habet ſacculum tollat, id eſt, ſecum portet, ſimiliter & peram: & qui non habet, ſupple gladium, vendat potius tunicam ſuam, & emat gladium. Secundùm hunc ſenſum Chriſtus, non ſolùm de habendo gladio, ſed & de ſacculo & pera portandis locutus eſt. Prior ſenſus cuidam expoſitori adeò placuit, vt ſecundum prorſus tanquam ridendum, & à Chriſtiana philoſophia alienum, abijciat. Verùm ſi ratione iuſta penſemus, videbimus iſtum non eſſe ſenſum à veritate doctrinæ Euangelicæ alienum: præſertim cùm & veteres patres, Chryſoſtomus, Baſilius Magnus, Beda, cæterique nonnulli intellexerunt poſteriorem hunc ſenſum, Chriſtum videlicet ſermonem illum pronunciaſſe non ſolùm de gladio, ſed & de pera, & ſacculo portando: & par ratio ex cohęrentia ſcripturarum videatur eſſe de portando ſacculo & pera, & de portando gladio. Quemadmodum in portando gladio non eſt carnalis inſpicienda litera, vt videlicet Apoſtolis intelligatur Chriſtus dediſſe pręceptum de vendendo corporali veſtimento, ad emendum corporalem gladium, ſed conſyderanda eſt locutio hyperbolica, ſeu parabolica, ſecundùm ſenſum & voluntatem Chriſti loquentis. Ita & in portando ſacculo & pera oportet verbum Chriſti non ad craſſam literam accipere. Relinquatur igitur nobis hac in re geminus ſenſus, & cùm vterque ſit pius & catholicus, ſatius eſt nobis neutrum tractare contumelioſe aut irreuerenter, præſertim cùm Chriſtus huiuſcemodi verbis, neque præceptum vllum, neque conſilium dare voluerit aut de ſacculo vel portando, vel abijciendo, aut de tunica vendenda, & de gladio emendo, aut de cibis & pecunijs, & de armis defenſoris procurandis. Quandoquidem nec gladij multi ſufficerent Apoſtolis nudis & inermibus contra Iudæorum & principum huius mundi tyrannidem: ſed prænunciare voluit inſtare tempora, ſub quibus & indigerent huiuſcemodi adminiculis, & relaxatus eſſet rigor prioris legis eis datæ. Lucæ 10. De non portando ſacculo, pera & baculo, manifeſtum eſt & in rebus aliis, Chriſtum primitus dediſſe præcepta quædam, quæ poſtea relaxauit, qui prius dixit: In viam gentium ne abieritis. poſt reſurrectionẽ dixit: Ite, & docete omnes gentes. Non ergo iubere voluit Chriſtus Apoſtolis, vt deinceps in peris & ſacculis theſaurizarent, vt gladios, lanceas, clypeos, cæteráve arma ad bellandum præpararẽt: ſed denunciare voluit illis futurorum periculorum neceſsitates, tanquam dicat: Hactenus me præſente non defuit vobis quicquam congruum ſeruandis corporibus veſtris, cùm omnia vobis in pace affluxerint abundè: iam deinceps non ſic vobis nihil deerit, non tali pace fruemini, ſed grauis erit vobis vita inter hoſtes, qui etiam alimenta neceſſaria non adminiſtrabunt, ſed & in mortem ducent propter nomen meum, ita vt etiam ſi velitis ſeruare vitam, opus ſit ſacculis, peris & gladiis. Quamobrem hac in re non eſt quòd indignè tractentur expoſitores, docentes Chriſtum huiuſcemodi verbis ſubindicaſſe laxatum eſſe prioris legis rigorem, de non portando ſacculo & baculo, & ea quæ vſque ad id temporis vetita fuerant Apoſtolis, facta eſſe pro loco & tempore eis licita, propter neceſsitates: quibus occurrentibus, aſtringerentur etiam legis naturæ vinculis ſecum interdum portare cibaria, & defenſorium quendam gladium aut baculum: non quòd velit eos de his rebus proſpiciendis eſſe ſolicitos hominum more, ſed ne poſt hac, vt Theophylactus exponit, toti pendeant à præſidio Chriſti, qui hactenus eos non ſecus ac pueros curæ habuit. Hunc ſenſum ſunt qui ſic explanent: Olim cùm miſi vos ſine ſacculo & pera, nihil vobis defuit, non victus, non veſtitus: poſt hæc duriora im-

Tacitè notat Eraſmum.

Chriſtus non præcipere, ſed prædicere voluit.

Theophyla.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

ra imminent tempora, quibus huiuſcemodi auxiliis indigebitis propter odiũ nominis mei, dum ego ipſe relinquar cum iniquis deputatus. Hactenus nec fames, nec perſecutio propter nomen meum contigit, ſed cuncta ſatis proſperè afluxerunt vobis euntibus ſine pera & ſacculo: nunc autem vobis prædicaturis nomen meum, inſtant tempora famis & perſecutionis. Vnde & iuxta Baſilij ſententiam, Chriſtus hæc verba non iubendo, ſed futura prædicendo locutus eſt. *Sæpius* enim ſcriptura vtitur imperatiua ſermonis ſpecie loco prophetiæ. In pluribus tamen libris non inueniuntur imperatiua: accipiat, tollat, emat: ſed indicatiua, accipiet, emet, tollet. Quòd ſi quis dixerit, Chriſtum certi myſterij gratia hoc de vendenda tunica, & emendo gladio dixiſſe, cur non & allegoria recipietur in portando ſacculo & pera: vt quemadmodum gladium euangelicum intelligimus, ita & peram euangelicam, & euangelicum ſacculum. Verùm propter allegoriam non oportet contemnere literalem ſententiam, quæ ex ſententiarum cohærentia videtur deſumpta. Neque ex illa ſequitur, quòd Chriſtus aut hortatus fuerit Apoſtolos, aut iuſſerit, ſeu conſuluerit eis portare peram & gladium ad defenſionem ſeu prouiſionẽ alimoniæ, aut relaxauerit præcepta euangelicæ manſuetudinis de non reſiſtendo malo, aut conceſſerit Apoſtolis vel bellare, vel parare arma ad bellandum: tametſi ex eadem conſequens ſit, Chriſtum ſatis indicaſſe, portare ſacculum pro neceſsitate alimoniæ, & gladium ſeu baculum pro defenſione naturæ, non ſemper illicita fore.

Baſilius.

A

B

De ſignificatione nominis Spiritus in ſcripturis.

Iam de varia ſignificatione ſpiritus in ſcripturis ſacris videamus. Spiritus & ventus apud Hebræos (inquit Hieronymus) eodem appellantur vocabulo, zuha. Et pro ſenſu loci, nunc ſpiritum, nunc ventum ſolemus accipere. Spiritum autem non pro vento acceptum, nunc angelum bonum, nunc angelum malum, nunc animam hominis ſolemus intelligere, vt in oratione Saluatoris: In manus tuas pater commendo ſpiritum meum, id eſt, animam meam. Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus. Vnde Origenes: Sicut in epiſtola ad Romanos diuerſæ ſignificantur leges ſub vno legis vocabulo, & diuerſæ mortes ſub vna mortis appellatione: ita & in eadem epiſtola diuerſos videmus ſpiritus ſub vno nomine ſpiritus indicari. Capite 8. ad Romanos nomen ſpiritus ſuprà ſexies & decies repetitum, ſemper pro ſpiritu ſancto accipitur, præterquàm in eo loco, vbi dicitur: ſpiritui noſtro. Orationes de ſpiritu ſancto illic legimus: Lex ſpiritus vitæ. Secundùm ſpiritum ambulamus. Qui ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſpiritus ſunt ſentiunt. Prudentia ſpiritus, pax & vita. Vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Spiritus viuit propter iuſtificationem. Viuit inquam, id eſt, nos viuere facit, aut vitam nobis præſtat, aut nobis vita eſt: vnde in Græcis pro viuit, eſt vita. Sic habet Ambroſij textus. Sic & Hilarius, Athanaſius, & Auguſtinus interpretantur. Secundùm noſtram ergo æditionem exponitur: Spiritus ſanctus viuit, ſupple, in nobis. Vnde ſequitur apud Paulum: Quòd ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, &c. Item: Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis. Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, primitias ſpiritus habentes. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Spiritus ingemiſcit pro nobis. Spiritus deſiderat & poſtulat pro nobis. His omnibus in locis ſpiritus intelligitur pro ſpiritu ſancto acceptus, qui habitat in nobis ad adiuuandum imbecillitates noſtras, qui per omniũ iuſtorum labia ſonat, qui & pro vniuſcuiuſque neceſsitatibus ipſum clamorem cordium ad Deum in ſingulis formans congrua ratione poſtulare, ingemiſcere, & orare in nobis dicitur, quia ipſe operatur in nobis vt hæc faciamus. Proinde idem ſpiritus ſanctus dicitur ſpiritus timoris, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus fidei, charitatis

Pſalm. 30. b
Pſalm. 103. d
Eccl. 1. c

Origenes.

Rom. 8

Rom. 8.

C

D

A ritatis & pacis. In eodem verò cap. 8. cùm dicit: Ipſe ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Manifeſtum eſt ex ipſo ſermone, ſpiritum noſtrum accipi non pro ſpiritu ſancto, ſed pro noſtro animo. Videtur quoq; ſpiritus pro animo noſtro accipi, cùm dicitur: Corpus mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò viuit propter iuſtificationẽ. Verùm huic expoſitioni non conueniunt, neque codices Græci, neque prædictorum ſanctorum interpretationes, quemadmodum iam patuit. Sic apud Apoſtolum ad Galatas 5. dicentem: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: credimus ſpiritũ accipi pro ſancto ſpiritu, propterea q illic dicitur: Spiritu ambulare, ſpiritu duci, ſpiritu viuere: & fructus ſpiritus eſſe charitatem, gaudium, pacem, patientiam. Spiritus ſanctus in nobis concupiſcit aduerſus carnem, dum facit ſpiritum noſtrum aduerſus carnem concupiſcere. Proinde non multum refert, ſi quis dixerit illic ſpiritum accipi pro ſpiritu humano, ſiue hominis animo, qui per ſpiritum ſanctum inhabitantem factus iam eſt ſpiritualis, cœleſtia amplectens, crucifigens carnem cum vitiis & cõcupiſcentiis ſuis. Sic Diuus Hieronymus docet animam ſimul eſſe carnem & ſpiritum, id eſt, carnalem & ſpiritalem, ſecundùm diuerſas in ipſo leges, hoc eſt, ſecundùm legem mentis, quæ eſt lex Dei ſeu lex fidei & charitatis, & ſecundùm legem carnis. De ſignificatione nominis ſpiritus in ſacris literis poſiti, tractat Auguſtinus copioſe 13. De Ciuitate Dei, primùm tradens differentiam inter duo nomina Græca, pnoen & pneuma, dicens: Quod Græcè pnoe dicitur, Latini aliquando flatum, aliquando ſpiritum, aliquando inſpirationem vel aſpirationem, aliquãdo etiam animum ſunt interpretati: pneuma verò nunquam, niſi ſpiritum. ſiue hominis, de quo ait Apoſtolus: Quis enim hominũ ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo. Siue pecoris, ſicut Eccleſiaſtes 3. Si ſpiritus pecoris deſcendat deorſum in terram. Siue iſtum corporeum, qui etiam ventus dicitur, vt in Pſalmo: Spiritus procellarũ ſeu tempeſtatis. Siue iam non creatum, ſed creatorem, de quo dicit Dominus in Euangelio: Deus ſpiritus eſt. His quippe omnibus, alijſque plurimis teſtimoniis ſcripturarum, quantum ad Græcos attinet, non pnoen videmus ſcriptum eſſe, ſed pneuma: quantum autem ad Latinos, non flatum, ſed ſpiritum. De acceptione autem nominis ſpiritus in ſcripturis ſacris, idem Auguſtinus tradit regulam lib. 2. ad Simplicianum, quæſt. 1. & alijs in locis: Vbicunq; (inquit) ſpiritus Domini, vel ſpiritus Dei, vel ſpiritus Chriſti, in ſacris ſcripturis ſine additamẽto inuenitur, ſpiritus ſanctus eſſe à nullo ſenſu ſano dubitatur: vbicunque verò cum additamento, dicitur eſſe ſpiritus Domini malus. vt in lib. Samuelis: intelligitur diabolus, qui ſpiritus Domini propter miniſterium appellatur, malus autem propter vitium. 1. Regum 16. Spiritus Domini receſsit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino. Et infrà: Quando ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, tollebat Dauid citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, leuiuſque habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Verùm ſciendum eſt, quòd ſpiritus Domini bonus qui in Prophetis loquebatur, etiam locutus eſt interdum in malis hominibus, vt in Baalam & in afina eius, in Saul 1. Regum 19. & in Caypha pontifice. Inſuper & ſpiritus Dei malus etiam interdum in ſcripturis ſecundùm quendam prophetiæ modum Prophetas facit, quemadmodum 1. Regum 18. Poſt diem autem alterum ſpiritus Dei malus inuaſit Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ. De ſpiritu verò cùm ſingulariter dicitur, & non additur vel ſanctus, vel Domini, vel Dei, vel Chriſti, vel aliud, quod ad expreſſe ſignandum ſpiritũ ſanctum pertinet. Iam olim patres in ſcripturis ſacris exercitati, conſiderauerũt nomen ſpiritus ſemper acceptum pro ſpiritu ſancto. De quo Origenes: Quidam ſanè (inquit) ex præceſſoribus noſtris in nouo teſtamento obſeruant, quòd ſicubi ſpiritus nomina-

CAP. I.

Galat. 5. c

Hieronym.

Aug. de ciuit. te Dei ca. 24. d

1. Corint. 2. c
Eccleſiaſt. 3. d
Pſalm. 148.

Ioban. 4. d

Augu. regula de ſignificationes ſpiritus.

Ioban. 11.

Regula Orig. de ſpiritu lib. 1 Periarchon.

B

C

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur sine adiectione ea, quæ assignet qualis sit spiritus, de spiritu sancto debere intelligi. vt puta: Cùm cœperitis spiritu, nunc carne perficimini. Item: Ductus est Iesus à spiritu in desertum. Spiritus vbi vult spirat. Quàmuis sint in hoc postremo loco, qui dicant spiritum pro flatu accipi, de quo infrà. Hanc regulam extendit illic Origenes etiam ad scripturas veteris legis. Nos verò (inquit) etiam in veteri testamento putamus distinctionem istam posse seruari. Spiritus sanctus, qui super aquas ferebatur, puto (inquit) quòd non sit alius, quàm spiritus sanctus: qui etsi modo quodam peculiari foueat, ac teneat in æquitate & iustitia rationales spiritus & iustorum hominum corda: ipse tamen etiam omnia creata, tam inanimata quàm animata, tam irrationalia quàm rationalia sustentat, suoque influxu conseruat. Proinde & de spiritu sancto intelligitur verbum Prophetæ: Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Auferes spiritum eorum, & deficient. Sic in eo, quod dicitur: Adduxit Dominus spiritum super terram, & imminutæ sunt aquę. Spiritus pro spiritu sancto accipitur, quàmuis sint alij, qui dicant ipsum pro vento seu flatu illic acceptum esse: verùm hoc nihil refert, nam spiritus Dei per ventum operatur suum opus. Secundùm hanc considerationem, in eo quod dicitur: Non permanebit spiritus meus in homine inæternum, quia caro est. Nomen spiritus pro spiritu Dei bono videtur acceptum. Vnde hoc tractans Hieronymus: In Hebræo (inquit) scriptum est: Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt. Tanquam dicat: Quia fragilis est humana conditio, non homines ad æternos seruabo cruciatus, sed hic illis restituam quod merentur. Et ita verbum hoc non seueritatem, inquit Hieronymus, vt in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. Verùm Deus ne videretur in puniendo esse crudelis, quòd peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adiecit: Sed erunt dies illorum centum viginti anni. Quia verò pœnitentiam agere contempserunt, noluit Deus tempus expectare decretum, sed viginti annorum spatijs amputatis induxit diluuium, anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato. Hactenus ille. Videtur itaque sensus illius scripturæ talis esse: Non permanebit spiritus meus contra homines, quia caro sunt. Vnde sciendum est, quòd spiritus Dei in scripturis non solùm ad beneficia, sed etiam ad vindictam memoratur, & nominatur spiritus iræ diuinæ, spiritus timoris. Exodi 15. (contra Ægyptios) Flauit spiritus tuus, & cooperuit eos mare. Ira spiritus boni est, de qua dicitur Psalmo 17. Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ. Idem ipse spiritus, qui primùm est spiritus timoris, terroris, indignationis, & iræ, incipit per Christi charitatem esse spiritus adoptionis, & peracletus, id est, consolator. Sic & Hieronymus multis in locis docet, quòd spiritus peruersus nunquam nisi cum additamento in scripturis sacris sit lectus. Vbicunq; autem spiritus in scripturis absolutè, id est, sine additamento ponitur, spiritus sanctus intelligitur. Vnde in cõmentarijs Micheæ cap. 2. Quòd autem spiritus tam in nouo, inquit, quàm in veteri testamento, vbicunque sine additamento ponitur, in bonam partẽ intelligatur, & sæpe diximus, & nunc ex parte ponemus, ne cui dubium sit. Fructus autem spiritus, charitas & gaudium, &c. Et si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Et alibi: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis. Et in veteri testamento, dans flatum populo qui est in terra, & spiritum his qui calcant eam, id est, spiritum sanctum his, qui terrena pedibus suis subijciunt. Et Micheæ 2. Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer. Et econtrario, malus spiritus semper cum additamẽto legitur. Item Abacuc. 2. tractans illud: Ecce iste coopertus est auro & argento, & omnis spiritus non est in eo. Si quis opposuerit, quomodo spiritus in idolis, inquit, non esse dicatur, cùm omnibus simulachris assideant immũdi spiritus, discat scripturæ

Gala. 5. a
Matth. 4. a
Iohan 3. d
Genes. 1. a
Psalm. 103. d
Eodem.
Genes. 8. a
Genes. 6 a
Hiero. in quæs. super Genes.
Genes. 6 a
Exod. 15. b
Psalm. 17. c
Regula Hiero. ad Iciẽdũ pro qua re Spiritꝰ accipiatur in scriptura.
Galat. 5. & 6. Rom. 8. c
Isaiæ. 42. a

pturæ sacræ consuetudinem, nunquam spiritum peruersum absolutè, sed cum additamento aliquo spiritum nuncupari. Spiritus autem vbicunque solus, & absque aliquo additamento legitur, semper refertur ad bonam partem, id est, ad spiritũ sanctum, vt est illud: Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Secundùm hanc considerationem in eo, quod dicitur: Pauperes spiritu, sub nomine (spiritu) videtur spiritus sanctus esse significatus, vt intelligantur esse beati, qui ex spiritu sancto sunt pauperes, hoc est, pusilli & parui in oculis, & in æstimatione sua: qui non in se, non in suis viribus, virtutibus, aut operibus, aut diuitiis, aut in hominibus, sed in Domino Deo confidunt & gloriantur: quàmuis & hic possemus dicere, spiritum non absolutè positum, sed cum additamẽto pauperes, quod à paruo appellatum, egestatem quandam indicat. Vnde non erit forsitan absurda interpretatio, si intelligatur spiritu, acceptum pro animo seu spiritu hominis, qui sæpe in scripturis nomine spiritus appellatur, vt pauperes spiritu intelligantur, pusilles animo, siue parui, non tumore aut fastu animoso. Sic Isaiæ quinquagesimoseptimo, pro eo quod Hieronymus transtulit, pauperes spiritu, septuaginta transtulerunt, pusillanimes, id est, pusilles animo, non superba animositate tumidi aut inflati. Huic interpretationi congruit doctrina Augustini, homilia festiuitatis omnium sanctorum, & doctrina Bernardi, interpretantis spiritu, id est, spirituali voluntate. Verùm siue sic, siue aliter interprétetur sub eo, quod dicimus, pauperes spiritu, in scripturis sacris intelliguntur humiles, secundùm eam humilitatem, quæ est spiritus sancti opus, quæ & iuxta Diui Bernardi sententiam est duplex: altera cognitionis, altera affectionis. Priore cognoscimus, quòd nihil sumus, & hanc discimus à nobisipsis, & ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi & diuitias huius seculi. Contrà verò diuites spiritu sunt, qui multitudine diuitiarum suarum gloriantur, qui cupidi sunt honorum & diuitiarum. Fuerunt quidam philosophi voluntariè relinquentes omnia huius mundi bona, contemnentes etiam gloriam eius, sed tamen non pauperes spiritu, quia suis viribus fisi, suam voluerunt constituere iustitiam, arbitrantes suis studijs se fieri iustos & bonos à semetipsis, interim etiam sibi placentes, & sibi viuere cupientes: proinde non secundùm spiritum pauperes. Secundùm præmissam considerationem, spiritus apud euangelistas, & apud Paulum apostolum multis in locis absolutè positus, spiritum sanctum significat, vt apud Iohannem: Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Item: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquã. Verba quæ ego locutus sum spiritus & vita sunt. tanquam dicat: Spiritus rectæ fidei de manducãdo carne mea, & bibendo sanguine meo, est qui viuificat, id est. vitam adfert spiritualem seu iustificat. Caro autem, supple, in se accepta seu sumpta sine spiritu fidei, quẽadmodum vos Iudæi intelligitis, non prodest quicquam. Caro autem cum spiritu fidei accepta, plurimum prodest. Nam panis, quem ego dabo (inquit Christus) caro mea est pro mundi vita. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Hoc est, verba mea secundùm carnem, sed secundùm spiritum fidei intellecta, sunt verba spiritus viuificantis. Cæterùm supradicta magistrorũ regula de spiritu posito sine additamento, est intelligenda consideratione habita ad qualitatem scripturæ, & ad ea quæ præmittuntur & sequuntur. Nam & quibusdam in locis spiritus absolutè positus, non spiritum sanctum, sed aut animam, seu spiritum hominis, aut flatum, seu impetum atque impulsum diuini spiritus indicat. Cùm dicitur: In hoc nolite gaudere, quia spiritus subijciuntur vobis. Spiritus absolutè positus ex prioribus sententijs colligitur, pro spiritu malo acceptus. Item cùm dicit euangelista: Iesus emisit spiritum, non sanctum spiritum, sed animam significauit. Facilè enim intelligitur, quòd emiserit spiritum suum, id est animam, quemadmodum in eo, quod de puella resuscitata

CAP. I.
Galat. 6. b
Matth. 5. a
Pauperes spiritu.
Isaiæ. 57
Augustinus.
Bernard.
Duplex humilitas.
Quomõ spiritus absolutè positus significat spiritum sanctum.
Iohan. 1. a
Iohan. 6. g
Eodem.
Luc. 10. c
Matth. 27. f

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

dicitur: Reuersus est spiritus eius, facilè accipitur dici de spiritu seu anima puellę. A
Psalm. 54. b
Psalm. 77. a
Neque enim spiritus absolutè dicitur, cùm dicitur spiritus puellæ, aut spiritus illius vel istius. Saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, supple mei, id est, à pusillanimitate animi mei. Quòd dicitur: Spiritus vadens & non rediens. spiritus absolutè positus, pro spiritu seu animo hominis accipitur, qui per se vadit, tam à carne in mortem corporis dissolutione, quàm à semita iustitiæ in peccatum, non rediens per se ad vitam, non potens videlicet resuscitare sese, neq; ad vitam
Matth. 26. d
corporis, neq; ad vitam animæ. Item cùm dicit Christus: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: de spiritu seu animo hominis videtur loqui, & id quidem non de cuiuslibet hominis spiritu, sed de spiritu hominis credẽtis, quem inhabitat spiritus sanctus, quales erant spiritus Apostolorum. Omnium caro infirma, sed non omnium spiritus promptus. Christus non ad eos tunc, sed ad Apo- B
stolos loquebatur, tanquam dicat: Spiritus quidem vester est promptus, sed caro est infirma. In eo, quod dicitur: Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: pa-
Tractat textũ 1. Ioham. 5.
ter, verbum, & spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis. Manifestum est, spiritum sanctum in priori parte nominatum, pro spiritu increato acceptum esse. In posteriori autem parte, spiritum absolutè positum indicare creatum Christi spiritum, id est, animam Christi. Quemadmodum de diuinitate Christi testimonium dant in cœlo: pater, & filius, & spiritus sanctus. Pater quidem dicens: Hic est filius meus dilectus, &c. Filius autem de semetipso in transfiguratione aliisque multis operibus, ostendens potentiam diuinitatis suæ. Et spiritus sanctus descendens & manens super ipsum, & insuper ab illo missus visibiliter in discipulorũ corda. Ita tres sunt, qui testimoniũ dant in terra super vera Christi humanitate: Spiritus, id est, vera ani- C
ma, quam emisit in cruce, aqua, & sanguis fluens de carne eius: & hi tres vnum sunt, id est, consentientes testimonij vnitate & concordia. Spiritus ergo in scripturis pro locorum qualitate intelligitur, vel spiritus, id est, substantia incorporalis, vel donum seu operatio, vel impetus seu impulsus eius in nobis, tanquam flatus animo hominis inspiratus, siue per bonum, siue per malum spiritum, vel homo per spiritum Dei iam factus spiritualis corde, vel anima, vel ventus accipitur.
Pfalm. 47. b & 10 b
Pfalm. 103. a
Ventus: In spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Et alibi: Spiritus procellarum. In eo quod dicit Propheta: Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem: Spiritus (inquit Augustinus) appellat spirituales seu spiritu cœlestes. In eo quòd dicitur: Spiritus vbi vult spirat. Spiritum iuxta Chrysostomi, Cyrilli, & Theophylacti sententiam, accipit Christus pro flatu huius aeris, vt ex huius efficacissimi flatus impetu cognoscas efficaciam diuini spiritus. Pro D
operatione, inspiratione, impetu, impulsu, seu effectu spiritus, siue boni, siue ma-
1. Cor. 14. c
li, multis in locis accipitur spiritus, veluti cùm dicit Apostolus: Æmulatores spirituum. Sic & in scripturis appellatur impiis immissus spiritus vertiginis, spiritus erroris, spiritus zelotypiæ. Sic spiritum huius mundi Theophylactus interpretatur humanam sapientiam, secundùm quam arbitrantur Philosophi huius mundi, omnia esse stulta, quæ probari ratione non possunt, nolentes admittere
Hieron. ad Hedibiam, q. 12.
quicquam per fidem & credulitatem, æstimantes sibi sufficere ad iustitiam, legem naturæ per lumen rationis internæ. Sic Hieronymus tractans verba Apo-
Spiritum extinguite.
stoli 1. ad Thessalon. 5. Spiritum nolite extinguere. Et infrà: Integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Hoc in loco (inquit) non substantiam spiritus sancti, quæ non potest interire, quæ neque instar flammæ extincta desinit esse, sed gratias eius donationesque
Theophyl. ct. 1. Thess. 5. d
accipimus, quæ nostra vel virtute, vel vitio & accenduntur in nobis, & extinguntur. Sic & Theophylactus interpretatur hoc in loco: Spiritum nolite extinguere, id

re, id est, gratiam sancti spiritus, vt integer spiritus vester, id est, donum, quod per A
spiritum sanctum iam accepistis. Neque tamen absonus erit intellectus, accipiendo spiritum pro ipso spiritu sancto, interpretando eum extingui, aut conseruari non in se, sed in nobis, dum repellimus vel inuitamus illum. At verò Augustinus in libro ad Victorem Vincentium: Apostolus spiritum hoc in loco, non ipsam animam, sed aliquid eius vocat, hoc est, ipsum lumen rationis internæ, qua ratiocinamur, intelligimus & sapimus. Quemadmodum & illic accipi potest: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Vnde anima est
Galat. 5. c
tanquam in medio constituta inter hunc spiritum & carnem, seu carnis appetitum, quemadmodum & in medio constituitur inter spiritum sanctum suggerentem ad ea, quæ Dei sunt, & carnem inuitantem ad ea, quæ mundi sunt. Rursus sunt quædam scripturæ loca, in quibus ambiguum est, an pro natura spirituali, an pro
B effectibus illius, an pro vento, an in bonam, an in malam partem spiritus accipiatur. Quæ sanè loca variè proinde à patribus interpretantur, quemadmodum re-
Hiero. in cõm. super Ezechielem cap. 1.
citat Hieronymus tractans illud: Et vidi, & ecce spiritus turbinis procedebat ab aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens. Spiritus, inquit, hic ab aliis in bonam, ab aliis in contrariam partem accipitur. Sunt qui dicunt in toto cap. 14.
1. Cor. 14.
1. ad Corinthios, acceptum esse spiritum pro spiritu vocali, intelligentes Apostolum illic pro eodem accipere, loqui spiritu, & loqui lingua. Iste enim spiritus vocalis loquitur mysteria, & orat etiam, cùm mens nostra sine fructu est, non intelligens, quid huiuscemodi spiritus seu lingua loquatur. Tali spiritu homo mysteria loquitur, tali spiritu orat, tali spiritu quisque habens scientiam linguæ, seu idiomatis, loquitur, vtiturq; officio doni linguarum. Talis spiritus subiectus est Pro-
Quid sit loqui lingua.
phetis, quippe in quorum potestate est ipso vti, & non vti, tacere & loqui: secun-
C dùm quem sensum expressus est illic & sermo apostolicus: Spiritus Prophetarũ subiecti sunt Prophetis. Talium spirituum vocalium æmulatores erant Corin-
1. Cor. 14. f
thij, desiderantes his spiritibus loqui varijs linguis. Qui loquitur lingua (inquit Apostolus) non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit seu intelligit, sed
1. Cor. 14. a
spiritus loquitur mysteria. & qualis sit ille spiritus, quibusdam interpositis indicat. Si orem lingua, spiritus meus orat, meus autem mea sine fructu est. Tanquam
Eodem.
dicat: Qui solùm spiritu vocali seu lingua loquitur, absque prophetia videlicet, seu interpretatione vocum & rerum non hominibus loquitur, quibus aut lingua aut res est ignota: sed Deo qui scientiam habet vocum à nobis non intellectarũ. Nemo enim audit, id est, nemo intelligit. Audire in scripturis pro intelligere, patet ex verbo Christi: Qui habet aures audiendi, audiat. Sed spiritus meus voca-
Luc. 8. a
lis loquitur mysteria etiam à me non intellecta. Vnde & postea subdit: Si orem
D lingua, spiritus meus orat, hoc est, si lingua solùm orem, spiritus meus vocalis orat quidem, pia verba sonans: sed mens mea est sine fructu spiritualis intelligentiæ earum rerum, quæ voce proferuntur. Ex quibus cõsequens est, apud Apostolum idem esse, orare spiritu, & orare lingua: psallere spiritu, & psallere lingua: benedicere spiritu, & benedicere lingua. Vnde hanc posteriorem sententiam expo-
Ambrosius.
nens Ambrosius: Si benedixeris, inquit, spiritu, hoc est, si laudem Dei lingua loquaris ignota audientibus. Secundùm interpretationem hanc, spiritus per omnem locum huius capituli acciperetur pro vocali spiritu, id est, pro spiritu quo vox formatur, quo & quisque per linguam loquitur. Vera quidem est hæc expositio, veræque sententiæ ex doctrina apostolica illic tradita consequentes, sed non videntur expressiæ secundùm vires & significationes sermonum Pauli, qui ab initio cap. 12. vsq; in finem cap. 14. inter sese comparat dona spiritus sancti, intimans nobis quænam sint charismata spiritus sancti præstantiora: qui & postquam in cap. 13. demonstrauerat inter eadem dona, charitatem summum tenere locum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

deinceps in capite sequenti, donum linguarum cum dono prophetiæ conferens, ex aduerso statuit & proponit vtriusque doni officia, ostendens donum prophetiæ longè esse præstantius, quàm alia dona, & præsertim quàm donũ linguarum. Æmulemini (inquit) spiritualia, magis autem vt prophetetis, hoc est, post charitatem æmulemini spiritus sancti dona: sed magis donum illud quo valeatis prophetare, per prophetiam intelligens interpretationem scripturarum. Sciendum est enim, quòd voces, Propheta & prophetare, variè in scripturis accipiuntur. Prophetæ nunc appellantur hi, qui futura, quæ nesciuntur, prædicunt: nunc, qui hymnis & canticis psallunt Deo: nunc, qui Prophetas, aliasque sacras literas explicant, exponunt, & interpretantur ad ædificationem audientium. Apostolum autem accipere verbum prophetare hoc pacto, manifestum est ex processu textus: Qui prophetat, hominibus (inquit) loquitur ad ædificationem, exhortationem & consolationem. Et infrà palàm per verbum, interpretatur, explicat sensum: Qui lingua (inquit) loquitur, oret vt interpretetur. Et postea etiam prophetiam appellat, interpretationem, & Prophetam interpretem: intelligens per interpretationem non tam actum, quàm ipsum donum interpretandi. Cùm conuenitis (inquit) vnusquisque vestrum habet doctrinam, habet apocalypsim, habet linguam, habet interpretationem, omnia ad ædificationem fiant. Propheta (inquit Ambrosius) interpretes dicit scripturarum. Sicut enim Propheta futura prædicit, quæ nesciuntur: ita dum hic scripturarum sensum (qui multis occultus est) manifestat, prophetare dicitur. Ex his consideratis videntur nobis sententiæ apostolicæ magis cohærere, si per spiritum in singulari numero accipiamus ipsum spiritum sanctum, aut spirituale donum eius. Per spiritus autem in numero plurali, ipsa dona spiritualia, nobis eodem diuino spiritu afflata, inspirata, seu indita. Sic & vos, quoniam æmulatores (inquit Apostolus) estis spirituum ad ædificationem Ecclesiæ, quærite vt prophetetis. Æmulatores spirituum, id est donorum spiritualium, hoc pacto interpretatur Theophylactus: Si benedixeris spiritu, hoc est, si spirituali gratia per linguam laudem dixeris, &c. Item: Spiritus meus orat, hoc est, gratia quæ linguam agitat. Parum autem refert, siue spiritum pro ipsa persona spiritus acceperis, siue pro dono eius. Nam & manifestum est, interdum effectus nominibus causarum appellari. Sic & Ambrosius tractans illud: Si orauero lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Spiritus (inquit) qui datur in baptismo, scit quid oret animus, dum loquitur, aut perorat lingua sibi ignota: mens tamen, quæ est animus, sine fructu est. Ideo qui loquitur lingua, id est, qui donum linguarũ vel habet, vel habere desiderat, oret vt interpretetur, hoc est, vt donum accipiat interpretandi, quo studium eius proficiat cæteris. Sic benedicere spiritu, est laudem per spiritum sanctum loqui lingua ignota audientibus. Secundùm vtranque interpretationem oportet concordare in eodem capite sententias, quæ inter se pugnare videntur. Primùm dicit: Qui spiritu loquitur, semetipsum ædificet. Deinde paucis interpositis dicit: Si orem lingua, spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est. Tandem ait: Cæterùm si benedixeris spiritu, idiota nescit quid dicas. Tu quidẽ bene gratias agis, sed alius non ædificatur. Quomodo ædificat semetipsum is, cuius mens sine fructu est: cuiusmodi est mens eius, qui lingua loquitur quod non intelligit. Concordat autem hæc Ambrosius hoc pacto: Apostolus (inquit) cùm dicit, Cæterùm si benedixeris spiritu, &c. tu quidem bene gratias agis. Item: Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat. Hæc (inquit) de illo Apostolus dicit, qui cognita sibi lingua loquitur, qui sanè per id, quod solus scit quod loquitur, se solum ædificat. Cùm autẽ dicit: Si orauero lingua, mens mea sine fructu est. de eo dicit, qui loquitur lingua sibi ignota, sicut assolent Latini homines Græcè cantare, oblectati sono

Con.14.a — Propheta & prophetare variè accipi. — Eodem. — Orare spiritu. — Orare mente. Theophylact. — 1.Cor.14. — Ambrosius.

sono verborum, nescientes tamen quid dicant. Hæc Ambrosius. Veruntamen mentes eorum, quæ in Ecclesia Latina canunt Psalteria & orant, non intelligentes verborum sensus, non esse prorsus sine fructu, dum desideriis & suspiriis rapiuntur in ipsarum orationum finem, hoc est, in ipsum Deum, tanquam saluatorẽ, aut protectorem, aut propitiatorem, dicetur in aliis libris latius. Ex his ergo patet apostolum Paulum in supra dicto loco discrimen ponere intra officia doni linguarum, & doni prophetiæ, explicans vtriusque doni officia: Prophetiæ quidem per hęc verba, quæ sunt prophetare, interpretari, loqui audientibus ad ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem, mente seu in sensu loqui, orare, benedicere, gratias agere ad ædificationem aliorum. Doni autem linguarum officia expressit per hæc verba, quæ sunt loqui lingua seu spiritu, orare spiritu, orare lingua, benedicere spiritu, benedicere lingua, seu gratias agere spiritu: intelligens eum loqui lingua seu spiritu, qui absque interpretatione ex spiritu sancto loquitur variis linguis, aut pia & sancta verba profert. Insuper patet, quòd sic loqui aut orare, aut benedicere spiritu, bifariam accidit: vno quidem modo, dum is qui loquitur, orat, aut benedicit spiritu, intelligit id quod dicit: & tum loquens lingua seipsum ædificat, sed non ædificat audientes, nisi & interpretetur, volens vti prophetiæ dono. Altero autem modo, cùm is, qui aut loquitur, aut orat spiritu, non intelligit: & tunc mens est sine fructu spiritualis refectionis, orientis ex sensu eorum quæ proferuntur. Amplius autem sciendum est, quòd nonnihil est obscuritatis & difficultatis propter verba modi imperatiui, quę ambiguum faciunt sensum, propterea quòd eadem verba in sacris literis non semper habent significationem imperij, sed interdum significationem desiderij aut consilij, interdum neque præcepti, neque desiderij, neque consilij, sed iræ & indignationis, interdum verò prophetiæ seu vaticinij. In eodem loco dicit Apostolus Paulus: Alligatus es vxori, quærere noli solutionem: solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Vbi manifestum est, harum sententiarum priorem pertinere ad præceptum, contra quod non licet facere: alteram ad consilium. Nam & de hac continuò adiecit: Si autem acceperis vxorem, non peccasti. Si nupserit virgo, non peccat. De priori sententia dicit ibidem: His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, virum non dimittere vxorem. Quod dicit ibidem Apostolus: Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat. quidam dicunt habere significationẽ imperij. His enim (inquiunt) qui sibi permissi, ruituri essent in fœdum aliquod libidinis genus, imperat Apostolus, vt potius ducãt vxorem. Contrà verò sunt, qui dicunt sermonem Apostoli esse permissiuum, non imperatorium, vt exponatur: habeat, id est, habere liceat. Nobis autem videtur Apostolus esse locutus, non de ducenda vxore: nam paucis interpositis de non nuptis & viduis subiungit, bonũ esse sic permaneant: sed de vxore iam ducta non dimittenda. Quòd si velimus etiam de ducenda vxore applicare, quemadmodum Diuus Thomas interpretatur, & veteres multi, non imperãdo loquitur Apostolus, sed quid liceat ad vitandum fornicationem. insinuando: neque cogitur quis necessitate præcepti ducere vxorem, propterea quòd castitas virginalis, aut cœlibatus sit Dei donum. Nam & iuxta Paulum apostolum ibidem: castitas coniugalis est Dei donum, fides insuper, humilitas, patientia, & mansuetudo sunt Dei dona: sed in huiuscemodi vnusquisque (inquit ibidem Ambrosius) iuxta votum suum Dei donum habet, vt si velit, ipsius Dei nutu possibilitatem consequatur. Sapiens, sciens continentiam esse Dei donum, adijt Dominum, & precatus est illum ex totis præcordijs suis. Item quod dicit Christus: Nolite portare æs in zonis vestris, exponit Augustinus, Christum non præcipiendo, sed permittendo dixisse. vt sit sensus: Permitto vos ire sine auro & argento, quia expensæ debentur vobis

CAP. I. — Orans oratione non intellecta. — 1.Cor.7.b — De verbis imperatiui modi — Thomas. — Ambrosius. Sapient.8.d — Aug. de cõsen su euãg & cõtrà mendacũ cap.3.4. Marc.6.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

Psalm.79.a Psalm 84.a Cant.1.a

bis à populo. Dignus est enim operarius mercede sua. Vnde Paulus hoc non seruauit. Deinde & Christus ipse loculos habuit, quibus necessaria emeret. Quod dicit Propheta: veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Osculetur me osculo oris sui. vox erat Ecclesiæ veteris legis, aduentum Christi in carne assiduè desiderantis. Quod & in Psalmo 108. Christus dicit: Constitue super eum peccatorem, diabolus stet à dextris eius. Fiant nati eius, fiant contra Dominum semper. & reliqua quæ sequuntur, accipienda sunt tanquam dicta non execrantis aut maledicentis affectu, sed prædicentis seu annunciantis spiritu: neque enim Christus optauit malum inimicis suis. Et hæc sic se habere patet ex Hebraica veritate, quæ loquitur per futurum modi indicatiui: Constitues (inquit) super eum peccatorem, & diabolus stabit à dextris eius. Sic quod Isaias secũdùm veritatem Hebraicam loquitur per verba imperatiui modi: Auribus audite, & nolite intelligere. Excæca cor populi huius: hoc in noua lege Euangelistæ recitauerunt per futurũ indicatiui, dicentes: Auribus audietis, & non intelligetis. Et quod apud Zachariam Deus pater loquitur per verbum imperatiui modi ad frameam seu mucronem: Framea suscitare super pastorem meum. Christus apud Matthæum significat scriptum esse: Percutiam pastorem, & dispergentur oues. cùm tamen in Zacharia tam apud septuaginta, quàm apud Hebræos hæc sint scripta per verbum modi imperatiui. In Canti. dicitur: Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hedos tuos. Duo illic verba modi imperatiui, abi & pasce, verba sunt Dei non præcipientis, neque suadentis bonum aliquod, sed permittentis, & quasi pœnam peccati prænunciantis, ac comminantis, tanquam dicat: O pulchra inter mulieres, si ignoraueris temetipsam conditam esse ad imaginem & similitudinem Dei, vt illo solo fruaris, recede à me, à societate mea, & abi post vestigia gregum, id est iam non digna es loco pascuæ meæ, sequere vestigia gregum tuorum, id est, hominum carnaliter viuentium, & pasce iam non agnos & oues, sed hedos à sinistris statuendos. Item in sermonibus Prophetæ: Vouete, & reddite Domino Deo tuo. Primùm scilicet vouete, non ex authoritate iubentis est (inquit Augustinus) sed ex animo consulentis. Alterum autem quod addit, reddite, iam ex authoritate est imperãtis. Et hoc apertè scriptura docuit. Si votum voueris Domino Deo tuo, non tardes reddere. Indicans vouere esse libertatis, reddere autem necessitatis. Iam de viribus præpositionum: in, à, ab, de, ex, per, & similium dictionum obiter pauca videamus pro intellectu scripturarum. Propter ignorantiam virium ac modorum significandi harum dictionum multi errauerunt à verò scripturarum intellectu. In multis scripturæ locis diuinis, sermo videtur discrimẽ ponere inter præpositiones: ex, per, & in. Ad Romanos 11. Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum. Item 1. ad Corinth. 8. præpositiones: ex, per, & in, diuersas designantur habere significationes: Nobis (inquit Paulus) vnus est Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo. Nobis vnus est Christus Iesus, per quem omnia, & nos per ipsum. Insuper præpositionem ex, aliam habere vim significandi, quàm præpositionem à, vel de, ex Grammatica est manifestum. Siquidem aliud significamus, dicentes: Audiui aut locutus sum hoc de te. aliud verò dicentes: Audiui vel locutus sum hoc ex te, aut à te. Nam priori oratione significo te esse, de quo mihi aliquis locutus est, de quo vel audiui aliquid ab alio dici aut recitari. In posteriori autem sermone significo te esse principium & causam, ex qua, vel à qua, aut locutus sum, aut audiui quicquam. Sic & Hieronymus discrimen ponit inter orationes: Dominus Deus locutus est ad Oseæ prophetam, & Dominus Deus locutus est in Oseæ propheta. Amplius autem manifestum est præpositionem in, non in

A

Isaiæ 6.c

B

Act.28.f

Matth.31. Zach.13.c

Cant.1.

C

Psalm.75.b

Ecc'e.5.a De viribꝰ prę positionum.

De præpositionibus ex, per & in, &c.

D

Hiero. in cõm. super Ose.ca.1

A in omnibus scripturæ locis eandem habere vim, neque item præpositionem per, neque præpositionem ex, neque præpositionem de, neque præpositionem, à vel ab. Aliud significat in, cùm dicit scriptura: In sanguine Christi salui sumus ab ira Dei. Aliud cùm dicit: Donec formetur Christus in vobis. Aliud cũ dicit: Omnia in gloriã Dei facite. Aliud: Omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Item aliud significat ex, cũ dicit: Auferte malũ ex vobisipsis. aliud cùm dicit: Vnus est Deus, ex quo omnia. Vnde & occasione harum dictionũ diuersimodè cõsignificantium, hauserunt hæretici occasionem quarundam suarũ hæresium, desinentes in diuinis personis naturarũ diuersitatem, sumentes suorũ errorum seminaria à rebus externis, & à philosophis huius mundi. Proinde etsi hoc in loco non contendimus docere artem Grammatices, non tamen existimare debemus esse absurdum, istarum dictionum varias proprietates, ac distinctiones quasdã ex transcursu eatenus tradere, quatenus ad intelligendas sacras literas attinent. Nam & id fecerunt sancti patres: Basilius, Hieronymus, Augustinus, nonnullorum vocabulorum vires docẽtes, etiam in libris res diuinas tractantibus. Basilius in libro de spiritu sancto, de præpositionibus: ex, in, per, cum, nonnulla disseruit. Augustinus in libro de natura boni aduersus Manichæos, inter esse ex Deo, & esse de Deo ponit differentiam. Magna ex parte scripturarum difficultates oriuntur ex vocabulorum & orationum ambiguarum ignorantia. Insuper & aliarum scientiarum authores suis in libris passim dictionum & orationum significationes sunt interpretati extra Grammaticam artem, etiam in scientiis rerum: quemadmodum patet consideranti physicam & metaphysicam Aristotelis. De prepositione in, Aristoteles in 4. Physicorum, volens ostendere quonam modo res sint in loco, & in tempore, octo tradit modos, quibus aliud dicitur esse in altero. Considerauit quidem ille diuersas significationes illius præpositionis in, subseruientis verbo esse, sed & aliis quibusdam verbis iuncta præpositio illa, alias forsitan etiam habet significãdi vires. Vnde frequens est in scripturis sacris huius præpositionis vsus. Ad Eph. 1. sub eodem sententiarum contextu præpositio hæc supra sexies aut decies repetita, non eandem habet vbique significationem: Benedixit nos (inquit) in omni benedictione, in cœlestibus, in Christo, sicut elegit nos in Christo ante mũdi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius in remissionem peccatorum. En vides, in, præpositionem toties repetitam. In omni benedictione, in cœlestibus, in Christo, in ipso, in conspectu, in charitate, in adoptionem, in ipsum, in qua, in dilecto filio, in quo, in remissionem peccatorum. Aliter accipitur in, cùm dicitur: in omni benedictione. aliter, cùm dicitur: in Christo. aliter, cùm dicitur: in conspectu eius. aliter, cùm dicitur: in adoptionem filiorum, & in ipsum. Significationes, Secundùm quas res aliqua dicitur esse in altero, aut sicut in toto suo est pars, aut sicut aliquid est in multitudine aliqua, id est, sicut aliquid inter multa, vel ex multis est, aut sicut in subiecto suo est accidens, aut sicut in loco, vel tempore, ex se sunt vulgares & manifestæ. Interdum in, designat causam, cui subseruit esse instrumentum, veluti cùm dicit scriptura: Domine si percutimus in gladio. Circumcidit in cultris petrinis filios suos. Interdum verò designat formam, seu finem operationis, quemadmodum dicimus: Præuenit nos Deus in donis suis. Et secundùm vtrunque modum, præpositione illa sublata non mutatur sententia. Vnde Augustinus: Præpositio in, interdum adijcitur iuxta idioma Hebraici sermonis: quæ prætermissa si fuerit, nihil refert ad sensum. Quemadmodum dicit Apostolus: Benedixit nos Deus in omni benedictione spirituali,

CAP. I.

Rom.5.d Gala.4.c 1.Cor.10.e Coloss.3.e 1.Cor.5.a 1.Cor.8.b

B

Basilius. Augustinus.

C

Ephes.1.

Luc.22.e

Aug. hom. de verb. Domini.

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

rituali, hoc est omni virtute spirituali benedixit nos. Interdum autem, esse in, designat mirabilem quendam inessendi modum, secundùm quem loquitur Christus Iohannis 14. Ego in patre, & pater in me est. Pater in filio, quia totum id quod est pater, videlicet diuina essentia, seu natura est in filio, imò est & ipse filius. Sic & ipse filius in patre & in spiritu sancto, propter naturæ vnitatem. Neque aliam habet præpositio significationem, cùm dicitur pater esse in filio, & cùm filius dicitur esse in patre, aut spiritus sanctus in patre & in filio: quia non aliud significatur, quàm tres illas personas inter se discretas, esse sibi consubstantiales. Et iste est singularis quidam inessendi modus, in creaturis non reperibilis, quem nõ cognouit vllus huius mundi philosophus. Interdum verò significat causam, cui subseruit, esse causam aut primâ aut mediam: & non inepta erit interpretatio facta per prepositionem, per, quemadmodum in loco supradicto. Apostolus cùm dixisset: Benedixit in omni benedictione spirituali, continuò secutus adiecit: in Christo, hoc est, per Christum. Et postea sequitur: Sicut elegit nos in ipso ante mũdi constitutionem. In ipso, id est, per ipsum, tanquam dicat: Sicut benedixit nos, id est, benefecit nobis per Christum, ita & nos elegit per Christum, vt essemus sancti in conspectu eius, id est, coram conspectu ipsius. Gratificauit nos Deus pater in dilecto filio suo, hoc est, nos sibi gratos fecit per dilectum filium suum. Nouissimè locutus est nobis in filio, id est, per filium. Olim locutus est Deus patribus in Prophetis, id est per Prophetas. In semine tuo benedicentur omnes gentes, id est, per semen tuum. Verùm hic ne fallamur in sermone, quo dicimus Deum elegisse nos per Christum, tanquam per mediam causam: sciendum est in eo quod dixit Apostolus: Elegit nos ante mundi constitutionem in ipso, id est, per ipsum, scilicet Christũ, vt essemus sancti & immaculati coram ipso. Sermo ille per ipsum Christum, determinat verbum elegit, ratione temporalis effectus inclusi, quem Deus statuit nobis dare per Christum Dominum. Vnde eligere designat sempiternum actum diuinæ voluntatis, proponentis seu statuentis vnumquemque electum, ex Adam in ira Dei ac massa perditionis nasciturum, suo tempore ex huiusce modi perditionis massa segregare, & id quidem per Christum præuisum & præparatũ humano generi mediatorem, id est, propter præuisum ipsius meritum: quemadmodum & ipse ab æterno voluit vnicuique electo dare gratiam primam propter Christi meritum. Eius ergo segregationis, qua quisque iræ filius suo tempore segregatur à massa perditionis, & transfertur in regnum charitatis Christi, est quidem meritũ non liberi arbitrij illius, qui segregatur, sed ipsius Christi, per quem vnicuique electo à patre cœlesti gratia & remissio peccatorũ datur. Eius autem quod est gratiam & remissionem peccatorum dari nobis per Iesum, seu per ipsius Iesu meritum, nulla est alia causa media, nullum est aliud meritum: sed hoc fit secundùm beneplacitum diuinæ voluntatis, talem mediatorem Iesum humano generi præparantis. Quod & Apostolus illic intimauit, cùm continuò subsecutus adiecit: Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ. En vides Deum prædestinasse nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, & id quidem non per aliam causam, sed secundùm propositum voluntatis suæ. Et ne quis arbitretur hoc propositum Dei sic volentis, propter Christi meritum vnumquemque electum segregare à reliquis, in massa perditionis derelictis, non esse rationabile, mox adiecit: In laudem gloriæ gratiæ suæ. Vnde secundùm beneplacitum voluntatis diuinæ in laudem gloriæ gratiæ suæ est, quòd ipse Deus suis electis ita reuelet Euangelium huius salutis, & ita notum faciat sacramentum Christi incarnati, vt ipsi credant, & credentes salui fiant, dimissis cæteris. Quemadmodum in sequentibus sententijs eiusdem capitis docet Apost. Vt nobis, inquit, notum faceret

Ephes. 1. a — Ephes. 1. a — Ephes. 1. a — Ephes. 1. b

In, pro per.

Hebræ. 1. a Genes. 12. & Gala. 3. b

Quo modo Deus per Christum elegit saluandos.

Ephes. 1. b

ceret sacramentum voluntatis suæ secundùm beneplacitum eius, quod proposuit. Et infrà: Prædestinati secundùm propositũ eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius. Eò tendit Apostoli doctrina, vt nos, qui eramus filij iræ sicut & cæteri, sciamus præter diuinam misericordiam non esse inuestigandas rationes, propter quas nos, qui eramus mortui peccatis sicut & cæteri, sumus per Christi meritum viuificati. Declarantur autem hæc in sequentibus libris, de gratia & prædestinatione diuina latius. Hactenus de præpositione in, pro per accepta. Interdum verò in, significat finem, vt in eo quod sequitur: In adoptionem filiorum, in ipsum, in laudem gloriæ suæ. Vnde præpositio in, finem designans, nunc accusatiuo casui iungitur, nunc ablatiuo, secundùm diuersitatem appositi verbi, quo intimatur nunc motus quidem animi tendentis in finem, nunc quies in fine. Ad Romanos 11. Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso, tanquam ex creatore. Per ipsum, tanquam per suam sapientiam, non indigentem vlla causa media. Et in ipso, tanquam in fine. Quo pacto autem Deus est finis omnium, tractatur in libro de diuina prouidentia. Ex superioribus patet, quòd hæc oratio: Sancti & fideles in Christo Iesu, geminum habet sensum: vnum, vt præpositio in, designet causam, per quam: alium, vt designet finem, in quo. Insuper aliud est in gloriam Iesu facere, aliud facere in nomine Iesu. Nam in eo quòd dicimus, in gloriam Iesu facere, præpositio in, finem designat, vt facere in gloriam Iesu, sit facere propter gloriam Iesu, vt videlicet Christus ex eo quod facimus glorificetur, quemadmodum ipse ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum. In eo autem quòd dicimus, facere in nomine Iesu, præpositio in, causam designat efficientem; quemadmodum Apostoli cùm docebant se in nomine Iesu dæmonia eijcere, languores curare, baptizare, & peccata remittere, significabant nomen Iesu, seu verbum Dei patris esse, ex cuius virtute & potestate nominata, inuocata, seu professa eijciebantur dæmonia, & commissione seu legatione remittebantur peccata. Verùm hic sciendum, quòd in sermone, quo dicor aliquid facere in nomine Iesu, plus est energiæ, efficaciæ & virtutis, quàm in eo quo dicor aliquid facere in virtute seu potestate Iesu. Nam in voce illa, quæ est in nomine Iesu, præter, potestatem & commissionem à Iesu acceptam, significatur seu intimatur & confessio huius potestatis, virtutis, seu commissionis acceptæ ab ipso Iesu. Tunc enim propriè in nomine Iesu agimus aliquid, cùm intus & in corde agnoscimus seu profitemur Iesum esse authorem boni operis, quod facimus. Proinde Apostolus cùm iussisset omnia fieri in nomine Iesu, continuò adiecit: gratias agentes. Gratias autem agimus alicui super his, quæ agimus, cùm non nosmetipsos ex nobis, sed alium profitemur authorem eorum, quæ agimus, & nos ab illo accepisse virtutem vt agamus. Vnde Theophylactus tractans verbum illud Apostoli ad Colossenses 3. Omnia quæ facitis, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, hoc est, illum (inquit) vt adsit inuoca, & vt opem ferat illum precare. Sic dicit Paulus: Ego si quid donaui, in persona Christi donaui, hoc est, velut Christi vicem gerens, eoque iubente donaui. Ambrosius: In persona Christi, id est, pro vice Christi. Quod apud Iohannem ipse Christus: Ego veni in nomine patris mei, & opera quæ ego facio ipse facit. Hoc significat: Ego veni nominatus, missus legatus, & potestatem habens à patre meo, qui per me operatur, quæcunque ego operor. Alius veniet in nomine suo, hoc est, tanquam à seipso nominatus, aut potestatem habens à semetipso, & non ab alio missus. Vnde Iudæi interrogauerunt Apostolos: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Et infrà: Denunciauerunt, ne omnino loquerentur, aut docerent in nomine Iesu. Verùm hic sciendum est, quòd in scripturis, nomen Domini, non est aut vox aut sermo transiens, sed

In denotat finem.

In nomine Iesu facere.

In gloriam Iesu facere. Matth. 5. b

Colos. 3. c

Theophylact.

2. Cor. 2. c

Iohan. 5. g

Act. 4. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

In scripturis nomen Domini quid.

fiens, sed interdum est fama aut notitia Domini Dei, interdum (& id quidem cõmuniter) est ipse Iesus Mariæ filius, vnus cum patre & spiritu sancto Deus, homo factus pro homine, vt mediator inter Deum & hominẽ esset, cuius meritis & intercessione, & pretij exolutione homo assequeretur remissionem peccatorum, vitam æternam. Proinde in nomine Iesu habere gratiã & remissionẽ peccatorum, aliquid plus designat, quàm à Iesu esse gratiam & remissionem peccatorum. Est gratia & remissio peccatorum à patre, est à filio, est à spiritu sancto: sed per Iesum hominem tanquam mediatorem, cuius solius meritis, operibus, & passionibus gestis in carne ipsius pro nobis, Deus pater ipsius & spiritus sanctus dant nobis gratiam & peccatorum remissionem. Proinde ipse Christus vnicus intermedius reconciliator est, in quo omnis creatura nisi sperauerit, peribit. Proinde & ipse pater remittit nobis peccata in nomine Iesu. Rursus ipse Iesus remittit nobis peccata in nomine patris sui. Sed sunt considerandi huiusmodi sermones, secundùm regulam fidei de locutionibus reciprocis, datam in capite sequenti. Augustinus super Iohannem tractans verbum Christi dicentis: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. In illo die petetis in nomine meo.* Sic Christus non literarum (inquit) sonum, sed quod sonus ipse significat, & quod in eo sono rectè ac veraciter intelligitur, accipiendus est dicere. In nomine enim illius petimus, quem cogitamus dum petimus de quo & taliter sentimus, qualiter sentiendum est. Hæc ille. Multa igitur simul includit ille sermo, quo dicimus quempiam petere à patre aliquid in nomine Iesu. Significat enim illum ex cogitatione, seu intentione secundum rectam fidem in Iesu petere, & insuper sibi id donari à patre per eundem Dominum Iesum, hoc est, ex ipsius dignitate ac merito. Vnde in sermone illo: *Si quid petieritis patrem meum in nomine meo*: vox illa, *in nomine meo*, potest referri ad verbum *petieritis*, vt scilicet significetur, si quid ex fide, seu ex virtute secundum nomen meum petere inceperitis. Potest & referri ad accusatiuum quid vel aliquid, seu potius ad verbum subintellectum, dari, seu donari. Vnde fiet sensus illustrior, si suppleatur hoc pacto: *Si petieritis patrem dare vobis aliquid in nomine meo*, hoc est, si petieritis vt pater det vobis aliquid in nomine meo, seu per nomen meum. Ad explicandam vim sermonis Christi dicentis: *Si quid petieritis patrẽ in nomine meo*, satis est nobis sic intelligere, vt vox illa, *in nomine meo*, intelligatur ad vtrunque esse relata. Nam & verè in nomine Iesu à patre aliquid petimus, dum ex Iesu intus in corde nostro nominato, seu recta fide cogitato petere incipimus, desiderantes id quod postulamus per eundem Dominum nostrum Iesum, tanquàm mediatorem seu virtutem & meritum ipsius donari nobis. Vnde Augustinus super Iohannem: Quid dicit Christus, *Vsque modò non petistis quicquàm in nomine meo*, duobus (inquit) modis, *in*, est intelligendum: vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognouistis, vel non quicquàm in nomine meo dignum dari vobis. Ego veni vt per me pater det vobis non huius mundi bona, sed salutem, remissionem peccatorum, & vitam æternam. Hoc significat per omnem locum scripturæ. Deus in nomine tuo saluum me fac. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Turris fortissima nomen Domini, ad eam confugiet iustus. In nomine Domini saluus esse cupit, quisquis id cupit ex fide in Christum, qua credit quòd nomen sit illi Iesus, id est, qua credit ipsum esse redemptorem ac mediatorem, per quem à Deo accipimus, quicquid boni ad salutem pertinens accipimus. Amplius autem & sermo ille, quẽ dicimus in nomine alicuius, alias quasdam habet significationes, non vno sermone facilè explicabiles. Veluti cùm dicit Christus: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem*

In nomine Iesu habere gratiam quid.

Aug. Iohã 16. Petere in nomine Iesu quid.

Aug. Iohã. 16.

Psalm. 53. a
Psalm. 99. a

De sermone in nomine alicuius.

Matth. 10. d

cedem iusti accipiet. Hic non est sensus: Qui recipit Prophetam, tanquam nominatus, legatus, deputatus, aut virtutem ac potestatem habens vel à propheta, vel à iusto: sed significatur, qui recipit prophetam aut iustum, vt prophetam aut iustum, hoc est, quia propheta aut iustus est, non quia cognatus aut affinis est. Deinde Christus cùm dicit post resurrectionem: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Præcepit quidem Apostolis, vt baptizarent in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: sed tamen ex verbis illis secundùm rigorem forsitan sermonis non sequitur hanc, qua vtitur Ecclesia, esse baptismi formam. Vnde & Christus (vt inquit Thomas Aquinas in 4. Sententiarum) non principaliter intendebat dare baptismi formam, sed præcipere ipsis voluit actum baptizandi in professione patris, & filij, & spiritus sancti, secundùm formam prius datam. Quemadmodum enim ex eo quod præcipitur nobis, vt in nomine Iesu comedamus & bibamus, non est consequens, vt comedentes & bibentes foris exprimamus & verbum comedendi, aut bibendi, & vocem illam, in nomine Iesu. Neque enim est opus vt dicamus: ego comedo & bibo in nomine Iesu, sed satis est, quòd ex Iesu nominato seu à nobis inuocato, tanquàm omnis boni operis authore incipiamus comedere & bibere. Ita ex eo quòd Christus Apostolis præcepit, vt baptizarent gentes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, non ex necessitate sequitur præceptum fuisse Apostolis, vt baptizantes exprimerent & verbum baptizandi, & sermonem illum: in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: sed satis videtur fuisse, quòd ex inuocatione patris, & filij, & spiritus sancti baptizarent, seu foris aqua tingerent. Aliud significatur cùm dico: Docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, &c. Aliud verò cùm dico: Docete omnes gentes, & baptizantes dicite: Ego vos baptizo in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Christus tamen illam formam docuisse, actum videlicet baptizandi foris debere fieri sub expressione tam verbi significantis actum baptizãdi, quàm orationis significantis hunc actum fieri in nomine patris, & filij, &c. hauserunt patres ab Ecclesia Apostolorum. Et ab initio doctores: Irenæus, Tertullianus & Origenes sic tradiderunt. Vnde Origenes in primo libro Periarchon: *Salutare baptisma non aliter, nisi excellentissimæ Trinitatis authoritate, id est, patris, & filij, & spiritus cognominatione completur: vt ingenito Deo, & vnigenito eius filio, nomen quoque spiritus sancti copuletur his.* Ex his nota interpretationem eius, quod dicitur: in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, id est, authoritate, seu cognominatione harum trium personarum. Actus baptizandi in se nullam habet vim seu efficaciam in diluenda peccata, nisi accedat verbum Dei ad elementum ex virtute Christi, hoc totum instituentis, tanquam gratiæ suæ sacramentum: & idcirco in ministerio sacramenti est opus expressione verbi. Alij autem actus, quibus iuuatur vniuscuiusque operantis natura, vel proximus, vt docere, comedere, bibere, habent efficaciam & vtilitatem ex ipso exercitio actus. Et ideo non est opus, vt in nomine Iesu docentes aut comedentes, verba exprimamus: sed satis est quòd actus illos incipiamus facere, intus in corde inuocantes Iesum, vt ipse nobis adsit, quatenus ad salutem nostram illa oportet faciamus. Possumus quidem in nomine Iesu balneare, forisque lauare, aut tingere corpus non exprimendo foris illa verba: sed non erit illa lotio sacramentum à Christo institutum. Dicetur autem de his latius in libro, vbi tractamus de Ecclesiæ sacramentis. Præpositio, per, solet designare interdum causam mediam, aut instrumentum, quemadmodũ rex operatur per præfectum, anima loquitur per linguam. Interdum verò causam primam seu principalem, veluti cùm dicimus præfectum operari per regem, & linguam loqui per animam: quia præfectus à rege, & lingua ab anima accipiũt operandi vim seu potestatem.

CAP. II.

Matth. 28. d Baptizare in nomine patris & filij, & sc. quid.

Thomas Formã baptismi non haberi Matth. 28.

Origenes.

Quare oportet in baptismo actum baptizandi exprimere.

De præpositione per.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quatenus pater per filium operatur, & econtrario.

In diuinis ergo personis, quàmuis non sit vna alterius causa: quippe cùm tres personæ sint vna simplicissima substantia, omniũ causa: quia tamen inter eas vna est ab alia, accipiens ab illa & substantiam & potentiam operandi, ideo inter eas sunt reciprocæ locutiones, & dicimus ꝙ pater per filium operatur, filius autem per patrem est sapiens & potens. Verùm cùm dicimus: Pater operatur per filium, de quo & Apostolus dicit: Per quem fecit & secula, & in Symbolo: Per quẽ omnia facta sunt, præpositio per, neq; causam, neq; instrumentum notat, sed personam, quæ virtutem accepit operandi à patre, quemadmodum dicitur Iohannis 5. Non potest filius à se facere quicquàm, nisi quod viderit patrem facientem. Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse fecit. Neque tamen inde consequens est, filium esse patre minorem. Nam eandem potestatem, virtutem, substantiã accepit filius, quam habet & pater. Vnde quemadmodũ dicimus, regem per præfectum operari, & econtrario, præfectum operari per regem, præpositione, per, diuersimodè accepta: ita apud sanctos inuenimus patrem operari per filium, & filium item operari per patrem, seu per voluntatem patris. Rursus dicimus filium agere per se, id est, per suam propriam naturam, propriamque potentiam, quam habet eandem cum patre. Et quia accepit hanc à patre, ideo secundùm sensum quendam dicitur agere per patrem, id est, per acceptam à patre potestatem. Vnde quàmuis falsum est patrem esse per filium, verùm tamen est patrem operari per filium. Sic Hilarius nono de Trinitate: Filius per se (inquit) agit, sed non agit à se. Insuper, quàmuis admittimus patrem operari per filium, nequaquam tamen admittere possumus, patrem esse sapientem & potentem per filium: tametsi dicamus, filium esse sapientem & potentem per patrem. Vnde solent sacræ theologiæ magistri talem tradere regulam: Præpositio, per, cum verbo absoluto designat accusatiuum, cui seruit, esse principium à quo. Veluti cùm dicimus: Iste est bonus, sapiens, diues aut potens per illum. Et idcirco non concedimus patrem esse sapientem per filium, tametsi filius sit sapientia patris: non per quam pater est sapiens, sed tanquam originem habens à patre. Eadem autem præpositio cum verbo transitiuo, designat rem cui seruit, nunc esse vt accipientem, nunc vt dantem virtutem seu potestatem. Quemadmodum nos vincimus hostes Christi per voluntatem Dei patris, ita vt ecõtrario dicimus, quòd voluntas Dei vincit hostes Christi per nos. Verum & hic sciendum est, quòd præpositio hæc etiam filio iuncta, interdum causam significat, aut mediam, aut meritoriam, quæ reducitur ad genus efficientis causæ, veluti cùm pater legitur dare nobis aliquid per filium, secundùm humanam naturam Deitate vnitam. Quemadmodum scriptura tradens fidei nostrę principia, docet Deum saluum facere genus humanum, dare gratiam, remissionem peccatorum, & salutem nobis per filium, per quem (vt inquit scriptura) gratia & veritas facta est, per quem accepimus remissionem peccatorum & vitam, qui ait de semetipso: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Vnde & hac ratione Ecclesia, omnes orationes suas concludit, per Dominum nostrum Iesum Christum. Ex his ergo patet, quòd in scripturis sacris, præpositio per, interdum secundam seu mediam causam, interdum omnino primam designat. Consuevit scriptura (inquit Chrysosto.) per quem, nonnunquàm dicere pro, à quo, veluti quod Gen. 4. dicitur: Possedi hominem per Deum, id est, à Deo. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius, id est, à quo vocati estis. Væ homini, per quem scandalum venit, id est, à quo scandalum venit. Habet & hæc præpositio interdum iurantis significationem, vt in eo quod dicit Apostolus: Quotidie morior per vestram gloriam fratres. Significationes, quibus dicimus, per vicos, per loca, per tempora, per secula, sunt ex Grammaticis manifestæ. Sunt tamen considerandæ locutiones reciprocæ, secundùm hanc præpositionem expressæ.

Heb. 1.a

Iohan. 5.b

Hila. de præpositione per.

Patrem per Christum nos saluare.
Iohan. 1.b
Ephe. 1
Iohan 14.a

Chrysosto. Per quem, id est à quo.
1. Cor 1.b
Matth. 26.d

1. Cor. 15.

Dicimus

Dicimus enim, sanctos per Deum vincere hostes, & Deum insuper vincere hostes per sanctos suos. Præpositiones, in, per, ex, diuersas designantur habere vires. Nobis, inquit, vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso, & nobis vnus est Christus Iesus, per quem omnia, & nos per, ipsum. Omnia sunt ex Deo, sed non omnia sunt in Deo. Paulus cùm dicit omnia esse ex illo, & nos in illo, discernit (inquit Ambrosius) nos à cæteris: qui cùm ex illo sint, non tamen sunt in illo, dum adhuc non credunt. Vnus Dominus Iesus, per quem omnia, supple, sunt condita & formata: sed nos per ipsum, supple, sumus reformati. Præpositiones ex & de, apud Græcos vna sunt præpositio, nunc pro de, nunc pro ex accepta. Vnde apud Latinos has præpositiones, non esse dictiones prorsus synonimas, ex vsu loquendi videtur manifestum. Neq; enim idem videtur sensus, si dixero quempiam loqui de Deo, & illum loqui ex Deo. Nam ꝙ dico hominem loqui ex Deo, significo illum loqui, seu sermonẽ facere, Deo authore, & mouente illum ad loquendum. Quòd autem illum dico loqui de Deo, significo illum recitare aliqua, seu sermonem facere de illo, etiam quàmuis non ex Deo, sed à diabolo moueatur ad loquendum. Proinde neq; præpositio, ex, in significando videtur magis esse generalis, q̃ præpositio, de. Neq; enim possumus præpositionem, ex, ponere, vbicunque ponimus præpositionem, de, seruata sententiarum identitate. Neque enim idem est sensus, vt testimonium perhiberet de lumine, & vt testimonium perhiberet ex lumine. Vnde Apostolus: Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo, aut de Christo loquimur. tanquàm dicat: loquimur ex syncera intentione, sicut à Deo authore accipientes tam ea quæ loquimur, q̃ hoc quod loquimur, & sicut coram Deo. In Christo, hoc est, per Christum, vel in eius gloriam & honorem. Vnde sciendum, quòd præpositio de, non solùm iungitur rebus, circa quas versatur actio animi nostri, quemadmodum loquimur de aliquo, seu docemus, seu tractamus de re aliqua: sed & alias multas habet significandi vires ex grammatica manifestissimas. Nunc significat principium, à quo aliquid est: nũc locum vel tempus, vnde progressum est: nunc multitudinem, de qua aliquid sumitur. Vnde dicimus Christum esse de tribu Iuda, & lucem aut vocem venire de nube aut de cœlo. Et sicut dicimus de loco in locum, ita dicimus de die in diem. Dicimus insuper exire de terra, aut de cognatione. Dicimus etiam, vnum de mercenariis, quidam de hic stantibus. Eadem fermè significandi vires habet præpositio ex. Dicimus enim Christum esse ex tribu Iuda, & hominem venire ex loco, & esse vnum ex mercenarijs. De huiusmodi significationibus, quia sunt ex Grammatica manifestæ non est opus vt hic multa dicamus. Quantum autem attinet ad intelligendum scripturas, sciendum quòd præpositio ex, cõmuniter subseruit ei, à quo est exitus seu egressus quidam, seu fluxus: qui sanè fluxus seu egressus aut est secundùm locum, aut secundùm tempus: veluti cùm dicimus aliquem aut venire ex Ægypto, aut incepisse aliquid facere ex illo die: aut est secundùm elementa, ex quibus aliquid componitur, veluti dicimus hominem esse ex terra: aut est secundùm fontem aut originẽ, quemadmodum dicimus filium genitum esse ex patre, & spiritum sanctum ex vtroque procedere, non tanq̃ ex causa efficiente, sed tanquàm ex emanationis seu fluxus incomprehensibilis origine. Secundùm hunc modum dicitur apud Michæam cap. 5. Egressus eius ab initio à diebus æternitati. Exitus filij à patre est secundùm modum processionis interioris, perinde atque cognitio exit à corde, & manet in eo sicut candor solis manet in sole. Vnde filius exiens à patre manet in patre. Aut est secundum causam efficientem, veluti cùm dicit scriptura: Vnus pater, ex quo omnia, id est, à quo sunt omnia. Et hæc significatio frequens est in scripturis, veluti cùm dicit Paulus: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis. i. hoc non est

Ambrosius.

De præpositionibus ex, & de

1. Cor. 8. b

Præpositio de.

De præpositione ex, in scripturis.

1. Cor. 8. b

Ephe. 2. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILTRAC.

est à vobis. Tanq̃ dicat: Saluatum esse per fidem, non est opus prodiens à viribus vestris. Vnde subdit: Dei enim donum est, non ex operibus, hoc est, donum hoc non est vobis datum propter opera seu merita vestra. Vnde quia causa meritoria reducitur ad genus causæ efficientis, hinc frequens est scripturæ vsus, præpositionem ex, designare meritoriam causam: quemadmodũ dicimus mercenarium acquisiuisse denarios ex suis viribus & operibus, quos tamen ab alio accepit, sed suis meritis. Hoc pacto scriptura vtitur præpositione ex, dicens: Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, ipse saluos fecit nos, hoc est, non ex merito seu debito operum nostrorum sumus iustificati, sed ex misericordia illius per meritum Christi. Quod si placet, erit & consonus gratiæ Christi intellectus, si dicatur: Non ex operibus, hoc est, non ab operibus nostris parta est in nobis iustitia hæc, qua sumus iusti coram Deo. Non enim hæc iustitia nascitur perinde atq; apud philosophos moralis virtus, quę nascitur ex assuefactione operum naturalis aut ciuilis legis: sed iustitia hęc fit gratis, per spiritum fidei gratis nobis datum: gratis inquam, hoc est, absq; meritis nostris. Secundùm hunc sensum in vtraq; parte orationis, qua dicimus: Non ex operibus, sed ex spiritu fidei sumus iustificati. Prępositio ex, causam notat efficientem. Augustinus considerans huiuscemodi præpositiones, ex, & de, quatenus designetur principium, à quo aliquid est, ponit inter illas differentiam: Deus (inquit) de se non fecit ea, quæ condidit: sed de his, quę omnino non erant. Sunt quidẽ omnia ex Deo, sed non de Deo, dicente scriptura: Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Quod dicit, ex ipso, non hoc significat quod de ipso. Ex ipso cœlum & terra, quia ipse fecit illa: non autem de ipso, quia non de substantia sua: quemadmodum homo fi gignat filium, & faciat domum, dicimus filium ex ipso esse, dicimus & domum ex ipso esse: sed filium de ipso, domum autẽ non de ipso, sed de terra & ligno. Vbi apertè insinuat August. ablatiuum, cui subseruit præpositio, ex, generaliter indicare omne principium, à quo alquid est, siue fuerit ex consortio substantiæ ipsius, siue de substantia alterius. De, autem indicare principium, à quo aliquid est particeps substantiæ eius. Sic dicimus filium Dei esse de Deo patre, & spiritum sanctum esse de vtroque. Et secundùm hanc considerationem præpositio ex, est communior seu amplior, quàm præpositio de: quemadmodum pater genuit filium de sua substantia, Ita & ipse in Psalmo ad eundem filiũ loquens, ait: Ex vtero ante luciferum genui te. Verùm hæc differentia non per omnem locum seruatur in sacris literis. Nam & Matth. 1. legitur: Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Item in symbolo: Qui conceptus est de spiritu sancto. Et Incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine. Quod in Maria natum, seu conceptum est secundùm carnem, non est conceptum, natum, seu incarnatum de spiritus sancti substantia: sed à spiritu sancto, tanquàm ab authore natiuitatis illius secundũ carnem non tanquàm à causa de substantia sua id generante, sed tanquam à conditore, de castissima carne virginis Mariæ id formante. Proinde & spiritus sanctus, quàmuis formauerit corpus Iesu in sacratissimo virginis vtero, non tamen pater Iesu congrua ratione potest appellari, quia ipsa virgo non de spiritus sancti substantia semen partus accepit, tametsi de sua purissima carne substantiam, spiritui sancto in se operanti, ministrauerit.

Præpositiones à vel ab, multifariã accipiuntur. Nunc causam designãt, per quã, vel propter quã, vt: Væ mũdo à scandalis. Quæ oratio similis huic est: Mors mihi est à peccato meo. Nunc significat rem aliquã præsidere rei per ablatiuum significatæ, vt Iosaphat erat à cõmentarijs, id est, præerat commentarijs, quemadmodum dicimus: est mihi à secretis. Quandoq; significat cõparationem, veluti cùm Paulus dicit: Nihil minus feci à magnis Apostolis, hoc est, nihil minus, q̃ Apostoli magni. In eo quod dicitur: Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, scilicet

Titum.3.b Quid sit, ex operibus, aut non ex operibus.

Differentiã ponit Augu. inter ex & de libro de natura boni contra Manich. ca. 26 & 27.

Psalm.109.a

De præpositionibus a, vel ab. Matth.12.a

2.Cor.11.b

CAP. I.

scilicet pharisæo. Præpositio ab, non efficientem causam designat, sed respectum & comparationem denotat, significans idem cum præpositione præ, vt sit sensus: Descendit iustificatus ab illo, hoc est, descendit iustificatus præ illo, hoc est, iustificatus plus quàm ille, quemadmodum diuus interpretatur Hieronymus. Luc.18.c

Hierony.

Præpositio propter, multifariã in scripturis reperitur accepta. Nunc causam designat, siue efficientem, siue meritoriam, per quam aliquid est factum: & cõuenienter exponitur per præpositionem, per, veluti cùm dicit Apostolus: Propter peccatum corpus est mortuum. Propter peccatum mors intrauit in hunc mundum, id est, per peccatum. Ad Philippen. 1. inquit Paulus: Quidam propter inuidiam & contentionẽ, quidam autẽ propter bonã voluntatẽ Christum prędicant, hoc est, per inuidiam, contentionẽ, seu bonam voluntatẽ, id est, ex inuidia aut contentione, aut ex bona voluntate prædicant. Frequẽter etiam propter, nota est finalis causæ. Vnde ægrotus ambulat propter consilium medici, ambulat & propter sanitatem, intellecta prępositione diuerso modo: ambulat ex consilio medici, & id quidẽ eo fine, vt sanitatem assequatur. Omnia propter semetipsum operatus est Deus, quia ipse est omniũ finis, & efficiens causa. Vnde cùm ipse ait: Non propter vos ego faciam, sed propter nomen meum sanctum, quod polluistis in gentibus, siue inter gentes, hoc est, non ex operibus seu meritis vestris, dabo vobis cor nouum, sed ex misericordia & clementia mea, & hoc propter nomen meum, id est, Christum Iesum, propter cuius merita parcam vobis. Propter vos tamen hæc faciam, id est, propter salutem animarum vestrarum, vt finem eorum operum, quæ faciam. Vnde & ipse omnia, quæ in mundo sunt operatus est propter nos, id est, propter vtilitatem & salutem nostram, vt nos intelligamur esse finis, non ipsius Dei operantis, sed eorum quæ operatus est Deus. Deus autem finis noster est, in quo quiescamus. Interdum hæc præpositio propter, valet pro. Christus est passus propter nos, & propter peccata nostra, id est, pro nobis, & pro peccatis nostris passus est, & pœnitentiam egit, & mortem suscepit. Potest & in illis locutionibus finis designari passionis Christi, aliquid subaudiendo, Christus passus est propter nos, supple liberandos aut redimendos. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, supple tollendas. A peccato liberari, finis est passionis Christi. Frequens est huius præpositionis vsus, designantis causam finalem, non rem per accusatiuum significatam, sed aliud in re illa subintellectũ, quemadmodum cùm ait Apostolus: Propter fornicationem vnusquisq; vxorem suam habeat, supplet. Cor.7.a tur, propter fornicationem, supple vitandam: ita propter peccata nostra, supple tollenda, Christus est mortuus. Neque enim quisque debet habere vxorem suam propter fornicationem, perinde atque seruare debet diætam in cibo & potu propter sanitatẽ. Vnde honorari debet medicus propter morbos pellendos, & propter sanitates conseruandas. Interdum etiam propter, non causam designat, neq; finalem, neque meritoriam, neq; efficientem, sed euentum, seu consecutionem, veluti ad Roma. xi. Paulus ad gentes iam conuersas loquitur: Nunc autẽ vos misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum, scilicet Iudæorum. Hic propter non causam designat, sed euentum, seu consecutionem, hoc est, per incredulitatem eorum secutum est, vt assecuti sitis misericordiam.

Qũo Christus dicitur passus propter peccata nostra. Isai.53.b

Rom.8.b

Prouerb 16.a

Ezech.36.c

De cõiunctionibus causalibus in scripturis.

Amplius autẽ sciendum, quòd coniunctiones causales: quia, quoniã, vt, & id genus aliæ, non semper in scripturis sacris designant essendi causam, hoc est, non semper notant vnam rem esse alterius causam, aut efficientẽ, aut finalem, aut meritoriam: sed plerunq; ordinẽ vnius sententiæ, ex altera, vel dependentiã, habitudinẽ seu consecutionẽ aut rerum, aut sententiarum. Et primùm de coniunctione, vt, videamus. Cùm dicit in scripturis Christus: Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Coniunctio vt, causam finalem

De coniunctione, vt. Matth.6.a

 designat:

Universidad de Deusto
Biblioteca

designat: prohibet enim Christus ne hoc fine faciamus iustitiæ opera, cupientes ab hominibus laudem, tanquàm mercedem nostrorum operum. Quum autem dicit scriptura: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Hæc autem facta sunt, vt implerentur scripturæ prophetarum. Cùm crucifixissent eum diuiserunt sibi vestimẽta, mittentes sortem, vt impleretur quod dictum est per Prophetam: Diuiserunt sibi vestimenta mea. Item: Lex subintrauit vt abundaret delictum. Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant. Malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis. In huiuscemodi locutionibus coniunctio vt, non causam finalem, sed consecutionem, aut euentum, seu sequelam designat: quemadmodum dicimus, Ita euenit, vt putaui. Neque enim Deus homo est, vt agat pœnitentiam. Venerunt dies eius, vt moreretur. Post hæc factum est vt moreretur. Prædictarum loquutionũ sensus est: Hæc sic facta sunt, vt implerentur scripturæ. Lex ita subintrauit, vt abundaret, seu augmentum sumeret delictum, hoc est, ex lege subintrante delictum abundauit. Malum coram te feci, ita vt iustificeris, id est, iustus & verax appareas in sermonibus tuis. Sic quòd dicitur Isaiæ. vij. de puero Iesu: Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum: significat non quòd puer comedet butyrum & mel, eo fine, vt sciat reprobare malum: sed quia puer ita comedet butyrum & mel, vt etiam in comedendo sciat reprobare bonum, & eligere malum. Vnde Athanasius tractans illud: Vt implerentur scripturæ Prophetarum, Multi cùm audirent (inquit) id quod scriptum est: Vt implerentur scripturæ, existimabant ea quæ fiebant in Christo passo, non ob aliud fieri, quàm vt implerentur ea, quæ scripta erant: ob id arbitrantur eos, qui hæc faciebant non solum in culpa non esse, verùm etiam potius laude dignos: quippe qui his quæ scripta erant subseruirent. Nam prophetarum verba non futura fuissent vera, nisi illi hæc egissent. Deinde si, vt Isaiæ sermo impleretur, non crediderunt Iudæi, non ipsi accusandi propter incredulitatem, sed is potius, qui hæc prædixit, propter quem completa sunt. Verùm huiuscemodi obiectio multùm (inquit Athanasius) abest à veritate. Neque enim Propheta his causam præbuit, sed præuidens quæ futura fuerant annunciauit: neque ipsi Iudæi tanquàm subseruientes propheticis sermonibus, facinus perpetrarunt: sed propria sponte fecerunt, vt ipsi magis fuerint in causa, propter quam hæc de illis mala loqueretur Propheta. Dominus noster Iesus Christus passus est non propter seipsum, nec propter hoc vt impleretur sermo Prophetæ, sed propter nos liberandos, pro peccatis nostris induit carnem nostram, in qua pateretur pro nobis, & sanguinem seque ipsum offerret Deo patri. Et hoc prophetæ futurum prædixerunt, figurãtes hæc omnia in ceremoniis & sacrificijs suis. Quemadmodum in agnis, arietibus, vitulis, columbis, cæterisque veteris legis sacrificijs omnia erant plena sanguinis: Ita & in agni nostri (qui est Dominus Iesus) immolatione, omnia erant plena sanguinis. Claui in manibus ac pedibus, in capite spinarum aculei, in corde cruenta lancea, à planta pedis vsque in verticem vulnera, & guttæ decurrentis sanguinis. Omnia quidem sponte à Domino Iesu suscepta, sed crudeliter à Iudæis illata. Neque ergo causa incredulitatis Iudæorum reijcienda est in sermonem Prophetæ, sed in malam eorum voluntatem: neque causa, propter quam passus est Christus, est sermo prophetæ, sed totius humani generis salus. Neque propter hoc solùm hæc omnia facta sunt in Domino Iesu, vt sermo Prophetæ verus esset, sed vt homo saluus fieret. Et dum hæc omnia in Christo sunt adimpleta, simul euenit vt & Prophetæ sermo verus esset. Sic & lege subintrante secuta est delicti abundantia, non lege operante, sed mala hominis voluntate per legem peccandi grauius occasionem accipiente.

De cõiunctio Iam de coniunctionibus, quia & quoniam, videamus. Quoniam & quia, in scripturis

pturis sacris non semper causales sunt coniunctiones, sed plerunque pro quod accipiuntur: veluti quod in Matthæo legitur: Videns Herodes quoniam illusus esset à Magis. Interdum sunt solius affirmantis indicia. Quamobrem & congruè interdum possunt prætermitti, permanente sententia salua, quemadmodum in verbo Christi ad mulierem Samaritanam: Bene dixisti, quoniam virum non habeo. Interdum etiam neque causam designant, neque pro, quòd, accipiuntur, neq; sunt solius affirmationis indicia, sed consecutionem notant cum prioritate quadam secundùm nostrum modum concipiendi, intelligendi, seu cognoscendi: quemadmodum dicimus, hoc quia fugit de loco in locum, animal est. Manifestum est multis in locis coniunctiones istas veram causam designare, veluti cùm dicitur: Confidite, quia ego vobiscum sum. Ne timeatis, quia ego tecum sum: Noli timere, quia redemi te. Christus oblatus, quia ipse voluit. Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Vigilate, quia nescitis horam. Euge serue bone, quia super pauca fuisti fidelis. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei. Frequenter tamen scripturæ sermo vtitur coniunctionibus huiuscemodi non sic, vt causam designent, sed pro coniunctione quòd: veluti cùm significant id quod sequitur, esse vel dictum, vel auditum, vel scitum, cognitum ac cogitatum, aut scriptum. Per prophetas dictum est, quoniam Nazaræus vocabitur. Nónne scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur. Tunc confitebor illis, quoniam nunquam noui vos. Creditis quia hæc possum facere vobis? Scitis quia pharisæi audito hoc verbo scãdalizati sunt. Scitis quia propè est æstas. Dicite, quia Dominus his opus habet. Magister scimus quia verax es. Scitis quia post biduum pascha fiet. Dixi vobis, quia ego sum. Tu dixisti quia ego sum. Putatis, quia ego accusaturus sum vos apud patrem? Tu scis Domine, quia amo te. Multi venient in nomine meo, dicentes quia ego sum. Confitebor tibi Domine pater cœli & terræ, quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Scimus quia bona est lux. Et nunc scio fratres, quia per ignorantiam feciſtis. Nunc scio verè, quia misit Dominus angelum suum. Quia nemo est in cognatione vestra, qui vocetur hoc nomine. Scientes quoniam hora est iam nos de somno surgere. Scientes quoniam qui suscitauit Iesum à mortuis, & nos cum Iesu suscitabit. In omnibus huiuscemodi locutionibus, coniunctiones hæ, quia & quoniam, non causam designant, sed notant id quod sequitur ipsas, esse dictum, scriptum, aut scitum, secundũ significationem personæ, & verbi antecedentis. Et poterunt huiuscemodi scripturæ sermones interpretari per coniunctionem, quòd, mutatis verborum sequentium modis, secundùm eiusdem cõiunctionis exigentiam, etiam mutata interdum verbi persona. Quemadmodum sermo Christi ad mulierem Samaritanam: Bene dixisti, quia virum non habeo. interpretandum est, bene dixisti quòd virum non habeas, mutato non solùm verbi modo, sed & persona verbi mutata. Interpretatur sermo Christi ad Pilatum: Tu dixisti, quia rex sum ego. hoc est, dixisti quòd rex sim ego, seu dixisti me regem esse. Pilatus enim non se, sed Christum dixit regem esse. Mulier autem non Christum, sed se dixit non habere virum. Talis autem sermonis vsus non solùm in lege noua, sed & in veteri est frequens. In Exodo legimus: Scient Ægyptij, quia ego sum Dominus. hoc est, scient quòd ego sum Dominus. Nunc cognoui, quia magnus Dominus noster. In Iob legimus: Saltẽ nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me. Quòd autem supradictæ coniunctiones, interdum neq; causam designent, neque pro, quòd, accipiantur: sed necessitatem quandam notent consequentiæ cum prioritate quadam, secundùm nostrum modum concipiendi, cognoscendi, seu intelligendi patet. Quia plerunq; ex effectibus venimus in cognitionem causæ, & inde prouenit, vt propter

nibus quis, & quoniam. Matth. 2. c

Iohan 4. c

Isa. 53. b
Matth. 24. d
Matth. 25. b
Luc. 9. b
Psalm. 137. e

Matth. 2. d
Marc. 11. b
Matth. 7. d

Matth. 27.

Exod. 7.

Iob. 19. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

effectum cognoscamus causam esse: veluti cùm videmus aliquid moueri à se, dicimus hoc esse animal, quia mouetur. Sic in verbo Christi: Propterea credere non poterant, quia Isaias dixit: coniunctio quia, non causam designat. Nam incredulitatis Iudæorum causa fuit, non Isaiæ prophetia, sed mala voluntas eorum. Proinde coniunctione quia, sic largè accepta, vtrunq; sermonem reperimus apud sanctos. Iudæi non crediderunt, quia Isaias prædixerat eos non credituros. Isaias prædixerat Iudæos non credituros, quia Iudæi non erant credituri. Solent autem sacræ theologiæ magistri inuestigare, Vtrùm Deum præscire aliquid aut velle, aut voluisse aliquid, possit esse consequens propositionis causalis veræ. Verbi gratia, vtrùm sit sententia vera: Pharao, quia voluit permanere in peccato vsq; ad mortem, ideo voluit Deus damnare illum. Et difficultas hinc oritur, quia Deo nihil potest esse causa, vt aut sciat, aut velit aliquid: sed de his in sequentibus libris latius. Nunc autem quantum ad vires coniunctionum causalium attinet, sufficiat scire, quòd etsi nihil possit esse Deo causa, ex qua incipiat aut scire, aut velle aliquid: quippe qui vnico, simplicissimo, & incomprehensibili nobis actu ab æterno sciuit & voluit, quicquid nunc scit & vult: ipse tamen illo actu sempiterno in creaturis suis, vult vnam rem alterius esse causam. Proinde verè dicimus, Deum velle vnum esse propter aliud, & Deum velle damnare Antichristum, quia ipse in peccato est moriturus, quamuis neque Antichristi peccatum neque præscientia illius in Deo, fuerit ipsi Deo causa, ex qua incepit voluntas illa, qua voluit damnare ipsum. Antichristi peccatum erit quidem causa damnationis suæ, non tamen erit causa voluntatis diuinæ, quippe quæ æterna est atque intransmutabilis: tamen voluntas illa non modò non est irrationabilis, verùm est & rationabilissima, quia illam damnationem vult ipsi Antichristo in pœnam sui peccati: neque eam voluisset, si non ipsum in peccato moriturum præuidisset. Et idcirco sententiæ sanctorum super huiuscemodi rebus, ex huiuscemodi coniunctionibus causalibus constitutæ, conceduntur habita consideratione non ad diuinam voluntatem increatam, vt illi aliquid significetur esse causa: sed ad res ipsas, quarum vnam vult Deus esse propter aliam, hoc est, vult vnam esse alterius causam. Quòd si ad diuinam voluntatem habeatur consideratio, coniunctiones illæ non causam, sed consecutionem quandam designant secundùm modum cognoscendi nostrum. Quemadmodum dicimus, quia Deus vult huic dare vitam æternam, ideo vult ei dare gratiam finalem. Et econtrariò, quia Deus vult ei gratiam finalem dare, ideo vult ei dare vitam æternam: non quòd vna voluntas in Deo, sit alterius in eo causa, quemadmodum in nobis: sed quòd ex eo, quo ipse verè significatur aliquid velle, necessariò sequitur & ipsum velle aliud. In quibusdam scripturæ locis sermo est ambiguus, neque multum refert siue causaliter, siue pro, quòd, dixeris coniunctionem, quoniam, aut quia esse acceptam. Veluti cùm dicitur: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. tametsi particula sequens, qua dicitur: Dicat nunc Israel, quoniam bonus, magis indicet coniunctionem quoniam, pro quòd, esse intellectam. Tales sunt in scripturis loci multi. Hactenus de præpositionum & coniunctionum causalium viribus ac significationibus dicta sufficiant. Sunt & aliæ voces ac dictiones in scripturis multæ æquiuocè & multiphariam acceptæ in diuersis scripturæ locis, quas vniuersas operosum foret nominare: sed ex harum consideratione poterimus attendere, quid in cæteris quoq; sit faciendum. Cæterũ in omnibus vocibus ambiguis varieq; acceptis in diuersis scripturę locis obseruãda est regula, vt in sermone diuino ex huiuscemodi vocibus ambiguis & incertis, consideratione habita ad ea, quæ præmittuntur & sequuntur, talem studeamus trahere sententiam, quæ regulis fidei sententijsve datis in alijs scripturæ locis non repugnet.

A

B

C

D

Quòd dicitur Deus velle vnum propter aliud.

Psalmo 117.

Caput

Caput secundum, de locutionibus in scripturâ sacra ambiguis. CAP. II.

AM de orationibus ambiguis videamus. In omnibus quàm maximè potest, interpres scripturę sacræ, vitare debet sermonem ambiguũ, incertum, & ancipitem: quem tametsi Euangelistæ atque prophetę in scripturis à se æditis non semper vitauerunt: quod certé creditur factum esse spiritu sancto idipsum prouidente, ad exercitium aut vtilitatem nostram. Interpres tamen cauere debet, ne interpretando scripturas, reddat nobis obscuriores. Non satis igitur consideranter interpres Latinus vertit, dum quosdam scripturæ locos fecit obscuros & ambiguos, qui in suo fonte suaque origine scripti omni carent amphibologia, nisi fortè id egerit mouente spiritu sancto ad occultandum mysteria, quemadmodum patuit in lxx. interpretibus. Sed de hoc in superioribus libris. Amphibologia in sacris scripturis, quemadmodum & in alijs scientijs, multis fit modis. Primùm propter incertitudinem, aut casuum, aut numerorum, aut temporum, aut modorum, aut suppositorum, vel incertum est ad quod antecedens, aut ad quam rem demonstratam fit relata dictio, aut qualis sit, à quo verbo aut nomine cadat. Frequenter enim contingit diuersos casus & numeros, diuersas dictiones eisdem syllabis scribi & literis. Et ex horum omnium occasione in scripturis interpretandis error contingit, cùm intelligitur casus pro casu, genus pro genere, tempus pro tempore, numerus pro numero, relatio ad antecedens aliquòd pro antecedente, signum pro signo, &c. Deinde in scripturis contingit obscuritas amphibologiæ, dum incertum & dubium est, quonam pacto oporteat orationem distinguere, hoc est, diuidere dictiones atque sententias. Tertiò, distinctione certa intellecta, interdum etiam diuersus pronunciandi modus facit errare lectorem: veluti cùm assertiuè pronunciatur, quod vel interrogando, vel percontando dictum intelligitur, aut simpliciter & nudè accipitur, quod tamen per ironiã, aut hyperbolen, aut per emphasim, aut alium quemuis loquendi tropum est intelligendum. Casus in scripturis multis est ambiguus. Et quia prolixum foret omnia huiuscemodi ambigua ex scripturis recensere, sufficiat ex multis pauca colligere: vt ex illis quid in alijs sit faciendum, valeat studiosus sacræ theologiæ lector considerare. In Psalmo 9. cùm dicitur: Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum destruxisti. Ambiguus est sensus, dum videtur nomen inimici esse nominatiuus pluralis numeri suppositus verbo defecerunt, & antecedens esse relationis eorum: sed id non sic esse constat ex originali lingua, qua significantur frameæ, id est, arma, seu vires, seu potentiæ ipsius inimici nostri defeciisse. Item in Psalmo cxxvij. Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Nomina illa, filij & merces, intelliguntur esse nominatiui pluralis numeri, vt sensus sit: Ecce hæreditas Domini sunt filij, quæ sunt merces Iesu, fructus ventris Mariæ, id est, merces, quas filius fructus ventris Mariæ suo sanguine mercatus est, quãmuis & secundùm Hebraicam veritatem possit legi mercis in genitiuo pro eadem sententia. Quòd si merces intelligatur nominatiuus singularis mercedem significans, stabit etiam sensus catholicæ fidei consonus. Hæreditas Domini sunt filij, & merces eorum est fructus ventris, scilicet Iesus Mariæ filius. Quemadmodum & ipse ad Abraham ait: Ego merces tua magna nimis. Verbum Prophetæ: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Primùm nomen Deus, secundùm Hieronymum ad Principium in vocatiuo casu est accipiendum, vt sic dicatur: Propterea ô Deus, te vnxit Deus tuus oleo lætitiæ. Et in hoc Psalmo sunt loci peculiares, quibus contrà Iudæos demonstratur Messias esse verus Deus. Primus in quo loquitur Propheta in spiritu ad Christum Dominum, dicens: Sedes tua Deus in seculum seculi. Secundus, in quo loquitur ad eundem: Propterea ô Deus, vnxit te Deus tuus. Tertius, in quo

A

B

C

D

Amphibologiam diuersis modis contingere.

Amphibologias propter incertitudinẽ casuum.

Psalm. 9. a

Genes. 14. a
Psalm. 44. b
ex quo cõuincitur Messias esse verus deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

in quo loquitur ad Ecclesiam: Audi filia,& vide,&c.Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est rex Dominus Deus tuus. Sic quod dicit Apostolus ij. ad Thessaloni.iij. Propterea consolati sumus fratres in vobis. Dubium est an, ô fratres, an hoc fratres sit intelligendum: sed Græca lingua hos casus pares non habet, & ideo illa inspecta soluitur ambiguitas, renunciaturque vocatiuus ô fratres. Item ij.ad Timoth.iiij. Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundùm sua desideria coaceruabunt sibi magistros,prurientes auribus.Ambiguus est sensus, in eo quòd prurientes potest esse casus aut nominatiui,aut accusatiui: sed inspecta originali lingua, videbitur nominatiuus esse pluralis, non accusatiuus, quemadmodum & ex diui Ambrosij interpretatione est manifestum. Et ita significatur,quòd ipsi sanam doctrinam non sustinentes, sed prurientes auribus coaceruabũt sibi magistros.Item quod apud Paulum dicitur: Verbum consummans & abbreuiãs in æquitate,ambiguum habet sensum propter incertitudinem casuum: sed diligenter inspecta Græca lingua videbitur vox illa, verbum, esse casus accusatiui, consummans autem & abbreuians nominatiui masculini generis, vt sensus sit: Deus consummans est, & abbreuians verbum suum, scilicet Christum, vel doctrinam suam. Vnde subditur: Quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram. Sic quod dicit Aposto. Quod stultum est Dei,sapientius est hominibus: & quod infirmum Dei est,fortius est hominibus: incertum est,an hominibus sit datiui, an ablatiui casus,sicut dicimus: hoc est quid sapiẽtius mihi, & hoc est quid sapientius me.Et huiuscemodi amphibologia vitari poterat,si vertisset interpres: Quod stultum est Dei, sapientius est quàm homines: & quod infirmum est Dei, fortius est q̃ homines. Acsi dicat: Stultitia ac imbecillitas Dei, vtpote prædicatio crucis Christi, quæ stulta & imbecillis videtur impijs, fortior & sapientior est, q̃ homines huius mundi, dum ipsa etiam homines fortes, reges & sapientes huius mundi transfert in obedientiam Christi. Sic & in cantico Mariæ quod dicitur: Suscepit Israel puerum suum,recordatus misericordiæ suæ,nomen Israel non intelligitur esse nominatiuus suppositus verbo suscepit, tanquàm significaretur populus Israel suscepisse puerum suum Iesum, quia illa sententia sequenti non cohæret, qua dicitur: recordatus misericordiæ suæ, sed intelligitur esse accusatiuus,vt sit sensus: Dominus Deus,qui in superioribus versibus legitur respexisse humilitatem ancillæ suæ,& fecisse magna, & exaltasse humiles, & diuites dimisisse inanes, suscepit Israel puerum suum,seu populum Israelem, recordatus misericordiæ suæ olim promissæ.Sic quod dicitur: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, intelligitur Abrahæ esse datiui casus, non genitiui,vt sensus sit: potens est Deus ipsi Abrahæ suscitare filios de istis lapidibus. Sic & Israel intelligitur datiui casus in illa Apostoli interrogatione,qua dicitur: Si in tempore hoc restitues regnum Israel? hoc est, ipsi Israel, seu populo Israelitico. Item in Hieremia quod Christus loquitur: Foderunt foueam animæ meæ, datiuus casus,non genitiuus intelligitur,quòd dicitur animę meæ, acsi dicat: Parauerunt animæ meæ tollendæ foueam mortis. Et quod in Actis Apostolorum dicitur: Apparuerunt Apostolis dispartitæ linguæ tanquàm ignis, genitiui casus intelligitur esse ignis,non nominatiui. Quod dicitur in Psalmo cxviij. Præueni in maturitate & clamaui, non distincta præpositione legendum est, sed vna voce, immaturitate,à nomine immaturitas,tanquàm dicat: præueni tempore immaturo,seu intempesta nocte. In Psalmo lxxix.legitur,Incensa igni & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt. Secundùm Psalterium vetus & secundùm Hieronymum, aliosq; habentes recursum ad originalem linguam, nomina illa, incensa & suffossa intelliguntur fœminini generis,casus nominatiui, quorum substantiuum est vinea, vt intelligatur vinea esse succensa igni, & suffossa, & incensores significẽtur perituri ab increpatione vultus. Verũ Aug.Cassiodorus innixi translationi vulgari,intellexerunt ea esse pluralis numeri,supposita verbo peribunt.

Rom.9.f
1.Cor.1.d
Luc.1.c
Matth 3 d
Act.1.a
Hierem.18

Cæterùm quemadmodum incerta & ambigua fit sententia, dum vna dictio in diuersis casibus,aut temporibus,aut numeris parem habet sonum,literas ac syllabas: Ita fit sensus ambiguus seu obscurus, dum diuersæ dictiones in aliquo casu, vel tempore,aut numero parem habent sonum,parem literarum aut syllabarum ordinem. Aliud nomen est os ossis, aliud os oris: aliud verbum queritur à deponenti verbo queror, aliud verbum quæritur passiuum à verbo actiuo quæro. Aliud verbum vænit passiuæ significationis à væneo, quod significat vænundari, aliud verbum venit neutralis significationis à venio. Item alia sunt nomina: iustum,bonum,malum, neutraliter & substantiuè accepta,pro iustitia, bonitate, & malitia seu peccato: alia verò adiectiuè accepta pro iusta,bona,& mala persona. Sic & in alijs multis, quorum occasione potest in scripturis exponendis error contingere. Veluti cùm dicit Propheta in persona Christi loquentis ad patrem: Non est à te absconditum os meum, quod fecisti in occulto. Incertum est, an os ossis intelligatur, an os oris: sed hæc ambiguitas soluitur ex perspecta originali lingua, quæ non oris, sed ossis significationem habet. Proinde Hierony.hanc incertitudinem sustulit, transferens pluraliter: Non sunt operta à te ossa mea,quibus factus sum in abscondito. Loquitur filius de ossibus formæ humanæ, formatæ spiritus sancti operatione in occultis Mariæ castis & virgineis visceribus. Sic quod dicit Apostolus: Dicis itaque mihi, quid adhuc quæritur, ambiguum est, dum incertum relinquitur, an verbum illud queritur, à verbo deponenti queror,an potius passiuum fit à verbo actiuo quærere: sed hanc amphibologiam sustulerunt probati interpretes,transferentes: Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? ac si dicat: Si Deus cuius vult miseretur,& quem vult indurat,quid adhuc fit querimonia contra hominem peccantem? Cur accusatur,culpatur,reprehenditur peccator, qui non potest resistere diuinæ voluntati? Cùm dicit Apostolus: Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur,verbum quæritur passiuum est à quæro,vt sensus sit: Hic iam quæritur, id est, requiritur, exigitur. Sic & in verbo Apostoli: Omne quod in macello vænit manducate, significatur omne quod in macello vænundatur manducate. Sic & orationes, quibus dicitur: Auferte malum à vobismetipsis.Væ qui dicitis bonum malum,& malum bonum,ponentes lucem tenebras,& tenebras lucem,Isaiæ 5. Noli vinci à malo,sed vince in bono malum. Vix pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori.Rom.5. Libera nos à malo,similesque locutiones sunt ambiguæ,dum incertum relinquitur lectori, an hæc omnia: iustum, bonum,& malum substantiuè intelligãtur accepta pro rebus ipsis,pro iustitia inquam,bonitate,& malitia,seu peccato: an potius adiectiuè, pro ipsis personis bonis aut malis. Vnde & Augustinus huius occasione primum deceptus in verbo Apost. dicentis: Auferte à vobismetipsis malum, interpretans malum acceptum esse pro malitia seu peccato: sententiam retractauit,docens malum adiectiuè illic esse acceptum, vt sensus sit: auferte eum, qui malus est à vobismetipsis: & ille est sensus,quẽ Apostolus ex superioribus concludit ibidem de hominibus fornicarijs, adulteris, alijsq; criminosis extra cõmunionem Ecclesiæ ejciendis. Quod apud Isaiam legimus: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: vtrolibet modo potest intelligi,quàmuis significantius, si Hieronymo credimus, hoc interpretatus sit Aquila: Væ,qui dicunt malo bonus, & bono malus es. Contrà verò Augustinus in Enchiridio, non de homine, sed de re ipsa docet intelligendum esse. Voce enim prophetica arguitur (inquit) non qui hominem malum, vtpote adulterum, quem putat castum, dicit bonum: sed qui adulterium ipsum dicit bonum esse. Verùm in scri-

Amphibologia,quia eadẽ dictio parem habet sonũ in diuersis casibus, tempore, aut numero.
Psalm.138.a
Hieronymus
Rom.9.d
1.Cor.4.a
1.Cor.10.f
1.Cor.5.d
Rom.12.d
1.Cor.5.d
Isaiæ.5.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

in ſcripturarum verſionibus ſeu interpretationibus magis valet Hieronymi, q̃ A
Auguſtini authoritas. Neque tamen falſam dedit Auguſt. ſententiam, ſed veram,
licet Apoſtolico ſenſui impertinentem. Alius eſt modus dicendi, malo bonus es,
qui prohibetur: alius modus, quem docet Auguſt. non eſſe arguendum. Sic diuus
Hieronymus ad Algaſiam, quæſtione 7. in verbo Apoſtoli ad Roma. 5. Vix pro
iuſto quis moritur. Nam pro bono forſitan quis audeat mori, iuſtum & bonum
non maſculinè, pro perſona iuſta aut bona, ſed in neutro ſubſtantiuè, pro ipſa bo-
nitate & iuſtitia docet eſſe accepta. Origenes autem vtroq; modo diſſerit, & pro
iuſto videlicet & bono viro, & pro iuſta & bona cauſa. Ambroſius iuſti vocabu-
lum retulit ad perſonam. Pro intellectu autem ſermonis illius Apoſtolici, ſcien-
dum ſermonem Apoſtoli in eodem capite præmiſſum: Vt quid enim Chriſtus
cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus, pro impijs mortuus eſt, habere B
amphibologiam, in eo quòd particula hæc, ſecundùm tempus, poteſt referri aut
ad id, quod præceſsit, vt dicatur: Vt quid cùm adhuc infirmi eſſemus ſecundùm
tempus, nondum ſcilicet confortati virtute Euangelij ad aliquid bene operan-
dum, Chriſtus pro nobis impijs mortuus eſt: aut ad id quod ſequitur, vt dicatur:
ſecundùm tempus pro impijs mortuus eſt, quo ſignificatur, Chriſtus ad tempus
ſolum breue fuiſſe mortuus, quippe qui die tertio reſurrexit. Vterque ſenſus eſt
Apoſtolicus, ſuosq; probatos habet authores. Voluit enim textus ſignificare Chri
ſtum pro hominibus adhuc impijs mortuum eſſe, vt ſpes nos non confunderet, &
ipſe ſuam eximiam erga nos charitatem declararet, quamobrem ſubiunxit: Vix
enim pro iuſto quis moritur, tanquàm dicat: rarus eſt inter homines, qui pro iu-
ſto ſeruando velit ſubire mortem, nam pro bono forſitan quis audeat mori, tan-
quàm dicat: nam demus, quòd pro bono forſitan quis audeat mori, ſed Chriſtus C
tamen charitatem ſuam magis, quàm ille erga nos commendat, ſua ſponte ample-
ctens mortem pro nobis malis & impijs. Neque oportet hic ſollicitum eſſe lecto-
rem, ad inueniendum diſcrimen inter bonum & iuſtum, tametſi differant in ra-
tionibus ſecundùm nomina ſua. Secundùm Tertullianum & Chryſoſtomũ, ma-
lum in oratione dominica accipitur maſculinè, pro maligno ſeu diabolo. Alij
verò cõtendunt illic malum accipi pro re mala, ſeu malitia huius mundi, ſeu ma-
lo quod habitat in carne noſtra. In verbo Apoſt. Noli vinci à malo, ſed vince ma-
lum in bono, bonum pro ipſo beneficio, malum verò pro iniuria eſſe accipien-
dum, patet ex ſerie textus. Vnde præmiſit: Nulli malum pro malo reddentes, ſed
prouidentes bona, &c. Mihi vindictam, & ego retribuam. Si eſurierit inimicus,
ciba illum, & ſic vince malum, id eſt, iniuriam eius, & malitiam voluntatis ipſius
in bono ſeu beneficio tuo, hoc eſt, per tuum beneficium illi exhibendum.

Vix pro iuſto quis moritur Rom. 5.

Tertullianus Chryſoſto.

Rom. 12. d

Item, hic, pronomẽ, id eſt, iſte, & hic, aduerbium, id eſt, in hoc loco, in ſcriptu- D
ris ſacris interdum fecerunt errare expoſitores. In verbis Chriſti. Ecce pluſquàm
Salomon hic. Ecce pluſquàm Ionas hic, maior templo Dei hic, annotauit Hiero-
nymus, in omnibus iſtis locutionibus, hic, eſſe aduerbiũ, non pronomen, vt ſigni-
ficetur in hoc loco perſona eſſe dignior & maior, quàm fuerũt Salomon & Ionas.
Item ambiguus eſt ſermo Apoſtoli dicentis: Ne magnitudo reuelationum extol-
lat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſathanæ, qui me colaphizet:
propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me. Et dixit mihi: Sufficit ti-
bi Paule gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur glori-
abor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Multiplex hic eſt
amphibologia. Primùm propter nomen, ſtimulus carnis, qui ſecundùm interpre
tationem doctorum veterum intelligitur, aut aduerſa corporis valetudo, vt ca-
pitis dolor, quemadmodum ſentiunt Hierony. & Theophylactus, aut preſſura
aduerſariorum, quemadmodum ſentit Ambroſius. Vterque ſenſus conſonus eſt
ſenten-

A ſententijs conſequentibus. Secundùm quoſdam autem intelligitur, ſtimulus eſſe
motus libidinis, qui eſt ex lege membrorũ, ſeu ex peccato fomitis in carne, ad illi-
cita ſtimulans. De qua dicit ad Rom. Inuenio legem in mẽbris meis repugnantem Roma. 7. d
legi mentis meæ. Sed huic ſententiæ non ſic cohærent ea, quæ ſequuntur & præ-
mittuntur, quibus ſignificat ſe gloriari in infirmitatibus, & placere in cõtumelijs,
perſecutionibus, & anguſtijs pro Chriſto. Deinde obſcuritas eſt in eo quod dici-
tur: Nam virtus in infirmitate perficitur. Hoc enim accipi poteſt tanquàm dictũ
Pauli, quod alij verè & rectè ſentiunt accipiendũ eſſe non tanq̃ ſit verbum Pauli,
reddentis cauſam reſponſionis Chriſti, ſed tanq̃ pars eius, quod Chriſtus ipſe Pau
lo reſpondit, dicens totum hoc: ſufficit tibi Paule gratia mea, nam virtus in infir-
mitate perficitur. Tertiò eſt obſcuritas in nomine virtus, quod ex originali lin- De nomine virtus.
gua diſcimus acceptũ eſſe non pro virtute cõtraria vitio, ſed pro virtute cõtraria
B infirmitati, id eſt, pro potentia, robore, ſeu fortitudine, & nõ pro virtute Pauli, ſed
pro fortitudine Chriſti, vt ſenſus reſponſionis Chriſti ſit talis: Sufficit tibi Paule
gratia mea, nam in infirmitate tua, ſeu imbecillitate ac impotentia tua, virtus ſeu
potentia mea perficitur, hoc eſt, perfectior, probatior fit in te, illuſtrioráq; tibi vi-
detur. Et huic ſententiæ cohærere videtur concluſio Pauli ex reſponſione ſibi â
Chriſto data concludentis: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt
inhabitet in me virtus Chriſti. Verùm quia virtus ſeu robur Chriſti inhabitans
nos, eſt qua nos ſumus potentes, fortes, alacres. Idcirco nihil detrahitur ſenſui ſcri-
pturæ, ſi dicatur virtus etiam accipi pro virtute, quæ in nobis à Chriſto eſt, qua &
nos fortes ſumus. Vnde ſubdit: Quando enim infirmior, tunc fortior & potens
ſum. Amplius & hic ſciendum: Quemadmodum ambiguus ſeu obſcurus ſermo Amphibologia propter incertitudinẽ antecedentis & ſuppoſiti. Abacuc. 3.
C contingit in ſcripturis propter incertitudinẽ caſuum aut dictionum: ſic & multi
ſunt in ſcripturis ſermones ambigui propter incertitudinẽ antecedentis, & pro-
pter incertitudinẽ rei ſuppoſitæ verbo. Percuſsiſti caput de domo impij, denu-
daſti fundamenta eius vſq; ad collum, ambiguè dicitur, eo q̃ incertũ relinquitur,
ad quodnã antecedens pertineat relatiuum eius, an videlicet ad domũ cuius ſunt
fundamenta, an ad caput, vel ad impium cuius eſt collum. Similiter quod dicitur: Ibidem.
Egredietur diabolus, ante pedes eius ſtetit, & menſus eſt terram. Incertũ eſt quis
ſteterit, an videlicet diabolus, de quo immediatus erat ſermo antecedens, an po-
tius ad Deum mediatè antecedentem: ſed hæc obſcuritas abſoluetur infrà, in ex-
poſitione cantici Abacuc. Quod Iohan. 8. dicitur: Diabolus cùm ex proprijs lo- Iohan. 8. f
quitur, mendacium loquitur, quia mendax eſt & pater eius, ſermo ambiguus eſt
etiam in originali lingua Græca, cùm incertum eſt, an eius, referatur ad diabolum,
an potius ad mendacium. Sed Eccleſiaſtici patres: Chryſoſtomus, Hierony. Aug.
D & cæteri ad mendaciũ retulerunt: vt diabolus eſſe non mendax ſolùm, ſed & men
dacij pater eſſe ſignificaretur. Manichæi autem ſtultè æſtimantes diabolũ habere
patrem, qui eſt omnium malorum principium, retulerunt ad diabolum. Sic in eo
quod dicit Apoſtolus: Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. 1. Cor. 2. d
Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Ob-
ſcuritas contingit, per quam & falluntur pleriq; lectores, non accipientes verum
ſuppoſitum verbi examinatur: quod ſanè verbũ pertinet non ad hominẽ carnalẽ
ſeu animalẽ (vt ille homo animalis intimetur ſpiritualiter examinari) ſed ad id,
quod eſt ſtultitia homini animali, hoc eſt, ad id, quod eſt ſpiritus ſancti myſteriũ,
ſeu beneficium nobis collatum per Ieſum Chriſtum, vt videlicet hæc myſteria &
beneficia per ſpiritum fidei in Ieſum exhibita nobis, intimentur ab Apoſt. Paulo
examinari ſeu dijudicari ſpiritualiter. i. per ſpiritum, quo cognoſcimus ea, quæ à
Deo per Chriſtũ crucifixum donata ſunt nobis. Vnde & cõiunctio, quia, in verbo
illo Apoſtoli, nõ cauſaliter, ſed pro q̃, videtur accepta: animalis homo exiſtimans

Universidad de Deusto
Biblioteca

mysterium fidei nostræ esse stultitiam, non potest intelligere seu cognoscere, ꝙ A
hoc spiritualiter examinetur seu dijudicetur. Proinde & interpretes quidam tollentes hanc obscuritatem, reddiderunt sensum Apostoli apertiorem hoc pacto:
Animalis homo quid. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim sunt illi: & non potest intelligere, ꝙ illa spiritualiter examinentur seu dijudicentur. Si tamen placeat cuiquàm coniunctionẽ quia, causaliter accipere, non erit absonus sensus, modò tamen verbũ examinatur, non intelligatur appositum esse homini animali, sed ei, quod est homini animali stultitia, quale est id, quod spiritu fidei in Iesũ crucifixum credimus. Animalem hominẽ (inquit Theophylactus) appellat Apostolus hominem naturalẽ, qui suo sensu fertur, qui nolens admittere quicq̃ per fidem & credulitatẽ, existimãs omnia naturali quodam cursu fieri, arbitratur omnia esse
Rom. 7. 8 stulta, quę naturali ratione probari non possunt. Sic quòd dicit Apostolus: Lex in B
homine dominatur quanto tempore viuit, ambigũ habet sensum, propterea ꝙ incertũ potest esse, vtrùm accipiendum sit, q̃ diu ipsa lex viuit, an potius q̃ diu ipse homo viuit. Verùm cõsiderantibus ea, quę sequuntur, videbitur sensus esse, quàm diu viuit ipsa lex: nam Paulus posuit legem loco viri, & hominem vice vxoris. Quemadmodum enim mortuo viro, liberatur vxor à debito viri: ita mortua lege Moysi, liberatus est homo à lege illa. Viuit autem lex illa, q̃ diu statum & vigorẽ habet: mortua autẽ dicitur, quando desijt habere vigorem: & secundũ hunc sensum interpretatur glossa marginalis, simul & interliniaris, & Theophylactus, qui sic loquitur: Lex ipsa viro similis potest videri, vos verò similes fœminæ. Proinde vt ita prosequeretur Paulus, exigebat oratio: Itaq; fratres nihil amplius vobis lex dominatur, quòd mortua sit. Sustinuit tamẽ huiusce modi dicere, ne Iudæos offenderet, sed sensum illum tacitè expressit dicens: Itaq; fratres mei & vos mortificati
C estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, scilicet Christi, qui ex mortuis resurrexit, debuit dicere: mortua est lex vobis per Christi incorporationem. Sed ne Iudæos offenderet, maluit dicere: Mortificati estis legi per Christi corpus, hoc est, per corpus Christi pro vobis in mortem traditum, liberati estis à dominio legis. Moritur vxor viro suo, quando vir suus moritur, quia tunc à dominio viri liberatur. Et secundũ sensum quendam dicitur vtrunq;: Vir mortuus est vxori, & vxor item mortua est viro. Ita vtrunq; dicimus: Lex vobis mortua est, & vos mortui estis legi. Amplius autẽ sciendum est, Quemadmodum apud Latinos plerunq; diuersæ dictiones eisdem scribuntur literis, ita & tale quid reperitur etiam apud
Hieronymus. Hebræos, quemadmodum testatur Hieronymus ad Damasum, quæstio. ij. Omnis (inquit) Iudæa conclamat, & synagogarum subsellia consonant vniuersa, eundem sermonem Hebraicis literis scriptum, diuersas apud eos & voces & intelligentias D
habere. Ex quibus exempli causa vnum ponimus, vt quod dicimus perspicuum fiat, duo nomina Hebraica, quorũ vnum significat pastores, aliud verò amatores, eisdem literis apud Hebræos scribuntur: sed pastores roin, amatores verò reim, & leguntur, & proferuntur. Vnde & sacræ theologiæ magistri plerunq; falluntur in suis commentariis, non rectè assecuti sensum authoris, & id quidem interdum ob ignorantiam vocabuli, interdum ob vitium interpretis, interdum ob depraua-
Latinorum & Græcorum codices varios esse. tionem codicis. In vocabulo melotes, quo significantur pelles ouillæ, dum intellexit diuus Thomas camelorum pelles, fallitur quidem, sed non pernicioſè fallitur. Præterea & interdum est in eodem scripturæ loco incertitudo diuersarum
1. Cor. 15. sententiarum, propter diuersitatem interpretum, & codicum diuersis patribus etiam orthodoxis & catholicis eundem scripturæ locum diuersimodè interpretantibus, propterea quòd diuersis vsi sunt codicibus, diuersis interpretibus: quemadmodũ in superiori libro declarauimus. Primæ ad Cor. 15. Græcorum codices inter se discrepant, & contrarios habent inter se sermones. Quidam habẽt:

Ecce

A Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur. Hic sensus non est contrarius sensui vulgatę æditionis nostræ. Neque enim repugnant sermones, omnes quidem resurgemus, omnes quidem dormiemus. Alij verò habent cõtrarium sermonem: Ecce mysterium vobis dico, non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur. Et hunc sensum secuti sunt veteres: Tertullianus, Chrysost. & Theophylactus: Vnde & hanc Græcorum codicum varietatem fuisse etiam ante mille annos sub Hierony. seculo patet ex Epistola eiusdem ad Minerium & Alexandrum, ostendentis præfatum Apost. locum sic bifariam legi apud Græcos, præferentis quidem hanc, qua nunc vtitur Ecclesia, non damnantis tamen alteram tanquàm hæresim, aut contrariam fidei orthodoxæ. Ex recentioribus diuus Thomas vtranq; commemorans, neutram reijcit vt
B hæreticam. Deinde & August. de Ciuita. Dei, hoc in loco tradit etiam Latina exemplaria esse varia, & in quibusdam esse: Omnes quidem resurgemus. In alijs autem: Omnes quidem dormiemus. Sed ne propter hanc varietatem quis arbitretur fidei articulos fuisse ambiguos apud antiquos patres catholicos: & alios quidẽ sic, alios autem aliter ea quæ in resurrectionis articulo sunt fidei, docuisse. Sciendum est, quòd neque in hac, neq; in priore lectione est quicquàm, propter quod aut cõturbetur Christiana fides, aut negetur mortuorum resurrectio, cùm vtraq; lectio suum habeat sensum catholicum, aut saltem pium, & orthodoxis patribus nõ-dum damnatum. Prior: Omnes, tam reprobi scilicet, quàm electi, resurgemus ad vitam corporalem, incorrupta quidem integritate membrorũ, sed non omnes immunes à dolore pœnarum: quia non omnes immutabimur in melius, seu in immortalitatis gloriã. Posterior autem lectio sensum habet hunc: Non omnes dormiemus in puluere, veluti qui in aduentu Domini reperiemur viui, omnes tamen
C immutabimur in melius: intelligendo omnes, nõ absolutè, sed eos omnes, de quibus illic loquitur sermo Apostolicus: qui videlicet sunt Christiani fratres, seu per Christum facti cœlestes, de quibus & prœmiserat: In Christo omnes viuificabuntur. De quibus & subiungit: Canet tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur, hoc est, mortui in puluere resurgent incorrupti, & nos qui reperiemur viui in aduentu Domini, immutabimur in statum fœlicis immortalitatis absq; dormitione in puluere. Vtrùm autem hi, qui in aduentu Domini reperientur viui, sunt subitò morituri, & in momento reuicturi, in quæstionem vertitur apud patres, quibusdam dicentibus quòd sic, propter scripturas: Statutum est omnibus semel mori. In Adam omnes moriuntur. Item: Quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. In omnes homines mors pertransijt. Alijs autem con-
D trarium asserentibus, propter hunc sermonem Apostoli, secundùm Græcorũ codices intellectũ. Et propter verba eiusdem: Hoc vobis dicimus in verbo Domini, quòd nos, qui viuimus, qui reliqui sumus in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt: sed mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo. Ex quibus arbitrantur Apostolum asseruisse eos, qui in aduentu Domini reperientur viui, non morituros. Cui sententiæ conuenire videtur, quòd in regula fidei confitemur Christum venturum esse, & iudicaturum viuos & mortuos. Qui & scripturas loquentes de omnibus semel morituris, interpretantur esse accipiendas secundùm legem communem, id est, secundùm debitum naturæ ex Adam propagatæ: quemadmodum beata Maria si fuerit sibi dimissa, hoc est, per Dei gratiam in præuiso merito filij sui non præuenta aut præseruata, vtique fuit concepta sub originali culpa. Ita & qui in aduentu Domini reperientur, viui, vtique morientur, si dimitterentur suæ naturæ, secundùm cursum, seu periodum suæ naturæ debitum, & non præuenirentur bonitate Dei rapientis & præuenientis.

Omnes quidẽ resurgemus.

Antoẽ homines sint morituri.

Heb. 9. d
1. Cor. 15. c
eodem d
Rom. 5. b
1. Thess. 4. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vtriusque sententiæ meminit Hieronymus, meminit Augustinus, meminit & Ambrosius in commentarijs 1. Epistolæ ad Corinthios, capite xv. neutram damnans. In 4. tamen capite primæ ad Thessalonicenses, docens eos in ipso raptu morituros: quam sententiã etiam præferunt Hieronymus & Augustinus. Vnde neq; oportet de hac, re facere rixas & contentiones, aut pertinaciter vnam aut alteram sententiam defendere, donec pia hæc magistrorũ dissensio ex scripturis orta, per iudicium Ecclesiæ aut per scripturas fuerit definita. Dominus in Euangelio dicit: Hora veniet, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò malè egerunt, in resurrectionem iudicij. Ex quo verbo discimus, quòd omnes qui in monumẽtis sunt, & iusti, & iniusti sunt resurrecturi. Item: Omnis qui videt filium & credit in eum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eũ in nouissimo die, vt omne quod dedit mihi pater, nõ perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Ex his verbis consequens videtur, omnes iustos esse in nouissimo die resuscitandos, & ita omnes morituros. Quam sententiam videtur & approbare verbum Apostoli: Insipiens tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Verùm possent huiuscemodi scripturæ limitationẽ recipere secundùm sensus supradictos. Similis interpretum & codicum varietas est in eo quod legitur. Regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem preuaricationis Adæ. Vbi Origenes, Ambrosius, & Augustinus magis probant, quod in alijs codicibus Latinis legitur absque negatione, hoc pacto: Ab Adam vsq; ad Moysen etiam in eos, qui peccauerũt in similitudine præuaricationis Adæ. Sed de hoc in alijs. Nunc sufficiat obiter indicasse, ne turbentur studiosi, qui legunt vel Ambrosij, vel Origenis, vel Augustini commentarios. Talis fuit quibusdam in locis inter sanctos doctores diuersitas ob codicum varietatem, cum pace tamen & vnitate catholicæ fidei: scientes ex alijs scripturæ locis, Deum concluſi se omnia sub peccato, & omnes peccasse, & egere gloria Dei: & neminem, neq; infantem vnius diei, posse saluum fieri alioq; sanguine Christi. Et idcirco Apostolum Paulum hic non dixisse, vllos homines non habuisse vnquàm peccatum, aut non peccasse: sed quòd non peccauerint ad illius similitudinem, hoc est, quòd non grauiter, neque accepto mandato, cuius transgressio proprie præuaricatio dicitur. Item quod nostri codices apud Marcum habent: Surgens autem Iesus, mane prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia. Hoc Hieronymus quæstione iij. ad Hedibiam, dicit à plerisq; non recipi, propterea quòd in raris fertur Euangelijs, omnibus penè Græcis libris hoc capitulum in fine non habentibus, præsertim cùm diuersa atque contraria Euangelistis cæteris narrare videatur. Sed de hoc in tractatu sequenti, in capitulo, de apparentibus scripturarum contrarietatibus. Sic quod nostri codices communes 2. ad Corinth. 3. habent: Et non quemadmodum Moyses, ponebat velamen super faciem suam, vt non possent intendere filij Israel in faciem eius, quod euacuatur. Veteres codices Latini habent finem pro faciem, vt non possent intendere filij Israel in finem eius, quod euacuatur. Sic legit Ambrosius & Chrysostomus, & Theophylactus. Sic vniuersi interpretes ex originali docent vertendum esse. Relatiuum autem, quod, refert non accusatiuum finem, sed genitiuum eius, scilicet testamenti. Christus est finis eius, scilicet veteris testamenti, quod tanquàm vmbra seu figura perit, Christo vera luce in fine legis illius apparente. In hodiernum vsque diem non potest carnalis Iudæorum populus intelligere, quòd vetus lex finem habeat in Christo. Vnde ambiguitas interdum soluitur ex inspecta originali lingua. Interdum autẽ etiam ex illa lin-

Iohan. 5.e
Iohan. 6.e
2. Cor. 15.e
Rom. 5.c
Marc. 16.a

illa lingua solui non potest, veluti quod dicit Apostolus 1. ad Corinthios vj. Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite, seu vt alij habent, constituitis ad iudicandum. In lingua Græca, secundùm quam factus est ab Apostolo Paulo scripturę sermo, anceps est sententia, propterea quòd verbum illud constituitis, potest verti aut per imperatiuum, vt dicatur constituite, aut per indicatiuum, vt dicatur constituitis. Et hinc iam prodeunt diuersæ Ecclesiasticorum patrum sententiæ. Ambrosius intelligens verbum esse præsentis temporis, interpretatur Apostolum non iubentis aut consulentis, sed obiurgantis animo locutum esse: secundùm quam interpretationem pronunciabitur oratio, sono Corinthios obiurgantis, quòd negotijs iudicandi præficerent quaslibet etiam viles personas. Aug. verò, Theophylactus, cæterique, intelligentes verbum esse imperatiui modi, exponunt Apostolum imperare Corinthijs, etiam contemptos Christianos huic negotio potius esse preficiendos, q̃ ad infideles seu ethnicos iudices ire. Sunt & aliæ orationes innumeræ in scripturis sacris, secundùm sensum grammatices ambiguę, quarũ veras sententias prudens quisq; lector ex alijs scripturæ locis, & ex circunstantia literæ, facilè poterit deprehendere, habita consideratione ad fidei regulas, veluti in eo, quod dicit Euangelista de Apostolis: Dedit eis Christus potestatem spirituum immundorũ. non intelligitur potestas, quam habent spiritus immundi, sed potestas, ius, seu authoritas aduersus spiritus immundos. Quemadmodum Lucas plano sermone expresit: Dedit eis potestatem super omnia dæmonia. Frequens est in scripturis vsus orationis huius secundùm sensum talem, vt potestas vitæ & mortis, id est, potestas supra vitam & mortem: dedit ei, scilicet Christo, potestatem omnis carnis, hoc est, supra omnem carnem: dedit ei potestatem eorũ, id est, supra ea, quæ sunt super terram. Secundũ alium verò sensum accipiuntur orationes, quibus dicitur: Virtus altissimi obumbrabit tibi. Item: Vt inhabitet in me virtus, aut potestas, seu fortitudo Christi. Neq; enim hic potestas, aut virtus, aut fortitudo altissimi, aut Christi, intelligitur potestas aut virtus aduersus Christum, aut supra Christum: sed ea potestas & virtus, quæ est à Christo. Item eius quod dicit Apostolus: Virtus peccati lex: non est sensus, quod virtus aduersus peccatum supra peccatum impediendum ac destruendum sit lex, neq; quòd lex sit virtus à peccato: sed quòd lex sit virtus quodammodo effectiua peccati, hoc est, robur seu potestas ad peccatum, vt genitiuus peccati, intelligatur magis esse rectus ex vi causæ efficientis, secundùm eum modum causæ, per quem aliquid est causa per occasionem, perinde atque salutaris correptio, seu admonitio, est homini contumaci causa peccandi. Causam dico per occasionem. Causa verò peccati propriè dicta, est peccatum habitans in carne nostra, nos ad peccatum stimulans. Vnde considerandi sunt sermones Apostoli ad Roma. vij. non dixit: mandatum occidit aut seduxit me, aut operatum est in me omnem concupiscentiam, sed hęc omnia tribuit peccato. Peccatum (inquit) per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Et infrà declarãs & interpretans, quomodo per mandatũ peccatũ. Peccatũ (inquit) occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Vnde & huius consideratione lex iram operatur. Sic in eo quod dicitur: Domini est salus, significatur vno modo salus, quæ in Deo, imò quæ est ipse Deus, qui salus nostra: alio modo salus, quæ est nobis à Deo, quemadmodum dicit Propheta: Domini est salus, hoc est, à Domino est nobis salus. Similiter charitas Dei bifariam: Vno modo increata, quę est in Deo, qua scilicet ipse nos diligit, quæ est ipse Deus, quemadmodũ ait Apostolus Iohãnes: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet. Sunt qui hoc pacto accipiunt, quod dicitur in fine. 8. cap. ad Ro. Quis nos separabit à charitate quæ est in Christo Iesu Domino nostro? Alio modo charitas Dei intelligitur ea,

Codices Græcos aliquado esse ambiguos
Matth. 10.a
Lucæ. 10.e
Iohan. 17.
Lucæ 1.e
1. Cor. 15.g
Causa peccati
Domini est salus. Psalm 3.b
Charitas Dei bifariam intelligitur. 1. Iohan. 4.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ est à Deo in nobis creata, quâ nos diligimus illum, de qua loquitur Apostolus. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis: tametsi & illic iuxta vnam Augustini expositionem posset iuteiligi increata charitas, Deus spiritus sanctus, à Deo missus ad inhabitandum corda nostra. Rom.5.a

Iustitia dei bifariam intelligitur.

Item iustitia Dei bifariam accipitur: Vno modo in Deo iustitia est, qua ipse iustus est, & non modò iustus, sed & ipsa iustitia. Alio modo iustitia Dei est, quæ à Deo est in nobis, qua videlicet nos sumus iusti, de qua & Apostolus loquitur: Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, hoc est, ignorantes iustitiam, quæ à Deo est per fidem in Iesum, & volentes constituere iustitiam suam, id est, iustitiam à semetipsis fieri à suis liberi arbitrij viribus, per opera legis, hi non sunt subiecti iustitiæ Dei. Rom.10.a

Iustitiæ etiam dicuntur opera legis, ad Roma.2. *Si præputium iustitias legis custodiat, id est, opera legis.* Iusti seruant quidem iustitias legis decalogi, sed facti sunt ex impijs iusti per fidem in Iesum, non per opera legis decalogi. Vnde iudicium & iustitia interdum accipiuntur pro ipsis virtutibus, quas Deus operatur in nobis sine nobis: interdum pro harum virtutum operibus, veluti in eo quod dicit Propheta: Feci iudicium & iustitiam, hoc est, feci iudicij & iustitiæ opera, non ipsas virtutes ego feci, quemadmodum declarat ibidem Augustinus. Diximus autem de iudicio & iustitia in superioribus. Insuper & hic sciendum, quòd Græci carentes ablatiuo casu, pro illo vtuntur datiuo: & idcirco sunt apud eos orationes nonnullæ ambiguæ, propterea quòd datiuus nunc significat instrumentum, nunc commodum vel incommodum. Mortuum esse peccato, ambiguum habet sensum: propterea quòd incertum est, an peccato sit casus datiui an ablatiui. Si sit casus datiui, significat mortuum esse ipsi peccato, hoc est, non viuere secundùm peccatum, seu desideria peccati, & hoc pacto accipitur ad Roma.6. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Qui enim mortuus est, supple peccato, iustificatus est à peccato. Et infrà de Christo legitur: Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Quæ oratio secundùm Theophylactum distinguitur hoc pacto, vt primũ dicatur: Quòd enim mortuus est, supple Christus, ac deinde subsequitur, peccato mortuus est semel. tanquàm dicat: Quòd Christus mortuus est corporaliter, semel solùm mortuus est peccato, supple nostro tollendo, & non amplius moritur, vt nos semel in baptismo cõmortui Christo, non amplius moriamur per peccatum: nihil tamen ad sensum Apostolicum refert, si distinguatur secundùm communem intellectum & dicatur: Quod Christus mortuus est peccato, mortuus est semel. Secundùm hunc sensum loquitur Apostolus ad Gal. 2. Ego per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam, hoc est, ego per legem Christi, quæ est gratiæ & Euangelij lex, sum mortuus legi Moysi: non amplius viuo secundùm præcepta legis illius, quæ finem habet in Christo. *Sic* & ad Rom.7. Itaq; fratres & vos mortui estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius. Sicut tibi mortuus sum, dum non amplius viuo in corde tuo, aut in æstimatione tua, aut secundùm desideria tua: *Sic* scriptura loquitur mortuum esse huic mundo. quemadmodum & Paulus ait: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: hoc est, in corde meo mundus nihil æstimatur, aut contemnitur, & despicitur quemadmodum & ego crucifixus sum, seu mortuus sum mundo, id est, in æstimatione hominum, hunc mundum diligentium nihil tum reputatus: sed contemptus potius & abiectus, æstimatus tanquàm ouis occisionis. Si autem peccato sit casus ablatiui, significat sermo ille mortuum esse propter peccatum, aut per peccatum, quemadmodum ait Apostolus: Cùm essetis mortui peccatis, id est, in peccatis vestris, seu per aut propter peccata. Vnde vicissim dicimus peccatum esse mortuum nobis, & nos esse mortuos ipsi peccato: & legem Moysi mortuam esse nobis, & nos

Causat obscurat orationem, quòd Græci pro ablatiuo, quo carent, vtuntur dativo.

Mortuum peccato quid.

Galat.6.d

Ephe.2.a

nos item esse mortuos legi: quemadmodum loquitur Apostolus ad Roma.7.

Occasione prædictorum hic iam considerandæ sunt locutiones, in scripturis sacris reciprocæ per omnes casus. Dicimus enim quòd Deus est sedes nostra, est & locus ac templum nostrum: & nos itidem sumus sedes & templum Dei. Insuper dicimus, pax Dei, & Deus pacis. Dilectus meus mihi, & ego illi. Nos benedicimus Deum, & benedicit nos Deus. Deus habitat in nobis, & nos habitamus in Deo. Pater in filio, & filius in patre. Vnde effectus regit causam in genitiuo, & econtrariò causa regit in genitiuo effectum: hinc amphibologia exoritur. In quibusdam autem locutionibus huiusmodi ambiguitas non facilè est dissolubilis, nec facilè ab intellectu deprehenditur, veluti quod dicit Apostolus: Stimulus mortis, peccatum: virtus peccati, lex, nominatiuus vtrobiq; intelligitur tanquàm efficiens causa, genitiuus autem tanquàm effectus: peccatum est stimulus faciens mortẽ, hoc est, stimulus quo facta est mors: lex autem est virtus seu robur, faciens augmentum seu incrementum peccati, homine prauo occasionem peccandi accipiente per legem. In quibusdã locutionibus facilè est ambiguitas dissolubilis, veluti cùm dicitur: salus Dei, pax Dei, gratia Dei, iustitia Dei, & salutare Dei. Posset quidem lector falli, & accipere sermones illos, tanquàm illis significetur salus in Deo, iustitia, pax, & virtus in eo: sed in plerisq; scripturæ locis non hoc significari indicat sententiarum series, & declarant sancti, intelligẽtes quòd salus sit nobis à Deo, gratia, pax, iustitia & virtus à Deo, qui nos facit saluos, iustos, gratos & studiosos. Vnde & econtrariò dicimus, quòd ipse est Deus salutis & virtutis nostræ, & gratiæ, & pacis, & iustitiæ, & fidei, spei & charitatis, quia ipse est omnium horum author, ipse seminator casti consilij, à quo & sancta sunt desideria. Deus patientiæ & solatij (inquit Apostolus) det vobis idipsum sapere in alterutrum secundùm Iesum, vt vno animo & vno ore honorificetis Deum. Deus spei repleat vos omni gaudio, hoc est, Deus à quo vobis in passionibus est tolerantia, solatiũ, spes, largiatur vobis vt vnum sapiatis in alterutrum. Item Habemus (inquit Apostolus) thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sit sublimitas virtutis Dei, & non ex nobis genitiuus virtutis, causam designat efficientem, vt significetur sublimitas nostræ virtutis esse à Deo, & non ex nobis. Vnde redditur sermo manifestior, si genitiuus Dei, construatur post verbum sit, hoc pacto: vt sublimitas virtutis, supple nostræ, sit Dei, hoc est, à Deo esse cognoscatur. Dicimus ergo quòd nostra virtus, sit virtus Dei: & econtrariò Deus ipse, est Deus virtutis nostræ. Tales sermones reciprocos reperimus & in casibus cæteris. In Canticis inquit sponsa: Dilectus meus mihi, supple intendit, & ego illi. Ego dilecto meo, supple intendo, & ille mihi. Sermo iste, dubium non est, mutuum flagrat amorem. Iesus noster sponsus amat sponsam, & sponsus amatur ab ipsa. *Sic* reciprocè loquitur Apostolus: Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hanc & hunc destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori, vbique subauditur verbum deputatur, vt dicatur: esca deputatur ventri, & venter escis, corpus autem deputatur Domino ad obsequium, non fornicationi aut meretrici, & Dominus corpori, suscitando & remunerando. Item tenemus nos Deum, & ipse rursus tenet nos. Nos benedicimus, glorificamus, magnificamus & sanctificamus Deum, & ipse itidem benedicit, glorificat, magnificat & sanctificat nos. Pascit nos Deus, & nos vicissim pascimus ipsum: quippe qui pascitur inter lilia. Nos habitamus, manemus, delectamur & quiescimus in Deo: habitat, manet, & quiescit Deus in nobis. Sed in omnibus locutionibus istis, alius est intendendi, pascendi, benedicendi, diligendi, manendi, habitandi modus, secundùm quem Deus intendit nobis, pascit, benedicit, tenet, & diligit nos, aut habitat, manet & delectatur in nobis: alius secundùm quem iustus quisque & intendit Deo, pascit, benedicit, tenet & diligit

De locutionibus reciprocis amphibologicis.

1.Cor.15.b

Rom.15.b

1.Cor.4.b

Cant.2.

1.Cor.6.c

Aliter Deus nos benedicit aliter nos illũ benedicimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diligit illum, habitat, manet & delectatur in ipso. Nos sumus prædium, hæreditas, & agri Dei, non quibus ipse fruatur, non à quibus ipse fructum, commodum aut emolimentum accipiat, qui bonorum nostrorum non eget: sed in quibus ipse non propter suam, sed nostram vtilitatem plantat virtutes & bonorũ operum semina, quibus fruamur ipso, & delectemur in ipso. Nos sumus sedes, domus, habitacula & templa Dei: non quibus ipse contineatur, & ab vllo incõmodo protegatur, sed quos ipse possideat, cõtineat, seruet & tueatur. Ipse qui nusquam abest pro sua misericordia dignatur per suam gratiam habitare in nobis, tanquàm medicus sanans, & lucerna illuminans tenebras cordium nostrorum, tanquàm rex liberans nos, custodiens & dirigens. Ipse nos benedicit, dum suæ gratiæ dona nobis impartitur. Ipse nos magnificat, glorificat & sanctificat, dum nos magnos, sanctos & iustos facit. Nos autem benedicimus Deum, dum illum dicimus & prædicamus esse bonum: nos illum magnificamus, glorificamus & sanctificamus, dum illum extollimus præconijs: magnum & sanctum esse prædicamus, vt ab omnibus magnus, sanctus, & super omnia dignus gloria ac laude habeatur. Sic nomen Iesu colit, magnificat & sanctificat, qui odorem bonæ famæ Iesu, & notitiam ac fidem eius ampliat, dilatat, & spargere desiderat in omnem gentem ac locum, vt omnis qui gloriatur non in viribus suis, tanquàm ipse absque Dei miserentis gratia valeat quicquàm boni agere, sed in Domino glorietur. In Domino inquàm, cuius misericordia à progenie in progenies: qui & potentiam, id est, robur seu fortitudinem fecit nobis in brachio suo, id est, per brachium suum Christum, vincens fortem armatum, principem huius mundi diabolum. Deus dilectis suis ita intendit, ita illos pascit, ita illos tenet ac diligit, vt ipsi prorsus non possint subsistere, erigere se, & stare ac permanere in iustitia, nisi ipse pro sua misericordia præueniens illos erexisset, & iam erectos quotidianis suis auxilijs adiuuaret sanctis inspirationibus, cogitationibus, meditationibus, & desideriis pasceret. Nos intendimus Deo, & tenemus ipsum, & habitamus in illo, dum innitentes illi, soliciti sumus per fidem & amorem manere in ipso, hoc est, adhærere illi, quiescere & delectari in illo, tanquàm in fine nostro beatifico: sed vt hæc faceremus ipse prior intendit nobis, excitans nos & præueniens nos in donis suis. Hactenus de locutionibus reciprocis.

Quo Deus in nobis habitat.

Colere nomen Iesu quid.

Cæterùm aut fallitur plerunq; lector, aut non peruenit ad scripturæ sensum, dum non satis attendit quemadmodum distinguere, diuidere, aut pronunciare oporteat dictiones & orationes. Nimium autem fastidium afferret lectori de hac re omnes scripturæ locos afferre. Ex multis tamen paucos ponemus. Exempli causa, Hieronymus quæstione 3. ad Hedibiam, verbum Marci Euangelistæ. Surgens Iesus mane prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. docet hunc in modum distinguendum esse & pronunciandum, vt mane prima sabbati construatur, non cum participio surgens, sed cum verbo apparuit, vt hoc pacto pronuncietur oratio: Surgens Iesus, & deinde pronuncietur: Mane prima sabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ. De hac sententia latius in tertio tractatu de apparentibus scripturarum contrarietatibus. Sic in epistola ad Sunniam, in eo quod dicitur in Psalmo cxxxvij. Confitebor nomini tuo super misericordia tua & veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen tuum. Distinctionis nota facienda est, vt sanctum tuum substantiuè intelligatur esse accusatiuus rectus à verbo magnificasti, vt sic dicatur: Magnificasti sanctum tuum, scilicet Christum, super omne nomen, iuxta illud Apostoli: Dedit illi Deus nomen, quod est super omne nomen. Sic quod dicitur in Psalmo ciij. Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem, secundùm geminum potest accipi sensum. Vnus est: Qui facis angelos tuos, id est nuncios verbi tui,

Amphibologicis orationibus propter varietatem distinctionũ & pronuntiationum Marci viti.

Psalm.137.

Philip.2.b

A B C D

tui, esse spiritus, id est, spirituales & spiritu feruentes. Alius sensus est: Qui facis spiritus, id est, eos qui spirituales sunt, & spiritu feruent, esse angelos tuos, id est, esse nuncios tuos. Angelus enim nomen officij est, non naturæ. In Canticis sermo sponsæ dicentis: Indica mihi quem diligit anima mea, ambiguus est sensus. Vnus est: Indica mihi eum, quem diligit anima mea: & hunc non esse intellectum per scripturam illam demonstrat sermo qui sequitur: vbi pascas, vbi cubes in meridie. Ordinanda est igitur sic constructio: O dilecte, quem diligit anima mea, indica mihi vbi tu pascas, seu pastum des, & vbi cubile quietis habes in meridie, id est, sub ardore solis meridiani, & æstu mundi huius. Quod dicit Apostolus: Non sum Apostolus? Non sum liber? interrogatiuè legendum est, secundùm eam interrogationis speciem, quæ vehementius confirmet contrarium eius quod interrogatur, tanquàm dicat: Nõnne ego sum Apostolus, sicut & cæteri? Nónne ego sum liber, neminem habens qui me vinctum capere, & viuere de lacte gregis, quem pasco, prohibeat? Sic & in eo, quod in eodem capite dicitur: Quæ est ergo merces mea? interrogantis sono legendum est. Quod autem mox sequitur: Vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, respondentis voce pronunciandum est. Item quod dicitur: Laudo vos, in hoc non laudo, secundùm Theophylactum, totum pronunciatiuè dicitur, intellecta tamen particula, in hoc, cum verbo sequenti, sic distinguendo orationem: Laudo vos? tunc sequitur: In hoc non laudo, sub hoc sensu: In cæteris collaudo vestrũ officium, in hoc vno vos non laudo. Secundùm alios, prior huius orationis particula interrogatiuè est pronuncianda, & sequens est responsiua: vt interrogatio præmissa vehementiorem faciat sensum, hoc pacto: An laudo vos? in hoc certè non laudo. Item in eo, quod dicit Apostolus: Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. verbum sunt, non cum his, quæ præmittuntur, sed cum his, quæ sequuntur est pronunciandum, supplendo aliud verbum sunt, vt dicatur hoc pacto: Quotquot enim sunt promissiões Dei, sunt in illo est, hoc est, sunt esse seu veritas in illo. Sic in eo quod dicit Apostolus: Quid ergo lex? Propter transgressionem posita, donec veniret semen, cui promissum est. Irenæus docet interrogationem illic fieri: Quid ergo lex? id autem quod sequitur: Propter transgressionem posita est, vsquequo veniret semen, esse responsionem. Hæc autẽ responsio bifariam potest intelligi, Vno modo, quòd lex sit posita propter transgressionem cohibendam, dum lex ipsa punit transgressores: Altero modo, propter transgressionẽ occasione inde accepta promouendam, quia virtus peccati lex, & lex subintrauit, vt abundaret delictum: non vt hoc fine lex sit data, sed quia lege data secuta est delicti abundantia ex praua hominum concupiscentia. Permisit autem Deus ex lege data sequi illam delicti abundantiam propter finem bonum, vt videlicet homines superbi absque vllo timore peccantes, fierent propriæ infirmitatis conscij, videntes se legem non seruare: & inde magis humiliati, discerent confugere ad gratiam sanantis & erigentis medici. Alia sunt id genus multa in scripturis, quæ plerunque potest studiosus lector considerare. Verùm hic non prætereamus locum vnum difficilem, de gratia & libero arbitrio, qui propter varias interpretantium sententias turbauit plurimos. Ea quæ dicit Apostolus: Igitur non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & annũcietur nomen meum in vniuersa terra: ergo cuius vult miseretur, & quẽ vult indurat. Hæc omnia secundùm diuũ August. Gregorium, & Thomam, & cæteros plerosq; expositores, enunciatiuè seu assertiuè sunt dicta, quibus scripturis & ipsi contra Pelagianos vtuntur ad demonstrandum, quòd Deus non ex operibus seu meritis hominum, sed secundùm propositum misericordiæ suæ, quorum vult miseretur, quos vult indurat. Indurat quidẽ, id est,

1.Cor.4.a

2.Cor.11.c

2.Cor.1.d

Galat.3.c Quatenus lex propter transgressionem posita dicatur.

Rom.9.d Non est volentis, &c. ad Rom. 9. vsque legitur

Indurare quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est, deserit, & in massa perditionis derelinquit: quorum vult miseretur, id est, ex massa perditi humani generis alios eligit & prædestinat, non propter vlla opera seu merita in ipsis præuisa. Ac verò secundùm Chrysostomum, & duum insuper Hieronymum supradicta Apostoli verba interrogantis & contradicentis, ac redarguentis potius, q̃ enunciantis voce sunt pronuncianda vsq; ad eum locum: O homo, tu quis es, vt ibi primũ intelligatur responsio. Nam si non est (inquiũt) volentis neq; currẽtis, quare ergo ipse Paulus cucurrit? dicens: Cursum consummaui. Cur & alios, vt currant, hortatur? Sic currite (inquit) vt comprehendatis. Non tollit ergo (inquiunt) hoc in loco, quòd in propria voluntate habemus, qui superius dixerat: Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Qui & ad Timotheum scribit, in magna domo esse vasa in contumeliã, sed si quis sese emundauerit ab illis, erit vas in honorem. Apostolus ergo hæc dicens: Non est volentis neq; currentis, &c. personam (inquit Hieronymus) de contrario venientis assumit, acsi dicat: Si hoc recepimus, vt Deus faciat quæcunq; voluerit, & absq; merito & operibus vel eligat, vel condemnet: non est ergo volentis & currentis, sed Dei miserentis, maximè cùm hoc idem loquatur Deus ad Pharaonem: In hoc ipsum excitaui te. Ergo Deus miseretur & indurat pro sua voluntate. Hęc si ita se habent, quid de hominibus adhuc conqueritur Deus, cuius voluntati nemo potest resistere? Sed has aduersariorum obiectiones scripturarũ ratione contextas, breui (inquit Hieron.) sermone dissoluit Apost. dicens: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Et sensus (inquit) est: Ex eo quod respondes Deo, & calumniam facis, & de scripturis tanta perquiris, ostendis te liberi esse arbitrij, & facere quod vis, vel tacere vel loqui. Si enim in similitudine vasis fictilis tu te à Deo creatum putas, & illius non posse resistere voluntati, hoc cõsidera, quòd vas fictile non dicit figulo: quare me sic fecisti? Figulus enim habet potestatem de eodem luto aut eadem massa, aliud vas in honorẽ facere, aliud in contumeliam. Deus autẽ æquali cunctos sorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnusquisque quod vult, siue bonum, siue malum. En vides præclarissima Ecclesiæ luminaria: Hieronymum, Chrysostomum, & Augustinum in scripturis exponendis diuersas habuisse sententias. Sed ne hic aut offendatur infirmus, aut turbetur mens studiosi lectoris, sciendũ est, quòd diuersæ eorum sententiæ in vnitatem fidei conspirant, modò Chrysostomi & Hieronymi sententiæ rectè intelligantur, quemadmodũ & ipsi intelligunt multis in locis Dei gratiam commendantes, vt & in cursu bono, & in voluntate bona Dei gratia non habeatur exclusa: sed intellecta secundũ ea, quæ docet idem venerabilis Hierony. in libris à se æditis cõtra Pelagianos. Vnde nostrum est incipere, nostrum est velle, nostrum est quærere, pulsare, & orare, quia in scripturis hæc Deus à nobis exigit: Dei autem est perficere, & manifestare sese, & aperire pulsantibus, & dare postulata, quia hæc Deus in eisdem scripturis volentibus, petentibus, pulsantibus & orantibus sese daturum pollicetur. Sed quòd ex mala voluntate ita mutemur, vt incipiamus bene velle, seu habere bonam voluntatem, qua oramus, pulsamus, & petimus, Deus operatur in nobis sine nobis, suo tractu voluntatem nostram præueniens. Et horum consideratione vtrunq; est verum. Nostrum est velle & currere: Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis. Quibus fit, vt suprà dicta Hieronymi & Chrysostomi interpretatio non repugnet interpretationi Augustini & cæterorum, dicentium hunc sermonem Apostoli: Non est volentis, neque currentis, esse pronunciatum assertiuè seu enunciatiuè, quia ipsi nos præuenire non possumus, sed Deus, qui neminem (vt inquit Bernardus) bonum inuenit: neminem saluat, quem non præuenit. Sed de his in sequentibus libris, de gratia & libero arbitrio latius.

Chrysosto. Homil. 42. Hieronymus quæstio. 1. ad Hedibiam. 2. Timo 4. b 1. Cor. 9 d

Rom. 2. a 2 Tim. 2. c

Roma. 9. d

Eodem.

Initium bonæ voluntatis nobis à Deo inesse.

Tertium

CAP. III.

Tertium caput de locutionibus vniuersalibus, & de his, quæ secundùm certum numerũ sunt expressæ, & de hyperbolicis locutionibus, tropicis, & inabsolutis, & de ordine præposterο.

LOCVTIO vniuersalis in scriptura sacra plerunque accipitur non simpliciter, pro singulis rebus termini vniuersaliter acceptis: sed pro singulis ex vna parte aliqua, seu multitudine eiusdẽ generis, vel moris, vel qualitatis. Huiusmodi locutiones sunt: Qui de cœlo venit, quod vidit & audiuit testificatur, & testimonium eius nemo accipit. Deinde sequitur: Qui autem accipit testimonium eius, signauit quòd verax est Deus, Apud Hieremiam legimus: Tunc omnes insurrexerunt in prophetã, volentes occidere eum. Deinde sequitur: Omnis autem populus non permisit. Apud Prophetam in Psalmo legimus: Non est intelligens quisquàm, non est requirens Deum. Omnes inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Et tandem in eodem Psalmo Deus dicit quandam esse plebem suam, & quandam iustorum generationem. Apud Paulum leginus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quę Iesu Christi. Sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: Quomodo nemo accipit testimoniũ eius, si aliquis accipit? Quomodo non est intelligens quisquàm, qui faciat bonum, si est aliqua plebs Dei, & iustorum generatio? Quomodo omnia licuerint Apostolo, cùm manifestum sit ex scripturis sacris multa esse illicita? Quomodo omnes quæ sua sunt quærunt, cùm Apostolus in eodem loco dicat: Itaq; charissimi sicut semper obedistis, non in præsentia mei tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea cum metu & tremore vestram salutem operaminì? Si in Christo omnes viuificabuntur, qua ratione dicit Apostolus ibidem: Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur, supple ad vitam immortalem ad Christum, vtpote hi, qui Christum noluerunt recipere? In huiusmodi ergo locutionibus interpretandis considerare oportet duo hominum genera, & easdem scripturas secũdùm vnam partem intelligere de omnibus seu singulis vnius generis: secundũ alteram autem partem, de alio hominũ genere, siue de hominibus alterius generis, seu moris. Sic quod dicit Christus: Testimonium eius nemo accipit, intelligitur neminem, qui adhuc de terra est, terrena loquens, nondum factus per Christum cœlestis. Nam & de illis generis hominibus præmiserat ibidem. De alio autẽ genere hominum subdit: Qui autem acceperit testimoniũ eius, scilicet Christi, qui de cœlo venit, signauit, supple in corde suo, quòd Deus est verax, & quòd vera sunt verba illius, qui de cœlo missus super omnes est. Nam is, scilicet filius, quem misit Deus, verba Dei loquitur. Neque enim ad certam mensuram dat illi Deus spiritum, id est, virtutes & actiones spiritus sui, sed omnia dedit in manu eius. Sic quòd apud Hieremiã legimus: Omnes in eum surrexerunt, & omnis populus non permisit, duo significantur nominum genera, omnes scilicet hostes prophetæ, & omnis populus, id est, totus populus prophetæ amicus. Sic & in Psalmo: Non est intelligens quisquam, supple inter eos, qui manent filij hominum, quales fuerant ex Adam nati, & per Christum nondum viuificati. Item quòd dicit Christus: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, omnes intelliguntur extra societatem seu Ecclesiam eorum, ad quos loquebatur. Sic eius quòd dicit Euangelista Iohannes: Erat lux vera, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Facilis est interpretatio, omnem hominem recipientem illum, aut apperientem oculos suos, vt illuminetur ab ipso: quàmuis aperire oculos ac recipere illum nemo possit, nisi cœlitus à patre cœlesti inuitatus: sed multi inuitantur, vocationem contemnentes, & idcirco merentur non illuminari. Vnde de his, qui non illuminantur per illum subditur: Sui eum non receperunt. Pari forma intelligitur:

De locutionibus vniuersalibus non vniuersaliter intelligendis.

Ioban. 3. d

Psalm. 13. a

1. Cor. 6. c
Philip. 2. c
1. Cor. 15. c

Duo hominũ genera considerande.

Iohan. 3. d

Matth. 10. c

Iohan. 1. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.15.c

ligitur: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vt sensus sit: Sicut per Adam moriuntur quotquot moriuntur, ita per Christum viuificabuntur, quotquot viuificabuntur: quēadmodum communi sermone dicimus, per hanc ianuam omnes homines intrant in domum istam, significatur nō quòd omnes homines intrant domum hanc per hanc ianuam, sed quòd omnes qui intrant domum istam, per hanc ianuam intrant in ipsam. Sic quòd dicit Chri-

Iohan.14.d Prouerb.30

stus: Venit princeps huius mundi, & in me non inuenit quicq̄. Intelligendum est, nihil inuenit, subaudi eorum quæ sunt sui operis aut vestigij. Vnde per Salomonem dicitur, quòd serpentis vestigia non inueniantur in petra. In relīquis autem

1.Iohan.2.c

hominibus omnibus serpens iste inuenit peccatum, sui operis vestigium. Sic in eo quod dicit Apostolus Iohan. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est à patre. Non significatur aliquid horum trium esse quicquid in visibili mundo cernimus, sed significatur omne quod in homine est quatenus mundum diligit, vtpote concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ non esse in eodem homine insitum à Deo

Omnia mihi licēt, &c. quid 1 Cor.6.d

patre, humanum genus instituente. Sic apud Apostolum: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia munda mundis. Omnes quæ sua sunt quærunt, suos habent sensus vniuersales, secundùm res illas, de quibus est Apostolicus sermo. Apostolus cùm dicit: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, discrimen vult ponere inter licita & expedientia, in eo quòd licita sunt illa, quæ per iustitiam quidem, quæ coram Deo est, sunt permissa seu concessa, sed propter offensionem hominum sunt vitanda. Intelliguntur ergo ad mentem Pauli omnia esse licita, quæ in se considerata nullo præcepto Domini prohibentur, siue sint cibi & potus, siue repetere sua in iudicio, de quibus præmiserat, siue sumptus accipere ab his, quibus prædicabat. Hæc enim sunt tria in se licita, super quibus Paulus præcipuè admonere & docere voluit Corinthios in hac epistola. Quibusdam videtur Apostolus dixisse: Omnia mihi licent propter arbitrij libertatem, tanq̄ voluerit intimare omnia prædicta peccata, de quibus fuerat locutus, esse in sua potestate. Vnde & è Græco in Latinum quidam vertunt secundam partem, dicentes: Omnium mihi potestas est. Probat hanc suam expositionem. Præmiserat enim (inquiunt) Apostolus: Nolite errare fratres, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et tandem paucis interpositis sequitur: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Videtur ergo Aposto. voluisse dicere, omnia hæc mala esse in sua potestate, non autem expedire, propterea quòd contraria sint saluti suæ. Et illum sensum obiter

Ambrosius. 2.Offi.cap.9.

tangit Ambrosius: Verùm hanc expositionem ipse idem Ambrosius in commentarijs 1. ad Corinth. 6. coarguit, propterea q̄ modus talis loquendi de hoc, quòd mala licerent aut licita essent, alienus est à scriptura sacra. Interpretatur ergo Ambrosius Apostolum significare, quòd omnia sibi liceant, ea scilicet, quæ coapostolis eius licuerunt, de cibis scilicet, seu sumptibus sumendis à Corinthijs, quibus prædicabat Euangelium. Et huic expositioni conuenit quod subdit: Sed

Theophylact.

ego sub nullius redigar potestate. Theophylactus autem interpretatur Apostolū voluisse dicere, omnia ciborum genera in se licita esse. Alij exponunt de rebus suis repetendis in iudicio, quemadmodum infinuant interlīniales & marginales glossæ. Nos autem credimus Apostolum generaliter esse locutum, non de omnibus absolutè, sed de omnibus in se non malis, sed permissis & concessis. Vult enim differentiam ponere inter licita seu concessa in se, & expedientia. Quod habet Apostolus ad Titum 1. Omnia munda mundis, de escis dicit Moysi lege prohi-

prohibitis, contra hæreticos arbitrantes quædam esse in se immunda, & non condita à Deo bono, de quibus & præmiserat in superioribus sententijs. Quòd dicit:

Philip.2.c

Omnes quæ sua sunt quærunt. non de omnibus absolutè loquitur: nam & Timotheum ibidē vult exemptum esse. Hoc igitur excepto de omnibus alijs loquitur, quos tunc secum ad manum habens poterat ad Philippenses mittere. Vnde præmisit: Spero autem in Domino Iesu Timotheū ad vos mittere in breui. Neminē enim habeo tam vnanimem, qui synceram solicitudinem erga vos gerat. Vnde omnes quæ sua sunt quærunt, nō quæ Iesu Christi. Probationē autem eius, scilicet Timothei nostis. Similiter quòd dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete.

Omnia probate 1. Thessa.5. quid.

non de omnibus rebus absolutè, sed de omnibus quibusdam superiùs illic dictis accipiendum est. Præmiserat Apostolus: Prophetias nolite spernere, id est, reuelationes & interpretationes scripturarum propheticarū nolite passim contēnere, sed nec oēs illas ab omnibus passim datas nolite acceptare: sed omnia huiuscemodi dicta probate, id est, examinate, hoc est, vera & falsa examinando decernite, quod bonum est tenete, hoc est, quod benè & rectè dictum inueneritis admittite. Quæcunq; enim cōgruunt doctrinis Apostolorum & ipsius Iesu, tanq̄ bene dicta habenda sunt. Solent autē spiritus immundi bona quædā per imitationē ex scripturis dicere, & inter hęc superinducere praua, vt per hæc quæ bona sunt fallantur incauti. Nolite proinde omni spiritui, inquit Iohannes, credere, sed probate

1.Iohan.4.a Iohel.2.g

spiritus si ex Deo sunt. Item quod dicit scriptura: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.

Roma.11.d

Hæc & id genus alia in scripturis testimonia non ideo sunt dicta, quòd Deus omnium tandem miserebitur, & neminem in perpetuum sit damnaturus, quemadmodū credit Origenes ex scripturis malè intellectis: sed omnes intelligit omnis

Error Origenis

generis homines vniuersæ ætatis, vniuersi ordinis, gradus & professionis, tam ex gentibus, q̄ ex Iudæis. Scripturę cùm interdum generaliter dicunt, omnē terram, omnem populum, omnes habitationes terræ, omnes tribus terræ, & id genus alia, quantū ad historiam attinet, intelligūtur de omni terra, & de omnibus habitatoribus terræ, de quibus in superioribus eædem scripturæ locutæ fuerāt: vt omnem terram Iudæorū, omnem terram Babyloniorum: quod cōsiderare poteris ex Isaię 13. & Sophiæ 1. cap. Nihilominus tamen & hoc sciendum, q̄ vbi sermo propheticus ab aliqua particulari terra, aut ab aliqua prouincia ad totam terram, aut totū orbem, illic & citra hyperbolem explicantē historicum sensum, simul intendit & generalem indicare totius mundi deuastationem futurā in diebus nouissimis sub Antichristo, per quem diabolus totis viribus est sæuiturus in particulari desolatione Babyloniorum, Ægyptiorum, aut Iudæorum designatam, habita consideratione ad proprietates locutionum, quibus populus ille appellatur aut terra, aut habitator terræ, qui terrena huius mundi bona diligens, hunc mundum, habitationem ac patriam & finem sibi constituit: secundùm quem sensum terra in oratione dominica (vt Cyprianus docet) accipitur, cùm dicitur: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Et in euangelio cùm dicitur: In die illa (scilicet iudicij) plangent omnes tribus terræ. vbi terra vel tribus terræ appellantur nō oēs homines, sed homines qui hic viuunt, tanq̄ terræ habitatores: qui neglectis cœlestibus verè bonis, manſionē faciunt in huius mundi bonis caducis & fallacibus. Cæterū hic sciendum est: Quemadmodum in scriptura multa dicūtur aut vniuersaliter,

Vniuersaliter accipi, quæ particulariter dicuntur.

aut indeterminatè, seu in genere, quæ non sic vniuersaliter, sed secundùm speciē & certam multitudinis partem intelliguntur: Ita in eisdem scripturis multa sunt, quæ aut secundùm speciem, aut certam quantitatem temporū, seu numerorū exprimuntur: quæ tamen non sic secundùm certam quantitatem, sed generaliter & indeterminatè sunt accipiēda. Veluti quod in Psalmo dicitur: Memor fuit in se-

Psalm.104.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILTRAC.

culũ testamenti verbi sui, quod mandauit in mille generationibus. Numerus mil- A
Daniel.7.e lenarius indeterminatè accipitur, vt significet generationes multas sibi in finem vsq; succedentes. Item: Milia milium ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei. numerus certus pro incerto à nobis est intelligendus. Sic Apocalyp. 20. totum tempus à primo aduentu Christi, vsq; ad tempus secundi aduentus, mille annorum numero appellatur, quibus diabolus est ligatus, vt non permittatur sæuire quantũ sæuiturus est per Antichristũ & satellites eius. Item Christus cùm in
Matth.12.25: parabolis vtitur numeris certis & distinctis, vtpote de fructu centesimo, sexagesimo, & trigesimo, de talentis decẽ, quinq; & vno. Distinctionem illorũ assumit docendi, & exempli gratia, ad insinuandũ distinctionẽ graduũ, siue in gratijs & meritis, siue in prẽmijs. Et idcirco vbi ipse non est interpretatus, non oportet nimium solicitè inquirere, quid in centesimo, quid in sexagesimo & trigesimo, quid in decem, quid in quinq;, quid in vno talento significetur. Sufficiat intelligere in maiori numero plura operãdi dona accipere, aut plura merita, aut prẽmia plura. Vnde numerus septenarius apud Hebræos est numerus consummationis, quia septimo die consummauerat Deus vniuersa. Sic quod dicitur Leuit. 26. Addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra. Illic per septenarium nõ illa determinata, sed multiplex & consummata punitio intelligitur. Septies in die cadit iustus & resurget: hoc est, quotidie cadit & resurgit, manens tamen in die, exorbitans quidem in via, non extra viam. Donec sumus in carne positi, ad liquidũ puri
Septenarium esse perfectũ & sacratum numerum. Prouer.24.b
Psalmo.118.& Psalm.33.a Psalm.78.c Psalm.11.b esse non possumus, nisi octauus venerit dies, id est, futuri seculi requies. Septies in die laudẽ dixi tibi, id est tempore toto vitæ meæ, quod alibi alio (inquit Augustinus) modo dictum est: Semper laus eius in ore meo. Redde vicinis nostris septuplũ in sinum eorum, hoc est, integra & consummata vltione retribuens pœnam illis. Ar- C
gentum igne examinatum, probatum, terræ purgatum septuplum. Et septenario numero intelliguntur dona gratiarum spiritus sancti, quo requiescimus in Deo.
Hieronym. Vnde Hieronymus in commentarijs super Amos capite 5. septenariũ numerum esse sanctum; etiam sabbatũ probat, in quo requieuit Deus ab omnibus operibus suis, iubẽs etiam ne quid operis seruilis in eo fiat, vt mens Deo vacet. Mulier quæ in solitudine die sabbati ligna collegerat, quæ arsura sunt, sententia Domini condemnatur. Septem quoq; hebdomadæ cõplent hebdomadã sanctæ penthecostes, in quo spiritus est datus. Et lubilęus remissionis annus, hoc numero texitur. Et Hebræus cùm sex annis seruierit, anno septimo liberatur. Nouit & hoc secularis
Galenus. philosophia & medicorum libri, quorum Galenus disertissimus atq; doctissimus scripsit tres libros, in quibus ipse septenarij numeri potentiam ostendens, ardentissimas febres septimo dicit solui die, aut si tanta humoris noxij & pituitæ fuerit D
magnitudo, vt primæ hebdomadis nequaquam feruore consumpta sit, secundæ hebdomadis vltimus dies expectatur, id est, quartus decimus. Quòd si hũc (vt iuxta Hippocratẽ loquar) hi nosos vicerit, transeunt ad 21. diem, hoc est, ad finẽ tertiæ Hebdomadis. Deniq; Chaldæi climateras appellãt pericula vitæ fortunarũq;
Climateræ. hominum, quæ fieri grauissima in septenarijs annis dicuntur, existimantes septimum quemq; annum periculosum esse, & in septimo quolibet anno periculũ aut vincere aut vinci. Et inter hos annum maximè sexagesimum tertium. Vnde Augustinus ad Caium Nepotem: Nam vt vides climatera cõmunem seniorũ omniũ, tertium & sexagesimum annũ euasimus. Vnde in nonnullis scripturę locis septenarius numerus in mysterio tempus vitæ præsentis significare videtur. In septenario etenim dierũ cõsummatus est mundus. Quòd Genes. 4. dixit Deus ad Cain:
Quid est, Omnis qui occiderit Cain, septuplũ punietur. Genes 4. Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. In septupla punitione, pœna per totam hanc vitam intelligitur. Qui occiderit Cain, septuplũ punietur. i. insolubilis pœna, seu in æternũ punietur. Subauditur, nisi pœnitẽtiã egerit. Et ibidẽ Lamech

bigamus

A bigamus, qui primus legitur duas habuisse vxores, ad easdem suas vxores dixit: Quoniã occidi virũ in vulnus meum, & adolescentulum in liuorẽ meũ, septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies. In punitione, quæ fit septuagies septies, significatur punitio illa debita peccato Lamech, esse grauior: vtrobiq; tamen septupla est, æterna & insolubilis, subaudiẽdo semper: nisi præcedens pœnitentia in hac vita fecerit ipsam pœnã esse solubilẽ & temporalẽ. Proinde pœna Cain, iuxta diui Chrysostomi sententiam manst insolubilis & æterna. Chrysosto.
Lamech verò pœna temporalis est facta, quia Lamech hic pœnitentiã egit: Cain verò non egit pœnitentiã. Verũ hic sciendũ, q̃ diuersi interpretes hunc locum aliter, & aliter ex Hebræo in Græcũ & in Latinũ transtulerũt, quibus factũ est, vt ipse locus secundũ varias translationes varijs sententijs sit expositus à patribus. Vnde attẽta varietate interpretũ & expositorum, videtur nobis iste esse vnus de ob-
B scuris & difficilib9 scripturæ locis, propterea quòd ambiguus sensus variusq; intellectus etiã ex originali lingua dissolui non potest. Et credimus hanc & similes difficultates factas diuini spiritus inspiratione ad exercitium studiorũ, quemadmodum suprà diximus, & in libro de æditionibus scripturarũ in aliã linguã declarauimus, spiritu sancto non solùm præuidente, sed & prouidente factũ esse, vt vnus & idem scripturæ locus sit fœcundus sensibus multis, non modò subordinatis, verùm etiam non subordinatis. Locus iste secũdùm septuaginta interpretũ & Theodotionis æditionem sic habet: Omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exoluet. Quod exponitur, non quòd ipse, qui occiderit Cain, sit subijciendus septem vindictis seu vltionibus: sed q̃ ipse interfector illas septem vindictas eousq; cur-
C rentes super Cain dissoluet, quasi beneficiũ præstans ipsi Cain, dum liberat ipsum ab huius vitæ cruciatibus, quibus pro peccatis suis affligebatur. Secundũ hunc intellectum Deus significauit, ipsum Cain illis septẽ vindictis esse subiectũ, quemadmodũ posteà testantur verba Lamech. Sic exponentes putant peccatum Cain esse sua ipsius morte deletum, & in hac vita esse punitum septem vindictis, id est, consummatè & sufficienter: sed huic sententiæ contradicit scriptura secundùm æditionem nostram, cùm de illo iam interfecto dicat ipse Lamech: Septuplũ vltio dabitur de Cain, q̃uis & illic habeant quod dicant, aliter textum ex Hebraico in Latinum transferentes. Hanc sententiã vnà cũ reliquis quibusdã alijs magistrorum expositionibus recitat Hierony. Nos autem innitentes æditioni nostræ vul- Hieronique est. 1. ad Damasum papam.
gari, secundùm communem doctorum expositionem, intelligimus sermonem Dei ad Cain significare, q̃ omnis qui occiderit Cain, septuplũ punietur. Sermonem autẽ Lamech ad vxores suas significasse, quòd septupla vltio dabitur de ipso Cain interfectore. De Lamech autẽ interfectore dabitur vltio septuagies septies.
D Sic interpretantur Chrysostomus & Ambrosius, intelligentes tam in punitione, septupla, q̃ in punitione, quę fit septuagies septies, punitionem consummatam, & eam quidem grauiorem in ea, quæ significatur in punitione, quæ fit septuagies septies, subaudiendo tamen vtrobiq; punitionem toto æuo sempiternam, nisi præcedens pœnitentia fecerit eam temporalem. Tres homines fuerant: Abel, Cain, & Lamech: vnus iustus, alius peccator & impœnitens: tertius peccator quidem, sed confitens. Quibus diuisionibus ex tunc vsque hodie vniuersi homines distincti sunt. Vnde Chrysost. super Genesim: Ipse Lamech in idem & grauius pecca- Chrysosto.
tum lapsus, nullo accusante vel arguente, semetipsum manifestum fecit sui accusator, sic confessus est vulnus suum & liuorem animæ suæ, & conferens ea, quæ à se facta erant cum his, quæ à Cain, pœnam sibi definit grauiorem. Quoniam occidi (inquit) virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum, septuplũ vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies, hoc est, de me, qui occidi virum & adolescentulum, qui ante oculos habens ipsius Cain pœnam, non sum

 factus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILTRAC.

factus emendatior & cautior, propterea licet septuagies septies magis quàm Cain punirer, attamen neque sic dignam pœnam luerem. Proinde ex verbis Lamech pœnitentis, non oportet consequens esse suum peccatum fuisse septuagies septies grauius peccato Cain. Nam illa est consuetudo hominis verè & humiliter pœnitentis, & in seipso, & in peccato suo attendere, circunstantias quasdam, secundùm quas peccatum suum est longè grauius, quàm sint peccata aliorum: & ita ratione illarum agnoscere se esse reum pœnæ longè grauioris. Grauitas peccati Cain patet ex his, quæ solent sancti patres adducere, dicentes Cain iusta ratione septuplũ puniri, quia septuplum peccauit. Primùm inuidit alteri, qui nullam sibi iniuriam irrogauerat. Deinde peccatum aggrauat, quòd fratri inuiderit, & id quidem in re sancta: propterea videlicet, quòd frater plus quàm ipse diuina gratia potiebatur. Tertiò peccatum aggrauat, quòd dolos contexuit, & in campos traxit ex voluntate occidendi. Quartò, quòd occiderit ipsum. Quintò, quòd occiderit non alienum solùm, sed fratrem. Sextò, quòd Deo omnium rerum conscio ad pœnitentiam vocanti, & interroganti: Vbi est Abel frater tuus? procaciter mentiri sit ausus, dicens: Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego? Septimò, quòd desperauit & impœnitens manere voluit, dicens: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam cõsequar. Ex horum respectu Cain grauius peccauit. Ex aliorum autem consideratione, Lamech grauius. Vnde Ambrosius: In Lamech septuagies septies vindicatur, quia grauior culpa est eius, qui nec se post damnationem correxit alterius. Cain impetu quodam improuido antè peccauerat, Lamech verò, quod in altero reprehensum & punitum aduerterat, cauere debuerat, neq; debuit occidere eum, qui vsque ad naturalem terminum mortis suæ habebat agendæ pœnitentiæ spatium, in quo & Dominus signum posuerat, ne interficeretur. Chrysostomus dicit, quòd Lamech interfecerat duos, virum scilicet & adolescentulum ductorem eius. Alij dicunt eundẽ nominatũ esse virum & adolescentulũ. Sunt qui dicunt, ꝙ Lamech neq; interfecerat Cain, neq; alium hominẽ. Sed de hac varietate non est curiosius inuestigandũ, manentibus nobis in æditione nostra vulgata.

A

Grauitas peccati Gain.

Ambrosius de peccato Lamech.

C

Hactenus de locutionibus vniuersalibus, ac alijs certo numero expressis. Iam de locutionibus hyperbolicis & imperfectis, seu inabsolutis videndum est. Frequens est in vnoquoq; idiomate vsus hyperboles, quod interpretatur eminentia seu excessus. Et est figura, secundũ quã dictio vel oratio excedens fidẽ, ponitur vel augendi, vel minuendi gratia. Augendi, vt niue candidior, id est, multũ candidus. Minuendi, vt volantis folij te sonitus terret. Huiuscemodi locutiones hyperbolicæ sunt in scripturis frequentes, veluti quod dicitur Geneſis vij. Rupti sunt omnes fontes & abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt. Per hyperbolen est accipiendum, & sic dictum est ad infinuandã inundationis magnitudinẽ: quæ tanta fuit, vt fundamentum cœli videretur secundùm vulgarem opinionẽ dissipatum. Cataractæ cœli, sunt feneſtræ aut viæ occultæ, per quas de cœlo aëreo, secundũ opinionem plebis, pluuia venit: quibus secundùm stultam rerum opinionẽ apertis, deorsum funditur aqua, quæ clausis eisdem sursum cõtinetur. Item: Vt possideas ciuitates ingentes, & in cœlum vsq; muratas. Item: Vidimus ciuitates pertingẽtes vsq; ad cœlos, vidimus viros, & eramus sicut locustæ coram eis. Item in Psalmo: Ascendunt vsq; ad cœlos, & descendunt vsq; ad abyssos, vbi vehementem inundationem intelligi voluit Propheta. Sic enim absq; mendacio profertur oratio, vt vehemẽtior sit atq; ardentior. Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum, nihil aliud intelligi voluit, quàm esse difficilè, vt diues obtemperet Euangelicæ doctrinæ. Vbi Christus prohibet Apostolis, ne quem salutent in via, hortari vult, vt nihil committant, quod ob humanos affectus Euangelicum negocium vllis dispendijs remoretur: Vbi iubet præberi alteram

De locutionibus hyperbolicis.

Deut. 9. Num. 13.

Psalm. 106.

Matth. 19. c

Luc. 10. a

Matth. 5. f

D

A alteram maxillam, vult tantam in illatis iniurijs haberi tolerantiam, vt pro illa custodienda etiã pro tempore & loco altera maxilla sit offerenda, & nunquàm retaliandam esse iniuriam. Sic, si Cyrillo & Chrysostomo credimus, per hyperbolen Iohannis vltimo dicitur: Multa quidem alia fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, ipsum arbitror mundum non posse capere eos, qui scribẽdi sunt, libros. Huius generis sunt locutiones: Multiplicabitur semen tuum sicut arena in littore maris. Et item ea, quæ dicuntur Isaiæ xiij. & xiiij. Et Iohelis 2. & Sophon. 1. Quibus in locis historicus sensus, quem intendit spiritus sanctus, est de captiuitatibus, desolationibus, & deuastationibus regnorum & prouinciarum. Et quia figuratæ locutiones & tropi, quibus huiusmodi destructiones intimãtur, duriora atq; eminentiora videntur significare, quàm fuerunt ea, quæ tunc contigerunt, ideo pro illis rebus propheticus sermo ad literam dictus, per hyperbolen est accipiendus: B ita tamen, vt & in illis destructionibus ac desolationibus temporalium regnorũ, spiritus sanctus etiam voluerit duriorem quandam indicare desolationem futurã sub Antichristo, aut in fine seculi super omnẽ terram. Isaiæ 14. dicitur: A facie eius (scilicet exercitus Babylonis) contremuit terra. Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorẽ suum, quæ sanè omnia accipiuntur tanquàm hyperbolicè dicta. Neq; enim tanta fuit Babyloniorũ vis, vt possent mouere cœlos, & terram cõcutere: sed aduersa patientibus præ terroris magnitudine tam dies erũt tristes, quàm noctes. Vnde sol & luna obtenebratur secundũ eum locutionis tropum, quo dicimus tempora alicui esse obscura, nubila, & tenebrosa: & dicuntur similia augendi gratia, præsertim ad significandam magnitudinem tribulationũ, quæ in illis temporibus sunt figuratæ. Omnia enim mala, quæ in veteribus sacræ scripturæ historijs, aut inundatione maris, aut pestilentia, morbis, & fame aut vastitate hostium leguntur alicui particulari genti aut prouinciæ accidisse, non pos- C sunt his supplicijs cõparari, quæ futura sunt super homines in aduẽtu Antichristi, & super impios in die Domini magno, cùm venturus est iudicare. Vnde & hic sciendum est, ꝙ mos scripturæ sacræ est, ruinas virorũ illustrium, qui in hoc mundo æstimantur tanq̃ luminaria magnifica, appellare casum stellarum. Hoc manifestè patet ex Isaia, secundũ historicum sensum, per casum Luciferi de cœlo, intelligit mortẽ regis Babylonis: Quomodo cecidisti lucifer de cœlo, qui mane oriebaris, corruisti in terrã qui vulnerabas gentes. Quasi dicat: Qui in hoc mundo eras potestate illustris, honore & gloria splendidus, similis Lucifero in cœlo, quo cecidisti de cœlo, id est, de sublimitate & altitudine tua deiectus in terræ puluerẽ? Et hic quidem literalis est sensus hyperbolicè designatus, sub quo & mysticã voluit de- D signare ruinam Luciferi angeli. Sic Apocal. 6. & Matth. 24. legimus stellas de cœlo cadere in terram: quod accipiendum est, non quòd cœlestia sydera sint lapsura de cœlo: quippe cuius magnitudini vnius ex eis non sufficiat terra tota, sed intelligendum est, quòd aut videbuntur igneæ impressiones tanq̃ stellæ cadentes, aut ipsæ stellæ non dabunt lumen suum, Deo impediente. Bifariam enim possumus accipere lunam, solem, & stellas obtenebrari, aut cadere: vel vt in illis intelligantur homines in hoc mundo illustres, qui cadere & obscurare dicuntur, dum tribulationibus & angustijs & morte perit gloria eorum in hoc mũdo, Antichristo & eius satellitibus supra modum contra Ecclesiam sæuientibus. Homines etiam illustres deficient à pristina sua charitate: vel vt in illis intelligantur corpora illa cœlestia, quæ obscurabuntur non in se, sed quia hominibus non fulgebunt ad vllam cõsolationem. Si quis percusserit te in maxillam tuam, præbe ei alteram. Hyperbolica locutio, in præcepto patientiæ propter nomen Christi, quemadmodum iam patuit. Vnde hyperbole figura, qua explicatur historicus sensus, plerunque adeò est alta, tanq̃ magnificis tropis & metaphoris expressa, vt cuique planum esse

Isa. 14. d

Quid sit solẽ & stellas obtenebrari, &c.

Matth. 5. f

Quid sibi velit sensus historicus hyperbolicè expressus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse possit, spiritum sanctum sublimiorem atque grandiorem, quàm historialem intendisse sententiam. Veluti cùm ex phrasi orationis, aut onerosius aliquid, aut lætius prænunciari videtur, sensusque intimatus excedere videtur modum & ordinem rei gestæ, aut gerendæ, veluti dum in captiuitatibus seu deuastationibus, super quas cadit literalis seu historicus sensus, non sic prorsus contigerunt singula, non sic funditus euersa sunt omnia, quemadmodum indicare videtur locutio ipsa. Et vt huius regulæ clarior fiat veritas ex superioribus, videamus textũ Isaiæ xiij.& xiiij. vbi historicus sensus, quem intendit spiritus sanctus, est super destructionem Babyloniorũ per Medos, nam & sic exposuit seipsum Propheta, in corpore eiusdem capituli. Figuratæ tamen locutiones & tropi, quibus huiuscemodi destructio futura intimabatur, videntur eminentiora & duriora, quàm quæ tunc contigerunt per Medorum regem, exprimere, veluti cùm dicitur: Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul à summitate cœli Dominus,& vasa furoris eius,vt disperdat omnẽ terram: vlulate, quia propè est dies Domini, omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet, quasi parturientes dolebunt, facies combustæ vultus eorum. Quia ecce dies veniet crudelis,& indignationis plenus,ad ponendam terram in solitudinem, & ad peccatores conterendos, die ea, quoniam stellæ cœli & splendor earum non expandet lumen suum,obtenebratus est sol in ortu suo. Et Babylon illa gloriosa, in regnis inclita, erit subuersa, sicut subuertit Dominus Zodomam & Gomorram, & non habitabitur vsque in finem. Hæc omnia videntur excedere modum, seu conditiones desolationis Babyloniorum per Medos olim factæ. Neque enim Babylon tunc prorsus perijt, neque deuastata fuit in sempiternum, neque facta est prorsus inhabitabilis. Nam & posteà legitur habitata esse multis annis,etiam post Alexandrum rursus desolata. Et quàmuis sententiæ per figuram hyperboles accommodari possint eidem captiuitati, in qua & stellæ cœli & plendor earum, non extenderunt lumen suum super Babylonios, propterea quòd nulla stella fulserit illis ad consolationem,sed eis fuerint aduersa omnia: tamen huiuscemodi locutionibus duriora insinuauit,& non ita voluit nobis spiritus sanctus illam historiam per hyperbolen dictam intimare, quin & in illa altiorem voluerit indicare desolationem totius mundi. Et idcirco hyperbolicis vtitur sermonibus,id est, sententijs duriora & terribiliora significantibus, vt studiosus lector illam Babyloniorum captiuitatem intelligat esse vmbram & figuram durioris sequentis in fine mundi. Proinde & in capit. xiiij. finiens Babylonis onus, generaliter loquitur: Hoc consilium (inquit) quod cogitaui super omnem terram, & hæc est manus extensa super vniuersas gentes. Proinde & idem Isaias post omnium particularium prouinciarum onera, tandem capite xxiiij. generale describit onus futurum super omnem terram,volens indicare non esse futurum, vt prophetia sua sit omnino completa, nisi in fine mundi, facta desolatione totius terræ. Sic & Saluator Matthæi xxiiij. destructionem Hierusalem per Romanos, quæ fuit vmbra, simul iungit cum desolatione totius terræ futura in die iudicij,de qua Petrus: Terra,& quæ in ea sunt opera,exurentur. Ad hæc videamus & textum Iohelis ij. vbi sic legimus: Canite tuba in Syon,vlulate in monte sancto meo. Conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia propè est dies tenebrarum & caliginis,dies nubis & turbinis. Quasi mane expansum super montes, populus multus & fortis,ante faciem eius ignis vorans,& post eum exurens flamma. Et infrà: A facie eius contremuit terra, moti sunt cœli,sol & luna obtenebrati sunt,& stellæ retraxerunt splendorem suum, & Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini,& terribilis valde. vbi Propheta secundùm historiam

Isa.13.a

2.Petr.3.c
Iohel.2.a

historiam & literam loquitur de desolatione terræ Iudææ, & de captiuitate Iudææ & Hierusalem per Babylonios, à quorum facie contremuit Iudæorum terra,moti sunt cœli,sol & luna obtenebrati sunt,&c.quæ (vt inquit Hieronymus) hyperbolicè dicta sunt. Neque enim Chaldæorum seu Babyloniorum tanta vis erat,vt possint mouere cœlos,& terram concutere: sed significatur quòd omnia hæc elementa corporaque cœlestia non poterunt consolari illos præ tribulationum magnitudine, nisi velimus terram, cœlos, solem, lunam,& stellas per metaphoram accipere, pro ordinibus seu gradibus populi, vt terra intelligatur esse populus, vt cœli intelligantur sacerdotes,stellæ prophetæ, sol rex,vt significetur populus timore concutiendus, sacerdotium conturbandum, maiestas regia peritura, & cultus iustitiæ in templo & terra Iudæa defectura. Sic & per hyperbolen Christus in passione loquitur: Ego sum vermis, & non homo, ad insinuandam abundantiam contemptus sui & opprobrij.

Hactenus de hyberbole, nunc de ironia, cuius est in scripturis frequens vsus. Cùm sancta Trinitas dicit Adæ post peccatum: Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis,per ironiam loquitur, cùm reuera post peccatum Adam potius sit comparatus iumentis insipientibus. Augustinus admonet hoc verbum 2.ad Corinth. 12. Donate mihi hanc iniuriam, non simpliciter dictum à Paulo, sed ironia potius exprobrantis. Cur enim rogaret sibi ignosci,qui profuerit officio. Talem locutionẽ illic dicit esse & illam in Genesi iam dictam: Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Ironicè locuta est ad Iob vxor sua: Benedic Deo,& morere. De precio triginta argenteorum, quibus venditus est Christus,grauissima est ironia: Decorum (inquit) precium,quo appreciatus sum ab eis. Tanquàm dicat: Quàm vilissimo precio populus meus me vendendum & emendum iudicauit. Tertij Regum xxviij. Helias irridens prophetas Baal,ironicè loquitur: Clamate voce maiore. Sic in parabola Christi,quòd virgines sapientes dixerunt ad stultas: Ite potius ad vendentes,& emite vobis,non sunt putandæ consilium dedisse,sed crimen earum ex obliquo commemorasse, & per ironiam quandam dixisse: Ite nunc ad adulatores,qui vos beatificant. Theophylactus in Marcum docet verbum Christi ad Apostolos dicentis: Dormite iam & requiescite, esse per ironiam pronunciatum.Sic enim congruit quod sequitur: Surgite,ecce appropinquauit.

Hactenus de ironia. Amplius autem sunt in scripturis plerisque diuinis interdum orationes inabsolutæ, quibus oportet sermonem quendam supplere aut intelligere,vt sententia perficiatur. Quod Paulus dicit. Abraham si ex operibus legis iustificatus est,habet gloriam: sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Non est absolutus sensus,nisi intelligatur hæc particula esse interposita,aut similis: sed Abraham habet gloriam apud Deum,vt sic dicatur: Abraham si ex operibus legis iustificatus est,habet gloriam, sed non apud Deum: sed Abraham habet gloriam apud Deũ, dicit enim scriptura: Credidit Abraham Deo,&c. Sic quod dicitur ad Galat.iij. Si ex lege hæreditas,iam non ex promissione. Abrahæ enim per repromissionem donauit Deus.Post hoc quod dicitur: iam non ex promissione,supplenda est hæc oratio: hoc autem falsum,aut hęc: sed ex promissione est hęreditas,& tunc sequitur: Abrahæ enim per repromissionem donauit Deus. Verùm in omnibus locutionibus istis,si non esset coniunctio causalis enim,sed coniunctio autem, quemadmodum multi codices habent, lector facilè deprehenderet sententiarum seriem.Item ad Roma.5.dicens: Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes homines peccauerũt,non absoluit sermonis ordinem,non adijciens (inquit Origenes) partem eam, quæ respondet aduerbio sicut, vt sensus

CAP. III.

Hieronymus.

Psalm.21.a

De ironia.

Gene.3.

Augustlib.cõtraaduers.leg.& proph.

Iob.2.c

Zach.11.c

Matth.25.a

Matth.26.a

De sermonibus inabsolutis.

Rom.4.a

Galat.3.c

Roma.5.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

habeatur: propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundũ intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrãſijt, in quo omnes peccauerunt, iam ſupplendum eſt: Ita & per vnum hominem iuſtitia intrauit in hunc mundum, & per iuſtitiam vita. *Sunt* qui facilius hic ſe abſoluunt, dicentes coniunctionem, &, in hac oratione: & ita in omnes homines, &c. ſuperfluam eſſe, & ita primum aduerbium ſicut, cum ſua oratione habere reſpondentem ſententiam: Ita in omnes homines mors pertranſijt. Eodem. Rurſus imperfectæ ſunt ibidem orationes: Sed non ſicut delictum, ita & donum. Et infrà: Et non ſicut per vnum peccatum, ita & donum. In huiuſcemodi orationibus oportet quædam ſupplere, vt habeatur ſermo abſolutus & debita ſententiarum cohærentia, hoc pacto: Non ſicut fuit delictum Adæ, ita fuit donum Chriſti, acſi dicat: non eiuſdem ſunt efficaciæ. *Siquidem* donum Chriſti potentius eſt ad ſaluandum alios, quàm peccatum Adæ ad perdendum multos. Item non ſicut per vnum peccantem ſiue peccatum mors tranſijt in alios, ita donum vitæ per vnum tranſijt in alios, per vnum ſaluatorem. Nam iudicium ex peccato vno in condemnationem, donum autem ex multis delictis in iuſtificationem. Tanquàm dicat: ad condemnationem ſufficit vnum orignale peccatum, quod in omnes homines pertranſijt: gratia verò non ſolùm illud vnum ſoluit quod originaliter trahitur, ſed etiam cætera, quæ in vnoquoque homine motu propriæ voluntatis adduntur. *Sunt* qui hæc interpretantur de peccato per imitationem, ſed ad magis illuminandam Chriſti gratiam ſuper vniuerſum genus humanum, etiam erga paruulos, videntur nobis expoſitiones venerabilis Auguſtini in hoc capitulo ad Roma. magis ſeruientes doctrinæ Pauli, qui in Epiſtola tota ad Rom. peculiariter intendit Chriſti gratiam declarare. Roma. 3. a Item quod dicit Apoſtolus: Nam quod impoſsibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne ſua: Imperfecta eſt oratio. Perficeretur autem, ſi loco participij mittens, poneretur verbum præteriti temporis, miſit. Nunc autem perficienda eſt oratio, ſubaudiendo verbum ſuit, vt ſic ordinetur: Deus ſuit mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccatricis, & de peccato, id eſt, de filio ſuo, quem pro nobis peccatum, ſeu ſacrificium pro peccatis fecit, condemnauit peccatum noſtrum: quod ſcilicet damnare aut tollere impoſsibile erat legi, quæ ad hoc erat inualida, impotens & infirma. Item quod dicitur Roma. 9. a ad Roma. 9. Non autem quod excident verbum Dei, imperfectus eſt ſermo, & ſupplere oportet, quod facilè intelligitur hoc pacto: Supradicta de fratribus meis alienis à Chriſto, non ita dico, quòd verbum Dei, ſeu promiſsio Dei facta Iſraelitis & filijs Abrahæ, de benedictione obtinenda, exciderit ſeu irrita fuerit. Nam viri Iſraelitæ non omnes ſunt, qui ex circunciſione ſunt, neque omnes ſunt filij Abrahæ, qui ſecundùm carnem ſunt filij eius: ſed qui ſunt ſicut Iſaac, qui fuit Gene. 21. b Roma 9. b imitator fidei Abrahæ, ſicut in Geneſ. ad Abraham loquitur Deus: In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Quod verbum exponens Apoſtolus: Hoc eſt (inquit) non qui filij carnis ſunt, hi ſunt filij Dei: ſed qui filij promiſsionis æſtimantur in ſemine. Promiſsionis enim verbum hoc eſt, ſecundùm hoc tempus veniam: Et erit Saræ filius. Deinde imperfectus eſt ſermo qui ſequitur: Non ſolùm illa, ſed & Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac patris noſtri, cùm enim nondum nati fuiſſent. Hoc in loco erit oratio imperfecta, niſi ſuppleas quæ facilè intelliguntur, vt talis intelligatur ordo: Non ſolùm illa, ſcilicet Sara, habuit promiſsionis filium, ſed & Rebecca ex vno concubitu Iſaac patris noſtri habens, ſubaudi geminos filios, quorum vnus erat ſecundùm carnem ſolùm, alter promiſsionis. *Sunt* qui ex originali lingua, concubitum in accuſatiuo ponunt, intelligentes ex vno Iſaac patre noſtro concubitum habens. Nos autem interpretamur innitentes æditioni noſtræ

noſtræ vulgatæ, ſubaudiẽtes ea, quæ gloſſa & interlinialis & marginalis olim adijcienda notauerunt. Rurſus in eodẽ capite: Quòd ſi Deus volens oſtendere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa irę, apta in interitũ, vt oſtenderet diuitias gloriæ in vaſa miſericordiæ, quæ apparuit in gloriam. Imperfecta eſt oratio, & ſubaudiri debet, quod intendebat probare: videlicet nihil ergo habes ô homo quod contra reſpondeas Deo, qui poteſtatem habet ex eadem vili maſſa facere vnum vas in honorẽ, aliud in contumeliam. Sic olim annotauit Origenes. Rurſus imperfecta eſt & obſcura oratio ad Roma. x. Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſtiRom. 10. b tiam, quæ eſt ex lege, qui fecerit homo viuet in ea. Quæ autẽ ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendit in cœlum, id eſt, Chriſtũ deducere: aut quis deſcendet in abyſſum, hoc eſt, Chriſtum à mortuis reuocare. *Sed* quid dicit ſcriptura? Prope eſt verbum in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus. quia ſi confiteris in ore tuo Dominũ Ieſum, & corde credideris quòd Deus ſuſcitauit illum à mortuis, ſaluus eris. *Senſus* apud nos eſt obſcurus, ob id, quòd Apoſtolus magnifico ſuo ſpiritu ex lege Moyſi geminam intellexit vitam, & geminã iuſtitiam: Vnam quæ legis eſt per obſeruationem operum legis: alteram, quæ ex fide eſt, quæ Chriſtus eſt, quæ & ſic loquitur: Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendit cœlum, &c. De priori ergo citat teſtimonium Leuitici xviij. De poſteriori autem citat ſcripturã Deuteronomij xxx. Ne dixeris in corde tuo, id eſt, ne cogitaueris apud temetipſum: quis aſcendit in cœlũ, ad deferendũ iuſtitiam ad nos, hoc eſt Chriſtum ex alto deducere, ſubaudiendum eſt. Nam hoc, ſcilicet in corde cogitare: quis aſcendet in cœlum ad portãdum nobis iuſtitiam, eſt deducere Chriſtum ex alto, id eſt, detrahere Chriſtum è cœlo in terram, ac dicere eum nondum è cœlo ad nos iuſtificandos in carnem veniſſe. Aut ne dixeris in corde tuo: Quis deſcendet in abyſſum, hoc eſt Chriſtum ex mortuis reuocare. Tanquàm dicat: Cogitare in corde, quis deſcendet in abyſſum ad afferendum verbum iuſtitiæ, eſt rurſus vocare Chriſtum ex mortuis: vtrunque eſt errare in iuſtitia, quæ ex fide eſt. Nam Chriſtus vera iuſtitia & verum ſalutis verbum, iam olim de cœlo deſcendens in carnem mortalem, & ex mortuis reſurgens, operatus eſt ſalutem in medio terræ, & ſic factus eſt prope, vt ad hanc iuſtitiam aſſequendam non ſit opus laboribus, operibus, aut meritis noſtris: ſed propè eſt verbum hoc ſalutis & iuſtitiæ, vt ſi credamus & ore confiteamur ipſum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem veniſſe in carnem, & reſurrexiſſe à mortuis, ſalui erimus ab ira per ipſum. Vnde lex vetus diuinitus erat illi populo data, vt populus illam accipiens fieret iuſtus, non quidem per legem, id eſt, non per legis opera: ſed vt ex lege illa tanquàm ex pedagogo, duceretur in Chriſtum totius legis finem. Vnde præmiſerat: Finis legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Ex huiuſcemodi ergo declarationibus locus Pauli obſcurus, factus eſt clarus. Sic ad Roma. xv. Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: improperia, &c. oratio eſt imperfecta, niſi ſuppleueris contrariam partem, vt ſic dicas: Chriſtus non Rom. 15. a ſibi placuit, ſed diſplicuit ſibi. Sicut ſcriptum eſt in Pſalmo, vbi loquitur ad patrẽ: Pſalm. 68. b Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. Quod dicitur: De quibus autem ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non tangere, imperfectus eſt ſermo, & facilè ſubauditur verbum reſpondeo, vt ſit ſenſus: De quibus ſcripſiſtis mihi, reſpondeo, quia bonum eſt homini mulierem non tangere. Quod dicit: *Sed* in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, quàm decem milia verborum in lingua, ſupplenda eſt dictio, potius, hoc pacto: *Sed* in 1. Cor. 14. d Eccleſia volo quinque verba potius ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, quàm decem milia verborum in lingua. Tanquàm dicat: Volo potius pauca verba per mentem meam loqui, ita vt intelligam & intelligar, quàm multa verba ſub miraculo

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

culo doni linguarum, ab alijs non intellecta. Item Paulus de tempore aduentus Antichristi loquens, orationem non absoluit, sed reliquit sensum imperfectum, cùm dicit: Quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquàm sit Deus. Hic iam interijciendum est, non veniet dies Domini. Sic quod dicit Aposto. Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in finem eius, quod euacuatur, &c. non est sensus perfectus nisi suppleas aliquid, & dicas hoc, vel simili modo: Et non, supple ponit spiritus Christi velamen nobis in sua lege Euangelij, quemadmodũ Moyses ponebat velamen suum super faciem suam, sic vt non possent intendere filij Israel in finem eius, quod euacuatur. Tanquàm dicat: Non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ita vt non intenderent in eum, ita Christi spiritus ponit velamen, seu vmbras & figuras in Euangelio, vt non possimus penetrare gloriam spiritualis intelligentiæ. Vnde coniunctio, vt, hic non finem designat, sed consecutionem potius. Ideo ponebat Moyses velamen, quoniam splendorem vultus eius (inquit Ambrosius) filij Israel ferre non poterant causa peccati, quo sublato potestas datur videndi gloriam Dei. Item 2. ad Corinth. 5. Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis. sunt orationes imperfectæ, nisi intelligantur verba esse repetita hoc pacto: Siue excedimus mente, Deo excedimus: sibi sobrij sumus, vobis sobrij sumus, hoc est, si elatè & superbè, seu iactanter, aut per excessum quendam mentis putamur locuti, Deo hoc remittendum est, tanquàm iudici, qui nouit abscondita cordium. Si autem sobriè & sapienter locuti sumus vobis, id est, ad vtilitatem vestram locuti sumus. Sic ad Galat. 2. Ab his qui videbantur aliquid esse, quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit. Orationem inceptam Paulus non absoluit. Videtur enim adijciendũ esse, ab his, qui videbantur aliquid esse, supple. nihil adiutus sum: nihil dedi, nihil accepi.

2. Thess. 2. a

2. Cor. 3. c

Alibi, in facie.

5. Cor. 5. a

Galat. 2 b

De præpostero ordine seu recapitulatione

Hactenus de locutionibus vniuersaliter, aut secundùm certum numerum dictis, & de sermonibus, scripturis imperfectis, seu inabsolutis: Iam de ordine in scripturis præpostero & recapitulatione. Sciendum est primùm, quòd prophetæ & Euangelistæ suis in historijs non seruauerunt rerum gestarum ordinem: sed plerunque quod prius est factum, posterius narrant: & quod posterius factum est, prius recitant. Beatus Petrus in itineratione Clementis, magnificentia prophetiæ in hoc maximè comprobatur, quòd prophetæ non secundùm consequentiam rerum de futuris dixerunt, ne viderentur potius ex sapientia humana dictasse, quàm prophetasse. Ordo præposterus cùm sit in prophetis vsitatissimus, in Euangelicis tamen literis est manifestissimus. Lucas ante sermonem Domini in monte narrat multa, videlicet paralyticum sanatum. Matthæum publicanum vocatum. Discipulos sabbato vellere spicas. Sanatam hominis manũ aridam. Leprosum mundatum, cui præceperat Iesus, ne cui diceret, & alia quædam, quæ sanè vniuersa, Matthæus post sermonem illum Domini in monte recitauit.

Regula dirigẽ di historiam Euangelicam.

Sed in omnibus his regula est obseruanda. Quæ vnus aut alter Euangelista narrat sine vlla temporis consequentis differentia, ea intelliguntur facta secundùm ordinem, quem trahere possumus ex alio Euangelista. Quæ si apud omnes Euangelistas recitentur facta, non intimata temporis consequentis differentia, pro certo credantur facta: quàmuis factarum rerum facies sit nobis incerta. Quo ordine vocati sunt duodecim Apostoli non apparet (inquit Augustinus) in Euangelistarum narrationibus: quandoquidem non ordo solùm vocationis, sed nec ipsa singulorum vocatio est commemorata, sed tantùm Philippi, & Petri, & Andreæ, & filiorum Zebedæi, & Matthæi. Supradicta, quę Lucas recitat ante sermonem Domini

Luc. 5 c

A mini in monte, ea sine temporis differentia narrat. Factum est, inquit, cùm esset Iesus in vna ciuitate, ecce vir plenus lepra videṡ Iesum, dixit: Si vis, potes me mundare. Et infrà: Factum est, inquit, in vna dierum, ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus. Et post hæc vidit publicanum nomine Leui. Et tandem veniens ad sermonem Domini: Factum est (inquit) in diebus illis, Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & cæt. & descendens cum illis de monte, stetit in loco campestri. En vides, quàm prouidè Lucas narrat facta & gesta Christi sine temporis differẽtia. Sciamus ergo nihil deperire veritati, si quod prius prætermittitur, posteà recitetur. Et hæc iam regula diligenter est in scripturis propheticis & euangelicis obseruanda contra hæreticos & Iudæos, cæterosq; euangelio Christi inimicos,

Luc. 5. c

B qui curiosius contentiosiusq; perscrutantes euangelicos libros, sese inconuenientia, repugnantia, & contraria in illis existimant deprehendisse, dum eadem Christi gesta & facta, neque eodem ordine, neque eisdem sententijs considerant recitata: non intelligentes nihil esse contrarium veritati, si quod prius est prætermissum, & etiam prius factum, posteà legatur expressum esse quod sit factum, sed non quòd sit postea factum. Credendũ est Matthæum fuisse vocatum ante sermonem Domini in monte. Nam in monte Lucas cõmemorat oẽs duodecim electos, quos Apostolos nominat. Item inter tentationes tres, quibus Christus tentatus est in deserto, eam quam Matthæus recitat loco secundo, Lucas recitat loco tertio: sed nõ est contrarietas, dum alter non asserit vnam post alteram posterius factam, sed gesta recitant sine temporis differentia. Quòd Marcus cap. 3. recitat Iesum ascendisse in montem, & imposuisse Simoni nomen Petrus, non tunc sed prius factum erat:

Matth. 4. a Luc. 4. a

C & idcirco illud quasi recapitulando Marcus commemorat. Sic & quòd Matthæus narrat Dominum dixisse: Tu es Petrus, & super hanc petram, & cæt. non intelligendum est Petrum hoc nomen tunc accepisse, sed tunc potius, cùm alius euangelista cõmemorat ei dictum esse, vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Tunc enim ei nomen impositum est, cùm antea vocaretur Simon. Vnde & apud Matthæũ non ait illi Christus: Tu vocaberis Petrus, sed tu es Petrus. Marcus pluribus in locis non seruat rerum gestarum ordinem, neque commemorat sermonẽ Domini in monte, neque aliquid eius simile dixit, nisi quasdam sententias sermonis illius, non contextim, sed sparsim, & fermè absque ordine, vt solet prætermissa recordari, vel posterius facta præoccupari, sicuti diuinitus suggerebatur memoriæ. Item apud Matthæum: Iesus dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur. & cõsequenter paucis interpositis commemorat: Cùm autẽ esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum

Matth. 16. e Iohan. 1. f

Matth. 26. a

D mulier habens alabastrum vnguenti precioſi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Tali ordine narrat & Marcus. Matth. ergo & Marcus, postquàm dixerunt pascha futurũ post biduum, deinde cõmemorauerunt: Cùm esset Iesus in Bethania, vbi de vnguento illo precioso dicitur. Iohannes autem dicit Iesum ante sex dies paschæ venisse in Bethaniam, de vnguento illo precioso eadem narrans. Sed vbi Matthæus & Marcus dicunt vnguento illo perfusum esse caput Iesu, ipse Iohannes dicit Mariam vnxisse pedes Iesu, & extersisse eos capillis suis, & domum impletam esse ex odore. Sed in his nihil est contrarium alteri. Ex hac regula & ex alijs manifestum est considerantibus vtrumq; esse factum, & mulierem videlicet perfudisse non solùm caput, sed & pedes Iesu. Matthæum insuper & Marcum de hac muliere dixisse, quasi recapitulantes ea quæ fuerãt prius facta. Matthæus enim & Marcus dicunt: Cùm esset Iesus in Bethania. Non dixerunt: Posteà iuit Iesus ad Bethaniam, aut cùm tunc Iesus esset in Bethania, sed absolutè dixerunt. Deinde & hoc recolendum, Mariam bis vnxisse pedes Iesu, semel cùm remitterentur ei

Iohan. 12. a

peccata

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc.7.f

peccata in domo pharisæi, cuius nomen erat Simon, sicut recitat Lucas. alia vice in domo Simonis leprosi ante sex dies Paschæ. Et vtrunque factum recitat Euangelista Iohannes: vnum capite 11. alterum verò cap. 12. cuius meminit Matthæus & Marcus. Item Lucas cap. 22. de calice dato discipulis bis commemorat, semel antequàm discipulis panem daret, & antequàm acciperet panem, & gratias ageret. Ex hoc (inquit Augustinus) intelligendum, Christum bis sumpsisse calicem: Primum non consecratum, vt finiret veteris paschæ calicem: posteà autem nouæ paschæ calicem instituendo. Amplius Hieron. ad Marcellam: Quòd eadem mulier diuersis in euangelijs post resurrectionem Iesu, tenuisse pedes Iesu, & non tetigisse referatur, facilis est solutio, cùm primùm nondum credens Iesum resurrexisse potuerit corrigi, & tanquàm incredula reijci: postea verò non repelli. Quod & de latronibus intelligi potest, cùm vnus Euangelista latrones blasphemasse, narret, alius alterum latronem esse confessum. Sed de his, quæ post resurrectionem contrarietatem habere videntur, infrà latius. Hic iam si roges, cur spiritus diuidens singulis vt vult, mentesq; sanctorum euangelistarum sine dubio gubernans, & propter libros in tanto authoritatis culmine collocandos, in recolendo quæ scriberent dirigens, alium euangelistam sic, alium autem sic, alium autem sic narrationem suam ordinare permiserit. Cur non ita direxit illorum scribentium mentes, vt rerum gestarum seruarent ordinem, & vnamquamq; sententiam suo loco accommodarent? Respondeo: Satis probabile est, quòd vnusquisque euangelistarum, eo se ordine credit debuisse narrare, quo voluit spiritus sanctus ea ipsa quæ narrabant, eius recordationi suggerere, vt non ex arte, non ex communicatione humani spiritus, sed sicut suggerebatur diuinitus euangelia sancta haberentur scripta. Proinde, quòd euangelistæ suas sententias continuantes dicunt, in illo tempore, aut in illis diebus, aut tunc, aut posteà, aut simile quid, indicant quidem ea, quæ narrant consequenter gesta, sed non semper indicant ea esse post continuò gesta. Secundùm præposteram locutionis seriem intelligitur, quod in cap. 10. libri Sapientiæ de Adam est scriptum. Hæc videlicet sapientia, illum qui primus creatus est, pater orbis terrarum, cùm solus esset, custodiuit & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia. Hæc non tali ordine quo recitantur facta sunt. Nam Sapientia primùm ipsi Adæ iam creato, dedit virtutem continendi omnia. Eundem Adam posteà peccantẽ eduxit à delicto, promittens sapientiam de cœlis, qui in carne sua placaret Deum patrem, exoluens stipendium commissi delicti. Vnde & hunc ordinem diligenter obseruauit interlinialis glossa ibidem, quo fit vt Rupertus Tuiciensis non iusta ratione fuit motus, asserens scripturam illam libri Sapientiæ non esse de Canone. Et hoc quod dictum est: Dedit ei virtutem continendi omnia. nullum certum sensum præsentare, cùm nullus homo, præter vnicum Christum, habuerit virtutem continendi omnia. Sed de his in alijs. Sufficiat autem in præsentiarum scire, quòd scriptura cùm explicat aliquid factum, & non exprimit post quid, vel ante quid sit factum, non est necesse, vt factum esse intelligatur post quod, aut ante quod in scripturis recitatur. Quod cap. 10. libri Genes. dicitur de filijs Noe: Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam. Item: Hi sunt filij Cham in cognominationibus suis, & linguis, & generationibus. Sequenti autem capite legitur: Terra autem erat labij vnius, & sermonum eorundem. Ex quo consequens est, ea quæ in superiori capite præmissa sunt de diuersitate linguarum, esse per anticipationem intelligenda. Huius generis multæ sunt in scripturis locutiones, sic per prolepsim præoccupationibus seu anticipationibus dictæ. Sic scripturæ sermo loca Bersabeæ & Bethel, & Galgala nominauit inter res gestas ante tempus, quo ita sunt appellatæ, Genes. 12. Sic multis in locis oues Dei, siue fi-

Christũ bis ea licem in cœna sumpsisse Hieronymus.

Quare Euangelistæ rerum gestarũ ordinem non seruauerunt.

3. lib. in Genes.

siue filij Israel, aut filij Abrahæ, secundum spiritum appellantur pro tempore, quo nondum tales erant, sed futuri tales erant, & in prædestinatione diuina semper fuerunt tales, quemadmodum ait Christus: Alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili. loquens de gentibus tunc nondum credentibus. Et his iam superioribus adijciendum est aliud documentum, diuersis modis recitandi, sub diuersisq; verbis, & sub verborum ordine diuerso plerumq; eandem intimari sententiam, veluti de voce, quæ in baptismo Christi de cœlo facta est, euangelistæ locutionem variant. Matthæus narrat de cœlo fuisse vocem auditam: Hic est filius meus dilectus. vt pater intelligatur astantibus locutus esse de filio suo. Alij duo narrant factam de cœlo vocẽ dicentem: Tu es filius meus dilectus. vt pater intelligatur locutus ipsi filio. Item alius dicit vocem factam: In te mihi complacui. Alius dicit: In te mihi complacuit. In huiuscemodi sententijs euangelistæ non voluerunt significare vocem de cœlo esse factam aut auditam, nunc per tertiam personam, nunc per secundam, id est, de filio suo ad filium: sed voluerunt narrare factam, vtpote de cœlo auditam vocem esse à patre intonante, & testimonium his, qui aderant ferente, Christum esse filium suum dilectum, quem ipsi pro salute sua debeant audire, per quem & Deus gerere constituerit, quod sibi placitum esset. Locutio illa siue facta sit ad Christum, Tu es filius meus dilectus: siue ad populum. Hic est filius meus dilectus: testimonium est Dei patris testificantis de filio suo. Neque enim propter Christum facta est vox illa, sed propter eos, qui aderant, & propter nos, qui his qui aderant fueramus credituri. Item de verbis, quæ Iohannes Baptista respondit turbis, cogitantibus in cordibus suis, an ipse esset Christus, Euangelistæ variant. Nam Matthæus recitat Iohannem de Iesu dixisse: Qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare. Lucas recitat eum dixisse: Venit fortior me, cuius non sum dignus corrigiam soluere calciamentorum eius. Ibi non in verbis solùm, neque in verborum ordine solum, sed & in sententijs ipsis videtur esse dissonantia. Aliud enim est calciamenta portare, aliud corrigiam calciamentorum soluere. Interrogantibus ergo, quæ verba potius Iohannes dixerit, vtrùm quæ Matthæus recitat, an quæ Lucas, an quæ Marcus? Respondemus euangelistas recitare nobis, non quæ verba & nomina vel Christus, vel Apostoli, vel Iudæi locuti sunt, sed quas res atque sententias enunciauerint. Euangelistarũ officium fuit, recitare non nomina aut verba, ordinemq; verborum vel à Christo, vel ab alijs prolata, sed res ipsas. Quàmuis igitur oporteat omnem falsitatem ab euangelistis procul abesse, non solùm eam, quæ mentiendo promittitur, sed eam etiam, quæ obliuiscendo asseritur. Non inde tamen consequens est, eosdem euangelistas non potuisse absque mendacio dicere aliquid aliter, quàm ille dixerit, de quo aliquid narrant. Qui diuersò narrat modo, diuersò verborum ordine & numero, non aberrat à voluntate sententiæ illius de quo narrat. Quamobrem Iohannes Baptista, si aliud intellexerit in eo, quòd dicitur, calciamenta portare: aliud autem in eo quòd dicitur, calciamenti corrigiam soluere, quid aliud existimandum est, quàm Iohannem vtrumq; dixisse, siue diuersis temporibus, siue contextim. Potuit nempe sic dicere: Cuius non sum dignus corrigiam calciamentorum soluere, nec calciamenta portare. Si autem ipse Iohannes cùm de calciamentis Christi diceret, nihil aliud intendebat, nisi & excellentiam illius, & propriam suam humilitatem indicare, quodlibet horum, siue de soluenda corrigia calciamentorum, siue de portandis calciamentis dixerit, eandem sanè sententiam tenuerunt euangelistę, per calciamentorum commemorationem metaphorica locutione exprimentes propriæ indignitatis significationem, & Christi Iesu excellentiam. Hunc in modum euangelista cùm recitat vocem patris è cœlis auditam: Hic est filius meus, & cæt. res ipsas voluit nobis

Matth.3.d Marc.1.b Luc.3.d

Matth.3.e

Luc.3.d

Marc.1.b

Euangelistas non debuisse nomina dicta sed res gestas enarrare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

intimare, scilicet vocem è cœlis lapsam, qua significatur Christus esse filius dilectus, quem audire debemus: & Iohannem dixisse vocem, qua suam agnoscens indignitatem, Christiq; excellentiã ingenuè professus est: adeò vt nec dignus esset calciamenta, aut corrigiam eius attingere. Constat eos qui non eiusdem idiomatis locutione, nec eodem genere, aut ordine, aut numero verborum vtuntur plerunque in rebus & sententijs non discrepare. Quemadmodum & in oratione dominica Christus docuit nos, non voces aut verba, quibus orare debeamus, sed res ipsas, quas debemus ab ipso petere & desiderare, vtpote sanctificationem nominis sui, & aduentum regni sui, & res cæteras in illa Domini oratione recitatas: & has quidem nobis intimauit sermone oris sui, quo sibi placuit vti. Proinde neque oportet nos orantes talis linguæ vel idiomatis genus exprimere, quale Christus orare nos docens expresit, sed res ipsas debemus petere quas docuit. Vnde cùm ait: Sic autem orabitis, Pater noster qui es in cœlis. non hic iussit, certum verborum & genus, & ordinem explicaremus, sed vt quibus velimus verbis aut linguis peteremus res ipsas, hoc est, sanctificationem nominis eius, aduentum regni eius, impletionem voluntatis eius in terra sicut in cœlo, largitionem panis quotidiani, remissionem peccatorum, cæteraq; in oratione hac designata. Secundùm huius insuper dogmatis considerationem dissoluuntur quæstiones difficiles, Cur videlicet euangelistæ plerunq; citant quædam testimonia ex lege, Psalmis, aut ex prophetis, quæ tamen non sic reperiuntur apud ipsos conscripta? In huiusce modi quæstionibus dissoluendis, sciendum est canonicos scriptores eandem rem plerumque inuersis, imò pene diuersis verbis atque præposteris explicare, prouidente spiritu sancto, cui (vt inquit Hieronymus) curæ fuit, non verba aut syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere. Sic quòd apud Matthæum Christus dicit scriptum esse: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. non voluit Matthæus asserere, id scriptum esse sub tali verborum ordine ac forma, sed intimare voluit sententiam, qua significaretur quòd Deus pater percussurus esset filium suum. Vnde pro documento tenendum est, In scripturis sacris & pronunciari & significari, quicquid ex necessitate consequens est ex scripturis eisdẽ. In eo igitur, quòd Deus pater apud prophetam alloquens gladium suum, dixit: Percute pastorem. satis intelligitur scriptum esse, Deum patrem percussurum esse filium. Verè igitur dixit Matthæus scriptum esse: Percutiam pastorem, volens hoc in scriptura esse significatum.

Christus orationem dominicam docuit nõ verba, sed res petendas.

Quare euangelistæ aliter citant scripturas, quàm habentur in vet. test.

Matth. 8. 26. c

Nota regulã vtilem.

Zach 13. c

Sequitur caput quartum de tropologicis locutionibus in sacris literis.

IN superiori capite de quibusdam speciebus tropicæ locutionis diseruimus, vtpote de hyperbole & ironia: Iam superest generaliter de vocibus & orationibus tropologicis, seu translatè acceptis considerare. Scripturæ sacræ pleriq; in locis sunt difficiles, ambiguæ & obscuræ, eò ꝙ in eis est magna copia locutionum secundũ tropos. Nam ex superioribus (iuxta Augustini sententiam) manifestum est, prophetas, Christum, & Apostolos fuisse vsos omnibus loquendi modis, quos Grammatici Græco nomine tropos vocant. Et cùm vnaquæq; lingua suis vtatur tropis, super omnes tamen sermo scripturæ sacræ magis est ex huiuscemodi tropis contextus: quo fit, vt magna pars intelligentiæ scripturarum in tropis, in similitudinibus, in parabolis sit sita. Ego Dominus Deus tuus (inquit) locutus sum super prophetas, & ego visionem multiplicaui eis, & in manu prophetarum assimulatus. Locutionum modos Græci (inquit Augustinus) tropos vocant, eoq; vocabulo Græco etiam nos (inquit) vtimur pro Latino. Sicut enim schemata vsitatius dicimus, quàm figuras: ita vsitatius dicimus tropos, quàm modos. Singulorũ autem troporum nomina,

Scripturam sacram tropicis locutionibus abundare.

Osee. 12.

Augustinus. quid tropos.

mida, vt singula singulis referantur, difficillimum est & insolentissimum Latinè enunciare. Vnde quidam interpretes nostri, quòd ad Galatas ait Apostolus: Quæ sunt in allegoria, volentes Græcum verbum ponere, circumloquendo interpretati sunt, dicentes: Quæ sunt aliud ex alio significantia. Hæc Augustinus. Tropus autem iuxta Quintiliani descriptionem, est verbi vel sermonis à propria significatione ad aliam cum virtute mutatio, à vertendo appellatus: eò quòd dictio à propria significatione vertitur in aliam non propriam, aut decoris, aut necessitatis, aut cultus, aut emphasios gratia. Iuxta Augustinum autem, Tropus est modus locutionis, aliud ex alio significantis. Cuius plures (inquit) sunt species, in quibus sunt, ironia, hyperbole, ænigma, & id genus alia. Ænigma, est obscura allegoria, sicut est Prouerb. 30. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes semper: Affer, affer. quod Hieronymus interpretatur: Diaboli duæ sunt filiæ insatiabiles, luxuria videlicet & auaritia. Pro rebus his latius intelligendis est sciendũ, quòd in scripturis sacris non solùm voces, sed & res ipsæ significant & figurant plerunq; res alias, ita vt in eis excellentior & multiplicior sit rerum, quàm vocum significatio: quia significatio vocum est ex placito hominum, quam & vsus, & hominũ approbatio instituit. Significatio rerum est ex voluntate Dei, per spiritũ suum res quasdam per alias significantis. Et id quidem bifariam: vno modo secundum tropologiam, seu per translationem, dum nõ de rebus, quas proprijs verbis significamus, volumus dicere: sed earum rerum nomina ad aliud significandum vsurpamus, secundum aliquas earundem rerum similitudines: veluti dum sub nomine aquarũ aut arborum non res illas, sed homines significamus. Secundo modo contingit in scripturis res ipsas aliud significare, dum author de rebus, quas proprijs verbis intelligit, vult aliquid dicere, & per illas rursum alias res mysticas intimare. Et hinc iam oritur geminus scripturæ sensus: alius literalis, alter mysticus, per literalem sensum designatus. Vnde Augustinus: In scripturis allegoria interdũ reperitur in verbis seu vocabulis translatè acceptis: interdũ autẽ in facto: veluti cùm Apost. è duobus filijs Abrahę, vno de ancilla, & altero de libera (quod non solùm dictum, sed & factum fuit) duo testamenta intelligenda monstrauit. Huius generis facta sunt, oblatio Abel pastoris ouium, offerentis de primogenitis gregis, & occisio ipsius per Cain fratrem eius agricolam. Arca Noe. Sacrificium Melchicedech offerentis panem & vinum. Sacrificium Abrahæ. Natiuitates, pugnę quoque seu luctæ Esau & Iacob. Ingressus filiorum Israel in Ægyptum. Liberatio & miraculosus egressus eorundem ex Ægypto. Transitus maris rubri. Lex data super montem Syon in tabulis lapideis. Protectio eorum in deserto, per columnã ignis in nocte, & per columnam nubis in die. Manna pluens de cœlo omne delectamentum habens. Petra percussa scaturiens aquis. Sacrificia Iudæorum in agnis, vitulis, hircis, cæterisq; animalibus. Bella & prælia contra gentes. Exaltatio serpentis in deserto. Promissio terræ fluentis lac & mel. Hæc & id genus alia, nõ voluntas aut interpretatio humana, sed Christus per se & suos Apostolos docuit secundùm allegorias, & figuram mysticarum rerum esse dicta, gesta, & facta ad intimandum videlicet mysteria redemptionis generis humani ab Ægyptiaca peccati seruitute, quæ erat sub infernali Pharaone, quem suo sanguine vicit Christus, factus agnus pro nobis sacrificiũ & victima. In eo, quòd Moyses Æthiopissam ducit vxorem, significatur quòd lex Dei, & verus eius intellectus transeat ad gentes, super quo murmurat Aaron, Iudæorũ sacerdotium, & soror eius Maria, id est, synagoga: quemadmodũ & saluator in eo quòd regina Austri venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, docuit significari ecclesiam, de gentibus à finib⁹ terræ venientem ad audiendam sapientiam veri Salomonis. Vtroq; genere tropi spiritus sanctus in scripturis sacris dignatus est vti ad vtilitatem nostrã, qui ex re-

Aug. 19. Trin. cap. 9. Quintilianus.

Species tropi.

In scripturis nedum voces, sed & res significant.

Origo geminii sensus.

Aug. de allegoria duplici. 15. de ciuit. Dei.

Gesta veteris testamenti esse allegorica.

Matth. 12. d

Emphasis tropicę locutiõis

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus ſenſibilibus, tanquàm ex ſpeculis quibuſdam, figuris ſeu picturis citius ad in- A
uiſibilia dirigimur, & in ipſo tranſitu delectatione rapimur ardentiore. Ea quæ
figuratè nobis inſinuantur plus mouent, plus admirantur, magis accendunt amo-
Hieronym. rem, quàm ſi nudè (inquit Hieronymus) proprijsque verbis, ſine vllis ſacramen-
torum ſimilitudinibus dicerentur. Vnde & in vtroque genere tropi mos eſt ſcri-
pturæ, locutionibus ſecundum tropum ſignificantibus miſcere plerumque & ad-
ijcere locutiones proprias, vt intentio ſtudioſi lectoris ſobria, cum quodam vtili
& ſalubri labore perueniat ad intellectum ſpiritualem. De priori tropi genere
latius in tractatu ſequenti dicitur, cùm tractatur de tranſitu literæ ad ſpiritum.
Vtilis regula. De vocibus autem tranſlatè acceptis nunc dicendum. Poteſt autem dictio aut
oratio à propria ſignificatione ad tot ſignificationes aliarum rerum accommoda-
ri, quot conditiones & proprietates proprium illius dictionis ſignificatum habet B
cæteris rebus apti & congruè accommodabiles. Quamobrem in ſcripturis ſacris
eadem dictio reperitur ad diuerſas res, etiam contrarias vſurpata. Veluti cùm in
leone, propter eximiam fortitudinem, nunc Chriſtus ſignificatur, qui ſua ſapien-
Apocal.5.b tia diabolum vicit, dicente ſcriptura: Vicit leo de tribu Iuda. nunc verò diabo-
1.Pet.5.b lus, propter iram & furorem ſuum. Circuit (inquit Apoſtolus) tanquàm leo ru-
Luce.11.f giens, & cæt. Ignis, vulnus, & gladius, interdum accipiuntur in re bona. Nam
ignem ſe mittere in terram Chriſtus dixit. Sermonem Dei, ſcriptura dixit gladiũ
Apocal.1.d bis acutum, propter duorum teſtamentorum aciem. Et in Canticis ſe dicit eccle-
Cantic.4. ſia vulneratam charitate, velut amoris impetu ſagittatam. Vbi autem hæc in ma-
lam partem accipiuntur, facilè eſt conſiderare ex ſententiarum ordine. In fermen-
Fermẽtũ quid ſignificet. to interdum intelligitur, nunc omne prauum bono commixtum, vtpote peruer-
ſa interpretatio, aut falſitas ſcripturis bonis intermixta, vt: Cauete à fermento C
Marci.8.b pharisæorum. aut prauus & cõtagioſus homo in eccleſia, vt: Expurgate vetus fer-
1.Corint.5.b mentum. Interdum autem in fermento intelligitur res bona, notitia videlicet
Matth.13.e & intelligentia ſcripturarum, vt apud Matthæum, Simile eſt regnum cœlorum
fermento, quod acceptum mulier abſcondit in tribus farinæ menſuris, donec fer-
mentaretur totum. Sic in montibus intelligũtur, nunc ſuperbi, tumidi: nunc hu-
Quid nomine calicis. miles, ſedula deuotione habitantes in cœleſtibus, qui terrena didicerunt cõtem-
nere, & ea quæ ſurſum ſunt quærere, & ſapere. Item in calice nunc voluntarium
amaritudinis poculum, vt paſſionis martyrij, mortis nunc inuoluntarium ſuppli-
cium diuinæ vltionis, nunc poculum dulcedinis lætificantis intelligitur. In qui-
buſdam verò ſcriptura ita eſt obſcura, vt non facilè queas diſcernere in quam rem
Pſalm.74.b intelligatur vocabulum eſſe tranſlatum, veluti cùm dicitur: Sicut calix in manu D
Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fex eius
non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. de quo verbo iam in ſuperio-
ribus Auguſtini ſententias recitauimus. Et in huiuſcemodi tunc obſeruanda eſt
hæc regula: Quando ex eiſdem ſcripturæ verbis, non vnum aliquid, ſed duo vel
plura ſentiuntur, etiam ſi lateat quid ſenſerit ille, qui ſcripſit, ſi quodlibet con-
gruum veritati ex alijs ſcripturæ locis doceri poteſt, nihil eſt periculi ſcrutantibus
& conantibus, vt ad veritatem & intentionẽ perueniant authoris, per quem
locutus eſt ſpiritus Dei. Spiritus enim ſanctus, qui & ſpiritus eſt veritatis, ſic ob-
ſcurè in noſtram exercitationem & humiliationem locutus eſt. Etiam præuidit
aliam ſententiam occurſuram eſſe pio lectori, imò vt occurreret præuidit & ope-
ratur. Et hæc eſt laudanda ſcripturę ſacrę fœcunditas, vt ſub eiſdem verbis plures
Peculiaris ſcripturarum fœcunditas. ſalutares plerumque intelligantur ſententiæ, quæ ſingulæ ita cæteris ſententijs
cohærẽt, vt neſcias quam præferre debeas. Studioſus igitur ſcripturæ ſacræ lector
hoc obſeruare debet, vt vocabula à propria ſignificatione ad aliam rem ſignificã-
dam vſurpata, pro cauſis & rebus, de quibus agitur, aptare & accõmodare diſcat.

Vnde

A Vnde multi propter ignorantiam virium & proprietatem rerum, veluti dum
neſciunt quas vires habeant vel aquilæ vel aſpides, non intelligunt omnino, cur
dictum ſit: Renouatur vt aquilæ iuuentus tua. Sicut aſpidis ſurdæ obturantis au-
Pſalm.102.a res ſuas. In omnibus locutionibus figuratis vigilare debet mens ſtudioſi lectoris,
Pſalm.57.a & cauere ne figuratam locutionem ad literam accipiat, & ne rurſus locutionem
non figuratam accipiat ſolùm vt figuratam, excludens veram literalem ſenten-
tiam. Sed hic in primis oportet oſtendere viam quandam, qua cognoſcitur ali-
quis ſcripturæ ſacræ ſenſus eſſe figuratus, aut metaphoricè accipiendus, ſecundũ
doctrinam ſuperiùs traditam. Deprehenditur locutio eſſe figurata, ſeu metapho- Elegans regula dinoſcendi figuratas locutiones.
ricè dicta tali conſideratione: In ſcripturis ſacris omnis locutio, quæ ad literam
accepta, videtur aut malum aliquod, ſeu crudele, aut molle, ſeu carnale aliquod
iubere, aut bonum aliquod, vel beneficium proximo impendendum vetare ac
B prohibere, accipienda eſt tanquam figurata & metaphorica.

Ex hac iam regula duæ ſunt conſiderandæ ſententiæ: Vna: In ſcripturis ſacris
quicquid aſperum, aut ſæuum, & crudele ſonat, & commendatur à ſanctis factum,
aut iubetur vt faciant, hoc non ad literam, ſed ad cupiditatis regnum, & ad vin-
cendum animæ hoſtes intelligitur eſſe ſcriptum. Veluti quòd Chriſtus dicit de
Iohan.11.d odio patris & matris, & propriæ animæ ſeu vitæ corporalis. Alia regula: Quic-
quid in ſcripturis molle & carnale ſonans commendatur à ſanctis factum, aut iu-
betur vt faciant, hoc non ad literam, ſed ad charitatis & amoris Chriſtiani re-
gnum promouendum intelligitur ſcriptum. Huius generis ſunt ipſius ſponſæ
oſcula, tactus, amplexus, accubitus ſponſi inter vbera in ſcripturis commenda-
ta, & præſertim in Canticis canticorum, quæ non carnaliter, ſed ſpiritualiter ſunt
accipienda de charitatis amplexibus, quibus anima prorſus exuta amore carnali,
C adhærens Chriſto ſuo ſponſo, veris fundata virtutibus, efficitur ſancta & caſta.
Huiuſcemodi caſti amoris officia, quanto magis tranſlatis verbis operiri viden-
tur, tanto magis cùm fuerint aperta dulceſcunt animis noſtris iam cœleſtia ſuſpi-
rantibus. De eo, quòd iuſſum eſt Abrahæ, vt immolaret filiũ ſuum. Et de eo quòd Geneſ.22.
Oſeæ præcipitur, vt acciperet ſibi vxorem fornicariam, alia eſt ratio: quia hæc Oſeę 1.
& id genus alia, quædam in ſcripturis ſacramenta, ſignificandi gratia ſunt facta.
Ex huiuſcemodi ergo regulis patet, quòd ſermo Chriſti dicentis: Si manus tua, Matth.5.c
aut pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proijce abs te. ad literam acceptus,
malum videtur præcipere: idcirco metaphoricè eſt accipiendus, non vt corpo-
ris noſtri membra præſcindamus, ſed vt vſus eorum peruerſos atq; præpoſteros
abſcindamus. Inſuper conſiderata illic ſententiarum cohærentia, per manum &
pedem poſſemus intelligere amicos & propinquos, quorum auxilio quotidiano
D opus habemus: tales ſi nos ſcandalizant, id eſt, ruinam in cauſa animæ faciant, ex-
cludendi ſunt à ſocietate noſtra: melius enim eſt nos debiles & claudos, id eſt, ſo-
latio, adiutorio, & cõmunione talium cognatorum deſtitutos ire in ruinam, quàm
illis iunctos ire in gehennam. Hac enim ratione dicit ibidem Chriſtus: Non ve- Matth.10.
ni pacem mittere in terram, ſed gladium: veni enim filium ſeparare aduerſus pa-
trem & filiam aduerſus matrem, & inimici hominis domeſtici eius: quanquàm &
hoc à quibuſdam interpretetur eſſe dictum à Chriſto pronunciantis animo, non
hortantis aut iubentis lege, ſed recurrit in priorẽ ſenſum, etiam quàmuis intelli-
gatur eſſe pronunciatum. Quòd dicit Chriſtus: Qui venit ad me & non odit pa- Lucæ 14.
trem & matrem & cæt. non eſt me dignus. non iubet vt maleuoli ſimus, aut ſeuia-
mus in parẽtes aut cognatos, neq; vt odiamus illos, aut fugiamus ab illis, quatenus
nobis ſunt ſanguine iuncti: nam cõtrarium huius præcipit nobis, vt videlicet pa-
trem & matrẽ honoremus. Vnde & ſub innocentiæ ſtatu etiam fuiſſent (inquit
Auguſtin.) naturalia iura cognatorum, ſocietatesq; neceſſitudinis, communionis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

veneratiouis, & amicitiæ erga parentes: sed voluit Christus, vt odiamus & in illis, & in nobis, quicquid amorem Christi aut extinguit, aut minuit: hoc est, odire & blandimenta, & affectiones, quibus obsistunt nobis in via Christi, ab amore illius nos auocantes. A

Quid sit odire patrem, &c.

Non iussit Christus, vt aut carnem, aut membra corporis nostri audiamus, sed vt membrorum vsum, & erga carnem nostram affectiones, quas hactenus habuimus peruersas ac præposteras, mortificemus: destruentes in nobis regnum diaboli, id est, cupiditates, concupiscentias, quibus diabolus in nobis regnare desiderat, qui semper molitur rationalem mentem auertere & alienam facere à Deo vero suo. Sic enim ait Apostolus Paulus: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis. Ad eundem sensum commendat Christus eunuchos, qui semetipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, non quòd corporis membrum sibi præsciderint (nam & de illis in alia parte sic loquitur: Sunt eunuchi sic facti ab hominibus) sed quòd vsum illius membri prorsus propter sequelam Christi abiecerint, vt celibes in carne & animo seruiant Deo. Sic quòd in Psalmo Christus ad patrem loquitur: In matutino interficiam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. accipiendum est non de corporali occisione, sed de spirituali, quæ non ferreo gladio, sed spirituali perficitur, de quo ait: Posuit os meum quasi gladium acutum. Neque enim Dauid, neque Christus per Dauid figuratus, legitur peccatores secundùm corpus interfeciße, & perdidiße de ciuitate Domini, sed Christus fecit peccatores esse mortuos peccato & mundo, vt viuerent Deo in ciuitate Domini, quæ est Ecclesia. Deinde vt & vniuersalis locutio demonstretur vera esse, sciendum est, quòd Christus de ciuitate sua, id est, de qualibet anima, & de Ecclesia sua disperdit omnes operantes iniquitatem, aut in primo suo aduentu ex sua misericordia faciens, vt peccatores de cordibus suis hostes suos internos pellant, crucifigant, mortificentq; carnem cum vitijs suis, prauisq; desiderijs: aut in secundo aduentu ex sua iustitia ab electis suis segregans peccatores incorrigibiles, & impœnitentes in mortẽ gehennæ ignis. De regno suo tollet Christus omnia scandala, quæ in hoc mundo prorsus tolli non possunt. Sic de occisione spirituali accipitur, quod in Isaia de Christo dicitur: Spiritu oris sui interficiet impium, hoc est, spiritu verbi sui destruet ipsam impietatem. Dauid iniquos homines odio habuit, odiens in eis, non quòd homines erant, non naturam quam Deus dedit, sed iniquitatem & impietatem in eis. Sic iustus quisq; iniquos odit, dum admonitionibus & correptionibus adhibitis studet erigere illos, vt ex impijs iusti fiant. Scripturis igitur, quibus legitur Deus cõterere omnes gentes, euertere impios, humiliare omnes colles, confundere scelestos & peccatores, indicant interdum Dei misericordiam, lenitatem & clementiam super impios & peccatores, veluti dum prò sua bonitate conuertit corda eorum ad fidem & charitatem, dum etiam in hac vita flagellat omnem filium quem recipit. Interdum verò indicant Dei iustitiam, vltionem, & vindictam, veluti dum eis pœnam peccatis dignam reddens tollit de medio. Sic quòd apud Zachariam dicit: In die illa quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Hierusalem. Exponit Hieronymus conterere non in perditionem, sed ad emendationem, vt aduersus Hierusalem, id est sanctam Ecclesiam militare desistant, & incipiant esse ciues Hierusalem, qui fuerant aduersus eam. Alij verò interpretantur de cõtritione in perditionem. & vtraque expositio est sancta & catholica. Nam & temporibus Antichristi futuri, quæret Dominus omnes nationes gentium trahere ad fidem, quæret & perdere omnes, qui conuerti noluerunt. Vnde Augustinus: Euertuntur (inquit) peccatores duobus modis, aut sicut Sodomitæ, vt prorsus pereant pro peccatis: aut sicut Niniuitæ, vt ipsa impietas euertatur & destruatur pœnitendo.

Galat. 5. d

Matth. 19.

Psalm. 100. d

Isaiæ 49. a

Isaiæ 11.

Psalm. 115

Zach. 11. c

Aug. 21. de ci. Dei, cap. 24. g

Bifariã peccatores pereũt.

B

C

D

Secundùm

A Secundùm hunc sensum verificata est sententia Ionæ dicentis: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Verte impios (inquit Salomon) & non erunt, euersa enim est ciuitas, quæ mala erat, & facta est ciuitas bona: quæ mala erat euersa est in perditis moribus. Sic planè dicit scriptura: Spiritu oris sui interficiet impium. significans hoc non de corporali morte, sed de destructione impietatis. Deinde & in huiusce modi locutionibus, quibus comminantur supplicia certo hominum generi in peccatis ambulantium, tacitè intelligitur conditio: si tales manserint, quales nunc sunt. Ex his itaque perspicuum est: conturbari, confundi, & erubescere in scripturis bifariam accipi. Nam alij cõturbantur ad salutem & pœnitentiam, alij ad mortem & confusionem sempiternam. Ex horum consideratione soluit Augustinus quæstionem, cur electi à Deo martyres occisi propter verbum Dei, Apocalyp. 6. se vindicari deprecentur, clamantes voce magna, & dicentes: Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra. Cur hæc, inquam, rogant & desiderãt, cùm apertissimè moneamur, vt pro inimicis nostris & prosequutoribus oremus. Intelligendum est (inquit) iustorum esse vindictam, vt omnes mali pereant. Pereunt autem duobus modis, aut conuersione ad iustitiam, aut amissione potestatis nocendi, qua nunc aduersus bonos grassantur. Sic Christus conquassauit & conquassat quotidie inimicorum suorum seu superborum capita. Ex his diligenter consideratis, ostenduntur verisimæ esse locutiones vniuersales, olim de regno Christi tunc futuri prænunciantes, quòd omnis vallis exaltabitur, quòd omnis mons & omnis collis humiliabitur, & videbit omnis caro pariter, quòd os Domini locutum est. Quibus significatur, quòd omnis qui vallis est, id est, qui se humiliat, exaltabitur: & omnis qui mons est, hoc est, tumidi & alti cordis, id est, qui se exaltat, humiliabitur humiliatione quadam, vel in hac vita voluntariè ex superbia in salutarem pœnitentiam, vel in die iudicij coactus in gehennam. Sic omnis caro videbit Christum, communem salutis authorem, & in die iudicij iustum iudicem secundùm humanam formam. Omnes erunt Christo subiecti, id est, sub eius Dominio. Nam omnes homines tam reprobi, quàm electi, videbunt Christum esse Dominum, vel coacti in pœnis, vel voluntarij in sempiternis gaudijs. Hac ratione implentur scripturæ prophetarum, de Christo rege dicentiũ, quòd ipse in fortitudine veniet, & quòd brachium eius omnibus dominabitur. Huius generis scripturæ sacræ sunt carnalibus Iudæis in laqueum & in scandalũ, dum ea quæ de Christo rege, & illius regno, & de monte Sion, & Hierusalem, & de domo Iacob, ac de solio Dauid sunt à prophetis prænunciata, accipiunt secundùm literam, terrenum regnum quoddam in terrena Hierusalem futurum, concipientes ex huiusce modi scripturis: quæ tamen sunt accipienda neq; de illa terrena Hierusalem quæ est in Iudæa, quòd illa sit futura caput omnium regnorum huius mundi: neq; de vllo tẽporali regno, sed de spirituali regno, quod est Ecclesia iustorum, in omni loco & gente collocanda: futura quidem atq; habitura initium in terrena Iudæa, & in terrena Hierusalem, in qua Christus secundùm dispensationem visibilis apparuit, non aureum atque gemmatum huius mundi regnum exercens, sed mysticum in animabus hominum, vincens tyrannum peccati, eijciens principem huius mundi foras extra corda filiorum Adæ, vt non amplius viuant diabolo, qui humano generi inimicus, quærit à Deo conditore vero rege pacis ac vitæ auertere, & indesinenter trahere illos ad æternæ mortis interitum non cessat, suggerens semper vt ea quæ carnis sunt sapiamus, & ambulemus secundùm desideria seculi huius, vt teneamus in hoc seculo mentes nostras auersas & alienas à creatore, redemptore, & beatificatore nostro. Ob hoc regnũ diaboli in cordibus nostris destruendum, & ad reconciliandum nos Deo patri,

Ionæ 1. b

Isaiæ 11. b

Error Iudæorũ de terreno regno Messiæ

Quale sit regnum Christi.

B

C

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC. Luc. 7. f

qui eramus filij iræ, venit Christus in carnem mortalem, vt essemus mortui peccato & desiderijs huius seculi, & viueremus Deo, & per spiritum fidei, amoris, & charitatis illi iugiter studeremus adhærere, gerentes luctam, bellumq; assiduum contra inuisibiles hostes animarum nostrarum, & contra inimicos nostros domesticos, qui habitant in carne nostra. Proinde in regno Christi qui militant, ea quæ carnis sunt odiunt, mortificant, destruunt, vt solo fruantur Deo. In regno autem

Regnum diaboli.

diaboli, gentes, carnalesq; Iudæi, ea quæ carnis sunt sapiunt, cupiunt, desiderant, & futura per regem suum Messiam expectant, & quæ sub tropis & metaphoris in sacris literis de regno Messiæ intimantur, carnaliter intelligunt: quærunt dominatorem vrbium, terreni imperij sceptrum, sperant futurum auri & argenti largitorem Christum ducem, qui per mille annorum secula satisfacturus sit eorum carnalibus desiderijs & luxurijs: & ita aberrantes à vero scripturarum intellectu, quò magis ea quæ carnis sunt expectant, quò magis hęc diligunt, eisq; frui desiderant, eò magis elongant suas mentes à vero Christi regno, qui in propheticis eorum scripturis prænunciatur venturus pauper & humilis, abiectus tanquàm leprosus, & omnium hominum nouissimus, talisq; futurus, qui hunc carnalem amorem, desideriaque huius mundi docet contemnere, & viuere in humilitate, mansuetudine, sobrietate, castitate & iustitia, vt mens hominis soli Deo vacare, illumque diligere ex totis viribus discat. Omnia prophetarum & vota, & vaticinia

Christus est scopus omniũ prophetarũ, & legum. Rom. 10. b

tendebant in Christum, qui iuxta Paulum Apostolum, est Dei virtus & sapientia. Proinde qui Christum nesciunt, quantumuis sese in Moyse, in lege & prophetis, sapientes, exercitatos & doctos putent: veram Dei sapientiam, scripturarumque scientiam non habent, quemadmodum ad Iudæos ipse ait: Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Quæ in lege, in psalmis, & prophetis de Messia, id est Christo rege legũtur, quòd multiplicabitur eis imperium, & quòd pacis eius non erit finis, super solium Dauid sedebit, & super regnum eius, vt confirmet & corroboret illud à modò vsque in sempiternum, & quòd eleuabitur vt mons super omnes colles, & quòd ad eum fluent omnes gentes, & quòd in diebus eius erit abundantia pacis super terram tanta, vt homines sint cõflaturi arma bellica in vasa pacis, vtpote gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & quòd non leuabit vltrà gens gladium contra gentem. Item quòd dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum: & quòd omnes gentes venient & adorabunt eum, & quòd ædificabit Hierusalem ciuitatem, & conuertet captiuitatem Sion, & quòd Hierusalem dispersum in omnem terram colliget, & diliget portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Hæc & id genus alia Iudæi in hodiernum vsque diem carnaliter sapientes, videntes non esse carnaliter impleta sub temporibus illis, quibus Dominus noster Iesus in carne visibilis apparuit in Hierusalem, alium expectant Christum, qui corporaliter sit in hoc mundo regnaturus in Hierusalem terrena, tanquàm rex regum & Dominus dominantium, quem omnes reges gentium sint adoraturi, corporaliter residentem in terrena Iudæa, in monte Sion, in gaudio, pace, & tranquillitate omnibus gentibus voluntariè sibi subiectis imperantem. Quatenus igitur valeamus propheticas scripturas de vero rege Christo, & de regno illius vaticinãtes, intelligere: operęprecium est voces quasdam & locutiones tropologicas translatè acceptas aperire, &

Res corporales ad mysticas transferri.

id quidem ex scripturæ locis apertissimis. In tota fermè scriptura docet spiritus res corporales ad res mysticas accommodare, vbique sumptis similitudinibus & parabolis à rebus communissimis, & apud cõmune vulgus manifestissimis: quemadmodum saluator semen iactum in terram, piscatores iacientes retia in mare, vitem & palmites abscissos arescentes, morbos corporis, & id genus alia, quæ visibilis hic mundus offerebat corporeis Iudæorum oculis, transferebat ad res ipsas animarum,

CAP. IIII.

marum, & ad regnum illius. Nunc autem operosum foret de singulis vocibus à scripturis translatè & variè acceptis disserere. Quandoquidem & huiuscemodi metaphoris tota scriptura testamenti veteris est plena. Neque est vlla fermè res, quæ non translatè accõmodatur ad aliud ex alio, propter similitudinem aliquam significandam. Quæ in vno aut altero scripturæ loco, ad literam secundum propriam significationem intelliguntur accepta, in alijs scripturæ locis non propriè, sed translatè à propria significatione vsurpantur, metaphoricè intellecta. Et hoc quidem diligenter est obseruandum, non modò in omnium rerum generibus, sed & in operationum, motuum, passionum, & affectionum qualitatibus, in cœlestibus & terrestribus elementis, & in corporibus tam à natura, quàm ab artifice cõfectis. Item in cœlo, sole, luna, & stellis. In terra, in fluminibus, in mari, in Iordane, in insulis maris, in diluuijs, in desertis, in vento, pluuia, in grandine, in montibus, campis & vallibus: in arboribus, in cedro, cupresso, libano, in ficu, in vinea, in vite, in palmite, in palma: in rebus aromaticis, vt in vnguentis, in thure, in myrrha, in cynamomo, balsamo, cypresso, in cibo, in potu, in pane, in vino, in calice. Item in nationum, regnorum, locorum, ciuitatum diuersitatibus, in Babylone, in Ægypto, in Moas, in Æthiopia, in Iudæa, in Hierusalem, in monte Sion. Item in rebus propriorum nominum, vt in Abel, in Iosue, in Abraham, in Isaac, in Iacob, in Moyse, in Dauid, in Salomone, in Sorobabel, in Cyro, in Pharaone. Item in pecorum & armentorum, & volatilium generibus, vt in boue, in hinnulo, asino, in agno, lupo, leone, ceruo, cane, in aquila, in passere, gallina, gallo, in pellicano. Item in vasis seu armis, aut nominibus rerum bellicarum, vt in arcu, sagittis, iaculis, hastis, gladio, lorica, galea: in tentorijs, tabernaculis, & acie castrorum, in cornibus, vexillis, tubis. Item in generibus indumentorum & ornamentorum humani corporis: in vestitu, in stola, in barba, in corona, in fimbrijs aureis, in ora vestimenti, in calceis, in bysso, in purpura. Item in membris & organis humani corporis: vt in capite, in ore, in oculis, in genis, in dentibus, in auribus, in labijs, in lingua, manibus, vberibus, visceribus: in corde, in ventre, in renibus, lumbis & pedibus. Item in omnium operationum tam inanimatorum, quàm animatorum generibus: vt in gressu, cursu, volatu, visu, locutione, vrere, dormire, vigilare, esurire, sitire, manducare, bibere, viuificare, inebriari, occidere, mori. Omnia hæc & alia multa in scripturis sacris propter aliquam similitudinem aut proprietatem transferuntur ad rem mysticam, siue in Christo & membris corporis eius, quod est Ecclesia: siue in diabolo & ministris eius. Vnde in scripturis sacris duo legũtur

Duo leguntur reges libri inuicem contrarij, & duo populi

reges, duo principes inter se contrarij, Christus & diabolus: qui & in eisdem scripturis reperiuntur appellari variarum rerum nominibus translatè acceptis. Insuper & vterque suam legitur habere ecclesiam, suum corpus, variaque in corpore suo membra, sua officia, suum cibum & potum, suas ciuitates, suas domos & habitacula, suam possessionem, suum semen & filios: sua castra, suas turres & propugnacula, sua vasa & arma bellica, suas sagittas, sua iacula, suos equites & quadrigas, sua fulgura, tonitrua & coruscationes, suam terrã, suas aquas, sua fulmina, suum ignem, suos campos, suaq; diuersorum generum animalia. Harum omnium rerum nomina tam in specie, quàm in genere reperiũtur in scripturis sacris translatè accepta, tam in bonam partem in regno Christi, quàm in malam in regno diaboli: & eadẽ pleraque nunc in bonam, nunc in malam rem inueniuntur accepta. Christus est

Appellationes Christi.

agnus, propter innocentiam: leo propter potentiam & fortitudinem: aquila propter sublimitatem: capra, quæ in summis pascitur, propter cõtemplationem: petra, propter stabilitatem: cornu, propter fortitudinem & vim insuperabilẽ: mons, propter eminentiam & excellentiam. Id genus alia sunt innumera, quibus in scripturis reperitur Christus assimilatus. Diabolus est leo, propter ferocitatẽ: mons,

propter

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILTRAC.

propter tumorem & ſuperbiam: ſerpens & coluber, propter inſidias: princeps mundi huius, propter dominium in corda eorũ, qui diligunt mundum: rex Ægypti & rex Babylonis, propter poteſtatem quam habet in homines tenebrarum & confuſionis. Sic & horum duorum regum ſeu principum regna ſub varijs tropis intimantur. Quemadmodum fideles Chriſto adhærentes ſunt vnus populus, vnum myſticum corpus Chriſti: ſic impij & infideles ſunt vnum myſticum corpus diaboli. De vtroq; populo loquitur ſcriptura, tanquàm vterque populus eſſet vna quædam perſona, habens caput, cor, & pedes. Iſaiæ 1. Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas. Illic per caput princeps quiſq; in Iudæorum populo: per cor autem, doctor quiſque & ſacerdos, cuius eſt alios docere: per pedes autem, plebs intelligitur. vbi ſpiritus ſanctus ex ore Iſaiæ per metaphoram aſſerit, quòd à principibus vſq; ad extremam plebem, à doctoribus vſque ad imperitum vulgus nulla ſit ſanitas, ſed omnes pari ardore in impietate conſentiunt. Ad facilius autem intelligendum huiuſcemodi locutiones tranſlatè in ſcripturis ſignificantes, ſciendum eſt, quòd regnum Chriſti, quod eſt in eccleſia, in ſcripturis ſacris, quèadmodum latius declarabitur in ſequenti capite, intimatur vt res vna, & id quidem varijs nominibus tranſlatè acceptis: & nunc quidem intimatur vt corpus vnum, veluti ſponſa, virgo & mater, vel regina, vel mulier, aut columba, aut turtur: nunc vt ciuitas vna, vel ædificatio, ſeu domus vna ædificata: nunc vt caſtra ſeu exercitus militantium, nunc vt hortus concluſus ſeu ager plenus fructibus, cui benedixit Dominus: nunc vt vinea, nunc vt terra manans lac & mel, nunc currus Dei decem milibus multiplex, nunc arca. Eccleſia corpus dicitur propter fidelium vnionem, in vinculo vnius fidei, ſpei & charitatis. Sponſa, propter fidem Chriſto in baptiſmate datam. Amica, propter mutuum amorem. Columba, propter ſimplicitatem, & gemitum, & luctum, in hac peregrinatione. Turtur propter caſtitatem, ſuſpiriumq; ac deſiderium cœleſtis patriæ. Ciuitas, qualis eſt ciuium multitudo, propter vinculum ſocietatis in vnum ſub vno rege Chriſto, & ſub vna lege euangelij. Ciuitas etiam qualis eſt vrbs, hoc eſt, ipſa mœnia & ædificia propter ſtructuram ordine debito factam viuis ex lapidibus. Caſtra ſeu exercitus propter militiam eorum, qui in præcinctu ſemper debent vigilare, & ſtare parati ad prælium contra inuiſibiles animarum hoſtes. Ortus ab oriendo propter arbores herbaſq; viuas quotidie nouas in eadem orientes. Vinea propter rationales palmites hinc adhærentes Chriſto viti, proferentes vuas, id eſt, opera cœleſtis vitæ. Singulis rebus ſic, ad ſignificandum eccleſiam, tranſlatis, reſpondent & ſua quæque propria, quibus intimantur eiuſdem eccleſiæ partes, aut membra, aut officia, aut veſtimenta ſeu ornamenta, ſeu tempora & ætates & incrementa. Eccleſia cùm aſſimulatur corpori, ſua habet membra, ſuum caput, ſuos capillos, ſuam faciem, genas, oculos, aures, labia, dentes, guttur, linguam, ventrem. Huiuſcemodi nominibus etiam tranſlatè acceptis, eccleſiam eiusq; membra in ſcripturis ſacris appellari, patet ex libro Canticorum, in quo Chriſtus vt ſponſus & dilectus loquitur ad Eccleſiam ſuam, tanquam ad ſponſam atque dilectam, pulchram, quæ habeat genas, oculos, dentes, labia, naſum, quibus ſignificantur diuerſa eiuſdem eccleſiæ membra, ſecundum diuerſa gratiarum dona propter aliquam ſimilitudinem ſic appellata. Eadem eccleſia dum appellatur ciuitas aut domus Dei ædificata, ſuum legitur habere fundamentum, ſuos lapides, ſuas turres & propugnacula, ſuos parietes, ſua tigna, ſuum cubile regium, ſuam vinariam cellam, ſuum lectulũ. Huiuſcemodi nomibus tranſlatè acceptis, eccleſiam eiusq; membra, ornamenta & officia appellari patet ex eodem libro Cant. & libro Pſalm. & ex prophetis. Iſaiæ 54. c Vnde ad eccleſiam dicitur: Paupercula ciuitas & tempeſtate conuulſa, abſque vl-

Appellationes diaboli.

Appellationes regni Chriſti ſeu eccleſiæ.

la conſolatione, Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo in te ſaphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos. Harum diuerſarum rerum nominibus ſignificantur lapides in eccleſia viui, hoc eſt, eccleſiæ membra diuerſis gratiarum donis prædita, de quibus dicitur: Vrbs beata Hieruſalem, dicta pacis viſio, conſtructa viuis ex lapidibus. Eadem eccleſia dum dicitur eſſe exercitus ſeu caſtrorum acies, ſuum legitur habere equitatum, ſuos currus, ſuas quadrigas, ſuos duces & principes, ſua tabernacula, ſua tentoria, ſuaq; bella & prælia, ſuum apparatũ bellicum: enſes, gladios, ſcuta. Vnde in Canticis de eccleſia dicitur: Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Ad eccleſiam dicitur: Dilata locum tentorij tui, tabernaculorum tuorum pelles extende, longos fac funiculos tuos. Eadem eccleſia cùm intimatur eſſe hortus ſeu mons pinguis, mons coagulatus, ſuas legitur habere arbores, ſuaq; diuerſi generis germina, ſuaq; paſcua, ſuosq; fontes aquarum, ſuos fructus, ſuasq; aromatum ſpecies. In Pſalmo dicitur: Mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Eadem eccleſia cùm dicitur eſſe vinea, ſuam habet vitem ſuamque radicem, ſuosq; palmites & propagines, ſuam ſepem & maceriem, ſuamq; turrim & torcular. Secundùm diuerſas huiuſmodi metaphoras eccleſiæ nũcupata, diuerſis etiam nominibus translatè acceptis appellatur ipſe Chriſtus eiuſdem eccleſiæ Dominus. Cùm eccleſia dicitur ſponſa aut virgo, ipſe Chriſtus congrua ratione appellatur ſponſus, aut vir illius. Cùm verò eadem eccleſia dicitur corpus, ipſe appellatur eiuſdem corporis caput. Cùm dicitur eadem eccleſia ædificatio, ſeu domus aut ciuitas, ipſe appellatur eiuſdem domus fundamentum aut angularis lapis.

Cant. 6. d
Iſa. 54. a
Pſal. 67. c
Iſa. 5. a
Iuxta appellationes Eccleſiæ ſortitur Chriſtus appellationes.

Cùm autem exercitus eccleſia appellatur, ipſe dicitur rex, dominus, & princeps. Cùm dicitur vinea, ipſe vitis appellatur. Et quia huiuſmodi locutionum tranſlatè ſignificantium in ſcripturis immenſa eſt ſylua, prolixum eſſet de ſingulis in ſpecie dicere. Ex multis pauca recitabimus, vt ex illis quid in cæteris quoque ſit faciendum videamus. Eccleſia ergo dum corpori aſſimulatur propter vnionem in vna fide, in vna ſpe vocationis, quam oportet eſſe inter eccleſiæ membra in vinculo pacis: caput eius eſt Chriſtus, à quo deferuntur ſpiritus cœleſtis vitæ in cætera membra. Capilli, populi dicuntur ſumentes à Chriſto incrementum, aucti in numerum magnum, qui ſunt tanquàm eccleſiæ coma, ſeu cæſaries, ſeu corona. Vnde ait: Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcendunt de monte Galaad. Facies eccleſiæ eſt fides, qua à Deo Cognoſcimur, & ipſa eius vita & conuerſatio membrorum eius. Vox tua dulcis (inquit ſponſus) & facies decora. Genę dicuntur partes vultus, in quibus honeſtas & virginalis pudor cognoſcitur, per quas ſine dubio (inquit Origenes) illi in membris eccleſiæ ſignificantur, qui caſtitatis & pudicitiæ excolunt honeſtatem. Vnde ait ſponſus Chriſtus ad ſponſam: Genæ tuæ ſicut genæ turturis, & ſicut fragmẽ mali punici. Eccleſiæ oculi ſunt paſtores, doctores, cæteriq; præſtantiores, qui in eccleſia cæteris præbent ſcientiæ & intelligentiæ lucem, de quibus ſaluator: Vos eſtis lux mundi. Sunt eccleſiæ oculi duo: vnus ſuperior, in quo ſignificantur in eccleſia contemplatiui, qui cœleſtia meditantur: alius inferior, in quo ſignificantur, qui in eccleſia proximorum neceſsitatibus inuigilant. Vnde ſponſus in Cant. ad ſponſam: Vulneraſti me in vno oculorum. Labia in eccleſia ſunt hi, per quos locutus eſt Deus, vtpote Apoſtoli, Euangeliſtæ, & doctores, qui & collum in eccleſia eſſe dicuntur, ſimiles turri Dauid cum propugnaculis. Vbera eccleſiæ ſunt dilectio Dei & proximi, aut veteris, aut noui teſtamenti ſcripturæ, ex quibus eccleſiæ filij ſugunt lac ſeu dulcedinem æternæ ſalutis. Ita in reliquis quoq; corporalibus membris conſideranda eſt metaphora ſecundùm circunſtantiam literæ aut ſcripturæ. Eccleſia dum domus aut ædificium, aut ciuitas appellatur, Chriſtus Illius fundamentum dicitur,

Cant. 4. a
Cant. 4. d
Ibidem. 1. a & 4. a
Matth. 5. b
Gemini eccleſiæ oculi.
Cant. 4. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, tanquàm sustinens totum illius ne ruat ædificiũ: & lapis angularis, iungens in vnitatem fidei & charitatis vtrumque, videlicet & veteris & noui testamenti populũ. Christus insuper in hoc ecclesiæ ædificio, non solùm fundamentum aut lapis angularis dicitur, sed & fundator & custos, protector, turris fortitudinis, arx, porta & ostium, dies, & lumen illuminans tenebras eius, Christus in hac sua domo est, in imo est, & in summo. Ipse est qui ait: Ego sum ostium, per me si quis Iohan.10.b introierit, egredietur & ingredietur, & pascua inueniet. Ipse est, quem Prophe- Psalm.117.c ta appellat lapidem, dicens: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quem sanè lapidem idem Propheta continuò secutus appellat diem, & Dominum Deum, qui illuxit nobis: Hæc (inquit) est dies, quem Psalm.eod.c fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Ipse est qui iuxta prophetam fundauit hanc ecclesiam suam, & simul natus est in ea. Ipse est sapientia, de qua in Pro- Prouerb.9.a uerbijs: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas, miscuit vinum, proposuit mensam, misit ancillas. Hæc sapientia Dei & patris est Dominus noster Iesus Christus, qui ædificauit sibi domum, aut humanam videlicet carnem diuinitate plenã, aut ecclesiam viuis ex lapidibus, excidit columnas septem, Apostolos videlicet & doctores, septiformi spiritu illustratos, secularibus desiderijs excisos ad portandum eiusdem ecclesiæ fabricam: immolauit victimas, carnem videlicet suam & sanguinem, seq; ipsum totum & pro- Apocalyp.12. posuit scripturæ sacrę mensam. Eadem domus ista, quę est ecclesia, secundùm aliquam sui ætatem considerata, apud Iohannem vocatur mulier amicta sole. Signũ Ibidem. magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: & in vtero habens clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat. Et visum est aliud signum in cœlo, & ecce draco rufus & magnus, habens capita septem, cornua decem, & in capitibus eius septem diademata, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram, & stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperisset, filium eius deuoraret: & peperit filium masculum, qui erecturus erat omnes gentes in virga ferrea: & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronũ eius, & mulier fugit in solitudinem, ibi habebat locum à Deo paratum, vt ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta. Hæc mulier est Ecclesia, dum adhuc erat paruula, nondum habens vbera, id est, vtriusque testamenti scripturas, quibus lactaret gentes, quæ in principio amicta sole iustitiæ Christo, habens in capite coronam stellarum duodecim, id est, ornata fide Apostolorum duodecim, designatorum in duodecim patriarchis, seu tribubus filiorum Israel, subijciens lunam, id est, omnem huius mundi mutabilitatem sub pedibus suis, dum adhuc sterilis erat in partu gentium, desiderabat parere Deo filios spirituales ex earundem gentium nationibus, quæ & per gloriosam dominam Mariam virginem peperit filium, qui erecturus erat omnes gentes in virga ferrea. Sed draco magnus diabolus & rufus, hoc est, fitiens sanguinem martyrum, habens capita septem, id est, omnes huius mundi principes, & cornua decem, hoc est, omnia earundem principum regna, cupiuit huius gloriosæ virginis filium deuorare, vt non conciperetur in cordibus gentium per spiritum fidei. Has & id genus alias locutiones tropicas, poterit studiosus quisque scripturæ sacræ lector ex his quæ præmittuntur & sequuntur, intelligere, & formare sibi sententias ad ædificandum regnum charitatis Christi, destruendum regnum Laus Apocalypsis. cupiditatis diaboli. Huiusmodi tropis liber Apocalypsis est plenus, qui (vt inquit Hieronymus ad Paulinum) tot habet sacramenta, quot verba, quæ & variè à varijs inueniuntur exposita. In scripturis sacris multa sub vmbris & figuris metaphoricis inuoluta Christum sonant, quæ & de Christo intelligunt ecclesiastici patres, quæ tamen sicut & aliter rectè possunt intelligi, ita fuerunt ab alijs san-

A lijs sanctis patribus etiam aliter intellecta, sed cum cæterorum pace & vnitate catholica. Quod ex scripturis declarat Augustinus lib.16. contra Faustum, cap.22. dicens verbum hoc Deuteronomij 28. Videbis vitam tuam pendentem, & non credes vitæ tuæ. aliter quàm de Christo posse intelligi, de Christo autem non posse intelligi, nec ipse Faustus ausus est dicere. Cæterùm & hic sciendum Ecclesia appellatur exercitus. est, quòd Ecclesia cùm appellatur exercitus seu castra, suum habere legitur equitatum, suos currus, suam aciem, suum ordinem, suos principes, suum apparatum bellicum. Sponsus ad sponsam seu Ecclesiam in Cant. ait: Equitatui meo in cur- Cant.1. ribus Pharaonis assimilaui te amica mea. non dicit: Curribus Pharaonis assimilaui te, sed equitatui meo in curribus, id est, exercitui meo inter currus Pharaonis. Acsi dicat: Assimilaui te equitatui meo, populo videlicet Israelitico, assumpto ex curribus Pharaonis demersis in profundum maris. Sunt equi in hoc mun-
B do, quos ascendit Christus: sunt equi quos ascendit Pharao, aut rex Babylonis. Equi & quadrigæ Pharaonis sunt, quos aduersarius noster diabolus trahit, & ducit ad persequendum Ecclesiæ membra. Equi in Ecclesia, super quibus æquitat rex noster Christus, sunt fideles animæ, quæ frænum ipsius & iugum suauitatis sua sponte suscipiunt, qui non secundùm sua ipsorum desideria præcipites currunt, sed vinculo charitatis Dei sua agunt ministeria, secundùm Christi spiritum aguntur, de quibus in Abacuc: Qui ascendis super equos, & quadrigæ tuæ sal- Abacuc.3.b uatio. Præuidit quidem Abacuc propheta suo tempore, quòd Deus ascenderet per principes Cyrum & Darium, quibus ceu equis, id est, ministris vteretur ad perdendum Babylonios, qui captiuum detinebant populum Iudæorum. Præuidit etiam, quòd ipse Deus ascenderet super equos irrationales in multitudine ex-
C ercituum ipsorum, ad diuidendum fluuios inanimatos, quos exercitus transeunt ad deuastandum eosdem Babylonios, & temporaliter liberandum Iudæos. Verùm non solùm ob huiusmodi carnalem historiam, liberationemq; temporalem contexuit Abacuc prophetiam istam, quam vsque in finem seculi voluit Dei spiritus posteris legendam relinquere, volens in illa intimare, quòd Deus ascensurus esset super equos rationales, id est, apostolicos viros, qui quadrigas, id est, ecclesias in vita & moribus quatuor euangelistarum fide ducerent. De huiusmodi generis equitatu etiam legitur 4. Regum 6. vbi Helisæus loquitur ad puerum suum: Ne timeas, quia plures nobiscum, quàm cum illis sunt. Et orauit Helisæus: Domine aperi oculos pueri huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos eius & vidit. Et ecce mons plenus equitibus erat, & currus igneus in circuitu Helisæi. Vbi in equis & igneis curribus intelliguntur angelici spiritus, cœlitus missi ad protectionem populi Dei. Vnde & ipsa Ecclesia currus est Chri-
D sti, quippe quæ regitur & dirigitur eiusdem Christi gubernaculis. Nec oportet hic studiosum sacræ theologiæ turbari, si in Ecclesia, quæ vnus est exercitus, vnus est currus, vna domus, vna vinea, legat multos esse currus, multas domos, & vineas multas. Nam Ecclesia quatenus est exercitus, multos habet currus: quatenus est ciuitas, multas habet domos: quatenus est regnum, multas habet ciuitates: quatenus est oliua, multos habet ramos: quatenus est vitis, multos habet palmites, quatenus est hortus, multas habet vineas & varij generis arbores: sed omnes in Ecclesia currus, omnes domos, omnes ciuitates, omnes rami, omnes palmites, omnes vineæ sunt vnus Dei currus, vna Dei domus, vna Dei ciuitas: omnes rami, omnes palmites, vna oliua in vna vite, propter vnitatem fidei & baptismi in vna fide vocationis secundùm vnum spiritum Dei in vinculo pacis. Vnde & in huiusmodi tropis considerandæ sunt locutiones reciprocæ. Sunt enim iustorum animæ equi ipsius Christi, vt equitis & sessoris, quas videlicet ipse Christus tanquam sessor ducit, dirigit, & gubernat. Sunt & Christi equi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes tãquam fortissimi equi, portantes ipsum. Portant iustorum animæ Christum, portat & Christus iustorum animas. Sedet super corda nostra Christus, sedemus & nos in Christo, tanquàm in sede quietis & conseruationis nostræ. Ecclesia proinde ratione congrua sedes, solium, lectulus Christi veri Salomonis appellatur: & ipse item Christus est Ecclesiæ lectulus, locus, & deliciarum paradisus. Cant.3.c Sic in Cant. Sexaginta fortissimi ambiunt lectulum Salomonis, & vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Sexaginta fortissimi custodientes lectulum Salomonis, intelliguntur vel angelici spiritus missi ad Ecclesiæ custodiam, vel martyres, & vigiles prædicatores fidei, tenentes gladium verbi Dei in præcinctu, semper parati occurrere aduersarijs. Io huiuscemodi ergo locutionibus translatè significantibus, conari debet sacræ theologiæ studiosus, vt deprehendat sacræ scripturæ sensus, consideratis similitudinibus sumptis ex rebus ipsis corporalibus. Neque turbari debet mens studiosi lectoris, si per domum Israel aut per vineam interdum plebs Iudaica intelligatur, veluti cùm dicitur: Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? Et infrà: Auferam ab ea sepem, & cæt. Esa.5.b Cant.1.a Et in Cantic. inquit Ecclesia Apostolorum iam segregata ex synagoga Iudæorum: Vineam meam non custodiui. Tanquã dicat: Ego Ecclesia Christi ex Apostolis cõgregata, non custodiui vineam meam synagogam Iudæorum: quippe quæ custodirt aspernabatur à me, expellens me euangelizantem ipsi regnum Dei. Vnde & præmiserat: Filij matris meæ, id est, Iudæi filij matris meę synagogæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, hoc est, ejicientes me à se, fecerunt me custodem in vineis Christo collectis & colligendis ex gentibus. Cæterùm & hic sciendum est, quòd quemadmodum sermo diuinus sub vna voce metaphoricè accepta, non vnũ & idem in omnibus scripturæ locis significet: sed nunc vnum, nunc aliud: nunc in bonam partẽ, nunc in malam prolocorum & personarũ qualitate designat: Ita & plerunq; significatur vna & eadẽ res sub diuersarum rerum nominibus translatè acceptis, secundũ diuersas rerum similitudines. Et ideireo non debet quispiam absurdum arbitrari, si diuersa corporis membra ad eosdem homines in Ecclesia diuersis considerationibus transferantur, vt videlicet in Ecclesia prædicatores seu apostolici viri dicãtur nunc oculi, nunc dentes, nunc labia & genæ, os, cor ecclesiæ. Oculi quidem, quia per illos ecclesia videt. Os quidem, quia per illos cibum spiritualem conterit & loquitur. Dentes, quia per illos duritiam peccatorum morsibus prædicationum conterit. Amplius autem sciendum, quòd nominibus metaphoricè acceptis designantur interdum Ecclesiæ membra, interdum eius ornamenta, aut vestimenta, aut decor, aut pulchritudo. Interdum eiusdem Ecclesiæ & membrorum eius officia. Vestimenta Ecclesiæ, sunt opera iustitiæ. Ornamenta verò diuersaq; vnguenta, sunt varia gratiarum & virtutum dona: vt fides, charitas, humilitas, mansuetudo, & id genus alia. Tota Ecclesia secundùm successionis seriem suas habet ætates, sua incrementa, suam noctem, suam auroram, suum mane seu diluculum, suum diem. Parua erat Ecclesia, quando in Iudæa solùm erat Deus notus, quando Iudæorum synagoga nondum pariebat Deo gentes. Vnde in Canticis: Soror nostra parualà nondum habet vbera. Vbera, Christi Ecclesia nondum habebat, quando in solis Apostolis erat Ecclesia, quando sedens in ciuitate Hierusalem nondum induta virtute ex alto, nondum lacte prædicationis filios nutriebat, Sub nocte Ecclesia erat. nam & nox intrauit in vniuersum genus humanum per Adæ peccatum, quo facta est nox vna & continua, incipiens ab Adam & à filio eius Cain, & ab imitatoribus illius super omnes gentes, donec irradiauerit & illuxerit in cordibus eorum Christus, verus sol iustitiæ, & fidei lumen, iuxta Isaiæ vaticinium: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris vidit lucem

Ecclesiæ ætates & incrementa.

Cant.8.c

Isaiæ.9.a

Vna res varijs nostris per metaphoras significatur.

lucem magnam. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Quemadmodum autem in visibili mundo dies est præsente sole, in cuius lumine videmus viam, qua sit corporali gressu ambulandum. Nox verò est absente sole, cùm non possimus progredi absque offendiculo. Ita & in vniuscuiusque hominis anima dies est, orto iam in ipsius corde spirituali lumine, quo valeat videre & ambulare veræ salutis viam. Hoc lumen est fides in Christum Iesum, qui est via, veritas & vita. Absque hoc lumine habet quidem rationalis animus naturale lumen rationis internæ, per quod discernit quandam naturalis legis iustitiam. Sed per hanc absque spiritu fidei non poterit vnquam assequi remissionem peccatorum, & peruenire ad vitam æternam. Fuit quidem Ecclesia iustorum ab initio illustrata lumine eiusdem fidei in Christum saluatorem etiam sub lege Moysi: sed fides illa adhuc sub vmbris & figuris erat lateus, nondum etiam verbis apertis declarata. Insuper & de Christo in carnem venturo erat, qua videlicet credebatur promissioni Dei, pollicentis se daturum, & missurum Christum Dominum, qui paradisum cœlestem aperiret, cæteraque impleret, quæ lex promittebat. Fides autem nostra est de saluatore iam dato, & iam toti mundo verbis & eloquijs apertis manifestato. Ad hunc sensum inquit Apostolus de synagoga sua Iudæorum: Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Nam lex pædagogus noster fuit in Christo, id est, ad Christum nos ducens. Idcirco Ecclesia ante Christum dicitur mansisse in nocte quadam sub lege Moysi, donec vmbræ & figuræ transirent in veram lucem, in Christum scilicet visibiliter apparentem in carne, in omnibus gentium nationibus manifestandum: quia ad inferos descendens, suosq; captiuos redimens, & à mortuis resurgens pandit & aperuit cœli ostium. Et hinc iam perijt nox ecclesiæ, & incepit aurora sub Christo iam nato prædicante, & gloriam suam manifestante. Dies autem est à resurrectione Christi, vsque ad consummationem seculi. Sic olim pollicitus est per Isaiam prophetam: Propè est salus mea vt veniat, & iustitia mea vt reueletur. Vnde Apostolus: Nox (inquit) præcessit, dies autem appropinquauit. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Isaiæ temporibus iam quidem venerat salus secundùm fidei spiritum in iustis, reuelataq; erat in credentium cordibus iustitia fidei: sed non sic venerat, non sic reuelata, non sic data fuerat, quemadmodum in lege & prophetis promissa fuerat. Deinde & hoc sciendum, quòd totum tempus mortalitatis & afflictionis huius vitæ, plerunque in scripturis nox appellatur, quia nox in aduersitate ponitur, dies in prosperitate. Proinde & Ecclesia etiã sub Christo iam nato, quàm diu in hac valle lachrymarum varijs aduersitatibus & pressuris concutitur, lamentatur sese esse in nocte, & in captiuitate, in carcere, in vinculis, in periculis, in fluminibus maris.

Isaiæ.56.a Rom.13.d 2.Cor.6.a

Nox in scripturis quid.

Cæterùm in scripturis sacris secundùm metaphoram accipiendus est sensus, cùm sermo fit ad elemẽta, vel ad corpora inanimata, seu ad bestias terrę. Aut dum illis attribuuntur ea quæ sunt rationalis creaturæ officia. Vnde interdum officiorum seu operationum voces, propriè accipiuntur, sed ipsorum elementorum nomina metaphoricè vsurpantur pro hominibus, aut contentis in illis, aut intellectis, secundùm similitudinẽ quandam repertam in illis. Veluti cùm dicitur: Audi cœlum, & auribus percipe terra: Item, Audite cœli quæ loquar, & audiat terra verba oris mei. Item: Iubilate Deo omnis terra. Dominus regnauit exultet terra. Facilè quisque sacræ theologiæ studiosus intelligit in huiuscemodi locutionibus, cœlum & terram non propriè, sed metaphoricè accipi: vt videlicet vel hæc accipiantur tanquàm per hyperbolẽ dicta, ad magis commouendos auditores, dum omnis creatura Dei ad audiendũ cõuocatur. Vel vt in nomine cœli & terræ intelligantur omnes rationales creaturæ, siue quę in cœlo, siue quæ in terra cõtineãtur.

Deut.33.a Psal.65.a Psalm.96.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC. Philip. 3.d

Velut in nomine terræ accipiantur homines, qui (vt inquit Paul.) terrena sapiũt, quorum deus venter est, nondum per spiritum facti cœlestes. In nomine cœli autem intelligantur homines, quorum conuersatio in cœlis est, qui sursum habentes corda terrenis desiderijs sic sunt exuti, vt non obediant illis, iam renati in cœlestem vitam. Sic venerabilis Cyprianus interpretatur cœlum & terram in oratione dominica: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Interdum verò ipsa elementorum nomina propriè accipiuntur, sed officia illis attributa translatè vsurpantur: veluti cùm de his, quæ acciderunt in exitu Israel de Ægypto dicitur: Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Montes exultauerunt vt arietes, colles sicut agni ouium. A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

Cyprianus.

Psalm. 113.a

A

Verùm & hic scire conuenit, Dauid huiusce modi gesta tunc præterita suo populo non sic narrasse, quin & illis rebus sic gestis, simul voluerit futura quædam intimare. Egressus enim ille Israelitici populi ex Ægypto per ducem Moysem, prophetia fuit liberationis humani generis exeuntis de tenebris peccatorum per Christum regem. Ægyptus figura erat regni diabolici. Domus Iacob designat genus humanum: Moyses, Christum: virga Moysi, crucem Christi: mare rubrum, baptismum in sanguine eius. Vnde & super hac liberatione ex Ægypto peccatorum, peculiariter agere gratias intendebat, subdens: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Super misericordia & veritate tua, ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum? Item quòd in prophetis Christus prænunciatur regnaturus super omnem terram, & super insulas maris, & dominium habiturus à mari vsq; ad mare: hic etsi non carnale regnum huius mundi, non temporale dominium sit, sed spirituale sit accipiendum, non aliam tamen terram, non aliud mare, nõ alias insulas, quàm has corporales oportet intelligere. Voluit enim propheta intimare spirituale regnum Christi, quo regnat per fidem & charitatem in cordibus hominum esse futurum super omnem terram vsq; ad insulas maris.

B

Egressum Isra el ex Aegypto fuisse prophe ticum.

Psalmo 113.

C

Ex superioribus possumus colligere sententias. Prima est. In scripturis sacris omnis locutio rebus corporalibus dicta de magnificentia regis Messiæ, de pugnis, de prælijs, & de victoria ipsius contra hostes, de specie & pulchritudine eius, intelligenda est vt sit figurata quædam locutio: veluti cùm dicitur quòd eleuabitur mons domus Domini super omnes colles, & sedebit super solium Dauid & super regnum eius, & quòd Deus posuerit super caput eius coronam de lapide precioso, & quòd accinctus fuerit gladio super femur suum, & quòd fuerit myrrha & gutta & casia à vestimentis eius in domibus eburneis, & quòd contriuerit arcum, confregerit arma, & quòd scuta comburet igni, & quòd tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie eius, & quòd lætabuntur cœli, & exultabit terra & gaudebunt campi, & quòd nubes & caligo erunt in circuitu eius, & quòd alluxerunt fulgura eius orbi terrę. Vnde Christus est mons, domus Domini eminens super omnes colles, id est, præsidens super omnes reges & principes, quia dedit illi pater nomen, quod est super omne nomen, in cuius nomine tandem omne genu flectatur, dum vel voluntariè vel coactè omnia subiecta erunt sub illius iustitia vel misericordia: ita eadem ecclesia est solium Dauid & regnum eius. & corona de lapide precioso in capite eius, de gentibus aucta & multiplicata, de qua canit ecclesia: Filiæ Hierusalem venite, & videte martyrem, scilicet Christum cum corona, qua coronauit eum Dominus. Possumus etiam per coronam auream aut coronam de lapide precioso intelligere honorem & gratiam eius, & summam puritatem, simplicitatem, fortitudinem ipsius: quemadmodum & ipsa scriptura coronam in alio loco interpretatur: Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis. gloriæ & honoris, & opus fortitudinis. Vnde in omnibus locutionibus

Figuratè intelligenda, quæ Messiæ regnũ extoliunt. Isa. 2.a Psal. 20. Psal. 44.a

D

Eccles. 45.b

A bus translatè significantibus non oportet neque curiosius inquirere omnes eiusdem locutionis particulas, neque in singulis exactam & specialem inuestigare significationem: sed poterit quisque sacræ theologiæ studiosus corporales res mysticis rebus accommodare, cùm fuerit intellectum, quòd tota locutio sit metaphoricè pronunciata, non de carnalibus aut corporalibus, sed mysticis ac spiritualibus rebus: aut in hominum mentibus, aut in dotibus corporis post resurrectionem mortuorũ, cùm vniuscuiusq; iusti & anima, & caro exultabunt in Deum vnum, & satiabuntur ab vbertate gloriæ eius. Proinde quemadmodum & sæpe iam diximus, nõ debet turbari mens studiosi lectoris, cùm viderit in huiusce modi tropis varias sanctorum patrum interpretantium sententias, cùm singulæ commemorent vel regnum charitatis, & gloriæ Christi, vel regnum cupiditatis & afflictionis diaboli, quorum vtrumque suas habet sagittas, sua iacula, quibus vul-

B neret hominum corda. Sagittæ & iacula Christi, sunt verba ipsius ignita & inspirationes sanctæ. Insuper & Apostolici viri ab ipso missi atque destinati, non quibus interimantur animæ, sed quibus extinguantur cupiditates, & fiant hominum corda vulnerata charitate, & amore flammantia, de quibus sagittis & iaculis bonis est sermo in multis scripturis: Sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum regis, quibus iactis populi sub te cadent, hoc est, tuæ se subijcient legi. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum. Diaboli autem sagittæ, sunt consilia & verba pessima impiorum hominum, inspirationes & machinationes eius, quibus conatur instillare in mentes hominum omnem huius mundi cupiditatem & ambitionem, donec miseras animas ad æternum trahat interitũ. Sic & de armis & gladijs est accipiendus metaphoricus sermo. Sunt arma quibus munimur: sunt arma quibus percutimus inimicos: bona voluntas, scutum est bonum, bona item lorica est fides. Verbum Dei bonus est gladius, penetrans audientium corda, quibus

C & interficimus hostes nostros. Sic & sua habet diabolus arma, de quibus dicitur: In Israel magnum nomen eius, ibi confregit potentias, arcum, gladium, & bellum, id est, Christus destruxit vires, potestates, & insultationes, & cupiditates, ac concupiscentias huius mundi, comburens omnia hæc in suis electis igni charitatis.

Sagittæ Christi.

Psal. 44.b

Psal. 126.a

Sagittę diaboli.

Psalm. 75.a

Secunda sententia. Omnis scripturæ sacræ sermo, sub corporalibus rebus dictis de victu & vestitu iustorum in hac vita, & de semine & partu filiorum, aut de gloria beatorum, veluti de pane, de cibo & potu, & de vestimentis, coronis aureis & ornamentis, & de sessione super duodecim sedes, metaphoricè est accipiendus. Christus est vestis candida, quam iusti induunt, exuentes veterem hominem. Ipse item est panis, de quo inquit Deus ad filios Israel: Pones super mensam meam panes in conspectu meo semper. Nam & ille panis erat panis huius

D typus, qui olim Iudæorum scelere pollutus est, dicente Domino apud Malachiam: Offertis super altare meum panem pollutum, at deinceps de manu vestra non suscipiam. Ab ortu enim solis magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Tanquam dicat: Desijt à vobis panis ille typicus, & transijt ad gentes verus panis in illo designatus. Ille panis est Christus, ecclesiæ gentium datus, qui offertur in omni loco ecclesiæ. Comedere aut bibere ad animam translatum est per spiritum fidei in verbo Dei meditari Deum ipsum & Iesum eius filium, & spiritum desuper missum, viuum Deum in ventrem animæ traijcere, ipsum mente sobria & casta diligere, esurire & sitire iustitiam, eamq; iugiter petere per Christum Dominum donari sibi, & proximo desiderare ipsum, & sperare in ipso, delectari, gaudere tanquam in summo & beatifico bono: hoc est operari cibũ qui non perit. Panis ergo verus qui de cœlo descendit, est ipse Christus quem manducamus, dum per fidem illi adeò incorporamur, vt & manducemur ab ipso, trãsformati in amorẽ eius: quem-

Trãslatæ locutiões de iustis.

Christus est animæ nostræ panis. Exod. 25.c

Malach. 1.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

IL TRAC.

nisi per fidem manducauerit anima manet in morte. Rursum ipse est aqua, calorem & æstum voluptatis mundi huius restinguens. Ipse est vinum lætificans cor, inebrians, plenum spiritualis iucunditatis, & inebrians animam amore charitatis. A

Trãslatę locutiones de deo

Tertia sententia: Omnis scripturæ sacræ sermo metaphoricè est accipiendus, qui Deo tribuit carnalia quędam, seu corporalia vel membra, vel officia, vel passiones, vel affectiones. Vbique scriptura de Deo sermonẽ faciens, vmbris, parabolis, tropis & figuris est plena: & idcirco quæ in scripturis de Deo carnaliter dici videntur, translatè, & tanquàm digna Deo debemus intelligere, veluti cùm ipse legitur aut dormire, aut vigilare, aut expergisci, aut sedere, aut stare, aut deambulare, aut volare, aut irasci, commoueri, conturbari. Nec mirum, si Deo in scripturis huiusce modi opera tribuuntur, cùm & ipse secundùm tropologiæ leges, omnia humani corporis membra habere dicatur. Idcirco autem scriptura huiusce modi metaphoris, de Deo loquens, vtitur: vt imbecillitati intellectus humani consulat, vt ipsa in commune omnibus proposita omnibus profit, Varios effectus in nobis operatur Deus, non secundùm varias in se affectiones aut voluntates, sed propter varia merita nostra, aut propter suam bonitatem & misericordiam. Proinde in huiusce modi sermonibus translatè de Deo acceptis, oportet intelligere scripturæ sensus secundùm effectus, quos ipse immota, tranquilla, & immutabili sua voluntate in nobis operatur. Irascitur, dum nos punit: Miseretur, dum nobis parcit, dum peccata nobis remittit: Dormit, dum nos relinquit, dum nos dimittit ire secundùm consilia nostra. Expergiscitur, tanquàm à somno excitatus, aut à vino crapulatus, dum iudicio vel misericordiæ suæ, vel iustitiæ erga nos incipit operari. Eadem insuperabilis & omnipotens Dei virtus attingens à fine vsque in finem fortiter, & disponens omnia suauiter dicitur, auris eius omnia percipiens, oculus eius omnia videns, os eius, lingua eius, cor eius, manus eius, digiti eius, vterus eius, quia nihil absconditum est à cognitione eius, nihil alienum est à potestate eius. B C

Genes. 1.

Item quòd ipse in libro Genesis dixerit: Fiat lux, & appellauerit lucem diem, & tenebras noctẽ, & quòd ambulauerat post meridiem in paradiso, & quòd Adæ & Euæ nondum eiectis è paradiso, legitur fecisse tunicas pelliceas. Hæc & id genus alia non sunt accipienda, tanquàm palato, plectro linguæ & dentibus formauerit voces, aut transierit de loco in locum: sed intelligendus est dixisse verbo suo æterno, quando æterna sua voluntate meridie toto dormiuisse dicitur, non quidem sibi, sed primis nostris parentibus, quando scilicet illo permittente, ipsi sunt dimissi in manu consilij sui. Quamobrem non est culpandus Deus, quòd ipso sic dormiente lupus tulerit oues, quandoquidem culpa tota fuit in ipsis, qui Deum suum custodem dormire permiserunt, qui ipsum Deum ne dormiret ipsi excitare debuerant, quemadmodum & per prophetam dicit spiritus sanctus. Qui reminiscimini Deum ne taceatis, neque detis silentium illi, non quòd

Isaiæ 62.c

Deus posset ab hominibus pati vllum quietis suæ impedimentum, sed quòd ipse rogari vult ab hominibus, vult quæri & amari, non propter suam, sed propter hominum vtilitatem. Quòd fecit primis parentibus pelliceas tunicas, intelligendum est secundùm modum quendam, non quem rident praui & increduli homines, sed quem flere debent ipsi tunicati. Deus etenim nõ tanquàm sutor aut pellifex impensa artis opera, detractis animantium mortuorũ pellibus tunicas fecit pelliceas, fecit tamen dum vindicans ipsorum peccatum, faciendi necessitatem illis imposuit, volens tam misera esse illorũ corpora, quæ sine tunicis durare non possent, quibus non solùm tegi propter turpitudinem, sed etiam calefieri opus esset propter infirmitatem. Stultis igitur interrogantibus, qualiter vel quo operante pelles ab animalibus detracti sunt, respondendum est, qui ex nihilo omnia condidit, quomodo & qualiter sibi placuit hoc fecit. Sicut Adam præter necessitates

D

animæ

CAP. IIII.

A animæ in geminam lapsus est miseriam corporalem, in necessitatem scilicet quærendi victum, & in necessitatẽ quærendi vestitum: ita & Deus illis duo præuidit solatia, docens quærere panem in sudore, colendo terrã, & vestitum mentis opera. Deinde non solùm ipsa diuina locutio & indignatio, ira, & deambulatio translatè sunt accipienda, sed & nomina rerum, quibus ipse significatur aut loqui, aut irasci, aut indignari, sunt translatè intelligẽda. Veluti cùm ipse dicitur loqui, irasci montibus, collibus, fluminibus, aquis, aut conterere aut conturbare illos, non rebus ipsis inanimatis, sed hominibus designatis per nomina translatè accepta aut loqui aut irasci intelligitur. Quod Abacuc propheta semel interrogauit: Nun quid in fluminibus iratus es Domine, aut in mari indignatio tua? hoc in cæteris quoq; similibus interrogari potest. Nunquid in leopardis, aut vrsis, aut in montibus, aut collibus, aut arboribus irasceris Domine? Nunquid de illis cura est tibi? Abacuc.3.b

B Quemadmodum Paulus interpretans verbum legis, per bouem intelligit verbi Dei prædicatorem: Nunquid de bobus (inquit) cura est Deo? Quemadmodum autem membra corporis humani, & eorum officia translatè attribuuntur Deo. Ita & translatè attribuuntur rationali animæ, quæ intus suas legitur habere aures oculos, labia, nares, linguam, ventrem & ossa: quæ & prętet actus, qui foris sunt legitur etiam habere intus omnium membrorum officia & priuationes: vt esse surdum, cæcum & mutum. Christus cùm dicit: Si oculus tuus fuerit simplex. aut Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Non de corporali oculo, sed de oculo animæ locutus est. Tanquàm dicat, vt quid iudicas aut consideras festucam esse maculam in intentione fratris tui operantis, trabem autem seu grande peccatum non consideras in oculo animæ tuæ. Præter cæcitatem & surditatem eam, quæ foris est in corpore, est & cæcitas ac surditas

1.Cor.9.d

Trãslatę locutiones de asa rationali.

Luc.11.e Matth.7.a Luc.6.f

C quædam animæ: & hæc quidem omnia interdum in bonam, interdum in malam partem reperiuntur accepta. Cæcitas animæ bona est, quæ priuat visum in anima superbum. Cæcitas mala est, quæ priuat visum bonum & humilem. Visus superbus erat, quo Iudæi arrogabant se rectè videre & sapere, & habere lumen verę scientiæ legis & prophetarum. Bona est cæcitas, quæ superbum talem priuat in anima visum. Visus animæ bonus & humilis, est recta cognitio sui, qua quis videt tenebras peccatorum suorum, propriam miseriam & captiuatem. De bona quadam cæcitate inquit Christus ad Iudæos: Si cæci essetis, peccatum non haberetis. Nunc autem quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet. Ego (inquit) in iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vidẽt cęci fiant. Vnde superbia inflati Iudæi dicebant: Nunquid & nos cæci sumus? Quibus Christus dixit: Si cæci essetis, &c. Tanquàm dicat: Si essetis cæci cęcitate oppositа visioni vestræ superbæ, peccatum non haberetis, quia cognoscеretis infirmitatem, captiuitatem, & miseriã vestram, quæreretis animarum vestrarum medicum. Nunc autem quia dicitis vos habere veræ salutis vestræ lumen, peccatum vestrũ manet. Sic & in cæteris sensibus bene intus surdi sunt, qui non præbent mentem ad audiendum suasiones diaboli. Bene muti, qui non dant mentem suam ad loquendum verba maliciæ. Vnde orat propheta: Muta fiant labia dolosa. Quarta sententia: Omnis scripturæ sermo metaphoricè est accipiendus, qui vaticinatur in corporalibus rebus, de magnificentia terrenæ Hierusalẽ, quòd videlicet ipsa sit instauranda & ædificanda in delicijs, saphyris, & futura tanquàm omnium regnorum & gentium domina, ad quam sint ascensuri omnium gẽtium populi, veluti quod dicit Propheta: Diligit dominus portas Syõ super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Super omnes ciuitates Iacob seu Iudæ diligit Dominus portas Syõ. nõ illas terrenas, quas videmus corruisse, sed portas Syõ, apostolos videlicet & eorum doctrinas euãgelicas, quibus patet ingressus in spiritualem

Gemina animæ cæcitas.

Iohan.9.g

Eodem.

Psalm.30.a

Tropicæ locutiones de Hierusalem.

Psalm.26.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Syon.i.in ecclesiam fideliũ seu credentiũ. Legamus Apocalypsim Ioan.cap.21.& Isaiam ca.lxij. Vbi ædificatur ciuitas Hierusalem. Et duodecim portę eius dicuntur esse de lapidibus preciosis constructæ,& ipsa ciuitas de cœlo descendit. Et dicuntur muri eius aurei, & dicuntur plateæ stratæ smaragdo. Nunquid Dominus Deus voluit nos carnaliter hæc aut diligere aut considerare? qui prohibet nos ab omni auaritia,vt ipsum solũ diligamus, illum speremus & desideremus tanq̃ præmium nostrum. Diligit ergo Dominus portas illius Syon,quæ est ecclesia, super montẽ Christũ fundata, in quã quis ingreditur per 12. apostolorũ doctrinas euangelicas,quas doctrinas diligit Dominus super omnia veteris testamẽti vmbras & figuras. Vnde Syon & Hierusalem quatuor modis,inquit Hieronym.accipi.Vno iuxta Iudæos, quam plangit Christus, dicens: Hierusalem,Hierusalem quæ occidis prophetas. & alibi: Cùm videris ab exercitu circundari Hierusalem. Hæc iam facta est habitaculum infidelium,cubile draconum,Sodoma & Ægyptus,plena sanguine Christi & prophetarum: quemadmodum olim de illa prædixerunt prophetæ. Secundò vocatur cõgregatio sanctorum,qui in virtutum specula sunt constituti,de qua dicitur: Fundamenta eius in montibus sanctis,diligit Dominus portas Syon. Fundamenta eius,scilicet spiritualis ciuitatis Syon,sunt patriarchæ, prophetæ,& apostoli,fundati super lapides precioſos: patrem,filium & spiritum sanctum. Tertiò appellatur Hierusalem triumphans ecclesia,quę sursum est Hierusalem, mater omnium. Quartò appellatur Hierusalem conficta, quam Iudæi carnaliter expectant futuram,quę nusquam est nec erit vnquàm.Proinde in lege, in psalmis, & in prophetis, cùm prænũciantur gentes ab extremis terrę ascẽdere, accedere, properare, aduolare, currere,aut venire ad montem sanctum Syon aut ad Hierusalem,aut ad domum Dei, hæc non sunt accipienda neq; de Hierusalem terrena, aut de monte aliquo in Iudæa, aut de domo, templo, ciuitate corporali neq; de cursu,fluxu, aut etiam corporali motu ad vnum aliquem locũ secundùm præsentiam corporum,sed de cursu seu fluxu spirituali, qui fit mutatione cordiũ in vnam sanctæ ecclesiæ societatem, in Hierusalem & monte Syon designatam, in quam cùm intrat gentium multitudo, adorat de loco suo Christum verum Deum Iudæorum,in spiritu,in veritate,non in monte Syon terreno, non in Hierusalem terrena,sed in ciuitate Hierusalem,id est,in vnione ciuium cœlestis Hierusalem,& in societate fidelium, posita in omni gente & loco,quemadmodum & ipse Deus promisit olim: Ponam (inquit) Hierusalem in omnibus gentibus, & adorabunt eum vnusquisq; de loco suo omnes insulæ gentium. Vnde cùm inquit, Quis dabit ex Syon salutare Israel? significantur ait: Ex Syon,vt ostendat nõ aliud illis aut illis hominibus dandum esse salutare, nisi Iesum ex Syon visibilem,apparentẽ in carne,non aliam legem,nisi eam, quæ in Syon data,in omnes gentes promulgata. Secundùm hanc regulam interprætãdæ sunt scripturæ multæ. Ad Hierusalẽ dicitur: Ad te omnes gentes venient,hoc est,omnes gentes de loco suo credent & adiungẽtur cum Deo Abrahã & cum ecclesia tua,quę significatur in Hierusalem. Super omnẽ terram erit gloria tua. Notũ fecit Dominus salutare suum. In conspectu gentiũ reuelauit iustitiam suam. viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.Isaiæ 49. Ecce ego leuabo manus meas ad gentes, & ad populos exaltabo signum meum.scilicet Christum crucifixum.& afferet filios tuos vlnis,& filias tuas super humeros portabunt. Dicetis, Angustus est locus meus,& consolabitur Dominus Syon,& consolabitur omnes ruinas eius.Quemadmodum autem ascẽsiones, gressus,seu accessus ad Deum,intelliguntur non carnaliter,non secundùm literam, sed spiritualiter: sic & pedes, & pennæ,& alæ, ac scalæ, quibus propinquamus Deo, non corporaliter, sed secundùm spiritualem quendam sensum sunt accipienda.verùm in corporalibus rebus aliud sunt pedes,aliud scalę,aliud pẽne.

Hierusalem accipi quatuor modis, iuxta Hierony.
Marc.13.c Luc.21.d
Psal.86.a
Gal.4.d
Sopho.3.
Psal 51.b
Psalm.97.a
Isaiæ.49.f
Animę pedes, pennæ, scalæ &c.

A B C D

Intus

A Intus autẽ non oportet sic pedes & pennas & scalas mysticas distinguere. Sufficiat scire & pedes, & pennas, & scalas istas esse affectus, aut bona desideria & virtutes desuper acceptas,quibus alacres sumus & ascendimus, & ambulamus, transeuntes non locorum spacia, sed carnis & mundi blandimenta seu desideria. Et quemadmodum ascensum ipsum,& ea quibus ascẽdimus oportet spiritualiter intelligere, Ita oportet & ea quibus ascendimus, & illa insuper per quæ ascendimus,& ad quæ ascendimus non carnaliter, sed spiritualiter accipere. Tanto plus ascendis,quanto plus contemnens terrena Deum amaueris. Sic & diuersi generis vehicula non carnaliter, sed mysticè sunt accipienda, de quibus Isaiæ vltimo dicitur de legatis ad gentes tunc mittendis, qui de cunctis gentibus fratres adducent donum Domino in equis & in quadrigis, & in lecticis, in mulis, in carrucis ad montem sanctum Hierusalem: hæc enim vehicula sunt diuersa apostolorum discipulorumq;

Isaiæ.66.g

B Christi ministeria. Quinta sententia: In doctrinis prophetarũ,semen Abrahæ aut Israel,aut filij Israel & filij Iacob, non secundùm carnalem generationem sunt accipienda, Neque Item loca Syon,Hierusalem,domus Israel,sunt intelligenda in sola Iudæa, tanquàm soli ex illis patribus propagati designarentur in semine & in filios,& tanq̃ hi soli aut habitãtes,aut habitaturi in terrena Hierusalem,aut essent subiecti & subijciendi filijs Israel illic habitantibus,aut essent accepturi promissũ Christi regnum: sed accipienda sunt omnia spiritualiter, vt intelligantur esse filij Abrahæ, filij Israel, qui fidem habent qualem in Christum habuit Abraham, cui Deus ait: Faciam semen tuum sicut puluerem in littore maris. Sic Paulus interpretatur semen,citans ex libro Gen. scripturam hoc ipsum testificantem,vbi Deus ad illum loquitur: Patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti: De huiusce modi filijs est Isaiæ vaticinium: Filij tui de longè veniẽt,& filiæ

Qui dicuntur verum semen Abrahæ, & veri Israelitæ.
Genes.22.e
Roma.4.e

C tuæ de latere surgent.Ex apostolicis scripturis manifestissimum est, filios Israel & semen Abrahæ esse, qui fidem Abrahæ & Iacob habent, & illorum opera ex fide imitantur. Veruntamen & ex circumstantia scripturæ est huiusce modi seminis & filiorum acceptio consideranda. Nam & plerisque in locis scripturæ,etiam vbi de regno Christi sit sermo,semen Abrahæ aut filij Israel,vel Dauid,nõ sic mysticè sed & propriè pro filijs secundùm carnem sunt accipienda. Ipsi enim Abrahæ, ipsique Israeli, & ipsi Dauid promissum est regnũ Christi futurum esse ex semine illorum secundùm carnem: gentibus autem hoc regnum non sic promissum est, tametsi de illis sit prænunciatum, idipsum regnum ad ipsos esse deriuandum ex Dei misericordia, Quemadmodum ait apostolus Paulus: Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatẽ Dei,ad cõfirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum, Veritas olim Iudæis promissa de Christo dãdo,iam est exoluta,& prophetia de regno Christi in

Isaiæ.60.a
Christi regnũ solis Iudæis esse promissum
Rom.15.b

D gentes transituro est adimpleta:quod licet olim fuerit de gentibus prænunciatum non sic tamen fuit gentibus iureiurando promissum: vtriq; tamen tam & gentium quàm Iudæorum populo regnum Christi misericorditer datur, quia ipsis Iudæis & idipsum regnum ex misericordia promittitur,& fides qua participes efficiãtur regni illius, gratis exhibetur. Et hæc est misericordia & veritas in scripturis sacris Deo attributa, de quibus suprà latius. Sic & domus Dei in scripturis prophetarũ interdum localiter aut materialiter est accipienda, pro templo in Hierusalem, interdum pro ecclesia, quæ olim prænunciabatur dilatanda esse in omni gente: de qua locutus est Isaias propheta: Domus mea, domus orationis vocabitur in omnibus populis.apertè significans domum hanc non in Iudæa solùm,sed in omnibus gentibus esse prænunciatam: quæ domus Dei est ecclesia sancta catholica id est, societas Christianorũ, vinculo fidei & charitatis in vniuerso mundo vnita quæ non peribit vnquam: sed ex hac vita commigrans mutabitur in melius, in

Isaiæ.56.c

cœlestem

Universidad de Deusto
Biblioteca

cœlestem Syon & Hierusalé, de qua Iohelis vltimo: Iudæa in æternũ habitabitur & Hierusalem in generatione & generationem. Vnde & Isaias cap. 40. Ab Hierusalem sancta, quæ militat in terris, sermonem incipit, finiens illum in Hierusalem sanctam. quæ militat in cœlis. Neque potest vlla esse excusatio carnali Iudæorum populo, scripturas legis & prophetarum in huiuscemodi locutionibus tropicis carnaliter interpretanti. Nam & huiuscemodi locutiones non carnaliter, sed secundùm hunc sensum mysticum esse accipiendas, demonstrari potest ex innumeris locis scripturæ veteris legis. Vnde Isaię 11. Spiritus sanctus ex ore prophetæ tradens ortum Messiæ tunc futuri, natiuitatem, conuersationem, & conditionem regni eius in hoc mundo vaticinatus est, quòd ipse nasceretur ex radice Iesse, & quòd super eum requiesceret spiritus Domini septiformis, & quòd argueret populum in æquitate. & esset percussurus terrã virga oris sui, & interfecturus impios spiritu labiorum suorum, & quòd lupus habitaret cum agno, & pardus cum hœdo, & quòd vitulus leo, & ouis simul morarentur, & quòd puer paruulus minaret eos, & quòd neq; nocerent, neq; occiderent in vniuerso monte. Deinde & quòd terra foret repleta scientia Domini, & quòd gentes in die illa essent deprecaturi illum, qui progenitus ex radice Iesse staret in signum populorum, & quòd sepulchrũ eius esset glorioſum, & quòd in illa die Dominus secũdo adijceret manum suam ad possidendũ residuum populi sui, quod relictũ esset ab Assyrijs, & ab Ægypto, & ab Phetro, ab Æthiopia, & quòd leuaret signum istud in nationes, & quòd congregaret profugos Israel, & quòd dispersos Israel colligeret à quatuor plagis terræ. Quòd autem non de cõgregatione vlla futura ex hac dispersione, in qua sunt nunc Iudæi, stultè expectantes futurã congregationẽ in terrena Hierusalé propheta loquatur, manifestũ est ex diuersis scripturæ locis, quibus intimatur hęc dispersio & captiuitas seu electio extra Iudæam esse ęterna, & vsq; in seculi cõsummationem duratura, multis prophetis id ipsum significantibus, & Domino nostro Iesu ante 40. annos priusquàm fieret, id ipsum prędicente ipsis. Manifestę sunt de hoc prophetarum scripturę, docentes sępem à vinea, id est, à Iudęorum synagoga auferendam, & populũ illum nolentem recipere Christum esse execrandum, propterea φ abijcerent legem Domini, & quòd eloquiũ sancti Israel blasphemarẽt. In his omnib⁹ scripturæ locis, ipse sententiarũ contextus planè intimat, quòd ipse Christus non cruentis gladijs aut hastis, sed virga oris sui, hoc est, verbo euãgelico ab ore suo tradito interficeret impios, & quòd tota terra repleta esset scientia Domini: adeò, vt etiã ipsi gentes deprecarentur ipsum, vnusquisq; de loco suo: & φ lupi atq; leones, id est, feroces & crudeles, sanguinarij persecutores mansuescent aggregantes se ouibus seu filijs Dei Abraham in vnitatem fidei, sperantes benedictionem per semen Abrahæ promissum. in quo benedicerentur omnes gentes, & quòd in die illo, postq̃ scilicet sepulchrum eius esset glorioſum, Dominus rursus apponeret manũ auxilij sui ad possidendum filios Israel ex diuersis captiuitatibus dispersos in nationes multas, & quòd ad hoc perficiendũ leuaret signũ illud in nationes, & quòd ex filijs Israel credentes volarẽt in humeros Philistym per mare, celeri cursu omnem terrã perambulantes, & quòd prædarentur, id est, ex faucibus diaboli eriperẽt filios orientis, ac eos facerẽt esse sub Christo, spolia sancta & libera, & φ in die illa ecclesia caneret: Confitebor tibi Domine, quoniam mihi, qui iram merui, conuersus est furor tuus in misericordiã, & cõsolatus es me. Ecce Deus saluator meus. & quòd in die illa diceretur ecclesię: Haurietis nunc aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Cãtate Domino, quoniã magnifica fecit: annũciate hoc in vniuersa terra. In eo quòd de radice Iesse, quę stat in signũ Populo, quã & gẽtes deprecabuntur, dicitur: Et erit sepulchrũ eius glorioſum. planè intimatur tam mors illius. quam regnũ eius post mortem: & quod ex tunc cùm videlicet factum fuerit

Carnalis Iudęorũ error de Christo inexcusabilis.

Isaiæ. 11. a
Isaię. 11.

A
B
C
D

fuerit sepulchrum eius glorioſum, hoc est, post resurrectionem suam Dominus leuabit signum illud, hoc est, ipsum Christum crucifixum in nationes. Eleuatio signi est prædicatio Christi crucifixi, quæ iam olim posita est procul in omnibus nationibus. Ex his ergo consideratis iam aperta est via ad intelligendum scripturas de ecclesia sermonem facientes, aut de monte Syon, aut de Hierusalem, & de domo Domini ædificanda nunquam interitura, ad quam gentes cõuolarent, de qua pronunciatum fuerat, quòd in illa grandis futura esset gloria, & de Dauid rege suscitando vt pastore vero, & de regno illius futuro, & de solio illius sempiterno, & de seruo Dei Iacob, & de semine Abrahæ aut Israel. Sub his etenim nominibus scriptura sacra designat ecclesiam, quæ primùm de semine Abrahæ & de populo Iudaico congregata, & multis annis sterilis in pariendo gentes permanens, tandem creuit in gentem magnam, transmittens fidei lumen per apostolos in omnem terram. Proinde & Deus in eisdem scripturis loquens ad populum suum sub his vocibus Syon aut Hierusalem: Seruus meus Iacob, aut seruus meus Abraham, aut filij Israel, aut semen Abrahę, intelligit non vnam quandam rem aut ciuitatem, non vnam personam, sed ipsam congregationem, hoc est, ipsam ecclesiam: veluti cùm dicitur Isaiæ 41. Et te serue meus, quem elegi, semen Abrahæ amici mei, ne timeas quoniam ego tecum sum: ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant aduersus te: peribunt omnes, qui contradicunt tibi. Et Isaiæ 44. Audi Iacob serue meus, & Israel, quem elegi, noli timere: Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedicam stirpem tuam. Et Isaiæ 45. Israel saluatus est in Domino salute sempiterna. Non dixi semini Iacob frustra: Quærite me, in Domino iustificabitur & laudabitur omne semen Israel, consolabitur Dominus Syon, & consolabitur omnes ruinas eius. Et Isaiæ. 40. Surgite illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum. Ecce tenebrę operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus. Filij tui de longè venient, tunc videbis & afflues, & dices: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & sicut columbæ ad fenestras suas? tunc aperientur portæ &c. Hæc carnales Iudæi in hodiernum vsque diem arbitrantur ad se dicta & sibi promissa, & suo tempore adimplenda, seque ex hac dispersione, in qua nunc sunt liberandos tandem in terrenam Hierusalem auream atque gemmatam: non aduertentes mysticam ciuitatem Syon & Hierusalem in omni gẽte & loco positam esse. Populus gentium incipit esse semen Abrahæ, quando incipit se iungere cum semine Abrahæ, quod est Christus, in quo solo data est gentibus benedictio: populus gentium incipit esse in Syon, quando incipit Credere in Christum, & iungere se ecclesiæ apostolorũ credentium: incipit esse Hierusalem, aut in Hierusalem, quando incipit esse in visione quadam veræ pacis eternæ, & iungere se ecclesiæ Christi, quæ à Hierusalem cœpit. Sexta sententia: Ex superioribus manifestum est, quòd scripturæ plerunq; videntur lectori obscuræ, dum non satis considerat & attendit ecclesiam, quæ est congregatio multorum, frequenter intimari vt vnam quandam personam, cui plerunque diuersa & varia, imò & contraria interdum atque pugnantia tribuuntur propter diuersa illius membra, propter diuersas illius ætates, propter quorum varietatem nunc intimatur vt sponsus, nunc vt sponsa, nunc vt soror Christi propter natiuitatem ex eodem parente Adã, nunc vt paruula nondum habens vbera, vtriusq; scilicet testamenti, quibus lactet gentes. Et ita adhuc mons paruus, nunc arbor magna & mons pinguis, mons decem milibus multiplex, nunc vt sterilis cupiens parere in gentium nationibus, nunc vt fœcunda in multis filijs, nunc vt adhuc in nocte atque in hyeme & sub imbribus degens, videlicet adhuc sub frigore, rigore, & obscuritate veteris legis, nunc vt delectata in diebus vernis, cùm flores apparẽt, & vox turturis auditur, & vineæ florentes odorem suum spirant, qualis fuit apostolorum temporibus, iam inter

Isaiæ. 60. a

Quamobrem scripturæ variè loquantur de Ecclesia.

gentes

Universidad de Deusto
Biblioteca

gentes versantium : nunc vt ascendens per desertum, vt virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris,& vniuersi pulueris pigmentarij: nunc tanquam amica,electa,quę progreditur quasi aurora,pulchra vt luna,electa vt sol,terribilis vt castrorum acies ordinata:nunc sicut dilecta ascendens de deserto,delicijs affluẽs,innixa super dilectum suum,suscitata sub arbore malo.id est.sub ligno crucis, suscitata à morte in æterne salutis vitam , sub qua etiam arbore corrupta intimatur mater ipsius,& violata genitrix eius. Ex huiuscemodi locutionibus sic trãslatè significantibus,non modò ducitur intellectus in mysticarum rerum cognitionem,sed & in earundem rerum amorem vehementius trahitur affectus ex corporalibus rebus excitatus,quàm si nudæ & apertę res illæ dicerentur . Proinde in omnibus tropis oportet considerare naturas rerum, tanquàm vestigia quædam diuinitatis . Loquitur Christus ad sponsam : Sub arbore malo suscitaui te,vbi corrupta est mater tua,vbi violata est genitrix tua. Pone me vt signaculum super cor tuum,vt signaculum super brachium tuum . Sermo iste sic translatè significãs Deum fecisse eximiam illam suscitationem generis humani, sub arbore crucis,vim habet quãdam excitandi affectum, si consideretur natura speciosæ arboris, quæ vocatur malus, quæ fragrantissima quidem est & pulcherrima fronde, flore, germine : & ex illa intelligamus arborem illam crucis,inter omnes vnam illam nobilem,decoram & fulgidam,in qua pependit pomum illud benedictum,fructus Mariæ virginis. Sub hac arbore Christus ecclesiam suam suscitauit à morte æterna in vitam sempiternam . Sub hac etiam arbore corrupta est & extincta Iudæorum synagoga mater ecclesiæ,dum illic simul & lex Moysi fit crucifixa ac mortua , & perdita Iudæorũ synagoga,crucifigens Christum saluatorem suum, Sub arbore etiam , quæ visu erat delectabilis,in paradiso terrestri corrupta & violata est mater nostra Eua,quę illic deuians à Deo, vero suo sponso,adhæsit diabolo . Sic & in cæteris locutionibus tropologicis faciendum est. Vnde sciendum est, quòd vniuersa sapientum tam Hebræorum, quàm Christianorũ schola, interpretatur hunc dilectũ aut spõsum in lib.Cant. ad literam esse non Salomonem, sed Deum : sponsam verò seu electã amicam esse , non vxorem Salomonis, sed plebem Israel , præ cæteris nationibus electam à Deo consideratam secundùm diuersa ipsius tempora . Verùm hic operæprecium est aduertere, quòd quæ sub tropis & metaphoris,aut etiam apertè de magnificentia,decore, pulchritudine, & sanctitate ecclesiæ in sacris literis dicuntur , ea omnia non absurdè in vniuersis ecclesijs per vniuersum orbem , gloriosæ dominæ virgini attribuuntur : propterea quòd inter omnia ecclesiæ membra sit excellentissima,cui totum est collatum quicquid gratię cęteris membris per partes est distributum. Ipsa est virgo primùm sterilis,deinde & mater fœcunda pariens filium,in quo benedicuntur omnes gentes . Ipsa est, per quam ecclesia habuit, quicquid boni habuit, dum ipsa virginitatis gloria permanente , huic mundo in tenebris sedenti lumen æternum effudit . Ipsa est vitæ genitrix,mater salutis nostræ,mater misericordiæ, quippe quæ ædidit nobis Christum, qui est vita nostra, salus nostra,& misericordia & iustitia nostra. Ipsa est,propter quam solam ad ecclesiam in hac vita olim dictum est: Ecce tu pulchra es amica mea,& macula non est in te. Ipsa sola mulier est plena gratiarum , & inter omnes mulieres benedicta, & gratiæ inuentrix, angelo attestante : Aue gratia plena , Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, inuenisti gratiam apud Deum, Ipsa inuenit gratiam,quam olim per mulierem Eoam perdidit humanum genus. Eua dedit nobis pomum de ligno mortis,comedimus,& facti sumus mortui omnes. Maria dedit nobis fructum de radice Iesse, fructum ventris sui Iesum : comedimus , & factum est dulce super mel ori nostro . Maria inuenit gratiam , non quia ipsa est gratiæ in humano genere reparatrix,sed quia est eius,qui gratiã humano generi reparauit , genitrix benedicta

In tropis naturas rerum accipiendas vt vestigium diuinitatis. Cant.8.b

Tropicè de ecclesia prædicta rectè applicati virgini Mariæ.

Cant.4.b

Luc.1.a

CAP. IIII.

benedicta est plus quàm mulieres cęterę Maria , benedictus est & fructus ventris eius. Verùm non quia ipsa benedicta , ideo benedictus est fructus ventris sui : sed quia ille fructus benedictus eam præuenit in benedictionibus , ideo ipsa benedicta. Ipsa ergo quia mater est eius à quo venit,& in se, & in cęteros omnes benedictio . Hinc sancti patres non horruerunt appellare illam mediatricem nostram, non quæ nos Deo patri reconciliauerit & redemerit , scientes vnum solũ mediatorem Iesum , per quem ipsa Maria filia Adæ fuit à peccato libera, sanctificata , & Deo patri reconciliata : sed talem, per quam salus venit in mundũ, per quam descendit gratia & misericordia in vniuersum genus humanum, per quã gratia habuit ad nos accessum, quæ & assidua est aduocata nostra apud filium suum Iesum, qui vnus est aduocatus apud Deum patrem.Hinc ergo factum est,vt antiquus Ecclesiæ ritus in honorẽ huius glorioſæ dominæ recitat, canit , & prædicat scripturas,quas secundũ literalẽ sensum ipsa sacræ scripturæ series indicat esse dictas de tota Ecclesia Christi.Neq; negandum est etiam spiritum sanctum de hac locutum esse,cùm appellat arcam sanctificationis , tabernaculũ Dei, domũ Dei, ciuitatem Dei hortum cõclusum,vnicã Dei amicam,sponsam,columbã,electam: quæ consurgens,quasi aurora ascendit per desertũ ficut virgula fumi cũ aromatibus myrrhæ & thuris delicijs affluens.De qua in Genes.ad serpentem loquitur Deus : Inimicitias ponam inter te & inter mulierem , inter semen tuũ & semen illius,& ipsa conteret caput tuũ . Codices quidam, qui secundũ Hebraicam veritatẽ dicuntur correcti,habent in neutro genere,ipsum,scilicet mulieris semen,vtpote Christus, conteret caput tuũ. Sed hic sciendum, quòd etsi solus Christus serpentis caput contriuerit pro vniuerso genere humano,tamen & ipsa mulier mater Christi huius sui seminis benedictione prœuenta,suo quodã modo contriuit caput illius.Eua de latere Adæ formata, iuxta Apostolum Paulum typus est Ecclesiæ: quæ & sponsa est & mater illa,inter quam & serpentem iuges sunt inimicitiæ . Huius serpentis caput , tametsi omnis Ecclesiæ mẽbra per gratiam Iesu cõterant,ipsa tamẽ virgo peculiari quadã ratione præ cæteris dicitur caput serpentis cõtriuisse : quippe quę peperit nobis illũ,qui pro nobis omnibus serpentẽ illũ vicit,contriuit & eiecit : per quẽ & ipsa virgo fuit ab omni cõtagione serpentis libera. Amplius aũt & in honorẽ glorioſæ virginis, per vniuersum orbẽ Ecclesiæ canunt ea,quæ in Psalmis,Prouerb.& in Ecclesiastico leguntur de ęterna Dei patris sapientia,vtpote de Iesu ipsius filio : siquidẽ ea quę Christo sunt propria , sunt participatione quadam communia Ecclesię, & huic glorioſę dominę, quę eiusdem Ecclesię constituta est mater & regina. Quod in Psal.44.dicitur: Specie tua & pulchritudine tua intẽde prosperè,procede,& regna. secundũ literalem sensum est sermo Dei loquentis ad Christũ filium suum, quatenus ex huius glorioſę virginis thalamo tunc processurus erat in mundum,ad pugnandum cõtra diabolum . In sequenti Psalm.quod dicitur : Fluminis impetus lętificat ciuitatẽ Dei, sanctificauit tabernaculũ suum altissimus . Adiuuabit eam Deus vultu suo, Deus in medio eius non cõmouebitur. Secundũ literã de Ecclesia intelligitur, quę est ciuitas impetu fluminis spiritꝰ sancti lętificata, & tabernaculũ sanctificatum,in cuius medio Deus manet immotus, tanq̃ fundamentũ stabile,cui & Deus est auxiliatus mane,& in sui ortus principio. Dum hęc oĩa cõpetant Ecclesię secundũ illius mẽbra , maximè tamen cõpetunt Ecclesię secundũ nobilissimũ eius membrũ,quod post Christũ est,beata virgo Maria,quę est tanquã ciuitas & domus Dei , super omnes eiusdem ciuitatis ciues lętificata & sanctificata, & auxiliata mane, ab initio conceptionis suę , Insuper quę Eccle.24. sapientia de semetipsa loquitur : In Syon firmata sum,& in ciuitate sanctificata, similiter requieui , & in Hierusalem potestas mea , & radificaui in populo honorificato,& reliqua illic recitata . Hæc omnia loquitur filius Dei sapientia,

Mariam nostram esse mediatricem.

Gene.3.

Ephes.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ est mater pulchræ dilectionis, id est, casti amoris, quæ ex ore altissimi Dei patris prodiens in Syon, in Hierusalē, in hæreditate Domini, hoc est in Ecclesia moratur, & tanquàm vitis fructificat, largiens cunctis ecclesiæ membris sanctorū virtutum suauitatē, in qua est omnis spes vitæ & virtutis: quę licet sit increata secundùm diuinitatem, secundū carnem tamen ipsa est creata, nobis sapientia, sanctificatio & iustitia: transiens in hūc mundū per gloriosam dominā nostram Mariam. Quamobrem & ex illis scripturis, quibus prædicatur Dei filius factus esse homo, suum sortitur honorem virgo beata, quæ talē ædidit filiū ipsi Syon, ipsi Iacob, ipsi Ecclesiæ. Et ideo in omnibus huius virginis sacris solemnijs hæc canit in Ecclesijs vniuersus populus Christianus. Neq; hic Ecclesia honorem minuit filij, neq; spem ponit in homine, sed apud iudicē cupit fautricē & aduocatā habere eam, quę mater est largitoris gratiæ. Talem fiduciam de illa habuit Ecclesia Christi semper. In ventis tentationū, in superbiæ vndis, in cōcussione ad iracundiam, ad carnis illecebram, respice (inquit Bernard.) stellam, voca Mariā, quæ est huius maris procellosi stella. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariā cogita, Mariā inuoca, non recedat ab ore tuo, non recedat à corde tuo, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplū. Ipsam cogitans nō erras, ipsam rogans non desperas, ipsa tenēte non corruis. Hæc Bernar. Sed de his & inuocatione sanctorum in libro sequenti latius. Ad id vnde digressi sumus reuertamur, de locutionibus scripturę sacrę tropologicis. Quemadmodū in omnib⁹ scripturę locis obseruare oportet, ne locutionē translatè significantē accipiamus secundū literā: ita in eisdē oportet obseruare, ne locutionē aut vocē nō translatè, sed propriè acceptam intelligamus metaphoricè esse positam. Verbi gratia, Sermonem Christi dicētis: Ego sum vitis vera. nō ad literā, sed metaphoricè esse accipiendū, indicat sermo qui sequitur: Vos autem palmites. Quemadmodū enim Christus illic non significauit Apostolos esse ligneos palmites, ita nec Christus significauit se esse lignea vitē. Cōtrà verò ꝙ dicit Christus, dum accipiēs panē benedictū dixit: Hoc est corpus meum. non metaphoricè est accipiendū intimat particula sequēs: quod pro vobis tradetur. Iam verò si causeris & dicas: Sic poterat Christus verè dicere: Ego sum vitis vera, quæ pro vobis tradetur: sicut & petra illa in deserto fuerat signū Christi, qui nobis se daturus erat in potum. Non oportet igitur ex illa particula: quod vobis tradetur, cōsequens esse, hoc quod Christus tenebat in manibus, esse verū ipsius corpus: cū ad veritatē videatur sufficere, ꝙ panis ille fuerit signū & figura illius. Certè huic obstat interpretatio Pauli arguentis eos, qui panem illum non dijudicabant à cæteris cibis, concludens tales iudicium sibi manducare & bibere, & reos esse corporis & sanguinis Domini. Non sic de aqua illa, quæ exibat à petra in deserto, de qua bibebant pecora & iumēta. Sed de hoc posteà latius. Cæterùm multę sunt locutiones tales & in prophetis. & in euangelijs de regno Christi in genere accipiēdæ tam corporaliter, quàm spiritualiter. Verbi gratia, In prophetis legimus: Ecce Deus noster ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Derelinquetur filia Syon sicut vmbraculum in vinea, & sicut vastitas quæ vastatur. Item Aggæi 2. Adhuc vnum modicum & ego commouebo cœlum & terram, mare & aridam: & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gētibus, & implebo domū istam gloria, dicit Dominus. Hæc omnia non modò spiritualiter, verū & corporaliter sunt sub Christo facta, qui cæcos illuminauit, surdos & claudos atq; leprosos sanauit. Insuper & tempore Christi motum est cœlum, dum tenebræ factæ sunt ab hora sexta vsq; in horā nonam per vniuersam terram: mota est terra, quādo saxa sunt scissa & sepulchrū reseratum: & terrę motus factus est magnus, cùm resurgeret Deus: motum est mare quando

Bernardus de inuocanda virgine Maria homil. 2. super, Missus est.

Iohan. 15. a

Matth. 26.

Hæc verba, Hoc est corpus meum, nō esse tropicè accipienda.

1. Cor. 11. a

Isaiæ. 1. c
Idem 35. c
Idem 35. c
Idem. 1 c

quando draco qui in eo erat est interfectus. Mota est arida, id est, infructuosa gentium solitudo, motæ sunt gentes, quādo in omnem terrā exiuit Apostolorū sonus. Hæc sunt facta corporaliter non modò per Christū in carne mortali in hoc mundo conuersantem, sed & post mortē ipsius per Apostolos & discipulos in nomine illius per vniuersum orbem, & quotidie etiam spiritualiter fiunt, dum in animabus cœlestibus & terrestrib⁹ spiritus sanctus mirabili & ineffabili modo affectiones sanctas operatur. Sic in eo quòd dicitur Isa. 60. ad Ecclesiam: Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorū ministrabunt tibi. Reges (inquit Hiero.) vel carnaliter accipiūtur, vel spiritualiter. Sic carnaliter videmus Cæsares Rom. colla submittere Christi iugo, & coædificare ecclesias expensis publicis. Sic spiritualiter, quicunq; animæ imperio carnis seruitutem subiugant, reges sunt. Hieronym.

Insuper & hic sciendū, quòd aliud est locutionē esse translatè seu metaphoricè significantē, aliud verò locutionē esse per similitudinem seu parabolam dictam. Locutio translatè significat, dum res ipsa sub proprio nomine intimatur, sed sub voce metaphoricè accepta. Locutio verò per similitudinem dicitur, dum res ipsa sub proprio nomine intimatur, & alteri cuidā rei cōparatur seu assimilatur, quātis plerunq; & in ipsa locutione per similitudinē dictæ, multæ voces acceptę sunt translatæ. Prioris generis locutiones absolutè exprimuntur sine aduerbio similitudinis aut comparationis, cuiusmodi sunt: In diebus illis stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel. Suscipiant montes pacem, & colles iustitiā. Tange montes & fumigabunt. Alluxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit & cōmota est terra. Tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, cōmota est & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, commota sunt, quoniam iratus est eis. Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam. Eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Vocem dederunt nubes. Etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui rota. Placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas. Huius generis locutionum in scripturis sacris immensus est campus. Posterioris generis locutiones intimantur sub voce similitudinis, aut cum aduerbio: vt, sicut, quemadmodum. Huius generis sunt: fluet vt ros eloquium meum. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorū. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & tanquàm columbæ ad fenestras? Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. Huius generis sunt & omnes parabolæ euangelij, quibus regnum cœlorum, vel aliud quippiam dicitur esse aut huic, aut alteri simile. Prioris generis locutiones obscuriores sunt, quia in illis non intimatur, quid in voce translatè accepta intelligatur: fierent autem apertiores, si fuerint ad locutiones secundi generis reductę, expressis rebus significatis sub vocibus illis translatè acceptis, intimando videlicet, qui sint montes & colles, quæ coruscationes, quæ terra, quæ syluarum ligna, quæ montium fundamenta, quæ flumina, qui fluctus, quæ voces aquarum multarum, quæ elationes maris, quæ nubes, quæ sagittæ, quod tonitruum in rota, quis vitulus cornua producens & vngulas. Ex superioribus patet plurima hæc nomina in scripturis bifariam accipi, & nunc in rebus bonis, nunc in malis reperiri. Boni montes & colles, sunt cœlestes animi terrenis desiderijs exuti, è quibus stillat suauitas salutaris sapientiæ & doctrinæ. Montes sunt eminentioris virtutis ac sanctitatis ecclesiæ membra. Colles autem sunt membra sanctitatis aut dignitatis inferioris. Bonæ coruscationes, bonaque fulgura, bonæ sagittæ, sunt voces, quæ tonant in nubibus, ad quas peruenit veritas euangelica, quales nubes sunt prophetę & Apostoli, Differūt locutio tropica, & locutio hyperbolica.

Iohel. 3. d
Psalm. 71. a
Psal. 143. b
Psal. 76. d
Psalm. 95. a
Psalm. 92. a
Psalm. 76. a
Deut. 33. a
Psalm. 116. a
Psalm. 41. a
Isaiæ 60. b
Psal. 101. a
Psalm. 38. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæteriq́ue viri, dantes pluuiam cœlestis doctrinæ, qui suis verbis flammantibus seu tonitruis quibusdam concutiunt terram, seu terrena hominum corda ad gemitum, ad pœnitentiam, ad desiderium cœlestis vitæ, de quibus sanè nubibus, inquit Isaias: Qui sunt isti, qui vt nubes volãt: Bona sunt syluarũ ligna olim in oleastro syluestri steriles gentes, iam insita in oliuam bonam. Neq; enim possunt mala esse ligna qualiacunque intelligantur, quæ gaudent à facie Domini. Mala sunt montium fundamenta, quibus irascitur Deus, quæ & dissipat atque humiliat, qualis omnis humani cordis tumor, superbia, elatio, arrogantia in viribus proprijs, & in bonis huius mũdi spes vana & fiducia. Bona flumina sunt Apostoli, qui euntes in vniuersum mundum eleuauerunt vocem suam & fluctus suos, irrigantes arida gentium corda, prædicantes euangeliũ salutis omni creaturæ. Malæ sunt aquæ & malæ elationes maris mirabiles, quæ absorbere flumina bona conantur, quales sunt huius mundi crudeles tyranni, persequentes regnum Domini, qui regnauit in ligno: sed magis mirabilis in altis Dominus, qui contra huiusmodi maris elationes firmauit orbem terræ, id est, Ecclesiam suam supra firmam Petram, vt non deficiat vnquàm. Bona est vox tonitrui euangelici in rota, seu in circuitu orbis terrarum. Vitulus producẽs cornua & vngulas, non potest esse malus, super quem placet Deo. Placet Deo patri super vitulum Christum, qui seipsum obtulit suo genitori producentem cornua, id est, dantem Ecclesiæ fortitudinem & vngulas, quibus sacrilega & terrena populorum corda diuellat & effodiat. Locutiones secundi generis apertiores sunt, propterea quòd illis intimatur res ipsa sub voce translatè accepta, veluti cùm dicitur: In illis diebus super terram fluet vt ros eloquium meum. apertius dicitur quàm si dicatur: In illis diebus super terram fluet ros. quia iam ambigua fit sententia, an ros propriè an translatè accipiatur. Sicut sagittæ acutę in manu potentis, ita filij excussorum. Hic filij excussorum comparantur sagittis acutis. Oratio autem illa: Ita filij excussorum, more Hebraico ponitur pro hac: Ita filij excusi. Hi autem sunt filij destinati & missi à Christo in iuuentute, & tanquàm accincti & expediti ad penetrandum hostium corda, & subijciendum ea Domino suo Christo. Sunt autem interdum loquutiones per similitudinẽ dictæ obscuriores, dum res ipsa, quæ alteri cõparatur non suo nomine, sed alieno translatè accepto significatur, qualis est, quæ in Cant. legitur: Capilli tui sicut greges tonsarũ. Verùm in vtroq; locutionis genere, operæpreciũ est studioso lectori proprietates rerum illarum, secundũ quas fit cõparatio vel translatio considerare, vt in loquutionibus supradictis, naturã aquilæ, quatenus iuuentus eius renouatur: pulli hirundinis, quatenus ad matrem clamant: & naturam columbæ, quatenus gemit & meditatur. Aquila secundùm physicos, illiso (vt inquit Hierony. ad filicem rostro, vetustate nimia aduncato innouatur, & mutatione pennarũ senectus eius reuiresci, & sola est, quæ splendorem solis micantibus oculis potest intueri. Sic peccator alliso ad petram Christum corde suo vetustate incuruato, & in terrenas res suppresso innouatur, assumptis pennis fidei & charitatis, quibus aspiciat in Christum solem iustitiæ, & ascendat in Deum reiectis terrenis huius mundi desiderijs. Huius similitudinis consideratione intelligitur illud verbum propheticũ: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Sic quòd Ezechias rex in ęgritudine inquit: Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba. per similitudinem est accipiendum. Quemadmodum leo conterit prædam, nullam habens misericordiam, sic morbus contriuit omnia ossa mea. Sicut pullus hirundinis, supple clamat ad matrem suam quærens cibũ, sic ego clamabo ad Dominũ Deum, quærens ab eo auxiliũ: & meditabor vt colũba, supple meditatur. Hoc est, quemadmodũ columba ingemiscens meditatur aut sedet, sic ego infirmus ingemiscens, nõ valens præ magnitudine morbi alta voce respirare

A

Isaiæ.60.b

B

C

Pſalm.126.

Filij excuſſorũ

D

Conditio aquilæ.

Pſalm.102.a

Iſaiæ 38.c

A ſpirare, meditabor ad Dominũ Deum meum. Infirmati sunt oculi mei respiciẽtes in excelsum, ergo tu Domine responde pro me, quia vim patior. Hactenus de locutionib⁹ in scriptura sacra trãslatè significantibus. Et quia huiusmodi locutiones sunt accipiendæ secundũ similitudinem quandam inuentam in corporalibus rebus, congruum est huic loco de parabolis in Euangelio positis quædam tradere.

Sequitur secunda pars huius capitis.

QVIA in scripturis nonnulla difficultas est ex parabolis, iam est de his disserendum. Sciendum est ergo, quòd turba, cui locutus est Christus, nõ vnius est sententię, sed diuersarum in singulis est voluntatũ. Ideo loquitur ad illam in multis & diuersis parabolis, vt iuxta voluntates diuersas reciperent disciplinas, & quisq; ex rebus, quæ versantur in corde suo, posset adiuuari ad intelli-

B gentiam cœlestis regni. Hæc omnia (inquit Matth.) locutus est Iesus in parabolis Matth.13.a
ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis. Non dixit, quòd Iesus omnia quæ locutus est, sit locutus in parabolis, sed quòd hæc omnia, quę scilicet illic præmiserat, & id quidẽ ad turbas, & sine parabolis non loquebatur tunc eis, scilicet turbis. nam & alijs temporibus & ad discipulos multa locutus est Iesus sine parabolis, vt patet apud Matth. ex sermone Domini in monte. Parabola in scripturis sacris est Matth.17.a
diuersarum rerum collatio seu comparatio, sic vocata, ꝙ vna res est alteri aut assimilata, aut comparata, quasi præuia veritatis vmbra. Quod enim parabola Græco vocabulo appellatur, hoc latinè similitudo dicitur, quæ est discrepantium rerum Quid sit parabola.
sub aliqua similitudine facta collatio seu comparatio. In scripturis sacris parabolæ sunt, quando scripturę author, id quod in rebus spiritualibus, aut diuinis, aut mysticis intimare voluit, per comparationes aliquas significauit, quas Dei spiritus

C in scripturis ipsis composuit, vt per terrenas similitudines facilius cœlestia capiamus. In omnibus parabolis, siue innitantur argumento per locum à similibus, siue argumento per locum à dissimilibus, res corporales, rebus diuinis de quibus agitur propter similitudinem aliquam comparantur. Ad intelligendum autem vires & significationes parabolarum, id præcipuè in omnibus obseruandum est, vt Docet intelligere parabolas sacræ scripturæ.
diligenter consideremus intentionem, propter quam parabola ipsa est assumpta, scientes non esse necessarium, vt omnes illius partes gerant similitudines earum rerum, propter quas ipsa est composita. Omnis parabola obliquè & figurato modo rerum quarundam naturam manifestat. Et ideo non oportet (inquit Chry- Chrysostom⁹.
sostomus) neque nimia cura in singulis parabolarum verbis anxium esse: neque ea quæ in illis sunt, secundùm totum quod dicitur, inuestigare: neque omnia opera & officia ad imitandum sumere. Sicut in scripturis veteris legis, hi qui typum

D gerunt Christi, vt Iob, Sampson, Dauid, Salomon, non in omnibus, sed in certis quibusdam gestis personam significant Christi saluatoris. Sed cùm id, quod per parabolam author ipse componens intenderit didicerimus, inde vtilitate collecta, & intẽtione propter quam assumpta est intellecta generali quodam modo, eatenus debemus aptare omnia, quatenus conueniant intentioni propositæ, vt finiatur, quæ deinceps super singulis parabolæ particulis fieri posset curiosa inuestigatio. Verbi gratia, in parabola de patrefamilias, qui exijt primo mane con- Parabola de patrefamiliâs, operarios cõducente.
ducere operarios in vineam suam, oportet considerare causam, propter quam dicta est. Præmiserat saluator: Multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Matth.20.a
Et hinc sequitur: Simile enim est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane. Hic ergo regnum cœlorum intellecto secundùm eum, qui regnat, assumitur parabola ad commonstrandum, quòd Deus multis serò conuersis, tardéque pœnitentibus sit daturus aut gratiam, aut mercedem æqualem illi gratiæ seu mercedi, quam daturus est mane venientibus, diutiusque laborantibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

Curiosa inuestigatio vitanda in parabolis.

Et ne ob id Deus existimetur esse iudex iniquus, ita composita est parabola, vt & in huiusce modi dispensatione doceat Deum esse iustum & æquum, figurali exemplo declarans diuinam bonitatem assuisse & adesse omni generi ætatis hominum, ad consequendum regnum cœlorũ, & non esse prima ætate conuersis futuram in die iudicij vllam murmurandi causam contra bonitatem aut iustitiã Dei largientis tantam gratiam, tantamq; gloriam serò pœnitenti, quantam largitus est mane venienti, quia vbi fit vni gratia, non fit alteri iniuria. Et hic est scopus, in quem tendit parabola tota. Proinde ex hac parabola nõ oportet colligere, quòd sicut in hac vita contra patremfamilias murmurant mercenarij primi, videntes nouissimos æqualem mercedem recipere, ita & in die iudicij, primi, qui à prima ætate in senectam vsq; perseuerauerunt murmurabunt, videntes nouissimos recipere mercedem æqualem, cùm contrarium potius inducat saluator, parabolæ author, volens quòd sicut in hoc mundo paterfamilias iusta ratione arguit carnales homines primos, habentes oculum nequam, & docet neq; eos habere causam murmurandi contra nouissimos, neq; se facere iniuriam illis. Ita in vespera id est, in die iudicij Deus reddens æqualia primis & nouissimis præmia, illustraturus est primorum mentes, vt planè videant se non habere iustam rationẽ murmurandi contra voluntatem Dei, æqualiter facientis primis atque nouissimis. Verùm quia sunt expositores, qui in hac parabola per serò, seu vesperam, intelligunt tempus sub aduentum Christi in carnem: sciendum, quòd etiam iusti boniq; Iudæi gratiã Christi ex parte quidẽ, sed non ex toto intelligentes, primũ murmurabant aduersus gẽtes, quòd ex idololatris orti, incircũcisi, à lege Mosaica prorsus alieni, subito admitterentur ad euangelij gratiam, murmurabant quidem, non attendentes ad scripturas propheticas de misericordia Dei erga gentes, donec instruerẽtur, quòd lex Moysi haberet finem in Christo, cuius gratia & in nationes diffunderetur. Vnde & actuum 10. dicitur: Obstupuerunt ex circuncisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia spiritus sancti effusa est. Huius quoque consideratione, etiam ipsi Iudæi in primordijs fidei, habuerũt oculos vtcumq; nequã.

Act 10 g

De tribus parabolis, Lucæ 15.

Sic & in tribus parabolis, quas posuit Lucas cap. 15. videlicet de oue ex centum vna, quæ aberrauerat, & est reducta. Et de drachma ex decem vna quæ fuit perdita, & est inuenta. Et de duobus filijs, inter quos vnus perierat, & reuixit. causas oportet considerare, propter quas fuerant assumptæ, vt intelligamus quare Dominus Christus huiusce modi parabolas proposuerat. Præmiserat autem euangelista scribas & pharisæos murmurasse contra Christum, quòd peccatores & publicanos reciperet, & manducaret cum eis. Christus ergo exemplis, figuris, seu parabolis docuit illos non habuisse super hoc iustam murmurandi causam, sed potius gaudendi & congratulandi, insinuans se vt pium pastorem & veram sapientiam, ac bonum patremfamilias aduenisse in hunc mundum, vt saluaret atque reduceret ouem, quæ perierat, inueniretq; drachmam perditam, & susciperet perditum filium ad cor redeuntem ac resipiscentem, hoc est, vt saluum faceret genus humanum, quod perierat. Totus ergo illarum parabolarum trium contextus aduersus pharisæos obmurmurantes prolatus est, & propter nos positus est, vt in illis discamus nos non debere ægrè ferre susceptionem hominũ peccatorum, sed gratum & acceptum habere si peccatores resipiscant, & recipiantur in gratiam. In huiusce modi parabolis nihil quidem esse frustra aut superuacuè positum, non tamen oportet nos circa singula esse solicitos. Nam si velimus singulas particulas habere suam expositionem exactam, & specialem significationem, volentes inuestigare quid interfit inter hominem vnũ habentẽ centum oues, & inter mulierẽ habentem drachmas decẽ, & patrem habentem duos filios. Quid insuper sibi voluit, vel quòd centũ nominẽtur oues, & non plures: & quòd decem drachmæ, & non

A B C D

non quinq;, & quid significet, quòd in prima parabola cõuocantur amici & vicini, in secunda verò amicæ & vicinæ: & quid in tertia parabola significetur, quòd senior filius fuerit inuidus de beneficio fratris, quòd fuerit cõtristatus, cùm tamen ille filius personam gerat iustorum, beneplacens patri, fruens & bonis illius, ad quem & pater dixit: Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Hæc & huiusce modi, si velimus singula exactè perscrutari, & similia prorsus inuenire in rebus, propter quas assumũtur parabolæ, laboriosa res erit, & nimis forsitan curiosa: cùm sufficiat scire Dominum saluatorem assumpsisse res illas, ad confutandum scribas & pharisæos, murmurantes contra ipsum, quòd peccatores susciperet, & ad persuadendum eisdem per certas & manifestas similitudines, quòd tantæ bonitatis suæ effusionem erga eos, qui perierant, deberent non solum non ægrè ferre, sed lætanter susciperе, & gaudere potius ac gratulari tantæ clementiæ illius, qui vt bonus medicus & diligens pastor, & pius pater venit sanare, inuenire, suscipere quod perierat. Oportet igitur ex nouissima parabola intelligere, non quòd filius senior iustus, murmurando inuideat conuersioni impiorum, sed quòd non habet de hoc iustã murmurandi aut inuidendi causam. Tanquàm dicat: Esto, vos scribæ & pharisæi iusti fitis sicut filius ille carnalis, bene placens patri, non tamen contra me habetis vllam murmurandi rationem, quòd fratres vestros, qui perierant, suscipiam. Deinde & hoc sciendum, quòd in parabolis sunt posita quædam, non vt significent aliquid, sed vt series corporalium rerum constet, iuxta Augustini sententiam dicentis: In parabolis quædam admiscentur, vt expleatur narrationis ordo. Sic præceptum Christi dicentis: Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua. metaphoricè dicitur, pro eo quod est, humanam laudem in ieiunio tuo studeas cõtemnere, vt cùm ieiunas lætum & festiuum te esse monstres. Hic iam si vltrà progrederis, inquirens quidnam per faciẽ Christus intellexerit, quid per vngere, quid per caput, non est quidem improbanda pia, studiosa, & sciendi indagatio, sed tota propositione intellecta in omnibus quę scriptura per se singulatim exposuit, cauenda est curiosa perscrutatio & defensio pertinax, in eo quòd pia quadam ratione inuentum fuerit. Habes autem super hac sententia Christi geminam expositionem apud Bernardum, vbi per caput intelligit aut Christum, quem nostro ieiunio vngimus, dum sic abstinemus à cibis, vt ipse in nostro ieiunio glorificetur tanquam bonus odor: aut nostram mentem, quam vngimus cùm conamur vt ipsa suauiter delectetur in Deo. Item in parabola de decem virginibus considerare oportet principium, ex quo Dominus huiusce modi parabolam induxerit, & finem, in quem concluserit. Vnde præmiserat parabolam de seruo vigilante, ex illa docens & monens, ne nos Dominus inueniat dormientes, & ponat nos cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium, & continuò subiungit: Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus. Propositа autem parabola tota concluſit: Vigilate itaque, quia nescitis diem neq; horam. Non oportet igitur ex hac parabola intelligere, quòd in die iudicij virgines fatuæ, id est, reprobi Christiani, sub vlla spe salutis sunt & paraturi lampades suas, & postulaturi à sapientibus oleum, seu charitatis pinguedinem, & ituri ad emendum, & oraturi Dominũ, dicendo: Domine Domine aperi nobis. quandoquidem etiam reprobi, iuxta Pauli Apostoli doctrinam, in momento, in ictu oculi, corporibus resumptis prorsus relinquentur destituti spe veniæ: sed sufficit ex huiusce modi parabola intelligere, in die iudicij fatuas virgines præ angustia spiritus gementes, & nullum inuenientes auxilium misericordiæ, etiam à bonis prorsus deserendas extra regnum Dei, sublata omni spe veniæ. Vnde aduentus Christi comparatur nocturno furi suffossori domus, non quòd per omnia quadret furis & Christi aduenientis similitudo, sed ad id congruat, quòd vterque &

A B C D

Augustinus

Matth. 6. e

Bernard. sermone 1. in capite ieiunij.

De parab. 10. virginibus.

Matth. 25. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth.18.

Parabola de rege rõnemcũ seruos ponẽte Matth.18.

fur,& Christus adest ea hora,qua non putabatur. Item parabola. Simile est regnũ A
cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. totus scopus
propter quem assumitur est, vt nos contra legem Dei peccantes, si velimus mi-
sericordiam à Deo expectare,demus & veniam conseruis in nos peccãtibus,præ-
sertim si illi veniam ante nos procidentes petant, sicut & Deus misericors est no-
bis suppliciter rogantibus. Si verò in illa parabola velimus exactè singula scru-
tari,quid videlicet significent decem talentorum milia, cur decem milia nomi-
nentur,& non in alio numero, quæ rursus sit vxor & liberi, quæ iubentur vẽnun-
dari, quis conseruus debitor, & qui centum denarij, curiosa forsitan magis erit,
quàm inuestigatio vtilis: cùm scire sufficiat,quòd in debito decem milium talen-
torum,tam magnum debitum intelligamus,quantum Deo soluere nobis impossi-
bile est,etiam vẽnundatis nobis, vxore,& liberis: quia nihil à se homo habet,per B
quod se à peccati debito redimat. In debito centum denariorum intelligitur of-
fensa,quam fecit homo in hominem. Hęc etsi maior sit,quàm homo soluere pos-
set homini,longa tamen est distantia,& maior: quàm est differẽtia decem milium
talentorum & centum denariorum. Oportet ergo in omnibus parabolis conside-
rare scopos,propter quos magister noster Christus assumpserit illas.Et hęc omnia
ex sequentibus fient vtcunque apertiora. Sciendum est autem duo esse parabola-

Duo parabolarum genera.

rum genera. Nam ex euangelijs manifestum est,spiritum sanctũ in scripturis sacris
adhibere parabolas seu rerum comparationes, interdum secundùm aliquam simi
litudinem argumento sumpto per locum à similibus, quemadmodum volentes
persuadere solent vti huiusce modi dialecticorum regula: Sicut illud, ita & illud
Interdum verò ex dissimilitudine, argumento sumpto per locum à minus inesse
ad magis inesse affirmando, aut à magis inesse ad minus inesse negando, secun- C
dùm has regulas: Si hoc, quanto magis & hoc: aut si non illud, quanto minus
istud. Primæ generis parabolæ ex rebus corporalibus assumuntur: interdum ad

Diuersi fines primi generis parabolarum Matth.13.f

persuadendum regni cœlorum valorem seu precij magnitudinem, veluti cùm
dicitur regnum cœlorum esse simile thesauro: interdum verò ad declarandum
eiusdem regni incrementum,vim,efficaciam & augmentum, veluti cùm dicitur
esse simile grano sinapis,quod licet in principio paruum & exiguum sit quãtitate,

Eod & Lu.13.

grandis tamen est virtutis, qua crescit in arborem. Interdũ verò ad intimandum
eiusdem regni transmutationem in alium statum,in aliam gentem aut populum.
Interdum ad declarandum in regno illo malos esse commixtos bonis. Interdum
ad declarandum ipsius regis in regno illo prouidentiam,bonitatem & tolerãtiam
& iustitiam. Interdum ad intimandum eiusdem regis aduentum ex improuiso es-
se venturum,ad ingerendum nobis vigilias & solicitudinis assiduæ curam. Huius

Parabola de seminante. Matth.13.

primi generis primum sunt parabolæ septem, Matthæi.13. Prima parabola est de D
seminatore qui exijt seminare, & inter seminandum alia iuxta viam ceciderunt,
& à volucribus cœli deuorata sunt: alia in terram petrosam, alia inter spinas alia
in terram bonam, & dederunt fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum,
aliud trigesimum. Hanc parabolam ipse Christus nobis exposuit, ex cuius inter-
pretatione patet collationem seu comparationem in hoc cõsistere: Quemadmo-
dum materiale semen facit fructum non in quauis terra seminatum, sed in terra
bona: ita semen verbi euangelici seminatum fructum facit in hominibus,qui au-
diunt,intelligunt, & custodiunt illud, sed non in quibus libet fructum facit. & id
quidem accidit non ex seminantis culpa,non ex seminantis malo,sed ex audientiũ
vitio, vtpote propter crassitudinem cordis & grauitatẽ aurium. Et ne arbitrare-
mur hæc vitia naturæ esse, non voluntatis, subiungit culpam arbitrij, & dicit: Et
oculos suos clauserunt. Vnde ex sermone Christi hanc parabolam interpretantis
& dicentis: Omnis qui audit verbum regni,& non intelligit, venit malus & rapit

quod

A quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est, Discimus
seminatum hic bifariam dici, & hominem videlicet esse seminatum, eo quòd se-
men susceperit, & verbum regni seminatũ esse in homine, seu in corde eius,quẽ-
admodum dicimus & agrum seminatum esse,& semẽ seminatum esse in agro. Se- Parabola de zizania. Matth.13.f
cundam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cœlorum homini,
qui seminat bonum semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines,venit ini-
micus homo & superseminauit zizania in medio tritici,& reliqua. Hanc quoque
parabolã & ipse Dominus aperire dignatus est, & intentionẽ propter quã assum-
pserit intimare,argumẽto sumpto à similibus,ita concludens: Sicut ergo (inquit)
colliguntur zizania, & igni comburuntur,sic erit in consummatione seculi, mit-
tet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos
qui faciunt iniquitatem mittet in caminum ignis. acsi dicat: Sicut homo, qui se-
B minat bonum semen in agro,permittit zizania ab inimico seminata crescere,vsq;
ad messem, ne in eradicandis zizanijs triticum cõculcetur,& in messe iubet mes-
soribus congregari triticum in horreum, zizania verò alligari in fasciculos com-
burendos. Sic & regnum cœlorum secundũ eum,qui regit, est Christus filius ho-
minis, qui bonum semen, id est, filios cœlestis regni, apostolos & iustos seminans
in mundo, permittit filios nequitiæ à diabolo superseminatos in medio tritici, id
est. in societate Christianorum crescere vsq; ad messem, id est,consummationem
seculi, ne in ejciendis iniquis Christianis boni Christiani aut turbentur, aut rui-
nam patiantur.In consummatione seculi colliguntur impij comburendi in cami-
num ignis. Vides argumentum sumi à similibus. Tale quid accidit & in duabus Parab. de sinapi & fermento Ibidem
parabolis sequentibus,vt: Simile est regnum cœlorum grano sinapis,quod mini-
C mum omnibus oleribus accipiens homo seminat in agro suo. Item: Simile est re-
num cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in satis farinæ tribus.
acsi dicat: Sicut granum sinapis minimum in omnibus seminibus, seminatum in
terra crescit,sitque arbor magna in cuius ramis habitent volucres cœli: Ita & re-
gnum cœlorum tam secundũ eum,qui regit, scilicet Christum crucifixum quàm
secundùm societatem seu ecclesiam, quæ regitur,& secundùm fidem seu doctri-
nam euangelij, per quam regitur,in principio modicum,paruum,atque in mun-
do contemptibile, creuit in arborem magnam, extendens propagines seu palmi-
tes suos in omnes gentes,ita vt volucres cœli, id est,sancti, per vniuersum orbem
pennis virtutum volantes in cœlum habitent in eo, adhærentes societati aposto-
lorum,& doctrinæ seu professioni fidei illorũ. Sic & apud Danielem lapis in ini- Daniel.2.c
tio humilis & paruus,præcisus de monte sine manibus id est,sine virili opere con-
ceptus,creuit & factus est mons magnus,& impleuit vniuersam faciem terræ.Item
D quemadmodum fermentum transmutat in sui virtutem tria farinæ sata,id est,ma-
gnam farinæ conspersionem. Sic & regnum cœlorum,siue intelligatur secũdùm
eum,qui regit, id est, Christum, siue secundùm ecclesiam apostolicam, quæ regi-
tur: siue secundùm euangelij doctrinã,qua regitur, transformauit in sui virtutem
totum mundum,id est,homines ex omnibus locis mundi ac regionibus, cùm iam
olim Christi professio, & apostolorum ecclesia, & euãgelij fides creuerit per vni-
uersam terram. In similem modũ assumuntur & reliquæ tres parabolæ, vt Simile Matth.13.f
est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Iterum: Simile est regnum cœ
lorum homini negociatori,quærenti bonas margaritas. Rursus: Simile est regnũ
cœlorum sagenæ missæ in mare,& ex omni genere piscium congreganti. De his,in-
quantum similia sunt, ducitur intellectus in notitiam alicuius mysterij de regno
cœlorum. Quemadmodum est thesaurus in agro absconditus,quem si quis fortè Parabola de thesauro abscondito.
inuenerit,occultum seruat,diligẽter custodiens ne perdat: & gaudens vendit vni-
uersa quæ habet, conflatoque omnium possessionum suarum precio,abit ad illius

fundi

Universidad de Deusto
Biblioteca

fundi dominum, emens agrum illum, in quo iam nouit latere thesaurum. Sic & A
in agro absconditum dicitur esse regnum cœlorum, siue ipsum intelligatur sanctorum ac cœlestium ciuium rex Christus, velatus fragili carne, siue societas ipsa id est, ecclesia, secundùm interiorem vitam abscondita in Christo Iesu: siue cœlestium sacramentorum sapientia, sub vmbris atque velamine legis & prophetarum latens. Hunc agrum si quispiam inuenerit, hoc est, rectè intellexerit, incipiès credere illic veram esse sapientiam, quæ ducit ad vitam perpetuam, gratulanter & veraciter domino dicet: Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argenti. venditisque vniuersis quæ habet, hoc est, renunciatis omnibus quæ possidet, emit agrum illum, id est, vel Christum, vel ecclesiam eius, vel scripturas legis & prophetarum, vt exoneratis secularibus negotijs intendere possit verbo Dei, certò sciens animum non posse terrenis simul, & cœlestibus diuitijs occupari. Quemad B
modum negociator delectatur bonis margaritis, vbi inuenerit vnam valde bonam, quam nouerit omnium margaritarum & possessionum suarum superare precium, ilico venditis omnibus mercatur illam. Sic & regnum cœlorum, id est, ecclesia sanctorũ Iudæorum ante Christi aduentum delectabatur bonis sapientum doctrinis, eruditionibus legis ac prophetarum: vbi autem inuenit vnam sapientiam Christum, plenum gratiæ & veritatis, & scientiæ legis, & prophetarum complementum, renunciat omnibus, & suæ voluntati, & suis quæ possidet, & ceremonijs legis, vt vnica hac sapientia, in qua omnis inuenitur scientia, libero & expedito animo frui valeat, certò sciens illam, quamlibet in hoc mundo exiguam & contemptam, valere omnes diuitias. Homo iste negociator, intelligitur sanctus Iudæorum populus, expectans Christum Dominum. Neque oportet in negotiatore intelligere Christum, nam in scripturis sacris ecclesia plerunque intimatur vt vna C
Parabola de sagena. Matth. 13. f quædam persona. Rursus quemadmodum sagena iacta in mare congregat omnis generis pisces, bonos inquam & malos, quos commixtos tolerant piscatores, donec impleatur sagena, quam cùm fuerit impleta ad littus pertrahentes, segregant bonos in vasa sua, malos verò & inutiles reijciunt. Sic & regnum cœlorum seu ecclesia Christi, iacta in mare huius seculi complectitur omne genus hominum vsque ad littus, id est, vsq; in diem iudicij, tolerans malos seu iniustos simul & iustos donec impleatur numerus electorũ. Si quis verò in huiuscemodi parabolis, quas ipse saluator per se non exposuit, aliud sese inuenisse dixerit, putans nominibus thesauri & negociatoris, & margaritæ aliud quàm diximus significari, non est improbandus, modò sententias doctrinæ coaptet euangelicæ. Eiusdem generis est
Parab. de rege rationem ponente cum seruis. parabola apud Matthæũ, in superioribus recitata, qua dicitur, simile esse regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Ex rebus pro- D
phanis sumpta similitudine, ad spiritualem intellectum transit. Sic pater meus cœlestis faciet (inquit) vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Et stat in hoc similitudo: Quemadmodum rex huius seculi miseretur plerunque serui sui suppliciter rogantis. Vbi autem viderit eundem seruum erga conseruum suum inexorabilem, & non prestare vllam misericordiam, implacabiliter iratus tradit ipsum seruum, cui debitum remiserat, tortoribus, donec soluat vniuersum debitum. Sic regnum cœlorum intellectum secũdùm eum, qui regit, id est, pater noster cœlestis, nobis, quibus peccata remisit facturus est, si non remiserimus fratribus in nos peccantibus. Hac intentione intellecta, poterit quisque sacræ theologiæ studiosus, ad institutionem morum & fidei accommodare cæteras parabolæ eiusdem partes, & piè interpretari, quis rex, qui serui, & quid sit incipere rationem ponere cum seruo, quis debitor, quę decem milia talentorum, quæ vxor, & qui filij, quæ sint omnia, quæ rex vendi præcipit, vt reddatur debitum. Quid est eum, qui acceperat indulgentiã decem milium talentorum egredi, quis

A quis conseruus, quid debitum centum denariorum, qui centum denarij, quid sit suffocare & dicere: redde quod debes, & qui conserui videntes ac contristati, & domino nunciantes omnia, quæ facta erant, qui tortores. Eiusdem generis est parabola. Simile est regnum cœlorum patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam, vbi regnum cœlorum intelligitur comparatum Parab. de patrefamil. operarios cõducẽte Matth. 20. a
secundùm eum, qui regnat, & Ita similitudo accipitur hoc pacto: Quemadmodum paterfamilias bonitate sua aut liberalitate, adueniente vespera potest etiam nouissimo operario, qui circa vndecimam venerat, dare denarium sicut primo, qui mane venerat conductus denario. Neque enim fit primo iniuria, si fiat alteri gratia. Sic regnum cœlorum, quod secundùm eum, qui regit est Deus, aduenien-
te vespera, id est, aut tempore aduentus mediatoris in carnem, aut consummatione seculi plerosq; nouissimos, id est, sero ad ecclesiam venientes, in gratijs & præ- B
B mijs æquat his, qui primi venerunt. Quemadmodum ergo illic scilicet in rebus prophanis multi nouissimi sunt sicut primi, & primi sunt sicut nouissimi, quia primis recipientibus quod sibi debetur, non fit iniuria per id, quòd nouissimis hoc est, sero venientibus fit gratia. Sic in vespera consummationis seculi, idem æter- De patrefam. plantãte vineã Matth. 21. d
næ vitæ denarius datur tam sero, quàm mane in vineam, id est, in ecclesiam Christi venientibus. Sic & Matthæi vicesimo primo: Aliam parabolam, inquit Christus, audite: Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. Quum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Agricolæ autem, apprehensis seruis eius,
C alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidauerunt. Iterum misit alios seruos, & illis fecerunt similiter, Nouissimè misit & filium, quem videntes dixerunt: Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius, & apprehensum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Hæc parabola sic scribis & phariſæis proposita, interrogauit illos: Cùm ergo venerit dominus vineæ quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Dicit illis Iesus: Nunquam legistis, Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Psalm. 117. d
A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ideo dico vobis quòd auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Varijs similitudinibus diuersisque figuris res eædem contexuntur. Quos in superiori parabola operarios & vinitores appellabat, in hac nunc agricolas, nunc ædificatores seu cementarios vocat, consideratione habita ad ecclesiam, quæ nunc vinea, nunc ager Domini, nunc domus Dei appellatur: in hac parabola argumento sumpto à
D simili, ex ipsorum phariſæorũ & scribarũ responsione conclusit Christus, regnum Dei iusta ratione auferendum esse à Iudæis, qui inutiles serui & infideles domino suo extiterant, & transferendum esse in alium populum, scilicet in gentes, quæ faciant fructum eius, & manifesta est similitudo, siue regnum Dei intelligatur, secundùm id quod regnat, vt est Christus, siue secundùm id supra quod Christus regnat, vt est ecclesia, siue secundùm actum, id est, regnationem, quæ est in cordibus hominum per Christum regem, siue secundùm id, per quod regnat, vt est scripturarum intelligentia. Omnia enim hæc iusta ratione parabola ista indicat esse ablata à Iudæorum synagoga, iusta inquam ratione, dum palàm ostendit Dei prouidentiam secundùm temporis successionem illis affuisse, & ab ipso quod ad salutem eorum pertinet non esse prætermissum. Eos autem inaudita nequitia & crudelitate hac Dei clementia contumaciter fuisse abusos. Sic & in parabola Matth. 22. Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio, mittens seruos De rege, qui fecit nuptias filio, Matt. 22. a
suos vocare ad nuptias, illi autem neglexerunt, &c. Per similitudinem subindicat,

Iudæos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudæos ratione iusta propter inobedientiam, propter homicidia & atrocia scelera perdendos, & excludendos à nuptijs: gentes verò assumẽdas, sed & inter has esse nonnullas, quę sint eijciendæ, & in ignem mittendæ, veluti quæ fuerunt inuentæ non habere vestem nuptialem, id est, candorem cœlestis habitus, seu gratiam sancti spiritus, qui est charitas erga Deum & proximum. Nisi enim quis puram habuerit vitam, indutus viscera miserationum, hoc est, fraternitatem, benignitatem nihil ei proderit nuda fides. Hic autem sciendum est, quòd hæc parabola est alia ab ea, quam recitat Lucas, qua dicitur: Homo quidam fecit cœnam magnam, & misit seruos suos hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent. Nam hic apud Lucam per cœnam intelligitur æternum & vltimum conuiuiũ, intra quod si quis semel fuerit ingressus, nunquàm eijcitur. In superiori autem parabola, per nuptias intelligitur præsens ecclesia Christo sociata, ex Iudæis gentibusq; collecta. Eiusdẽ generis est parabola, quæ assumitur Matth. 25. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ acceptis lampadibus suis exierunt obuiam sponso & sponsæ, & reliqua, Vbi in decem virginibus intelligitur ecclesia, quæ cõplectitur tam malos, quàm bonos Christianos, per fidei sacramentum vni viro Christo desponsatos, qui acceptis lampadibus, hoc est, visibilibus fidei tum sacramentis, tum operibus externis, in vasis, id est, in corporibus suis professione quadam, exeunt de mundo in occursum sponsæ, id est, ecclesiæ sanctorum venturæ ad iudicium vna cum sponso Christo, quo tardante suum iudicium somno mortis dormierunt omnes: sed prudentes, qui sibi de oleo charitatis in Deum & proximum in vasis suis prouiderant, vnà cum lampadibus de somno mortis excitatæ, sub aduentũ Christi paratę, ingrediuntur ad nuptias cœlestis gaudij, vbi in sempiternum fruantur suo sponso Christo, vna cum sponsa, quæ est cœlestis societatis exercitus. Fatuæ autem expergefactæ, tunc de somno mortis suscitatæ, sentientes se oleo indigere præ angustia spiritus consternatę, desiderabunt quidem liberationis auxilia, destitutę tamen omni spe obtinendi, certò videntes iam transijsse benefaciendi tempus, perpetuò excluduntur a nuptijs. Similis generis est parabola, quam assumpsit saluator contra Simonem quendam Pharisæum, qui despiciebat non solùm pœnitentem mulierem peccatricem, sed etiam reprehendebat Dominum eam suscipientem. Est autem hæc parabola de fœneratore, cui duo erant debitores, & cùm donasset debitum vtrisque, plus est ab eo dilectus cui plus donauit. Ex qua cõcluditur Mariam plus dilexisse Christum, per quem nouerat plura sibi remissa esse peccata: cui autem minus remittitur, minus diligit. Sic & secundùm similitudinem sunt parabolę de homine habente centum oues, & de muliere habente decem drachmas, & de homine habente duos filios, Item duæ similitudines quę adhibentur in fine capituli Luce. 14. Vna de eo, qui proponit ædificare turrim: altera de rege, qui vult ire ad bellum: ad hoc pertinet, vt quisque volens esse discipulus Christi, militare Christo. & templum sanctum ędificare suo Christo priusquam accipiat hanc militiam, hanc disciplinam, supputet vires animi sui, ne ad obiectam occasionem deficiat ab incœpto. Deficiet autem nisi priusquam profiteatur, renunciet omnibus, quæ possidet, & odiat patrem suum & matrem, id est, & in se, & in suis parentibus & cognatis contemnat humanum affectum, quo cum impedimento futurę vitę pręsens vita delectat, ne in illius confusionem dicant transeuntes: hic homo cœpit ędificare, & non potest perficere. cœpit in vita euangelica militare Christo, & non potuit vsque in finem perseuerare. Et similis generis parabolę fieri possunt ex prophetarum & psalmorum metaphoris, veluti cùm apostolorum prædicatio significatur in sonitu & eleuatione seu impetu fluminum, quibus fremunt maria, conturbantur montes confringuntur cedri, lætificatur ciuitas. Sicut enim aquæ dum plurima confusione turbarę deijciuntur in maris

Luc. 14. d

Parabola de 10. virginibus Matth. 25. a

Parab. de duobus debitoribus. Luc. 7. g

De Parabolis, Lucæ. 15. Luc. 14. de volente turrim ædificare.

in maris viscera, grandem reddunt sonitum, deijciuntque montes & arbores: sic grandisona Apostolorum prædicatione gentes conturbatæ intremuerunt.

Hactenus de parabolarum, quibus adhibentur similia, ad insinuandum euangelicæ veritatis mysteria seu officia. Aliæ verò sunt parabolæ, in quibus talia quædam insinuantur, non secundùm similitudinem, sed per similitudinem, ex qua cognoscere possumus, quid sit in re dissimili. Quemadmodum Christus docens, quòd ad resistendum hostibus, & superandum inimicos oportet nos semper orare, & non deficere, de iniquo iudice sumpsit parabolam, qui etsi neque timeret Deum, neque reuereretur hominem, tamen importunitate quadam impulsus, tandem cessit assiduis eiusdem viduæ interpellationibus, ne sibi ab illa tædium fieret: ne veniens (inquit) suggillet me. In hac parabola iniquus iudex, nec Deum, nec hominem timens, nullatenus personam Dei gerit, sed per ipsum conijci potest, quantum Deus iustus & bonus curet deprecantes, cùm nec homo potest contemnere eos, qui illum assiduis precibus tundunt. tanquàm diceret: Si apud iniquum iudicem vsque ad effectum implendi desideri) valuerat perseuerantia viduæ deprecantis, quanto certiores esse debemus, apud Deum fontem iustitiæ & misericordiæ valere orationem Ecclesiæ in tribulatione suppliciter & perseueranter deprecantis. Eiusdem generis est parabola Lucæ. 11. ad quem venitur media nocte, vt mutuet tres panes. comparatio est a minori. Si enim amicus homo surgit de cubili, & dat non propter amicitiam, sed molestia & tædio compulsus, quanto magis petentibus dedit bona Deus, qui diligens nos filios suos vt pater nos hortatur. Talis est & parabola de villico, qui vt iniquus dissipator bonorum, eiectus à dispensatione laudabatur à Domino, non de fraude, sed de prouidentia, quòd prospexerit sibi in futurum, dum falsatis chirographis relaxauit singulis debitoribus quintum sibi commodum visum fuerat. Laudauit Dominus (inquit scriptura) villicum iniquitatis, quòd prudenter fecisset, quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua. Ex hac similitudine conclusit saluator. Et ego dico vobis, facite ergo vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Mammona iniquitatis, seu opes nequitiæ dicuntur, quas cùm Dominus dedit ad impendia necessitatis fratrum, ac conseruorum nostrorum, nos tenemus nobis. Quod Hebræi iuxta linguam Syriacam vocant mammona, Latinè appellatur diuitiæ, vt inquit Augustinus. Atque hinc magis sunt opes iniquitatis, si illas faciamus nobis diuitias, in ipsis constituentes nobis spem atque copiam nostræ beatitudinis. In hac ergo parabola, villicus in eo, quòd falsatis chirographis, fecit sibi amicos de bonis domini sui, personas iustorum non gerit. Non enim iusti domino suo, aut proximo in aliquo faciunt fraudem, vt de ipsa fraude eleemosynam faciant. Proinde econtrario dicuntur huiusce modi parabolæ, vt intelligamus, si laudari potuit is, qui domino suo fraudem faciens, in futurum sibi prouiderit, quanto magis à Domino Deo, qui nullum damnum sustinere potest, & pronus est in clementiam, laudari merebitur quisquis secundùm illius præcepta sibi amicos faciat de diuitijs sibi creditis? Tales igitur sunt parabolæ, quæ probant secundùm huiusce modi principia: Si illud, quanto magis istud. Aut: si non illud, quanto minus istud. Et talibus principijs innituntur ea, quæ in nouissima parabola saluator continuò subiecit: Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Acsi dicat: Quisquis in rebus sibi à Domino creditis dispensandis est tantæ fidelitatis ac solicitudinis, vt etiam in his quæ modica sunt & parui precij, sit solicitus & fidelis domino suo, is magis erit solicitus

De altero parabolarum genere.

Parabola de iniquo iudice Luc. 18. a

De pertre tres panes. Lu. 11. b

De villico iniquo. Luc. 16. a

Augustin. de sermone Do. in monte. lib. 2. p. & quæst. Euang. lib. 2. cap. 34.

Qui fidelis est in minimo, & cæt. Luc. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

citus & fidelis domino suo in rebus maioris ponderis. Rursus, quisquis tam iniquus est, vt etiam in rebus parui precij, ex parua videlicet vndecunque nacta occasione, aut ex modica tentatione sit infidelis domino suo, is & multò magis infidelis erit in rebus magni precij. Qui pro re vili & parui precij vult præterire iustitiam, & legem Dei transgredi, is multò magis idipsum pro rebus magni precij facturus est. Si ergo in iniquo mamona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis credet vobis? Hoc est: Si in vilibus vanisq; diuitijs, quas Dominus inæqualiter dispensat, in eisdem constituens alios abundantiores ad impendia necessitatis fratrum, fuistis non fideles dispensatores, sed auari detentores, quoniam pacto constituemini dispensatores in veris & pretiosis bonis. Etsi in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Hoc est: Si in re transitoria, quam vobiscum ferre non potestis, non fuistis fideles, quis dabit vobis id, quod verè vestrum est, quod & vobiscum possit esse perpetuum. Experimur quidem plerosque, qui paruis in rebus fidem seruant, tenentes iustitiæ normam, qui tamen pro magnis lucris & commodis violant & fidem, & iusiurandum, quemadmodum de pharisæis ait Saluator: Liquantes culicem, camelum autem glutientes, hoc est, obseruantes minima, contemnentes maiora. Sed hæc nihil contra sententias Christi, quippe qui loquitur de fideli & iniquo, quatenus vt tales operantur, hoc est, quatenus operantur secundùm affectionem aut fidelitatis, aut iniquitatis. Vnde bonus & iustus homo, ex virtute iustitiæ disponitur ad vigilandum magis in rebus magni precij, quàm in rebus vilioribus & minutis, quæ quasi pro nihilo reputantur. Attamen si virtus iustitiæ in eo sit tanta, vt faciat animum eius vigilare, & custodire iustitiæ normam in rebus paruis, multo amplius disponitur ad vigilandum in rebus magni precij. Potest tamen fidelis & iustus secundùm arbitrij libertatem transgredi tam in paruis, quàm in magnis, quemadmodũ ait de illo scriptura: Qui potuit transgredi, & non est transgressus.

Matth.23.c

Eccle.31.b

Quatenus cõparatio in parabolis respondere debet.

Ex supradictis igitur manifestum est, quòd regnum cœlorum, cùm dicitur esse simile huic, aut illi, non oportet ex hoc intelligere similitudinem sumptam in omnibus suis partibus conuenire mysterijs regni cœlorum, cui adhibetur, cùm sufficiat similitudinem esse in ea regni cœlorum parte, aut conditione, propter quam declarandam erat assumpta. Hoc patet primùm in parabola de decem virginibus, & in parabola de duobus filijs, & in parabola de patrefamilias, qui conduxit operarios in vineam suam. Manifestum est, quòd hæc nouissima parabola non in omnibus partibus conuenit, siue exponatur de vespera, id est, de fine mundi, quemadmodum interpretatur Chrysostomus, Gregorius, Rabanus, & cæteri antiquiores: siue vt Nicolaus de Lyra, & alij quidam, de vespera, id est, de tempore sub gratia primi aduentus Christi distribuentis gentibus gratiam euangelicam parem Iudæis, qui sub onere & æstu legis diù laborauerant.

Hactenus de parabolis, quas Dominus noster Christus diuersas proposuit populo Iudæorum, vt iuxta vulnerum varietates, sit & medicina diuersa. Quemadmodum diuersus est hominum stomachus, alij amaris, alij dulcibus, alij austerioribus, alij lenibus delectantur cibis: Ita & varius est hominum animus, alij duris commonitionibus, alij consolationibus, alij correptionibus indigent, & secundùm varios hominum animos, varias proposuit Christus parabolas, ex rebus corporalibus & visibilibus sumendo similitudines, quibus vel timore, vel amore moueatur animus super rebus spiritualibus.

Sequitur

CAP. IIII.

Sequitur caput quintum, de obscuritatibus, quæ contingunt in sacris literis propter mutationem temporum, personarum, & numerorũ, sub eodem sententiarum contextu.

QVemadmodum olim docuit veneranda patrum antiquitas, sacræ theologiæ studiosus ad intelligendum scripturas, considerare debet non solũ quid dicatur, sed & eum à quo, & ad quem, vel de quo dicatur, pro quo tempore, & quo affectu, vel qua occasione. Primùm autem frequẽs mutatio temporum in scripturis reperta, non nihil difficultatis ingerit. Nam hæc est consuetudo in omnibus scripturis propheticis, sub eadem scripturarum cohærentia facere transitum de verbis præteriti temporis ad verba præsentis temporis, aut futuri temporis & econtrariò. Nam quæ spiritu prophetico pronunciantur futura, illa iam in præsentia & prædestinatione diuina sunt præsentia, adeoq; certa, tanquã iam transierint in præterita. Neq; enim est vlla temporis differentia in diuinitate, quæ est vnica, fixa, stabilis, & vniformis æternitas immota, atq; æterna visione conspiciens in omnium temporum vicissitudinem. Sic Christus nondum incarnatus apud Isaiam loquitur per verba præteriti tẽporis de rebus quæ tunc futura erant: Dedi (inquit) caput meum percutientibus, genas meas vellentibus, & faciem meam non auerti à conspuentibus in me. Rursus in Psalmis ad patrem ait: Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Et propheta: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Vbi propheta non rem tunc gestam, sed futuram voluit intimare. Vnde & posteà in eodem Psalmo ex præterito in futurum transijt: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, reges eos in virga ferrea. In Psalmo. 96. Propheta de regno Christi tunc futuri loquens, transit ex verbo præteriti temporis in futurum, & denuò in præteritum reuertitur: Dominus regnauit, exultet (inquit) terra. Et infrà: Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et rursus in præteritum transijt: Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini. Annunciauerunt cœli iustitiam eius. Talis temporum mutatio reperitur & frequens in cæteris Psalmis. Item in prophetis. Isaiæ 9. de eo quod futurum erat, primum per tempus præteritum dixit: Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & cæt. Populus gentium, qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam. Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam. Hinc in futurum transiens subdit: Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Ex his rursus in præteritum transit: Iugum enim oneris eius & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian, & cæt. Paruulus enim natus est nobis, & factus est principatus super humerum eius. Hinc rursus in futurum transit: Et vocabitur nomen eius admirabilis, multiplicabitur eius imperium. Item in capite Isaiæ. 60. de præterito in futurum transit, & rursus ex futuro in præteritum tempus reuertitur: Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Huc vsq; per præteriti temporis verba loquitur, pòst sequitur futurum tempus: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & ambulabũt gentes in lumine tuo. In Cantico Abacuc prophetæ vide quoties mutata sunt tempora. Per futurum tempus præmisit: Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan, continuò ad præteritum transit: Operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Et rursus ad futurum tempus reuertitur: Splendor eius vt lux erit, & cornua in manibus eius. Ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius. Hinc mox ad præteritum transit: Stetit (inquit) & mensus est terram, aspexit & dissoluit gentes. Deinde

Transitus de tempore in tempus.

Isaiæ.50.c
Psalm.2.a
Psalm.5.a
Isaiæ.9.a
Eodem.
Isaiæ.60.a
Abacuc.3.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deinde futuro tempore vtitur: Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, & fluuios ſcindes terræ, & repentè incipit rem agere verbis præteriti temporis: Viderunt te aquæ, & doluerunt montes, gurges aquarum tranſijt. Poſteà denuo ad futurum reuertitur: In luce ſagittarum tuarum ibunt, in fremitu conculcabis terram, in ſtupore obſtupefacies gentes. Hinc iterum ad præteritum tranſijt: Egreſſus (inquit) es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. Ex huiuſcemodi temporum mutatione turbabitur lectoris animus, aliorſumque rapietur intellectus, niſi in rebus illis propheticè enunciatis, intelligat verba tanquam pronunciata ſub eadem temporis differentia, & concipiat ea, quæ per verba præteriti temporis pronunciantur, tanquam dicta per futuri temporis verba. Minus turbabitur lector, ſi in Pſalm. 96. accipiat tanquam pronunciatum ſub verbis futuri temporis, hoc pacto: Dominus regnabit exultet terra. Ignis ante ipſum præcedet. Allucebunt fulgura orbi terræ, videbit, & commouebitur terra. Montes ſicut cera fluent à facie eius, & annunciabunt cœli iuſtitiam eius. Sic & in reliquis quoque ſcripturæ locis. Sed dices: Nunquid putandi ſunt prophetæ tempora ſic variare caſu, & abſque vllius rationis intuitu? Huius ratio etſi non omnino & ad liquidum nobis pateat, dulce tamen & iucundum eſt nobis aliquid inde perſentire. Quâmuis enim verum ſit, quòd propheticus ſermo propter certitudinem prophetiæ tempore præterito vtatur pro futuro, ſunt tamen viri non paruæ authoritatis ſcripturarum expoſitores, qui etiam aliam rationem quandam aſſignarunt, dicentes quòd ſermo propheticus, dum verbis præteritis vtitur, regulariter explicat ea, quæ certo quodam tempore ita futura erant, vt poſtea fieri deſinerent. Ea verò quæ ſic futura erant, vt vſque in conſummationem ſeculi non deſinerent, enunciat per verba futuri temporis. Certo quodam & breui tempore futura erant ea, quæ Chriſtus paſſus eſt in carne ſua mortali, idcirco præterito tempore dixit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. hoc ſemel completum eſt. Quòd autem ſic futurum erat, vt fieri non deſineret, conſequenter per futurum dixit: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te. Edent pauperes & ſaturabuntur, adorabunt in conſpectu eius omnes familiæ gentiũ. quàmuis & hæc regula non in omnibus ſcripturis propheticis videatur obſeruari. Nam in operibus Chriſti ſemel in carne illius factis Iſaias propheta olim tranſijt de præterito in futurũ, cùm dixiſſet: Verè languores noſtros ipſe portauit, oblatus eſt, quia ipſe voluit. tandem in eiſdem operibus manens tranſit ad futurum: Sicut ouis ad occiſionem ducetur, &c. Nihilominus & hic ſciendum eſt, quòd etſi ſecundùm morem locutionis ſcripturæ ſacræ Chriſtus dicatur facere & pati ea quæ facit & patitur in membris corporis ſui, quod eſt Eccleſia. Nam quæ ſemel eſt paſſus in carne ſua, ea & vſq; in conſummationem ſeculi patitur in membris ſuis, quemadmodũ ipſe ad reprobos dicturus eſt in iudicio: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. Ad electos autem: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et ad Paulum: Saule, Saule, quid me perſequeris? Attamen ea quæ ipſe in carne ſua pro peccatis noſtris egit, cuiuſcemodi ſunt, portare peccata noſtra, & infirmitates noſtras, & precium ſoluere Deo patri pro peccatis totius mundi, emere nos, & redimere nos, ſolùm conueniunt ipſi, quia non hæc egit, niſi in corpore ſuo mortali. Neque in martyribus emit & redimit nos quotidie à peccatis, quemadmodum in martyribus legitur perſecutionem pati. Ex his ergo conſideratis, poſſumus probabiliter conijcere, prophetas non abſque ratione futura intimaſſe per verba præteriti, quædam verò per verba futuri temporis. Sed de hoc hactenus: ad mutationem temporum redeamus. Iſaiæ primo ſub eodem ſententiarum contextu de præterito in tempus præſens & futurum tranſijt: Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem

Tranſitus tẽporum quomodo ſit accipiendus.

Ratio tranſitus temporũ apud prophetas.

Pſalm. 21. b

Iſaiæ. 53. b

Matth. 25. d

Acto. 9. a

A autem ſpreuerunt me, dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctũ Iſrael, à planta pedis vſq; ad verticem non eſt in eo ſanitas. Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ ſunt igni, & regionem veſtram alieni coram vobis deuorant. Iſaias propheta dum iſta ſuper Hieruſalem diceret, nondum erat deſerta Hieruſalem, nondum alieni deuorabant regionem illam, ſed per illa præteriti tẽporis quod futurum erat intimauit. Vnde & mox ad futurũ tempus tranſit: Et deſolabitur terra veſtra, inquit, ſicut in vaſtitate hoſtili, & derelinquetur filia Syon vt vmbraculum in vinea. Deinde paucis interpoſitis rurſum tranſit ad verba præſentis & præteriti temporis, tanquam loqueretur ad ſolam plebem ſui temporis: Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorræ ſimiles eſſemus. Audite verbum Domini principes Sodomorũ, quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum? plenus ſum, holocauſta arietum, adipem pinguium nolui. Cùm veneritis ante conſpectũ meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris? Ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri, calendas veſtras & ſolennitates veſtras odit anima mea, & cùm multiplicaueritis orationes veſtras non exaudiam. Manus enim veſtræ ſanguine ſunt plenæ, lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum. Iſaias ergo dum in hoc 1. capite loquitur per verba præſentis & præteriti temporis de malis ſuper Iudam & Hieruſalem, intelligitur non quòd hæc illis Iſaiæ temporibus prorſus fuerunt completa: ipſe enim huiuſcemodi ſententijs præteriti temporis non ſolam rerũ tunc præſentium geſtarum hiſtoriam, ſed viſionem, id eſt, prophetiam rerũ tunc futurarum voluit intimare, quemadmodum & ipſe in præfatione eiuſdem libri teſtatur: Viſio Iſaiæ prophetæ, quam vidit ſuper Iudam & Hieruſalem. Vnde quod

B

C ait ibidem: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ad tempus ſub Chriſto (inquit Hieronymus) tunc futuro, eſt referendum, quod & teſtimonio probatur Pauli ad Romanos citantis hanc ſcripturam, tanquam propheticam ſub Apoſtolis completam: Et ſicut prædixit (inquit Apoſtolus) Iſaias: Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemẽ. Ex quo oſtenditur (inquit Hieronymus) quòd ſuperiora, quæ ſcilicet Iſaias in eodem capite primo, contra Iudam & Hieruſalem eſt comminatus, non eſſe referenda ad tempus Babyloniæ captiuitatis, ſed ad vltimam Romanorum, quando in Apoſtolis & paucis credentibus ex populo Iudæorum ſaluæ factæ ſunt reliquiæ, & vna die crediderũt tria milia, altera verò milia quinque. Proinde Deus cùm in medio eiuſdem capitis per verba præſentis & præteriti temporis dicit ſe noluiſſe holocauſta eorum, & ſe abominatum eſſe incenſum, & odiſſe calendas & ſolennitates, pronunciare videtur teſtamentum nouum, ſub

D quo iam illa ſacrificia vetera ceſſarunt, cùm iam manus Iudæorum ſunt plenę ſanguine Chriſti crucifixi in ſacrificijs illic deſignati. Quò fit, vt quod per verbum præſentis temporis ad illos loquitur: Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine. coaptandum ſit ad ea, quæ tempore Chriſti tunc erant futura. Sic & ſub Chriſto iam paſſo futurum erat, quod ſequitur ibidem per verba præteriti & præſentis temporis: quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij. Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua, principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera. Hæc omnia non ad Iſaiæ tempora ſunt referenda, tanquam ſub illis homicidæ habitaſſent in ciuitate illa, ſed ad tempora poſt Chriſtum in ciuitate illa occiſum. Proinde eadem ſunt, quæ Deus pro vno tempore & diligit, & fieri vult: pro alio tempore odit. Siquidem ſacrificia illa diligit, quæ fieri iubet: odit verò cùm fieri vetat. Vnde in Exodo, Leuitico, & Deuteronomio, huiuſcemodi ſacrificium vocatur odor ſuauiſsimus Domino, ac ſuauiſsimi odoris holocauſtum.

Hieronymus.

Rom. 9.

Iſaiæ. 1. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILTRAC.

Quomõ præcepta vet. leg. dicuntur non bona. Ezech.20.d Hieron. super 20.cap.Ezech

Quod autem dicit Deus Ezech.20.Dedi eis præcepta non bona,& iudicia in quibus non viuent. Respondet Hieronymus bifariam : Primùm præcepta illa erant non bona, sed non inde consequens est præcepta fuisse mala : non enim statim sequitur,vt quod bonum non est,fit malum. Deinde præcepta illa erant non bona, non simpliciter in se, sed ipsis ludæis prauis, & in nationes dispersis, non valentibus seruare illa. Insuper & huiusmodi præcepta erant nõ bona eis,scilicet transgressoribus,qui puniendi erant grauius post agnitam Domini voluntatem. Cæterùm præcepta illa de primogenitis alijsq; animalibus offerendis, erant non bona ipsis offerentibus illa idolis suis, quæ Deo debebantur,vt patet ex his quę sequuntur ibidẽ in textu. Vnde Deus hostias ac victimas in veteri lege exigebat non principaliter propter ipsas, tanquam illæ in se aut aliquam iustitiæ rationem,aut vtilitatem cõtinerent, sed tanquam protestationes quasdam & excitationes interioris fidei de Christo tunc futuro,& pro nobis immolando, vt his tanquam vmbris & figuris populus ille transiret, & duceretur ad offerendum veras hostias corda sua, non idolis, sed Domino in holocausta incensa igni charitatis Dei & proximi.

Quatenus sacrificia veteris legis Deo placeant.

Postremùm ad sciendum qua ratione præcepta illa ceremonialia legis Moysi erant non bona,potest & hoc etiam (inquit Hiero.) dici,quòd filij Israel in deserto ante offensam vitulumq; aureum acceperant decalogum tantùm: post idololatriã verò & blasphemiam supra decalogum receperunt istas multiplices ceremonias, vt Deo potius offerrent victimas,quas dęmonibus parati erant offerre,& in comparatione leuius fieret,quod non erat per se bonum,& nequaquàm malum, quia Deo offerebatur,& tamen non bonum,quia boni authorem offenderant. Ex lege Moysi discimus,quòd de holocaustis sacrificijsq; offerendis non præceperat Deus plebi, cùm daret in monte legem decalogi,quemadmodum & ipse testatur per os Ieremiæ : Non sum (inquit) locutus cum patribus vestris,& non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatũ & victimarum . Ex quibus (inquit Hieronymus)manifestè intelligitur,quòd primùm dederit decalogum in tabulis lapideis,scriptũ digito Dei, & post offensam idololatriæ,caputq; vituli posteà iusserit sibi magis fieri,quàm dęmonibus. Hactenus pro intellectu eius,quod dicit Deus apud Ezechielem : Dedi eis prȩcepta non bona . Iam ad id vnde digressi sumus, ad ipsam scilicet mutationem temporum , quæ in scripturis sacris frequens est , redeuntes dicimus verbum Dei , apud Isaiam prophetam loquentis per verba præteriti aut præsentis temporis : Calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea, incensum abominatio est mihi. coaptanda esse nõ temporibus Isaiæ, hæc loquentis,sed temporibus Christi , per quem sacrificia illa sunt iam mortificata prorsusque extincta . Ex quibus consequens est, hoc quod in Isaia dixit Deus, Calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea . non esse dictum eadem prorsus ratione, qua ipse locutus est apud Ezechielem , dicens Dedi eis præcepta non bona. Si autem velimus verba illa Isaiæ referre ad peruersam Iudæorum offerentium voluntatem , & dicere , quòd Deus pro temporibus Isaiæ odiebat peruersam Iudæorum offerentium voluntatem , & quòd propterea ipse dicit se odisse eorum sacrificia, quia non acceptauit illa tanquam sibi grata & placita,præsertim cùm neq; ipsa sacrificia in se poterant homines iustificare. Cur non ratione simili ipse dicetur odire naturalis legis officia externa , vt defendere viduam,subuenire oppresso,quæ in hominibus à Deo alienis non placẽt ipsi Deo neque ex se possunt homines iustificare absq; fide. Sunt ergo sententiæ illæ apud Isaiam capite primo expresse per verba præsentis aut prȩteriti temporis accipiendæ,tanquam prophetiæ coaptandæ tempori Christi tunc futuri . Sic & antiquissimi patres : Irenæus, Tertullianus, Cyprianus , prophetiam hanc ad tempus sub Christo referunt pertinere. Vnde Tertullianus libro aduersus Iudæos: Quod Propheta

Ieremi.7.d

Hieronym.

Isaiæ.1.d

Tertullianus.

A pheta (inquit) per verba præteriti temporis dicit : Terra vestra deserta,ciuitates vestrę incensę sunt igni,regionem vestram alieni coram vobis deuorant. dicit cõpletum esse sub Christi regno iam in gentibus prædicato euangelio. Tale quid refert & Cyprianus , nimirum studiosus Tertulliani lector . Sed hic obseruandum est,ne in vniuersum omnia prophetarum dicta & facta ita referamus ad tempora futura,vt interim negligamus historiæ veritatem , quam Propheta nunc vt præsentem nunc vt præteritam insinuat. Mos est prophetarum spiritu prophetico transire de litera ad spiritum,& recitare historiam rerum tam præsentium,quàm gestarum,velut vmbram,typum,seu figuram eorũ,quæ futura sunt . Neque enim ex his arbitrari debemus eos ita suas prophetias de futuris per Christum contexuisse,vt interim negligerent prorsus sua secula , & non gererent curam pro salute populi suorum temporum. Quemadmodum enim Christus & apostoli cõminationibus futuri iudicis & gehenuæ ignis, intendebant reuocare à peccatis ad timorem Dei,& verum illius amorem: sic prophetę(inquit Hieronimus)ita dicunt futura , vt interim præsentia non negligant . Rursus prophetiæ sub eodem contextu serieque sententiarum conscriptæ,nõ semper totæ eodemque tempore complentur, sed paulatim & secundùm temporum successiones, & plerunque multæ res futuræ,multęque captiuitates,diuersis longisq; temporum interuallis gerendæ, simul à prophetico spiritu promiscuè dicuntur absque vlla temporum differentia,absque vllo earundem rerum ordine,& interdum etiam ordine præpostero, veluti cùm ea quæ prius sunt futura posterius recitantur,quemadmodum & in primo Isaiæ capite multa dicuntur, quæ ita possunt accipi,vt videantur completa saltem ex parte, aut sub Isaiæ temporibus, aut sub Babylonica captiuitate. Quo fit,vt prophetia illa non simul tota,sed paulatim sit completa . Sicut enim Iudaici populi peccata suos habuerunt progressus , suaq; vsque ad Christum & Apostolos eius complementa, de idololatria, in prophetarum homicidia: de prophetarum homicidijs , in grauissimam Christi necem : & de hac in persecutionem Apostolorum & Ecclesiæ,quam Christus acquisiuerat sanguine suo, non cessantes donec per Romanum imperium prorsus deijcerentur in hanc longam captiuitatem , in qua neque amplius potestatem habent persequendi Christianam Ecclesiam , extra locum suum electi,sine lege,& sine sacrificio,& sine sceptro. Ita & Dei flagella super eundem populum Iudæorum suos habuerunt progressus , suaq; in multiplicibus flagellis & percussionibus incremẽta vsq; ad nouissimam eorum exterminationem . Secundùm horum consideratione apud Isaiam prophetã ait Deus: Quo percutiam vos vltrà,addentes prævaricationem prævaricationi? Præcipuam causam cur oderit calendas , holocausta, & solennitates Iudæorum, oblationesq; eorum despexerit,assignãs non idololatriam, sed effusionem sanguinis innocentis. Manus (inquit) vestræ sanguine plenæ sunt.non prætermittens tamen idololatrię peccatum in calce capituli . vt simul insinuet atq; prænunciet populum propter idololatriam etiam atterendum , & id quidem Babyloniorum flagellis propter idololatriam præcipuè irrogatis . Ab his autem Babyloniorum plagis idem populus suum peccatum agnoscens , liberatus per Cyrum,iudicibusq; restitutis, reuersus est in Hierusalem. His consideratis non turbabitur animus studiosi lectoris propter varias magistrorum exponentium sententias,datas super eundẽ propheticæ scripturæ locum. Et cùm plerunq; diuersæ magistrorum glossæ in eadem textus serie suas habent rationes & causas exponentium, prudentis lectoris est diligenter considerare sententias singulas , & meminisse propheticum textum non semper seruare rerum gestarum ordinem , & discernere quid cuique seculo conueniat , quæ captiuitati & deuastationi sub Babylonijs,& quæ deuastationi nouissimæ sub Romanis competant, quę item tempori prioris aduentus Christi, quę tempo-

Veritatem historiæ obseruandam.

Promiscuè prophetata successiuè impleri.

Isaiæ.1.b

Promiscuè loquitur scripturæ de 1. & 2. Christi aduentu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempori posterioris sint coaptanda, & non esse absurdum id, quod in capitis prin- A
cipio dicitur fuisse adimpletum post ea, quæ vel in medio, vel in fine eiusdem capitis futura describuntur. Vnde & apud prophetas comperimus plerunque sub eodem sententiarum contextu ea, quæ futura erant sub aduentu Christi primo esse promiscuè posita cum his, quæ futura erant sub aduentu illius secundo, & crebrum etiam transitum occultè fieri de rebus gerendis sub Christi regno militãte ad ea quæ futura expectantur sub regno Christi triumphante, quemadmodum videre possumus in multis Isaiæ capitulis, & præcipuè cap. 60. & capite vltimo. Proinde interrogantibus nos, cui vel tempori, vel ætati, vel captiuitati, aut desolationi sit coaptanda hæc vel illa scriptura prophetica, oportet nos non semper responsionem dare absolutam, assignando vnum aut alterũ tempus, sed plerunq; dicere ea, que prænunciantur futura, partim huic, partim illi tempori conuenire B
& prophetiam ex parte cõpletam esse, ex parte non esse completam: de quo latius in tractatu sequenti, in capite de transitu literæ ad spiritum. Hactenus de mutatione temporum in scripturis sacris, iam de mutatione personarum videamus.

Secunda pars huius capitis, de mutatione personarum.

Mutatio personarum.

MVtatio personæ est, dum mutatur vel persona loquens, vel persona cum qua, vel de qua, vel ad quam anteà loquebatur. Nam altitudo prophetica, dum vel de illo, vel ad illum loquitur, plerunque (inquit Augustinus) ita latenter transit ad alium, vt adhuc de illo, vel ad alium loqui videatur, non quasi intellectum scripturarum nobis hostiliter inuidens, sed medicinaliter exercens cor nostrum. In psalmis & prophetis sunt verba nunc Christi hominis, nunc Dei patris, nunc ecclesiæ, nũc prophetæ, nunc sathanę. Et id rursus in singulis per- C
sonis loquentibus multis contingit modis, secundùm quod vniuscuiusq; sermo nunc ad vnum dirigitur, nunc ad alium. Christus in forma serui loquitur, nunc pro carne sua propria, nunc Pro membris suis in ecclesia, nunc verò pro sua diuinitate sermonem componit, & nunc quidem ad patrem suum, nunc ad ecclesiam iustorum, nunc ad Antichristum aut dæmonẽ, aut ad satellites eius, nunc verò non ad aliquem horum, sed de aliquo horum sermonem facit. Hic ergo vigilare debet lector scripturæ sacræ studiosus, vt consideret tam personam, quę loquitur, quàm personam, de qua, vel ad quam sermo dirigitur. Verbi gratia: In scripturis ipsis propheta dum loquitur nunc sermonem dirigit ad Deum patrem, nunc ad Christum hominem, nunc ad ecclesiam, nunc ad diabolum, & nunc rursus non ad aliquem horum, sed de aliquo istorum sermonem facit. Sic & Deus cùm in psalmis D
& prophetis loquitur, nunc ad filium loquitur, nunc ad ecclesiam, nunc ad alium quempiam. Deus etiam in scripturis reperitur loqui ad Deum tanquam ad alterum quendam, & tunc intelligere oportet personarum discrimen in vnitate deitatis, & considerare filium loqui ad patrem, aut patrem ad filium, aut spiritum sanctum. Ad penetrandum igitur scripturæ intellectum oportet studiosum lectorem considerare & personam, quæ loquitur, & personam ad quam, vel de qua sermo dirigitur, Vnde spiritu prophetico dixit Isaias: Domine, quis credit auditui

Isaiæ. 53.a

nostro? & brachium domini cui reuelatum est? Sermo iste significans paucos esse

Cap. 52.d

credituros, de Iudæis loquitur, quibus primùm prædicauerunt apostoli. Nam de gentibus præmiserat: Ipse asperget gentes multas. & super ipsum continebunt reges os suum. Ex hac consideratione patet, quòd non ex quauis sententia personæ loquentis in scripturis authoritas ad probandum veritatem sumitur. Vnde ex eo

Iohan 9.e

quòd cæcus in euangelio dicit: Scimus quia Deus peccatores non audit. non sumitur ad probandum authoritas, nam cæcus ille, vt inquit Augustinus, loquebatur adhuc inunctus. In libro Iob sententiæ non omnes sunt ipsius Iob, sed nomi-

August. super Iohannem tractatu 44.c

nibus

A nibus aliorum illic sunt multa asserta. Siquidem amici Iob loquũtur vel cum Iob, vel contra Iob, quemadmodum in euangelio Iudæi contra Christum, aut cum Christo, Amici contumelijs & probris ipsum Iob innocentem afficientes, vmbræ erant & figuræ Iudæorum exprobrantium Christo Domino. De his sic loquitur diuus Gregorius: Amici beati Iob & si bona intentione ad eum venerint, hæreticorum tamen speciem tenent, quia ad culpam indiscretè loquendo dilabuntur. Vnde & illis ab eodem beato Iob dicitur: Disputare cum Deo cupio, prius ostendens vos fabricatores esse mendacij & cultores peruersorum dogmatum. Vnde ad eos dicitur: Non estis locuti coram me rectum. sicut seruus meus Iob. Vnde ipsi dum percussionum genera distinguere nesciũt, ipsum Iob pro culpa esse percussum crediderunt, & dum Deum conantur asserere iustum in sua percussione, beatum Iob conati sunt de iniustitia reprobare, nescientes distinguere diuersa per-

De amicis Iob & eorũ errore Gregorius.

B cussionum genera. Alia nanque est à Deo percussio, vt diuinæ gloriæ lumen crescat, nõ vt peccatum puniatur, aut percussus corrigatur, sed saluantis virtus cognita ardentius ametur. Eosdem tamen amicos per ignorantiam quandem potius, quàm per malitiam peccantes in dictis suis non per omnia reprobamus. Nam quia tanti viri (inquit Gregorius) amici erant, multa mystica ex eius familiaritate didicerant. Vnde & eorum verbis etiam apostolus Paulus vtitur. Deinde & is, qui in scriptura loquitur, interdum transfigurat in se aliorum personas, quemadmodum fecit Salomon in libro, quem prænotauit Ecclesiasten, loquens nunc in persona hominis stulti, nunc in persona vani aut ambitiosi, aut alterius cuiusquam eorum, qui præsentia solùm cogitant & amant. Verum quidem est, quòd ipse Salomon nullas in hoc libro sententias falsas asserat. Nam vbicunque agit personam

C cuiuspiam æstimantis bonum hominis esse secundùm corpus viuere, deliciari, & animam perire cum corpore, loquitur hoc vel simili modo: Dixi in corde meo, Sicut euentus stulti, ita & sapientis erit. Hanc sententiam corrigens subdit: Et locutus sum in corde meo, quoniam hoc quoque vanitas. Item dixi in corde meo de filijs hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs, ideirco vnus interitus hominis & iumentorum, & æqua vtriusq; conditio. Sed hanc corrigit subdens: Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum? Tanquàm dicat: Pauci hoc sciunt, rari sunt qui hoc considerant & animaduertunt. Vnde Hierony. hoc in loco: Quis non impossibilitatem (inquit) sed raritatem indicat. Clarior esset sententia, si coniunctio si, in quod transmutaretur, & diceretur: Quis scit quòd spiritus filiorum Adam ascendat sursum? quemadmodum Lyra docet ex Hebræo idiomate textum potuisse transferri, quàmuis & hæc sententia posset

Salomon in ecclesiaste loquitur secundùm diuersas personas.

D intelligi cum superioribus tanquàm erronea pronũciata in persona hominis stulti, putantis nihil interesse inter homines & bestias post hanc vitam. Beatus Gregorius quomodo hic liber sit legendus & exponendus sic dicit: Ecclesiastes autẽ propriè dicitur concionator. In concione verò sententia proponitur, per quam tumultuosæ turbæ seditio exprimatur. Et cùm multi diuersa sentiunt, per concionantis rationẽ ad vnam sententiã reducuntur. Hic igitur liber ideo concionator dicitur, quia in eo Salomon tumultuantis turbæ sensum suscipit, vt ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tentationem imperita mens sentiat. Nam quot sententias, per inquisitionem mouet, tot personas in se suscipit. Sed concionator verax velut extensa manu omnium tumultum sedat, & ad vnam reuocat sententiam,

Eccle. vltimo.

cùm in fine ait: Finem loquendi omnes pariter audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: Hoc est omnis homo. In hoc autem quod dicit: Finem loquendi omnes pariter audiamus, innuit quòd solus locutus non est. Sunt ergo alia in hoc libro, quæ per inquisitionem mouentur: alia, quæ per rationem satis faciunt: alia quæ profert tentantis animo: alia, in quibus ea quæ rationis sunt differit, vt ani-

mum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum à delectatione compescat. Nam cùm ait: Hoc itaq; mihi visum est bonum, vt comedat quis, bibat. &c. Et postea. Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum cõuiuij. illud ex infirmi persona, hoc ex ratione. Similiter etiam diuersas cognationum tentationes exponens ait: Vnus interitus hominis est & iumentorũ, &c. Quid habet amplius sapiens stulto, nisi vt pergat illuc vbi est vita. Has autem personas diligenter lector inspiciat, ne in Epicuri dogma incurrat. Ad scripturas igitur intelligendas oportet considerare non modò quid dicatur, sed à quo, qua occasione, affectione, & intentione, ad quem, & de quo dicatur. Et quia persona loquens in Psalmis & in scripturis propheticis, quàmuis sæpe variatur manifestè & apertè, veluti cùm dicitur: Hæc dicit Dominus, & dixi ego ad Dominum. frequens tamen tam tacitè & occultè, fit huiuscemodi variatio, vt turbetur plerunq;, & aliorsum rapiatur lectoris intentio. & quia generales regulæ magis illustrãtur, cùm ad particulares locos applicãtur, apud Isaiam locos aliquot, in quibus est personarum mutatio, videamus. In capite primo præfatio totius libri, vox est Isaiæ de se, tanquàm de altero loquentis: Visio (inquit) Isaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam & Hierusalem in diebus Oziæ, Ionathan, Achan, & Ezechiæ, regum Iuda. Hac præfatione premissa, idem ipse hortatur populum ad audiendum sermonem, quem Dominus ipsi locutus est: Audite (inquit) cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Deinde Isaias post sua hæc verba subiũgit sermonem, quem Dominus locutus est, & ita quod sequitur, vox est Dei loquẽtis ad populum Hierusalem: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autẽ spreuerunt me, cognouit bos possessorem suum. Væ genti peccatrici, qui dereliquerunt Dominũ, super quo percutiam vos vltrà? Omne caput languidum, &c. Terra vestra deserta, derelinquetur filia Syon vt vmbraculũ, &c. Post hunc sermonẽ Domini rursus ipse Propheta interposuit suum sermonem ad populum, dicens: Nisi Dominus exercituũ reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Audite igitur verbum Domini principes Sodomorum. Post hæc iam mox quodnam sit verbum Domini subiungit: Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? illic iam continuatur sermo Dei ad Syon siue Hierusalem vsq; in finem capituli, in quo sermone Dominus Deus primò intimat se Iudæorum victimas, hostias, sacrificia & festiuitates respuisse, propterea quòd manus eorum plenæ sunt sanguine. Deinde transit ad euangelicam puritatem, & quid pro sacrificijs illis fieri cupiat expressit: Lauamini (Inquit) mundi estote. Auferte malum cogitationũ vestrarũ. Subuenite oppresso, defendite viduam. In principio secundi capitis vox est Prophetę: Verbum (inquit) quod vidit Isaias filius Amos super Iudam & Hierusalem. Deinde recitat prophetiã, quam vidit super Iudam & Hierusalem. hanc videlicet: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles, & ad eum fluent omnes gentes, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini. Post hanc prophetiam recitatam Propheta conuertit sermonem ad populum suum, inuitans eos ad legem, seu ad lumen illius montis, dicens: Domus Iacob, venite ambulemus in lumine Domini Dei nostri. Deinde mox facit apostrophen, & conuertit sermonem ad Deum ipsum: Proiecisti enim populum tuum domum Iacob, quia repleti sunt vt olim. Tanquam dicat: Ideo hortor populum tuum, & dico eis: Venite ambulemus in lumine, quia pro merito peccatorum eorum proiecisti populum tuum domum Iacob, quia repleti sunt vt fuerunt in principio auguribus & somnijs. Ne ergo dimittas eis, scilicet qui tanta mala fecerunt. Post quæ rursus Propheta conuertit sermonem suum ad populum impœnitentem, prænuncians vniuersum Iudææ statum subuertendum, & omnia conterenda. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & reliqua vsque in finem capituli, vbi iam Propheta eundem populum

Cap. 6.

Occulta personę loquẽtis mutatio.

In diuersis capitibus Isaiæ esse personarum mutationem.

Cap. 1.

Eodem.

Eodem.

Cap. 2.

populũ monet, vt quiescat ab homine, id est, à Christo, & non offendat eum, quoniam magnus & excelsus reputatus est apud Deũ, licet in præsentiarum videatur vt homo, & spiramen habere in naribus. In principio capitis tertij Propheta prænunciat multa futura contra Hierusalem nolentem quiescere ab homine illo excelso, & dicit: Ecce Dominus exercituum auferet ab Hierusalem & ab Iuda sortem & virum bellatorem, & iudicem, & prophetam, & hariolum, & senem principem super quinquaginta, honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici: quæ sanè omnia, iam post Christũ passum sub Tito & Vespasiano completa videmus. Deinde Isaias seruans consuetudinem prophetalem, repentè mutat personam, cùm suprà fuerat vox prophetæ contra Hierusalem, quæ Christum persecuta est, mox subiungitur vox Dei per prophetam dicentis: Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabũtur eis. & corruet populus, vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum. Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. & reliqua quæ sequuntur sunt quæ Deus locutus est, vsque in eum locum, vbi dicitur: Ruit enim Hierusalem, & Iuda concidit, quia lingua eorum & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Quam sententiam rursus Propheta loquitur, reddens causam, cur nullus volet esse princeps populi Hierusalem, quia tota (inquit) Hierusalem corruit, propter blasphemias & adinuentiones eorum contra Christum Dominum. Deinde paucis interpositis mox subsequitur vox Dei dicentis: Populum meum exactores sui spoliauerunt. Et post pauca repentè mutata persona Dei, subijcitur vox prophetæ ibi. Stat ad iudicandum Dominus, ipse ad iudicium veniet cum senibus populi. Post quæ iterum Deus loquitur: Vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. Et deinceps vsque in finem capitis est vox Dei prænunciantis interitum populi Hierusalem, & desolationem pulchritudinis vrbis, atq; omnium ornamẽtorum eius. Hanc sanè desolationem iam olim completam vsq; hodie cernimus oculis nostris super Iudam & Hierusalem, videntes in Iudæa ex Iudæis neq; ducem, neque quinquagenarios principes, neque consiliarium, neque prophetas, neque prudentes eloquij mystici relictos esse. Ex quibus luce clara deprehendimus, prophetiam cõpletam esse: Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Deinde & hoc peculiariter ex hoc capite considerandum, quòd ipse Isaias huius desolationis causam intimauit, quia linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum fuerunt, vt prouocarent oculos maiestatis eius, blasphemantes in filium Dei, dixerunt: Dæmonium habet, reus est mortis, crucifige, tolle eum. adinuentiones quoque & falsa testimonia composuerunt aduersus eum. Deinde in capite quarto Propheta loquitur, prædicens in illis diebus tantam futuram esse virorum Iudæorum raritatem, vt septem mulieres vix valeant habere vnum virum, omnibus viris Iudæis aut interfectis, aut in captiuitatem ductis: & tunc erit (inquit) germẽ Domini, scilicet Christi, in magnificentia, & exultatio his, qui fuerant saluati ex Israel. Postea in capite quinto, super prædicta desolatione Hierusalem cantat propheta carmen lamentabile populo Israel. Primùm præfatione quadam præmissa, dicit se cantaturum dilecto suo, scilicet patri, canticum patruelis sui (quem intelligimus Christum) vocat patruelem seu cognatum propter humanam carnem assumptam ex omnium parẽte nostro Adam, & hoc canticũ est de vinea eius, scilicet patruelis, nempe de plãtatione vineæ illius, & sterilitate, & de direptione seu demolitione ipsius. Porrò Ecclesiæ ex hac reproba vinea segregatæ ad generandum filios spirituales de populo gentium: aliud est carmen editum à Dauid, plenum iucunditatis & gaudij, de quo in Psalmis: Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Notũ fecit

Cap. 3.

Gen. 49. b

Cap. 5.

Psalmo. 49. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILTER AC. fecit Dominus ſalutare ſuum, in cõſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam, hoc A
Pſalmo. 48.a eſt canticum lætitiæ ipſis gentibus, quibus dicitur: Omnes gentes plaudite manibus. Iſtud autem Iſaiæ canticum erat carmen lamentationis & fletus. Hoc carmen ſic recitat: Vinea facta fuit dilecto meo in cornu filio olei, hoc eſt, vinea fuit plantata dilecto meo in cornu filio olei, hoc eſt, in regno forti, quod eſt filius olei, id eſt, pinguedinis. Tanquam dicat: Vinea hæc fuit plantata in agro pingui & fertili.
Iſa.5.a Deinde paucis interpoſitis mutatur perſona, & ſequitur vox Dei: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Iudicate ergo inter me & vineam meam, quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? Et deinceps vox Dei eſt, prædicentis mala ſuper Hieruſalem futura: Væ qui coniungitis domũ ad domum, væ qui cõſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Væ qui ſapientes eſtis in oculis ve- B
ſtris. His omnibus ſimilibuſque ſententijs Dominus Deus cauſas exprimit deſolationis huius vineæ, ſiue Iudæorum ſynagogæ, quia videlicet veram Dei patris ſapientiam, veram lucem contempſerunt. Proinde & inter cæteras illic contexuit: Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Continuatur autem Dei ſermo vſque ad verſiculum: Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & ſermonem ſancti Iſrael blaſphemauerunt. Et hic iam eſt vox Prophetæ reddentis cauſam, propter quam Deus ſit facturus omnia hæc mala. Sed ne in his & ſimilibus ſermonibus veteris ſcripturæ propheticè dictis, aliorſum rapiatur ſtudioſus ſcripturæ lector, oportet ea quæ dicuntur per verba præteriti temporis, ſecundùm conſuetudinem prophetalem intelligere, tanquam tunc ſcilicet ſub Iſaiæ ſeculo, adhuc futura, & tanquam propheticè dicta, intelligendo
Cap.6. verbum præteriti temporis, pro verbis temporis futuri. In capite 6. eſt vox Iſaiæ C
teſtificantis ſe poſt mortem Oſiæ vidiſſe Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & iubentem ipſi, vt annunciaret populo Iudæorum excæcationem & deſolationem totius ſtatus populi Iudaici. Neque eſt in hoc capite vlla propter mutationem perſonarum obſcuritas, cùm ipſe Iſaias plano ſermone explicet perſo-
Cap.7. narum loquentium diſtinctionem dicens: Dixit Dominus, aut: dixi ego, In ſeptimo capite obſcuritas quædam poteſt apparere ſtudioſo lectori, conſideranti textus ſeriem totius capituli. Contingit hæc obſcuritas partim propter ſuppreſſionem ſententiæ ſubintelligendæ, partim propter mutationem perſonarũ, ad quas fit ſermo. Sententia quædam ſubaudienda eſt ante hoc quod dicitur: Et adiecit Dominus loqui ad Acham dicens: Pete tibi ſignum. In ſuperioribus locutus fuerat Dominus ad Iſaiam, iubens illi, vt occurreret regi Acham, metu hoſtium duorum regum cõſternato, & ex ore Dei diceret ipſi, ne timeat, ſed confidat & credat D
Deo pollicenti, ſe ab illis regibus liberandum, & quòd ſi non credat, non intelliget. Hic iam vt ſeries ſententiarum magis appareat, ſubintelligendum Iſaiam feciſſe hæc omnia, & dixiſſe ad Acham verba vt præceperat ei Dominus, Acham verò perſeueraſſe in incredulitate, & neque fiſum fuiſſe Deo, neq; credidiſſe verbis Prophetæ de liberatione ab illis regibus. Ex illis iã intellectis eſt introductio quædam ad intelligendum prophetiam, quæ ſequitur, hoc modo: Et adiecit Dominus loqui ad Acham, dicens: Pete tibi ſignum, ſiue in cœlo, ſiue in terra. Tanq̃ dicat: quia neque credis, neque fidis verbo meo, quod locutus ſum tibi de liberatione illorum duorum regum, pete tibi à Domino Deo tuo liberationis tuæ ſignum, quo diſcas eſſe futura quæ dico. Poteſtatem habeo tam in cœlo, quàm in terra: ex miraculo ergo diſcas me eſſe veracem & potẽtem. Impius autem Acham his verbis adhuc incredulus, neq; fiduciam habens in Deo ſuo, ſed magis in idolis, & aut deſperans, aut cupiens humanum auxilium, ſuperbè reſpondet: Non petam, & non tentabo Dominum, Deinceps dimiſſo rege impio, ad domum Dauid

Dei

CAP. IIII.

A Dei verba vertuntur, & promittitur illi domui virgo paritura filiũ, cuius nomen ſit Emanuel, qui tametſi ſit Emanuel, id eſt, Deus nobis cohabitans, tamen cibis vtetur infantiæ, videlicet butyro & melle, qui nondum puer natus, ſed inuocatus ſolùm, liberat eos qui credunt in ipſum. Ad hoc propoſitum ſequitur in textu: Et dixit: Audite ergo domus Dauid, Nunquid parum eſt vobis moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Hic iam textus habet: Et dixit. ſed non exprimit quis dixit. Sed ſciendum eſt, quemadmodũ ſuperiora verba Dominus dixit per Iſaiam, ita & hic ex ore Domini propheta loquitur, ſermonem conuertens ad familiã regis, quæ erat de domo Dauid: Audite ergo domus Dauid, Nunquid parũ eſt vobis moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Tanquàm dicat: Nunquid parum eſt vobis ſuperbire contra homines prophetas, quorum verba deſpicitis, & prophetias contemnitis, niſi & ſuperbiatis contra Deum meũ,
B quem loquentẽ audire non vultis? Propter hoc, quàmuis ſitis indigni, tamẽ Dominus pro ſua bonitate dabit vobis ſignum, ſignum inquam ſalutis, & liberationis ab omni malo, quod tamen ſignum niſi credideritis, nõ permanebitis. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emanuel, quod interpretatur, Iſaiæ 7.a
Deus nobiſcum: quo indicatur, quòd Deus erit homo, & quòd homo ille velut puer butyrum & mel comedet, ita vt ſciat reprobare malũ, & eligere bonum: & quòd adhuc butyro & melle paſtus, pãnis infantiæ inuolutus, habebit boni & mali iudicium. Quia antequàm puer ſciat reprobare malum, & eligere bonum, terra,
C quam tu domus Dauid deteſtaris, ſeu odis & abominaris, derelinquetur à facie ſeu præſentia duorum regum illorum. Tanquàm dicat: Etſi puer iſte Emanuel venturus moram per tempus aliquod fecerit, & non iam mox natus fuerit, nolite diffidere quia etiã priuſquã naſcetur, & priuſquàm in tempus illud veniet, quo ſciat ſic in puerili ætate ſua reprobare malum, & eligere bonum, terra illorum duorum regum, quam tu odis & formidas, erit derelicta & deſolata, illis duobus regibus in captiuitatem ductis per Aſſyrios. Super te autem non credentem adducet Dominus malum, quòd non formidaueras, & idcirco non hi duo reges ſunt tibi metuendi, ſed alij hoſtes, de quibus non cogitas, & hoc eſt quod dicit: Adducet Dominus ſuper te, & ſuper populum tuum, & ſuper domũ patris tui dies, qui non venerunt à diebus ſeparationis Ephraim, à Iuda cum rege Aſſyriorum. In ca-
pite 8. nonnulla eſt obſcuritas in contextu ſermonis propter mutationem perſo- Cap.8.
narum. Vnde in ſuperiori capite promiſſa eſt domui Dauid virgo paritura filiũ, cuius nomen Emanuel, in quo ſalutem pollicetur, & liberationem ab hoſtibus. Iam rurſus in hoc capite, ex occaſione eorundem duorum regum, contra Hieruſalem ſeſe præparantium, partus deſcribitur virginalis eiuſdem filij, cuius nomen
D erit velox ſpoliorum detractor. In principio autem capitis Iſaias teſtatur, quòd Dominus ad ipſum dixerit: Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis. Hoc autem quod ſequitur: Velociter ſpolia detrahe, citò prædare. eſt ſermo quem propheta debebat ſcribere, eſtq; vox patris ad filium, vt ipſe filius deſcendat in carnem, & velociter ſpolia detrahat à poteſtate diaboli, & ne vltrà patiatur ipſum habere poteſtatem ſupra electas animas. Facit ergo Propheta quod ſibi eſt iuſſum, & ſubiungit: Et adhibui mihi teſtes fideles: Vriam ſacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, & acceſsi ad prophetiſſam, & concepit, & peperit filium. Hic ſciendum eſt, quòd iſta teſtium adhibitio, & acceſſus ad prophetiſſam, non eſt accipienda tanquàm realis, ſed ſecundùm viſionem imaginariam, in qua intellexit prophetiæ ſuæ certitudinem, & virginem glorioſam ex ſpiritu ſancto concepturam, & parituram eſſe filium. Et dixit mihi Dominus: Voca nomen eius, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari. rationem nominis adijciens: Quia antequàm puer ſciat vocare patrẽ ſuum, aut matrem ſuam, auferetur for-

a

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILTRAC. tur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Quasi dicat: Congrua ratione nomen pueri est, velox prædator, quia etiam hostes spoliat prædis suis nondum natus, aut infantulus, priusquã sciat dicere, pater meus. Deinceps in eodẽ cap. Deus loquitur ad prophetã solito charactere vsq; in eum locũ: Congregamini populi, & vincemini: confortamini, & vincemini: accingite vos, & vincemini. inite consilium, & dissipabitur. Hic iam est sermo prophetæ, ex fiducia in Emanuelem insultantis hostibus, q̃ nihil valeat eorũ potestas contra populum Emanuelis. Deinde rursus consueto more ait propheta: Hæc enim ait Dominus ad me, Sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius, dicẽs: ibi hoc totum est vox prophetæ, tanquã dicat: Hæc ait Dominus erudiens me, sicut in manu forti, ne irem in via populi huius. Et quidnam sit Dominus locutus ipsi, subiungit: Non dicatis cõiuratio. & totum quod sequitur, est sermo Dei loquẽtis ad prophetam, & ad populum suum, vsq; in eum locum: Et expectabo Dominũ, qui abscondit faciem suã à domo Iacob, & præstolabor eum, ego & pueri mei, quos mihi dedit Dominus in signa atq; portenta Israelis. Ille iam sermo vox est Christi, aut prophetæ gerentis typum Christi, aut loquentis in persona Christi: quemadmodum Apost. Paulus ad Heb. 2. docet hoc testimonium ex persona debere intelligi Domini nostri saluatoris. Initium cap. 9. vox est prophetæ spiritu prophetico vaticinantis de tempore Christi, vt patet Matt. 4. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nepthalim, & nouissimò aggrauata est via maris trans Iordanẽ Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam habitãtibus in regione mortis, lux orta est eis. Hactenus est vox prophetæ. Deinde ad lucem ipsam, quæ apparuit populo in tenebris constituto, id est, ad Dominum saluatorẽ fit apostropha, & dicitur ad eum: Multiplicasti gentem, sed nõ magnificasti lætitiam. Ne prolixitas fastidiũ ingerat studioso lectori, multa capita in Isaia prætermittimus, in quibus studiosus lector potest ex supradictis repentinas quasdam mutationes personarũ considerare. Quemadmodum initia quædam ex primis capitulis libri Isaiæ, ita & ex eiusdem libri posterioribus capitulis de hac mutatione personarum aliqua videamus. Principium cap. 45. planè explicat Dominum loqui ad Christũ suum Cyrum, & quidnam ad eum loquatur sequitur: Ego ante te ibo, & glorioso terræ humiliabo, &c. Et dabo tibi thesauros absconditos. & reliqua quæ sequuntur, sunt verba Domini ad Christum Cyrum, vsq; ad versiculum qui incipit: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustũ. Iam vox est prophetæ desiderantis aduentũ Domini nostri Christi per Cyrũ significati. Vnde optãtis affectu propheta loquitur, vt cœli, id est, cœlestes spiritus ac nubes, id est, apostolici viri rorẽ cœlestis euangelij desuper annuncient, & pluuiã administrẽt salutaris doctrinæ. Post quæ rursus mutatur persona, & incipit esse vox Domini, qui fauẽs desiderio prophetę mox loquitur: Ego Dominus (inquit) creaui eũ, scilicet iustũ Christum, & saluatorem. Deinde intimatur esse vox Domini ad populum: Hæc dicit Dominus sanctus Israel, Plastes eius, ventura interrogate me. & reliqua quæ sequuntur, sunt verba Dei ad populum, vsq; in eum locũ, vbi dicitur: Hæc dicit Dominus Deus, Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & viri Samaim sublimes ad te transibunt. & reliqua sunt verba Dei loquentis ad Christum filium suum: quemadmodũ planè indicant verba paucis interpositis sequẽtia: Verè tu es Deus absconditus, &c. Principium cap. 49. Audite insulæ, attendite populi de longè, Dominus ab vtero vocauit me. est vox Christi filij Dei & hominis, qui & in calce præcedentis capitis loquitur: Accedite ad me, & audite me, non à principio in absc̃dito locutus sum, ex tempore antequam fierent ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me & spiritus eius. Insuper & Idem filius est, qui in principio capitis quinquagesimi appellatur Dominus, qui & loquitur ibidem ad populum, dicens:

Cap. 9.

Isaiæ. 45.

Cap. 49.

A

B

D

Quis

A Quis est hic libellus repudij matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrẽ vestram, & quænam sint scelera subiecit: Quia veni (inquit) & non erat vir. Et infrà: Dominus dedit mihi linguam eruditam. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Ex his patet, quòd pro alia persona accipitur Dominus in medio capitis 49. vbi dicitur: Hæc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum. Pro alia in principio capitis sequentis, quia Dominus hic pro filio, illic pro patre intelligitur. Principium capitis 53. Quis credidit auditui nostro, vox est apostolorum de paucitate Iudæorum credentium, & de passionibus Christi filij Dei. vsque in locum illum vbi dicitur: In scientia sua lætificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos. hoc iam totum vox est Dei

B patris ad populum testificantis de filio suo vsque in finem capitis, quæ sanè vox patris continuatur per totum caput sequens, simul & per totum caput 55. quod incipit: Omnes sitientes venite ad aquas. vbi est vox Dei patris excitantis populum ad properandum in Christi gratiam, hoc totum esse vocem patris indicat hoc quod tandem sequitur: Ecce testem populis dedi eum, scilicet Christum Dauid, ducem, & præceptorem gentibus. Hæc diligenter considerata, magnam faciunt lectori illustrationem in sententiarum cohærentia. Per totum 60. caput est vox Christi ad Ecclesiam segregatã de synagoga Iudæorum deserta & reprobata: Surge (inquit) illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & ambulabunt gentes in lumine tuo. & continuatur vox Christi in caput sequens: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me. & illic per totum caput vox Christi est. Prope finem capitis loquentis pro se & pro ecclesia sua: Gaudens (inquit) gaudebo in

C Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, indumento iustitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. In principio capitis 63. Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? vox est aut angelorum admirantium, aut prophetæ in spiritu interrogantis seu admirantis Christum incarnatum, crucifixum & passum, triumphantem, & in cœlo ascendentem. Cui scisitationi respondens ipse inquit: Ego sum qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Rursus scisitantur angeli & prophetæ, & dicunt: Quare ergo rubrum est indumentum tuum? Quibus respondit: Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Circumspexi, & non erat auxiliator. & reliqua vsque ad versiculum vbi dicitur: Miserationũ Domini recordabor. ibi est vox prophetę in personam ecclesiæ seu populi agnoscentis tam grande beneficium misericorditer præstitum

D domui Israel: Miserationum (inquit) Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis, & super multitudinem bonorum domui Israel, quę largitus est eis secundùm indulgentiam suam, & secundũ multitudinẽ miserationum suarũ. & dixit, scilicet Dominus ille, qui sic misericorditer largit9 est domui Israel: Verè populus meus est, filij non negantes me, & ipse factus est saluator ipsis. scilicet non negantibus. & reliqua quæ sequũtur, vsq; ad versiculũ illũ, qui incipit. Adduxisti populũ vt faceres tibi nomẽ gloriæ. hic iam est vox prophetæ loquẽtis ad Deum ipsum, & reliqua vsq; in finem capituli. Principium cap. 64. Vtinam dirũperes cœlos Domine, & descenderes. vox est ecclesiæ veteris populi desiderantis aduentũ Christi in carnem, quem & per omnẽ locum in scripturis desiderauerunt sancti reges & prophetæ. Post hæc paucis interpositis, ecclesia tanquam audita esset infert: Descendisti, & à facie tua montes defluxerunt, tanquam dicat: Tu de cœlo descendens verbum factum es caro, & habitasti in nobis, & ideo à facie tua montes defluxerunt: à seculo homines neq; audierũt, neq; auribus perceperunt,

Cap. 53.

Cap. 55.

Cap. 60.

Cap. 63.

Cap. 64.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC. perunt, neq; oculus vidit ea, quæ tu Deus præparasti expectantibus & desiderantibus misericordiam tuam. Ecce tu iratus es, quia peccauimus tibi, & in peccatis fuimus semper, facti sumus immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ, & reliqua in finẽ vsq; capitis, sunt voces populi. Principium. 65. A

Cap. 65. est vox Christi ostendentis vocationem gentium, & derelictionem Iudæorum: & illam quidem fieri ex misericordia, hanc autem ex iustitia, propter eorundem Iudæorum superbiam & incredulitatem, addens tamen non totam plebẽ Iudaicam periturã, sed de Iacob & de Israel esse semen relinquendũ, quod hæreditabit mõtem sanctum Dei, in quo lupus & agnus pascentur simul, & leo & bos comedent

Cap. 66. paleas. Initium. 66. & vltimi capitis. vox est prophetæ recitantis sermonem Domini, declarantis mõtem istum Syon & templum in Iudæa non carnaliter, sed spiritualiter esse intelligendũ. Hęc (inquit) dicit Dominus: Cœlum sedes mea est, & terra scabellum pedũ meorũ. Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus requietionis meæ? Ad quem aũt respiciam, nisi ad pauperculũ & cõtritum spiritu, & tremẽtem sermones meos? & reliqua sequentia vsq; in finem libri sunt verba Domini Dei docentis nos, vt intelligamus montem sanctum Syon seu Hierusalẽ, & omnia quæ ipse pollicetur, non carnaliter secundũ delicias mundi huius, sed spiritualiter explenda esse: carnalia quoq; sacrificia reijcienda esse, & eos confundendos, qui abijciũt seu odiunt fratres confitentes nomen Domini, & Hierusalẽ seu ecclesiã fore fœcundã, parituramq; filios multos, eamq; die vno, hoc est, breuissimo tempore crescere in gentem magnam, & se in igni & quadriga vẽturum esse ad iudicandũ omnem carnem, seq; ex his, qui fuerint saluati ex Hierusalem missurum esse legatos ad gentes, & ad insulas longè, qui adducant fratres in montem sanctum Syon domũ Domini, futurumq; esse mensem nouũ, sabbatumq; nouum spirituale, ex mense & sabbato Iudæorũ carnali, & omnẽ carnem, hoc est hominum genus venturum esse vt adoret coram facie Domini, omnesq; homines visuros esse cadauera eorũ, qui præuaricati sunt in Dominũ Deũ, quorũ præuaricatorũ neq; vermis morietur, neq; ignis extinguetur. Similes personarũ mutationes inuenimus & in alijs prophetarũ libris, rarius tamẽ: frequentissimas autem in psalmis, ex quibus locos aliquot hic annotabimus, quibus cõsideratis attẽti magis poterimus esse in cæteris. Ante nos docuerunt concorditer patres ecclesiastici, non oportere semper in psalmis historiã cãtari, quam titulus psalmo præfixus indicat: sed oportere nos historiam illam intelligere fuisse vmbrã & occasionem in qua spiritu sancto illustrante, propheta intellexit futura sibi monstrata: & hoc verum esse demonstrari potest non solùm ex patribus, sed & ex ipsis sacris scripturis, seu doctrina Apostolorum de Christo Domino exponentium psalmos, quibus titulus præfigitur, indicans aut psalmũ esse Dauid, aut historiam de rebus à Dauid gestis, vt patet in psalmo 2. & 15. quos beatus Petrus in Actis exposuit de Christo Domino. Manifestum est psalmũ 3. & psal. 21. & 68. & 87. esse voces Christi secundùm dispositionẽ carnis infirmæ orantis patrem: quibus tamen psalmis tituli pręponuntur, indicantes historiam eam de Dauid. Psalmi 2. titulus est: Psalmus Dauid quando fugit à facie Absolon filij sui. Psalmus 87. cuius initium est: Domine Deus salutis meæ. titulus est: Canticũ psalmi filijs Choræ in finem pro Mahaleth. Sed propositũ Dauid (inquit Hieron.) erat, non tantùm de se, aut de rebus in titulo prænominatis, quid corporaliter actũ sit referre, sed ex his velut exemplis & speculis quibusdã instituere homines in Christum finem tunc futurum. De his autem latius in sequenti tractatu de transitu literæ ad spiritum. De mutatione personarum in psalm. videamus. Totus psalmus 1. est vox prophetæ loquentis ex spirito in laudem viri beati, qui est Christus, & in reprehensionem impiorum.

B

C

D

De personarũ mutatione in psalmis.

Psalmos non tãtũ historiã, sed prophetiã continere.

Act. 2. & 4.

Psalmo. 1.

2. In psalmo 2. qui incipit: Quare fremuerunt gentes. quatuor primi versus sunt voces

A voces prophetæ mirantis quare temeritas gentium & populorũ fremuerunt aduersus Deum & aduersus Christũ eius, & hos versiculos interpretatur Petrus Act. 4. de Christo Domino. Ab illo aũt loco: Ego autem cõstitutus sum rex ab eo. &c. est vox Christi ad populum indicantis patrem ad se locutum esse quod sequitur: Filius meus es tu, ego hodie genui te. & ideo hic incipit vox patris ad Christum, vsq; ad 10. versiculum, qui incipit: Et nunc reges intelligite. ibi est vox prophetæ cohortantis reges terræ, vt disciplinam Christi recipiant, vsq; in finem. Tertius psalmus est vox Christi loquentis ad patrẽ, & explicantis ludęorũ contra se persecutiones: Domine (inquit) quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt, &c. Totus. 4. Psalmus. Vox est ecclesię dirigentis sermonem suum, nunc ad ecclesię membra, nunc ad Deum ipsum, veluti cùm dicit: In tribulatione dilatasti mihi. nunc ad gentes, quæ nondum sunt ecclesiæ membra, veluti cùm dicit: Filij

B hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem? nunc denuò ad Ecclesiæ mẽbra: Irascimini, & nolite peccare. nunc rursus ad ipsum Deũ, veluti cùm dicit: Signatũ est super nos lumen, &c. Similiter totus psalmus. 5. vox est ecclesiæ Deum orantis, prædicantisq; malignos, & iniustos, & mendaces excludendos ab habitatione Dei: sperantes autem in Deo, & diligentes verbum illius, in æternum exultaturos. Psal. 6. qui incipit: Domine ne in furore, &c. siue dicatur esse vox Duid pœnitentis, siue vox ecclesiæ ad Deum patrem pœnitentis, siue vox Christi patrem orantis, & ea quæ membrorum suorum in corpore quod est ecclesia, sunt, sua facientis, non refert ad sensum. Psalm. 7. qui incipit: Domine Deus meus. est vox Dauid postulantis liberationem à persecutione hostiũ, declarantis suam innocentiam super crimine falso coram Saul sibi imposito. Ex hac autẽ re gesta, Dauid

C prophetico spiritu transit ad Christum, cui Iudæorũ plebs imposuit falsa crimina coram inuidis Iudæorũ pontificibus, cùm dicit: Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorũ meorũ, & reliqua. Iudica me secundũ iustitiam meam, & secundum innocentiã meam super me. Hęc Dauid loquitur in persona Christi. Psal. 8. qui incipit: Domine Dominus noster. est vox prophetę de nomine Domini quod est Christus Iesus admirabilis in vniuersa terra. Vnde & Christus testatur hanc prophetiam: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudẽ. in se esse completam. Apost. item ad Heb. citat versiculum in hoc psalmo de Christo Domino, vbi dicitur: Minuisti eum paulò minus ab angelis. intelligẽs Christum hominem paulò minus ab angelis diminutum. Totus psalm. 9. qui incipit: Confitebor tibi in toto corde meo. est vox prophetæ aut ecclesiæ cõfitentis Deo, qui aduentu suo in carnẽ destruxit diaboli potestatẽ, & nunc sermonem dirigit ad Deum patrẽ, vt in

D 1. versiculo, & ad Christũ, qui vnus est cũ Deo patre: Quoniã fecisti (inquit) iudicium meũ & causam meã, id est, inter me & aduersariũ meũ diabolũ egisti causam pro me, & prosperã mihi fecisti sententiam, & secundùm iustum tuũ iudicium, destruens aduersarij mei potestatẽ. Nunc sermonẽ dirigit ad populũ liberatũ: Psallite (inquit) Domino qui habitat in Syon. Nũc rursus ad Dominũ cõuertitur cõtra Antichristũ: Miserere mei Domine, & vide humilitatẽ meã. Exurge Domine, non cõfortetur homo, scilicet perditionis, qui est Antichristus, de quo sermonem prosequitur, ipsum vocans impiũ peccatorẽ, qui laudatur in desideriis animæ suæ cuius os plenũ est maledictione & dolo, qui sedet in occultis cũ diuitibus. Hic aũt sciendũ est, q̃ iste psalm. 9. quem nos habemus vnicũ, Hebræi in duos psalmos diuidunt, incipientes 10. psalmũ in versiculo illo: Vt quid Domine recessisti longè, & despicis in opportunitatibus. & ita psalmũ quẽ nos facimus 10. ipsi faciunt 11. cõsentiẽtes tamen nobiscũ in vnũ psalmorũ numerũ. Nam psalmũ: Lauda Hierusalẽ Dominũ, quem nos facimus 147. ipsi non faciunt psalmũ nouum, iungentes illum tanquam partem psalmi 146. & ita concordat cum ecclesia Latina in psalmo 148.

Totus

Universidad de Deusto
Biblioteca

10. Totus Psalmus.10.qui incipit: In Domino confido. Est vox prophetæ in persona Christi aut Ecclesiæ loquentis ad eos, qui aut ex affectione quadam humana, aut ex maleuolentia cõtra bonum animi propositum suggerunt: In Domino (inquit) confido,quomodo dicitis animæ meæ,Transmigra in montem sicut passer? Tanquàm dicat: Quomodo vos dicitis animę meæ,vt transmigret in montem solitudinis, propterea quòd peccatores intenderunt arcum contra me? certè frustra id suadetis & suggeritis mihi, quia ego confido in Domino. Principium Psalmi 11. qui incipit: Saluum me fac Domine,quoniam defecit sanctus,quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum. est vox Christi pro parte suæ carnis & membrorum orantis patrem,vsq; ad illum locum vbi dicitur: Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam. vbi est vox patris pollicentis filium suum salutare se missurum. Deinde sequitur vox ecclesię supplicantis,& commendantis eiusdem salutaris eloquia: Eloquia Domini,eloquia casta. Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac. Sunt qui dicunt initium huius Psalmi esse vocem Ecclesiæ Christum desiderantis: sed nihil refert, quia eadem est vox Ecclesiæ & Christi pro Ecclesia orantis. Totus Psalmus.12. qui incipit: Vsquequo Domine obliuiscēris me in finem. est vox Ecclesiæ veteris legis, aduentum Christi magno desiderio postulantis, & propter longam illius moram suspirantis & ingemiscentis. Vnde & hic Psalmus potest esse oratio deuotissima cuiuslibet fidelis animæ, constitutæ in periculis huius vitæ, & in corpore mortis huius: Vsquequo Domine obliuiscēris me in finem, vsquequo auertis faciē tuam à me? Vsquequo ponam consilia in anima mea,dolorem in corde meo? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum. Totus Psalmus.13. qui incipit: Dixit insipiens in corde suo,non est Deus. est vox prophetæ, declarantis vniuersos filios hominum deuiasse à via Dei, & omnes factos esse inutiles, donec fiat generatio iusta per fidem & spem in Israel. Vnde & postulat ex Syon dari hoc salutare: Quis dabit (inquit) ex Syon Israel salutare Dei. Totus Psalmus.14.qui incipit: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo,& cęt. est vox prophetæ, constituta ex interrogatione vna posita in versiculo primo, & sua responsione sex versibus sequentibus contenta. Totus Psalmus. 15. qui incipit: Conserua me Domine. est vox Domini nostri saluatoris loquentis ad patrem secundùm formam serui,quemadmodum exponit Petrus Apostolus,citans ex hoc psalmo versiculum de Christi resurrectione. Totus Psalmus.16.qui incipit: Exaudi Domine iustitiam meam. itidem est vox Christi, secundùm formam humanam orantis pro se,& pro corpore suo,quod est Ecclesia.Soli nempe Christo conuenit dicere: Exaudi me Domine secundũ iustitiam meam, & non est inuenta in me iniquitas. Decimusseptimus Psalmus,qui incipit: Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum. est vox Christi agentis gratias Deo, quòd liberauerit ipsum & Ecclesiam suam ab omnibus inimicis suis. Vnde & ea, quæ in hoc psalmo loquitur propheta, soli competunt Christo,videlicet: Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam,& secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi. Neque persona quæ loquitur, neq; persona ad quam loquitur,in toto psalmo mutatur. Proinde vox Christi ad Deum est versiculus ille: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruerteris, hoc est, tu Domine sanctis & innocentibus benefacies, peruersis autem & impijs eris peruersus,hoc est vltor eris. Sicut alibi Iudæis ipse loquitur: Si incesseris peruersè coram me, incedam & ego peruersus vobis. Totus psalmus 18. qui incipit: Cœli enarrant gloriam Dei. vox est prophetæ prænunciantis publicationem verbi incarnati seu euangelij Christi per vniuersum mundum, per

Act.2.d

A cœlos, per firmamentum translatè accepta intelligens Apostolos & doctores sub euangelio Christi, qui olim fuerant in nocte gentilitatis, aut in obscuritate veteris legis. Nam & ad illum intellectum ex hoc spalmo citat versiculum Apostolus ad Rom.dicens: In omnem terram exiuit sonus eorum. Psalm.19.qui incipit: Exaudiat te Dominus in die tribulationis. est vox Prophetæ loquentis ad Christum, vt ad regẽ pariter & sacerdotẽ optantis simul & prænũciantis, omnia ipsi Christo à Deo patre venire ad vota seu desideria sua in die tribulationis seu passionis eius. Vnde nunc per verba optatiui modi,nunc per verba præteriti temporis,nunc per verba futuri temporis loquitur: Exaudiat te Dominus in die tribulationis,mittat tibi auxilium de sancto,memor sit omnis sacrificij tui,lætabimur in salutari tuo,id est, in saluatione à te nobis futura. & reliqua hæc sunt verba Prophetæ ad Christum,vsque in eum locum vbi dicitur: Nunc cognoui. hic iam est vox Prophetæ,

B non ad Christum, sed de Christo loquentis animæ suæ, & in illa omnibus nobis. Propheta præuidens omnia prosperè Christo esse futura: Nunc (inquit) cognoui,quia Dominus saluum fecit Christũ suum, exaudiet illum de cœlo sancto suo: exaudiet inquam illum pro humano genere supplicantem. Vnde & in fine psalmi inquit: Domine saluum fac regem,& exaudi nos in die,qua inuocauerimus te: exaudi inquam nos,supple in nomine ipsius supplicãtes. Et illum esse huius versiculi intellectum patet ex Hebraica veritate,quæ (vt inquit Hieron.in commentarijs) habet: Domine saluum fac regem, qui exaudiat nos in quacunq; die inuocauerimus eum. Ex hoc versiculo patet luculenter,psalmum istum esse de rege Christo, qui inuocatus nostras orationes exaudiet: ex quo consequens est Prophetam intimasse, Christum Dominũ esse verum Deum inuocãdum & adorandum. Psal.20. qui incipit Domine in virtute tua, &c. est vox Prophetæ loquentis ad patrem de

C Domino nostro Iesu, quem vocat regem & salutare,exprimens dona,quæ accepit à Deo patre. Psal.21.qui incipit: Deus, Deus meus,quare dereliquisti me? vox est Christi in cruce loquentis ad patrem,vt patet ex euangelio Matth. recitãtis Christum in cruce clamasse, id quod est initium huius psal. Item & in euang. Ioan. ex hoc psal.citantis: Foderunt manus meas & pedes meos,diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. In principio psalmi ad patrem loquitur Christus, non quasi nescius interrogans patrem, quare ab ipso fuerit derelictus, sed suam exprimens passionem, humanam suam formam nobis intimauit mortalem. Vnde post interrogationem à se factam,quasi sibi ipsi respondens,causam reddit cur fuerit à patre sic in passione derelictus: Longè(inquit)à salute mea verba delictorum meorum, clamabo per diem, & non exaudies, & nocte,& non ad insipientiam mihi. acsi dicat: delicta seu peccata membrorum corporis mei,

D fecerunt me derelictum esse in passione mea,quemadmodum ipse apud Isaiam loquitur ad hominũ genus: Laborare me fecisti in iniquitatibus tuis. Deinde idem filius mutata persona ad quam loquebatur in versiculo 24.dirigit verba sua ad populum suum: Qui timetis Dominum laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eum. Et pòst rursus loquitur ad patrem: Apud te laus mea in ecclesia magna. Psalm. 22. qui incipit: Dominus regit me, & nihil mihi deerit. vox est iusti populi iam per Christum ex aqua & spiritu sancto regenerati,constituti in ecclesia sancta,vbi sunt pascua vberrima, euangelica apostolorum dogmata. In Psalm. 23. qui incipit: Domini est terra & plenitudo eius, titulus præponitur: Psalm. Dauid prima sabbati. In scripturis prima sabbati, significat diem primum post sabbatum, qui est dies dominica, in quo Deus creauit cœlum & terram, in quo & Christus resurrexit à mortuis. In principio psalmi Propheta ex spiritu loquitur omnibus nobis, & dicit: Domini est terra & plenitudo eius, & vniuersi qui habitant in ea. quibus excitat nos, vt vigili semper mẽte agnoscamus Dominũ Deum

Rom.10.d 19.

20.

21. Matth.27.f

Ioan.19.d

22.

23. Prima sabbati quid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILTRAC. esse vniuersi orbis Dominũ,& neminem exemptũ ab imperio eius,sed tamen ne- A
minem habitaturũ in monte sublimitatis glorię eius,aut accepturum benedictionem regni eius, nisi qui innocens fuerit in operibus, & mundo corde, & talis,qui non in vanum acceperit animam suam. Et quia inter filios hominum non est talis non est vsq; ad vnum solum Christũ, qui pro se & pro sua generatione accepit benedictionem & gratiam à Domino Deo patre suo : idcirco solus ipse meretur ascendere cœlũ cum corpore suo,quod est ecclesia collecta ex omnibus per nomen eius, quærentibus faciem Dei Iacob. Proinde & Propheta mox sermonem conuertit ad principes habentes potestatem sibi datã supra portas, aut vitæ, aut mortis, iubens ipsis, quatenus tollant has suas portas, & eleuentur portæ æternales, vt introeat rex gloriæ vnà cum toto exercitu suo. Cui respondentes principes interrogant: Quis est iste rex gloriæ: Huic interrogationi respõdet spiritus Prophetæ: B
Dominus fortis,& Dominus potens in prælio. Solet inter expositores hic locus haberi ambiguus, dum incertum est, cui tempori debeant hæc coaptari, & in cuius persona loquatur Propheta, quinam sint principes ad quos loquitur, & quæ sunt portæ tollendæ,& quæ portæ æternales. Vnde sunt hoc in loco variæ magistrorũ expositiones. Hierony. multos proferens sensus sanctos & catholicos,nullum prefert,nullum damnat. Rabbi Salomon & Lyra literalem sensum referũt ad tempus quo portæ templi vltrò fuerant apertę,cùm primùm sub Salomone arca introducitur in templum. Sed hæc portarum apertio ex scripturis locum non habet. Alij autem referunt ad diem palmarum, alij ad tempus quo Christus descendit ad inferos,alij ad tempus quo ascendit in cœlum. Nobis autẽ cum sanctis patribus cõsiderationem habentibus ad ea,quæ premittuntur,videtur esse vox Christi hominis innocẽtis,cuius in superiori versiculo Propheta meminerit,qui & cum angelis C
descendens ad infernum, & ascendẽs cum generatione sua ad cœlũ, iusit vtriusq; ciuitatis portas,inferni videlicet & regni cœlorum,aperiri. Quando Adam peccauit,tunc aduersus genus humanũ portæ inferorum præualuerunt, & portæ paradisi fuerũt clausæ,& data est ignea romphęa angelo Seraphin,qui ingressum paradisi custodiret,ne ad illum admitteretur vllus filius Adæ. Quo facto designatur cœlestis regni ianua fuisse clausa vniuerso generi humano. Sed cùm Christus venit in mundum tanquam leo fortis,& in prælio contra diabolum potens,penetrãs claustra inferni, animas sanctorum educẽs, & cum iustis inde liberatis ad cœlestia remeans,tunc apertæ sunt cœlestis regni portæ impedientes ingressum. Quãobrõ non erit absonus intellectus,si intelligatur prior versiculus,quo dicitur: Attollite portas. esse vox Christi aut angelorum ad portarum inferni principes, qui portas. id est, clausuras aperiunt seu tollunt,cùm potestatem illic detinendi animas habere desinunt. Secundus autem versiculus,quo dicitur: Attollite,&c. sit vox Christi D
aut angelorum ad principes portarũ cœli, id est, ad angelos, qui portas cœli aperiunt cùm sua exhibẽt ministeria, introducentes in regnũ cœleste iustorũ animas.
24. Psal. 24. totus, qui incipit: Ad te Domine leuaui animam meã. est vox fidelis populi ad Christum quærentium Dominum,quærentium faciem Dei Iacob,de quibus in psal. superiori: nec est in hoc psal. propter personarum mutationem obscu-
25.26.27. ritas Psal. 25. & 26. & 27. sunt voces Christi orantis patrem, nunc pro se secundùm dispositionem carnis assumptæ,nunc pro corpore suo, quod est ecclesia. Psal. 28.
28. qui incipit: Afferte Domino filij Dei. vox est Prophetæ in spiritu mirabilia,quæ facturus erat Messias, præuidentis,& inuitantis omnes,vt sequãtur eum in aduentu ipsius, & offerant sacrificia, quæ sanè mirabilia nos iam videmus adimpleta, & quotidie impleri per ecclesiam, quando offeruntur Domino filij arietum, id est, agni sancti, scilicet martyres, in qua & vox, seu sermo Domini mirabilia olim operabatur & nunc operatur, & vsq; in consummationem seculi operabitur super aquas

A aquas in baptismo, & super cedros libani, confringens elatas superborum voluntates. Initium psal. 29. qui incipit: Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me,nec 29.
delectasti inimicos meos super me. est vox Christi secundùm humanam naturam ad patrem, agentis ipsi gratias post consummationẽ operis redemptionis nostræ. Neq; erit absonus sensus,si dicatur esse vox ecclesiæ ad Christũ,qui suscepit ipsam ecclesiam suam. Deinde Propheta Apostrophen faciens, cùm ad Deum locutus fuerat, deinceps ad sanctos iam per Christum liberatos sermonẽ conuertit: Psallite (inquit) Domino sancti eius,& confitemini memoriæ sanctitatis eius, quoniã ira in indignatione eius,& vita in voluntate eius. Ad vesperũ demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Vnde ira, id est, vindicta est facta in indignatione Dei, quando Adam peccauit, eiectus è paradiso post meridiem ad vesperũ, & facta est nox,temporisque fletus toti humano generi: sed & vita hominis fuit in voluntate
B eius mittentis filium suum, qui pro eodem homine in meridie vsq; ad vesperam passus est,sub cuius passionis tempore tenebris obtecta erãt etiam elementa. Apostoli quoq; in fletu morabantur donec veniret lux matutina, quæ est Christus resurgẽs à mortuis. Deinde is sub cuius nomine Propheta loquitur, rursus cõuertit sermonem ad Dominum: Ego (inquit) dixi in excessu meo,non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me,&c. Sic & Psal. 30. qui incipit: In te Domine speraui,non confundar in 30.
æternum. est vox Christi, orantis patrem secundùm dispositionem assumptæ carnis,vsq; ad eum versiculũ,in quo dicitur: Diligite Dominum omnes sancti eius. ibi est vox Prophetę alloquentis & adhortantis populum. Neq; turbari oportet propter aliorum sententiam,dicentium hunc psalmum & similes esse voces ecclesiæ, aut fidelis populi orantis ad Deum: nam & quæ orat ecclesia, ea ipsa orauit &
C Christus, qui tanquàm caput ecclesiæ miseriam & peccata eiusdem ecclesiæ tan- Luc. 23. f
quàm sua reputauit. Vnde & versiculum in hoc psalmo positum dixit Christus 31.
in cruce: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. In Psalmo. 31. qui incipit: Beati quorum. Prima est vox,Prophetæ ostendẽtis hominem non propriis meritis,sed Dei gratia fieri beatum,seu iustificatum,si confiteatur admissa. Hunc psalmum asserit Paulus ad Roma. 4. in laudem gratiæ Christi,in versiculo illo: In- 30.4.8.
tellectum tibi dabo,& instruam te in hac via qua gradieris. mutatur persona, quia iam non propheta aut ecclesia, sed Deus ipse ad Prophetam seu ecclesiam loquitur,vsq; ad eum versiculũ,in quo dicitur: In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. hic iam rursus est vox ecclesiæ ad Deum patrem,rogantis ipsum, vt in chamo & fræno constringat rebelles hominum volũtates. Deinde sequitur vox ecclesiæ, non iam ad Deum patrem, sed ad filios suos
D quos tanquàm pia mater hortatur lætari in spe æternę vitæ: Lætamini (inquit) in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Per totum psalmum 34. qui incipit: Iudica Domine nocentes me,& expugna impugnãtes. Apprehen- Psalm. 34.
de arma & scutum, & exurge in adiutoriũ mihi. & reliqua omnia sunt verba Domini nostri Iesu Christi secundùm dispensationem carnis, quam assumpsit,nunc patrem orantis,nunc gratias illi agentis,nunc recitantis afflictiones & persecutiones, quas ab inimicis semel in persona sua passus est,& quas patitur semper in mẽbris corporis sui,quod est ecclesia. Proinde & hic psalmus est vox Christi,& vox ecclesiæ in tribulatione: nam quòd Christus in carne sua mortali orauit pro ecclesia,hoc & ipsa ecclesia vsq; ad consummationem orat pro se per Christum donari sibi, Manifestum est in hoc psalmo Christum dicere: Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me: retribuebant mihi mala pro bonis. Ego autẽ dum mihi molesti essent induebar cilicio,humiliabam in ieunio animam meam, quasi proximum & quasi fratrem sic cõplacebam. Sed hic sciendum,quòd in hoc

versiculo

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC. versiculo deficit vox vna, quam oportet subaudire, vt sit sensus oratione latina expressus, & dicatur hoc pacto: Quasi erga fratrẽ & proximũ sic complacebã Deo, pro ipsorũ salute solicitus, & quasi lugens & contristatus de malis seu peccatis eorũ sic humiliabar, & aduersum me lætati sunt & cõuenerunt. Congregata sunt super me flagella, & ignoraui: id est, non fui cõscius vllius mali, propter quod debui flagellari. Totus ergo psalm. vt inquit Hierony. ex persona Christi est, quãuis & per Christum ad omnes sanctos referri possit. In Psalm. 35. qui incipit: Dixit iniustus vt delinquat in semetipso. non est vlla occulta personæ mutatio. In Psal. 36. qui incipit: Noli æmulari in malignantibus. non est vlla personæ mutatio. Totus Psalm. est vox aut Prophetæ, aut ecclesiæ hortantis seu erudientis populũ ad seruandam cõstantiam & patientiam inter malignantes, & ad spem ac ad fiduciã in Domino. Noli (inquit Propheta) æmulari in malignantibus, hoc est, noli prouocari ad zelum prauę indignationis, seu iræ in malignantibus. tanquã dicat: Cùm videris homines in hoc mundo esse malignantes seu impiè agentes florere, seu prosperè viuere, & opprimere iustos, noli impatiẽter ferre, noli turbari, noli à recta fidei via deficere, noli contra Deum murmurare: neque zelaueris facientes iniquitatem, hoc est, neq; feruore amoris sequaris & imiteris facientes iniquitatem. Vnde prioris partis sententia clarius in sequentibus versiculis exprimitur: Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua: noli æmulari, vt malignaeris. Eadẽ vox Hebraica in tribus illis versiculis est posita, alia verò in secunda particula versiculi primi, vbi nos legimus, neq; zelaueris. Diximus autem de his in 1. cap. huius tractatus. Totus Psal. 37. qui incipit: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniã sagittę tuæ infixæ sunt mihi, vox est pœnitentis hominis ad Deum, & cõfitẽtis illi miserias, calamitates, & peccata sua. Et quia multa, quæ in hoc Psalmo leguntur, maximè conueniunt Christo Domino, veluti quod dicitur: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerũt & steterũt, & qui iuxta me erãt de longè steterunt, & vim faciebant qui quærebãt animã meam: & qui quærebãt mala mihi locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabãtur. Ego autem tanquã surdus non audiebam, & sicut murus non aperiens os suum. Quoniam ego in flagella paratus sum. Qui retribuebant mala pro bonis, detrahebãt mihi. Hęc omnia tametsi & Dauid ipse post persecutionem Absolon, & post Adę peccatũ iã humanum genus secundùm modum quendam dicere potest, magis tamen propriè hęc omnia passus est Christus pro nobis. Idcirco totus psalmus videtur ad ipsum pertinere, tanquàm ad personã, quæ omnia in hoc psalmo expresse loquitur, alia quidem pro se, alia verò pro ecclesia sua, quemadmodũ declarat Aug. & alij sancti patres. Vnde in omnibus psalmis & prophetis, in quibus sunt voces Christi, oportet animaduertere & cognoscere totum & plenum Christum, id est, caput & corpus eius, quod est ecclesia. Cùm enim Christus loquitur, aliquando ex persona solius capitis loquitur, veluti quòd ipse est natus de Maria virgine, crucifixus & mortuus: aliquando ex persona corporis sui, quod est ecclesia: secundùm quem modum psalmus iste est vox Christi, confitentis peccata humani generis vt sua. Caput & corpus vnum constituunt hominem, sed capiti proprium est loqui pro se & pro membro in corpore, nunc pro vno, nunc pro altero: quemadmodũ lingua mea pro omnibus membris officio suo fungitur, & tanquam faciat aut patiatur ipsa loquitur quicquid membrũ vllum aut agit, aut patitur: ita caput ecclesiæ Christus in Psalmis & Prophetis actiones, passionesq;, & infirmitates membrorum, tanquam suas dicit, Christus voluntariè pro nobis factus est maledictum, & peccatũ, & mortalis, & stultitia: sed illius iniuria, nostra est gloria: illius maledictio, similitudoque peccatricis carnis eius, illius mortalitas & stultitia, nostra erat mal dictio, nostrum peccatum, nostra mors, nostraque insipientia: quæ sanè omnia sunt pro

Psalm 35. Psalmo. 36.

Psalmo 37.

Psalmo 68.

Christum loqui pro se & suo corpore.

A B C D

A pro illius iniuria commutata in benedictionem nostram, in vitam & sapientiam nostram. Vnde & titulus Psalmi sexagesimi octaui, continentis vocem Christi ad passionem venientis, hanc commutationem nostram, per Christum nobis factam sermone plano expressit: In finem (inquit) pro his, qui commutabuntur psalmus ipsius Dauid. Hunc psalmum orauit verus Dauid Christus pro omnibus Adæ filijs qui ex maledictionibus veteris Adę commutantur in melius. Proinde quemadmodum Christus caput suum noluit separare à suis mẽbris, sic & nos debemus nõ separare nos ab ipso Christo capite nostro, passiones illius debemus facere nostras, & peccata, quæ ipse confessus est ore suo, debemus & nos confiteri esse nostra: quemadmodum & reuera sunt nostra. Idcirco congruè iste Psalmus legitur & decantatur sub persona hominis pœnitentis, & totius populi veteris Adæ. Psalmus 38. qui incipit: Dixi custodiam vias meas, & non delinquam in lingua mea. est vox fidelis populi ad Deum, iam ex peregrinatione huius vitæ in cœlestia suspirantis & deliberantis seruare linguam suam, & cor suum à murmuratione. Neque est in hoc capite vlla propter personarum mutationem obscuritas. Principium psalmi 39. qui incipit: Expectans expectaui Dominũ, & intendit mihi. iuxta diui Hieronymi doctrinam, vox est fidelis populi iam liberati & vocati in ecclesiã Christi. Deinde est occultus à populo transitus in personam Christi loquentis ad patrem ita exorsus: Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis, non est qui similis sit tibi. Annunciaui & locutus sum, & multiplicati sunt super numerum. Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Tunc dixi, ecce venio, & reliqua vsq; in finem psalmi, sunt voces Domini nostri Iesu Christi. Ex quibus & Paulus apostolus ad Hebræos partẽ aliquam citauit, introducens Christum loquentem. principiũ psalmi 40. incipientis: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. vox est prophetæ prænunciantis de Christo Domino, quem in hoc psalmo appellat egenum & pauperem, optantem benedictionem & salutem super populum intelligentem & credentem in ipsum. Deinde secundùm censuram diui Hieronymi, fit in hoc psalmo occultus transitus ad personã Christi loquentis ad patrem. Et hæc personæ mutatio potest intelligi esse in illo versiculo: Ego dixi, Domine miserere mihi: sana animam meam, quia peccaui tibi: & sic Christus Dominus delicta populi dicit sua, quemadmodum & in psalmis, vbi & caput pro mẽbris loquitur. Aut in versiculo sequenti: Inimici mei dixerunt (inquit) mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius? & reliqua vsq; in finẽ psalmi, sunt Domini nostri Iesu Christi voces. Ex quibus citatur sententia in euangelio. Ipse enim est qui dicit: Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Psalmus 41. qui incipit: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum. vox est ecclesię aut fidelis populi, ex hac valle lachrimarum, inter multas tribulationes & persecutionem suspirantis ac cupientis dissolui, & esse cum Deo salutari suo. Psalmus 42. qui incipit: Iudica me Deus, & discerne causam meã de gente non sancta. vox est fidelis populi, petentis Deum habere iudicem pro se, & desiderantis lucem & veritatem ipsius, quibus ducatur in montem eius sanctum, & ascendat ad altare, ad locum scilicet altum & sublimem, vbi faciat sacrificium Deo salutari suo, qui renouat vitam hanc veterem, corruptibilem, lætificans eam in vitam florentis iuuentutis, immortalem. Psalmus 43. qui incipit: Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis. vox est sanctorum martyrum, clamantiũ ad Deum pro salute omnium. Ex hoc psalmo assumit testimoniũ Apostolus: Quoniam propter te mortificamur tota die, ęstimati sumus sicut oues occisionis. Psal. 44. qui incipit: Eructauit cor meum verbum bonum. non vnius personæ vox est. Et idcirco ad intellectum eius oportet obseruare locos in quibus fit personæ mutatio. De

B C D

Psalmo. 38. Psalmo. 39. Psal. 42. Psalm. 43. Rom. 8. g Psalm. 44. Heb. 10. b Psalm. 40. Iohan. 13. e Psalmo. 41.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tio. De principio psalmi: Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. sic habet Augustinus: In hoc principio (inquit) intellexerunt quidam patris personam dicentis: Eructauit cor meum verbum bonum. commendantis nobis natiuitatem sui verbi ineffabilem,& sic consequenter omnia tanquam dicta à persona patris accipiant,vsq; ad eum locum: Audi filia,& vide. Sunt qui omnia hæc,tanquàm ex persona prophetæ dicta accipiant,intimantis nobis verbũ,quod ipse in lingua spiritus sancti, tanquàm scribæ velociter scribẽtis locutus est ad regem nostrum Messiam, quem Propheta in spiritu alloquitur, dicens: Speciosus forma præ filijs hominum,diffusa est gratia in labijs tuis. Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissimè. Specie tua & pulchritudine tua, intende,prosperè procede,& regna. Hæc & reliqua,quę sequũtur sunt verba Prophetę ad Christum,vsq; ad eum verficulum,qui incipit: Audi filia, & vide,inclina aurẽ tuam, obliuiscere populum tuum. hic iam est vox Prophetæ ad ipsam regis huius filiam seu ecclesiam,quæ (vt ex superioribus patet) & soror,& regina,& sponsa illius appellatur. Vides igitur in psalmis & in prophetis fieri mutationes personarũ repentinas. Si quis aduertit (inquit Augustinus) plenæ sunt his mutationibus personarũ
Psalm.119. diuinæ paginæ. In psalm.119.orat Propheta: Domine libera animam meam à labiis iniquis,& à lingua dolosa.& statim mutata persona respõdet illi, Deus: Quid Detur tibi, aut quid apponatur tibi aduersus linguam dolosam? interrogat Deus exercens illum,simul respondens sibiipsi interroganti: Sagittæ potentis acutæ (inquit) cum carbonibus desolatorijs: tanquàm dicat: Aduersus linguam dolosam apponendæ sunt sagittæ acutæ cum carbonibus desolatorijs,quibus trãsfodiantur iniquorum corda. Post hæc rursus à persona Dei loquentis,fit transitus in vocem Prophetę loquentis: Heu mihi,quia incolatus meus prolongatus est. Ecce in tam paucis verbis tam crebra est personarũ mutatio,& non exprimitur locus vbi mutatur. Non enim dicitur: hoc dixit Deus,hoc dixit homo: sed ex ipsis verbis colligimus,quid pertineat ad Deum,quid ad hominem. In psalmo 109.vox Prophetę
Psalm.109 est: Dixit Dominus Domino meo. hoc est, Dominus pater dixit Domino meo Christo, dixit inquam hoc, scilicet quod sequitur: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos,scabellum pedũ tuorum. In illo ergo loco: Sede à dextris meis,incipit vox Dei patris ad Christum filium suum, vsque in eum locum, vbi dicitur: Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. hic iam est vox Prophetæ, loquentis ad Deum patrem de Christo Domino sedente à dextris ipsius. tanquam dicat Propheta: O Domine Deus Dominus meus,cui dixisti: sede à dextris meis,is confregit in die iræ suæ reges, iudicabit in nationibus,& cætera vsque in finem psalmi. Vnde consequens est,aliam personam esse Dominum,de quo dicitur,Iurauit Dominus: aliam de qua dicitur,Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges. tametsi posset secũdùm alium quendam sensum etiam textus interpretari. Hæc tamen sententiarum series magis respondet ei,quod in calce psalmi dicitur: De torrente in via bibit. Sunt & in cæteris psalmis mutationes personarum frequentes. Sed ex his potest studiosus lector cautus esse,ne fallatur in alijs.

Mutationes personarũ in lib. Cant.

Hactenus de mutatione personarum in psalmis. Totus Canticorum liber in personarum mutationibus agitur. Sunt autem illic personæ colloquentes, sponsa & sponsus,adolescentulæ seu filiæ Hierusalem cum sponsa. Sunt in hoc libro quæ dicuntur à sponso, sunt quæ à sponsa dicuntur, nonnulla ab adolescentulis seu à sodalibus sponsæ. Primus sermo est vox sponsæ, desiderantis aduentum sponsi sui in carnem,& nunc sibimetipsi loquentis in secretis animæ suæ,nunc ad ipsum sponsum verba dirigentis, nunc apostrophen ad filias Hierusalem facientis. Sibi
Cant.1. loquitur: Osculetur me osculo oris sui,desiderãs sponsi sui præsentiam. Ad ipsum sponsum verba conuertit,continuò adiiciens: Quia meliora sunt vbera tua vino,

flagrantia

A flagrantia vnguentis optimis, oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te.& reliqua quæ sequuntur,sunt verba ecclesiæ desiderantis sponsum suum Christum, & simul intimantis obscuritatem atq; nigredinem persecutionũ,quas propter amorẽ sponsi sui dilecti patitur,in hoc mundo vilis æstimata,secundũ stultam huius mũdi sapientiã,de qua re eadẽ ecclesia sponsa sermonẽ dirigit ad filias Hierusalem: Nigra sum (inquit) sed formosa filia Hierusalem, sicut tabernacula Cædar, sicut pellis Salomonis. Nolite me considerare quòd fusca sum,quia decolorauit me sol,filij matris meæ pugnauerũt contra me. Post hæc rursus eadem sponsa ad sponsum vocem conuertit: Indica mihi Domine,quem diligit anima mea, vbi pascas,vbi cubes in meridie? vsq; ad verficulum illum: Si ignoras te,ô pulchra inter mulieres. vbi incipit primus sermo sponsi ad sponsam,qui increpãtis & benignè obiurgantis sono pronũciandus est. Si ignoras
B (inquit) te ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorũ, & pasce hœdos tuos. Tanq; dicat: Si ignoras,quòd ego per tribulationes pulchriorem te facere cõstitui: si non aduertis,quòd nemo coronabitur,nisi qui legitimè certauerit: egredere à me,id est, à meo cõsortio, & abi post vestigia gregum tuorum. Assimilauit te equitatui meo Israelitico inter currus Pharaonis,qui sanè equitatus,postquàm varijs tribulationibus attritus fuit in Ægypto,cum gaudio & triũpho egressus est inde. & reliqua quæ sequuntur, verba sunt sponsi vsq; in eum locum,in quo dicitur: Dum esset rex in accubitu suo. qui est secũdus sermo sponsæ, protractus vsq; ad eum locum, vbi dicitur: Ecce tu pulchra es amica mea,qui est secundus sermo sponsi ad sponsam. Postremùm sequitur vox sponsæ ad spõsum:
Cant.1. Ecce tu pulcher dilecte mi. In principio capitis 2. Ego flos campi sicut lilium
C inter spinas,& cæt. est vox sponsi. Deinde sub eodem contextu sequitur vox sponsæ: Sicut malus inter ligna syluarum,sic dilectus meus inter filios. Tandem sponsa iam quiescente,ac dormiente inter brachia sponsi,sequitur vox eiusdem sponsi ad filias Hierusalem: adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum,ne suscitetis,neque euigilare faciatis dilectam meam,donec ipsa velit. Hinc mox sequitur vox sponsæ: Vox dilecti mei pulsantis. Ecce iste venit saliens in montibus,transiliens colles. Vnde hoc totum: Ecce iste venit saliens in montibus. non est accipiendum tanquàm vox dilecti, sed tanquam vox sponsæ loquentis,sed sermonem interrumpentis,tanquàm indicantis se audire dilectum loquẽtem. Et ita quod hic dicimus: Vox dilecti mei. Ecce iste venit saliens in montibus. longè est dissimile ei,quod dicitur Cãt.5. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea. Nam quod in isto cap.5.dicitur,accipiendum est: Vox dilecti mei pulsantis,& dicentis: Aperi mihi soror mea. Quod autem dicitur in 2.cap.non est sic accipiendum: Vox dilecti mei,& dicentis: Ecce iste venit saliens in montibus,quemadmodum superiùs dictum est. In Canticis canticorum,neq; spõsam,neq; sponsum,neque os,neque osculum,neque vbera,neq; amplexus,neque dexteram,neq; leuam, In lib. Canticorũ nihil caraliter sapiendum.
neq; adolescentulas,neque filias Hierusalem,neque vnguenta, neque odorem vnguentorum,neque ornamenta,neque vestimenta,neque lectulum & flores,neque ventrem,neq; tactum,neq; amantium colloquia, & amores,carnaliter aut corporaliter cogitare debes,sed suauitates quasdam spirituales habentes in se omne delectamentũ super omnia quæ sunt in carne,super omnia quæ sunt in hoc mundo, debes meditari in sponso tuo Christo, quo cùm frueris, prorsus castus & mundus es,verisq; fœcundaris virtutibus. Sponsa ad literam intelligitur ecclesia. Sponsus, Dominus noster Iesus. Vbera duo,sunt vtriusque testamenti eloquia,ore Dei pronunciata. Mater sponsæ, ecclesia ab initio, vtpote Abel, Seth, Noe, Abraham, Isaac, Iacob. Adolescentulæ suauitate odoris captæ, intelliguntur animæ iampridem renatæ. Filiæ Hierusalem, est gens Iudaica, quæ pugnat contra Ecclesiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC. Cubiculum regis, est arcanus scripturæ sensus. Vnguenta sunt charismatum dona. A
Odor, est fama seu nomen charismatum, & gratia Christi, quæ per vniuersum mundum diffunditur.

De mutationibus affectuum.

VEmadmodum in scripturis obseruare oportet mutationes temporum & personarum, ita & in eisdem operæprecium est obseruare frequentes mutationes affectuum & passionum, secundùm vicissitudines spiritus sancti euntis & redeuntis, hominis animam multifariam visitantis. Est affectus dilectionis ex commemoratione diuinæ charitatis exoriens, dum mens concipit Deum vt bonum & beneficum. Ex hoc affectu canitur: Diligam te Domine fortitudo mea. Est affectus admirationis, dum magna quædam & grandia Dei opera mens contemplata in stuporem excitatur. Ex hoc affectu canitur: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum. Est affectus congratulationis, ex quo canitur psalmus: Omnes gentes plaudite manibus. Est affectus desiderij esurientis & sitientis beatitudinem, ex quo canitur: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum. Est affectus humiliationis, quo ex consideratione propriæ imbecillitatis mens ab elatione comprimitur. Multùm conducit ad intellectum scripturarum, si lector consideret in scripturis sacris alia dici sciscitantis seu percunctantis animo, alia verò admirantis, alia deprecantis, alia gratias agentis, alia peccata deplorantis affectu. Scripturam vtiliter legis, si vniuscuiusq; sancti loquentis affectu induaris. Talis affectuum mutatio frequens est in psalmis, in prophetis, & præsertim in præfato Canticorum libro, quod Origenes Cantica exponens diligenter notauit Homilia. 3. Primùm igitur intelligenda est sponsa non domi, sed foris stare, & amore videndi sponsi huc atque inde prospicere, si fortè appareat: & dum ignorat vnde magis veniat, non velle vnam aut alteram viam ingredi: sed expectare, & expectando eructare in verbum hoc: Osculetur me osculo oris sui. Vbi autē iam sponsus aduenerit, desiderium sponsæ transit in fruitionem: quo fit, vt sponsa iam habens quem desiderabat, sentiens castissimos illius amplexus, iam veris fœcundata virtutibus, conuertit sermonem ad sponsum, dicens: Bona sunt vbera tua super vino. & reliqua vsq; ad eum locum, vbi ait: Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. vbi intelligendum est esse vicissitudines sponsi, suis internis consolationibus euntis & redeuntis: quibus fit, vt in hac vita sponsa Christi nondum sic ex omni parte beata, nunc quærit absentem, nunc inuenit redeuntem, nunc in cubiculum reginæ, nunc in cellam vinariam plenam spiritualis iucunditatis, & dilectionis vino introducitur. Rursus mutatio numeri singularis in pluralem, & econtrariò, frequens in scripturis plerunque turbat lectorem, & scripturas facit esse obscuras, dum sub eodem contextu quædam nunc pluraliter, nunc singulariter ita designantur, vt nulla videatur esse rerum cōsequentia, & alia videantur esse, quæ pluraliter, alia quæ singulariter prædicantur, quemadmodum videre licet in psalmo: Deus laudē. & capite vigesimoquarto Iob. In psalmo: Deus laudem. singulariter primùm loquitur, os peccatoris, & os dolosi super me locutum est. Pòst mox ad pluralem numerum transit: Locuti sunt aduersum me lingua dolosa. Post pauca reuertitur ad numerum singularem: Constitue (inquit) super eum peccatorē. non dixit super eos, sed super eum. In singulari numero significatur Iudas caput infidelis synagogæ, Christum persequentis. Per ea, quæ multitudinis numero dicuntur, significantur Iudæi Iudæ traditoris imitatores, in necem Christi consentientes. Iob 24. Oculus adulteri obseruat caliginē, dicens: Non me videbit, & operiet vultū suum. His singulari numero dictis, ad pluralem ascen-

Affectus dilectionis, & cę.
Psalm. 17. a
B
Psalm 8. a
Psalm. 46. a
Psalm. 41. a
Origenes.
C
Cant. 1.
De mutatione numeri singularis in pluralem.
D
Psalm. 108.

A ascendens, subdit: Perfodiunt in tenebris domos, sicut in meridie condixerant sibi, si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. Hinc in singularem numerum rursus reuertitur: Leuis est super faciem aquæ, maledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum, ad nimium calorem transiet ab aquis niuium, & vsq; ad inferos peccatum illius. En vides transitum à singulari in pluralē, & denuò à plurali in singularem reditum, & rursus à singulari in pluralem: quia vno malo inchoante, plures imitantur: sed præcipuè eius culpa est, qui præcedit: & ideo crebrò sententia redit in eum qui est author mali. Iob cùm dixisset numero singulari: Oculus adulteri obseruat caliginem. Pluraliter subdit: Perfodiunt in tenebris domos, intelligens iam fodientes omnes adulteros, & ipsum adulterum simul cum adultera: qui odientes lucē, auroram subitò apparentem fugiunt tanq̄ vmbram mortis. Sunt & alij in scripturis loci multi, in quibus est transitus de
B singulari in pluralem, & econtrariò: sed exempli causa sufficiunt ista. Hæc ergo sunt, quæ secundùm dictionem seu orationem scripturas faciunt ambiguas, aut obscuras atq; difficiles: quę sanè aut ambiguitas, aut obscuritas multis in locis non propter interpretis imperitiam aut incuriam, sed & spiritu sancto prouidente (vt in superioribus patuit) constituta est multis in locis sub originali lingua, in qua scriptura est ædita, in qua & dictiones, & orationes multæ sunt incertæ, ambiguæ, & obscuræ, quas vniuersas nominatim designare fuisset difficile, sed ex multis paucos locos designauimus, ex quibus consideratis, lectoris intentio potest vigilare in cæteris, & cauere ne propter amphibologiam, diuersam pronunciationem, aut tropos, aut metaphoras fallatur incautus.

C *Tractatus tertius, in quinque capita distributus. Primum caput de mysterijs Trinitatis, & incarnationis filij Dei.*

SVPEREst iam paucis differere de obscuritatibus & difficultatibus cæteris, quæ contingunt propter res ipsas difficiles. Nam vt donemus totam scripturam sacram in locis, propter amphibologiam, aut propter tropum obscuris, reductā esse ad certū & manifestum sermonē, nihilominus multis in locis remanebit ipsa sacra scriptura difficilis & obscura propter res ipsas in se difficiles, quales sunt: trinitas personarum in vnitate deitatis, verbum æternū incarnatum, forma serui assumpta per filium in forma Dei permanentem, duæ in eo volūtates, creata & increata, captiuitas & seruitus hominis sub peccato, simul stans cum libertate arbitrij, gratia & prouidentia ac prædestinatio diuina cum libera hominis volūtate, modus liberandi, emendi, redimendi genus humanum à captiD uitate diaboli, bellum, triumphus, & victoria Christi contra diabolum. Hæc & id genus alia, sunt res propter quas scripturæ sunt in se difficiles, quantumlibet plano dicantur eloquio. Deinde propter sententiarum dependentiam, cohærentiam, & consequentiam, propter ignorantiam proprietatum naturalium rerum in locutionibus figuratis, propter multitudinem sensuum, literalis videlicet & mystici, qui designantur per vnum & eundem scripturæ sermonem, propter occultum transitum de litera ad spiritum, & econtrariò, propter multas apparentes contrarietates, & propter causas alias & rationes multas: quas etsi nequeamus vniuersas in specie perstringere, non erit tamen inutile generalia quædam documenta explicare, quæ faciemus magis manifesta per speciales regulas & sententias in diuersis scripturæ locis. Faciunt quidem hæretici & sapientes huius mundi argumenta fortia, rationesq; difficiles humanæ rationi, contra personarum trinitatem in vnitate deitatis, contra incarnationē filij Dei per assumptionem humanę naturæ, à diuina in vnitatē personæ, contra gratiam, præscientiam, & prædestina-

Res intellectu difficiles causant scripturæ difficilem intellectum.

Variæ causæ difficultatis in scripturis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem æternam, stantem cum libertate arbitrij, contra captiuitatem humani generis sub diaboli potestate, contra liberationē eiusdem per mortē filij Dei cōtra emptionē, redemptionem, & precij exolutionē, & satisfactionem factā per Christum Dominum. Verùm animus syncerè Christianus, verè per gratiā Christi redemptoris sui humiliatus, hæc omnia q̄tū sat est, intus sapit, intus intelligit, & gratias agit, neq; curiosius quicq̄ de iudicijs Dei perscrutatur, neq; contendit: sed firma fide credit hoiem ab initio cōditum esse à Deo bonum & rectum, & iam vniuersum genus humanum propter peccatum protoplastæ in apostatica radice esse damnatum, iusto Dei iudicio à paradiso in vallē lachrymarum & miseriæ iectū, agnoscens & suam miseriā & captiuitatem, seq; sine Christo debuisse manere semper miserum, & vniuersas vias Domini super genus humanum esse misericordiam & iustitiam. Porrò hæc vniuersa in sacris scripturis elucidare, & hæreticorum atq; aduersariorum argumenta, ex scripturis sacris prauè intellectis conficta, dissoluere, & ostendere scripturas sacras hisce in rebus esse sibi cōsonantes, & non esse cōtrarias, altioris est negotij, requiritq; ingenia in sacris literis iam longo vsu exercitata. Ne huius igitur cōpendij limites transgrediamur, pauca quædā de his rebus generalia in hoc capite declarabimus, quę etiam ad intellectum eorum, quæ in sequentibus libris tradūtur, non erunt inutilia. Et primū regulas quasdam fidei generales explicabimus de incomprehensibili personarum trinitate, de filij Dei incarnatione. In primis igitur quisq; volens locos in scripturis sacris difficiliores intelligere, debet discere vt sciat ex locis scripturæ manifestis principia fidei demonstrare, & ex his secundū catholicæ ecclesiæ sententiā interpretatis firmissimè credere, & nullatenus dubitare, patrem, & filium, & spiritum sanctum, tres personas coæquales, vnum esse Deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ, visibilium & inuisibilium: neq; filium esse patrem, neq; spiritum sanctū esse patrē aut filium, sed horum esse solum personarum discrimen in deitatis seu diuinę essentię vnitate: & filium à patre ab æterno genitum, spiritum sanctum ab vtroq; procedentem, & vtrunq; esse patri consubstantialem in æternitate, in gloria, in voluntate, in sapientia, in bonitate, & in maiestate ab eodē patre non discrepantem. Sciendum est autem, hanc esse antiquam fidei regulam, neq; esse nouam, neq; recentē, neque per opiniones magistrorum ex scripturis sacris inuentam, sed & apud prophetas traditam, & ab exordio ecclesię Christianę ab ipsis apostolorū temporibus euulgatā in euangelijs, & in apostolorū scripturis luculentissimè expressam, etiam ante concilij Nicenū, & ante Arriū hæreticū deuantē super huiuscemodi ineffabili personarū trinitate, apud patres ecclesiasticos nō ambiguā, sed certā, cōstantē, indubitatam, propter hæreses exorientes secundū temporū successiones magis ad magis declaratam, & nō inuentā aliam ac nouā. Vnde ipsis apostolorū adhuc viuentium temporibus super hac fidei regula, de tribus personis in vnitate deitatis, fuit hæresis exorta, nondum scriptis quatuor euangelijs: cōtra quam hæresim Ioannes apostolus rogatus à fratribus, suum præcipuè euangeliū in lucem ędidit, hanc personarum trinitatem in vnitate deitatis luculēter explicans in toto suo euangelio, & præsertim in cap. 1. & maximè in sermone quem fecit discipulis suis iam passione sibi imminente, post lotionē pedum, quem sermonem habes apud Ioannem capitulis 13. 14. 15. 16. & 17. vbi Christus multis sentētijs intimat se esse Deū patri æqualem, & simul se esse hominē mortalem. Præterea Christum filiū Dei esse Deum, & omnipotentē Dominū testātur prophetæ & apostoli in scripturis, quibus significatur Christus peccata remittere, viuificare, suscitare, mittere spiritū sanctū, dare claues regni cœlorū, exaudire & saluos facere nos clamātes ad se. Hæc & id genus alia multa, quæ nō possunt nisi soli Deo cōuenire, scriptura sacra tribuit regi Christo. Deinde apostoli & prophetæ diuersis in locis planè expresserūt, & nominauerunt

Fides trinitatis explicatur.

Causa Ioannis scribendi euangelium.

De deitate Christi.

runt Christū esse Deum. Prophetæ quidē, nam apud Isaiā Deus pater ad Christū loquitur: In te est Deus, & non est Deus præter te, verè tu es Deus absconditus, &c. Isaiæ.45.a
Apud eundē Isaiam: Qui fecit cœlum & terrā, dicit se missum à Domino & à spiritu eius: Ego (inquit) ipse, ego primus, & ego nouissimus, & manus mea fundauit terram. Et infrà: Ego locutus sum, ego vocaui & adduxi eum. Accedite ad me, & audite: Hæc non in occulto ab initio locutus sum, ex tempore anteq̄ fierent illic eram, & nunc Dominus misit me, & spiritus eius Christus. Igitur qui fecit cœlum & terram, à patre & à spiritu eius missus est in mūdum, ad reparandum genus humanum. Insuper & Dauid propheta multis in locis intimauit Christū regem, & spiritum sanctum esse Deum. In psalmo quadragesimo quarto, significans vtrunq; esse Deum, videlicet & eum qui vnxit: & regem qui vngitur, loquens ad regē nostrum Christum: Propterea vnxit te Deus tuus, ô Deus. Sunt & alia in psalmis loca multa, ex quibus patet Christum esse Deum, ab æterno genitum à patre. Dominus (inquit propheta) dixit Domino meo. Et infrà: Ante luciferū genui te. Sic & in Genesi legimus: Pluit Dominus à Domino. Audiamus & in Zacharia Christum loquentem: Hæc dicit Dominus omnipotens: Post gloriā misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi eius. quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui seruiebant sibi, & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me, lauda & lætare filia Syon, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multę ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populū, & habitabo in medio tui. Nullus tropus, nullū sermonis ęnigma: clara voce pronunciatur, Dominus exercituum seu omnipotēs, tam ille qui mittitur, quàm ipse qui mittit. Cognoscetis (inquit) quia Dominus exercituum misit me, ait Dominus omnipotens. Præterea in euangelio baptisinus, in remissionem peccatorum constitutus, æqualiter in nomine patris & filij & spiritus sancti fieri præcipitur. Quo sanè intimatur non solus Deus pater, neque solus filius, sed & pater, & filius, & spiritus sanctus esse baptismi author, & proinde verus Deus. Item Apostolus Christum Deum expresso nomine appellauit. Ex quibus (inquit) est Christus secundùm carnem, qui est super omnia benedictus Deus in secula. Item 1. Iohan. vltimo: Vt simus (inquit Iohan.) in vero filio eius, hic est verus Deus, & ęterna vita. Item Isaię 9. inter nomina pueri nati ponitur nomen, Deus: Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis. Insuper eadem gratia à patre filioq; deposcitur. Vnde nomen eius est Iesus, id est, saluator, quia ipse saluum faciet populum à peccatis eorum. Beatus Stephanus in passione positus, vt se amplius Deo patri cōmendaret, inuocabat Christum stantē à dextris virtutis Dei: Domine Iesu (inquit) accipe spiritū meum. Spiritū sanctum esse Deum omnipotentem testantur prophetarū & apostolorum scripturæ, in quibus planè legimus, quòd spiritus sanctus nouit omnia, scrutatur omnia, docet omnia, suggerit omnia, replet & cōtinet omnia, loquitur in prophetis & apostolicis viris, diffundit gratiam & charitatem in cordibus nostris, sanctificat illa, inhabitat illa, deducit in viam rectam, operatur omnia gratiarū dona, distribuens singulis prout vult. Hæc omnia (inquit Paulus) operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Vnde & in Isaia dicitur: spiritus sapientiæ, spiritus consilij & fortitudinis. Spiritum sanctum communem esse patri & filio, & ab vtroque procedere, & ab vtroq; mitti, patet ex scripturis multis. Misit Deus pater spiritum filij sui clamantem in corda nostra. Hic spiritus, dicitur Christi filij Dei spiritus, & à patre missus. Apud Iohannem: Paracletus autē spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quę cunq; dixero vobis. Hic pater mittit paracletum. Apud eundē autē Iohannem capite sequenti, idem spiritus à filio mittendus scribitur, & simul procedere à patre:

Isaiæ.48.d
Pſalm.109.a
Geneſ.19.a
Zacha.2.c
Matth.vlt.d
Roman.9.a
Isaiæ.9.b
Matth.1.d
Acto.7.g
Spiritum sanctum verum Deum esse.
1.Cor.12.b
Isaiæ.11.a
Gal.4.a
Iohan.14.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cùm venerit (inquit) paracletus, quem ego mittam vobis à patre meo, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me. In his ergo scripturis, quibus pater legitur mittere spiritum, non tacetur filius, vt intimetur spiritus sanctus esse vtriusq; spiritus, id est, ab vtroque æternaliter procedens, ab vtroque temporaliter & missus in corda fidelium. Quicquid spiritus sanctus habet, id ab vtroque habet, id est, à patre & à filio. Cùm venerit spiritus veritatis, docebit vos (inquit filius) omnẽ veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Omnia quæcunque habet pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet. Nulla locutionis ambage, nulla voce ambigua, sed claro sermone intimat personarum trinitatem in vnitate deitatis, dum intimat omnia, quæ pater habet esse sua, & se esse à patre, & spiritum sanctum accipere à patre, & ab ipso. Deinde Christum filium Dei esse Deum eadem Deitate, qua & pater est Deus: & habere eandem vitam in semetipso, quam & pater habet, testatur euangeliũ in quo ipse ait: Omnia quæ pater habet, mea sunt. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso: dedit inquam ei, quasi filio per generationem, nõ quasi inopi per gratiã. Omnia quæ habet pater, filius dicit esse sua, non quòd ipse filius tradiderit illa patri, non ꝙ pater à filio ipso acceperit omnia quæ habet: sed ꝙ omnia quæ pater habet, ipse filius iure generationis acceperit à patre. Quemadmodum aũt pater non habet essendi initium, ita & communicat filio non habere essendi initium: quemadmodũ ex æterno sole, æternus esset candor: ita ex æterno patre, æternus est filius. Et quemadmodum egressus candoris à sole est naturalis & sibi coæuus: ita & naturalis est generatio filij à patre, ipsiq; coæua. Pater qui ab æterno genuit filium, non aliter sese habuit vnquàm, quam nunc se habet. Et idcirco quemadmodum ab æterno genuit, ita nunc gignit: nec gignere cœpit, nec gignere desijt, nec vnquam gignere cessabit. Et quemadmodum filius est semper æternus, ita & generatio eius est sempiterna, nec præterit vnquam. Generauit quidem pater filium sibi ęqualem, filius autem nec generauit, nec generare potest: sed non ideo minus potens est filius, q̃ pater: nec ideo minus habet pater, ꝙ filius non est: neq; rursus ideo minus habet filius, quòd pater non est. Eadem enim potentia est qua pater generat, qua & filius generatur. Nam & vna patris filijq; natura, quæ in patre est voluntas, qua pater ipse ab æterno vult generare filium: eadem omnino voluntas est, qua filius ab ęterno vult esse à patre. Proinde in diuinis personis posse generare, explicat quidem originem, sed non excellentiorem, aut sublimiorem exprimit potentiam, quàm posse generari. Nam etsi filius acceperit à patre vitam, sapientiam, voluntatem, virtutem, potestatem, & gloriam: non tamẽ accepit aliam, sed eandem ipsam vitam, sapientiam, virtutem, & gloriam quam habet pater ipse, ab ipso accepit semper. Proinde quemadmodũ pater ex sua voluntate, suaque sapientia, virtute, potestate quos vult viuificat: ita & filius quos vult vuificat ex sua sapientia, suaq; voluntate, potestate, & virtute. Quòd autem ipse filius non potest à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, neq; imperfectionem vllam intellectus, neq; subiectionem personæ filij, neq; defectum potestatis in filio significat: sed æqualitatem vtriusq; personæ in vna simplicissima & indiuisibili vita, sapientia, & potestate, quæ omnia pater habens ab æterno, eadem dedit filio: dedit quidem non munere gratiæ & largitatis, sed iure generationis. Et quia filius sic à patre potestatem operandi accepit, ideo filius non potest facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Verùm quia pater nihil operatur, nisi per eandem potestatem quam filius habet, ideirco quemadmodum filius non potest facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem: ita & pater non potest facere quicquam, nisi quod viderit filium facientem: q̃uis

Iohan.15.d
Iohan.16.c
Iohan.16.c
Iohan.5.d
Iohan.16.o
Pater generat filium.
Eiusdem potentiæ pater & filius.
Iohan.5.

filius neque demonstret patri quæ faciat, neque doceat patrem, propterea quòd demonstrare & docere significant per modum dationis, quæ conuenit non filio, sed patri danti filio intellectum & sapientiam. Verbum autem videre non sic donationem importat, & ideo dicitur non absurdè, quòd pater facit id, quod videt filium facientem, auditque eundem filium loquentem, quia vis vna & indiscreta, secundùm quam pater & facit, & loquitur, est eadem secundùm quam filius videt & audit patrem facientem atque loquentem. Ex quibus sequitur, quòd hæc impossibilitas, secundùm quam filius non potest à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, est non propter imperfectionem aut infirmitatem naturæ filij, non propter imperitiam, impotentiam aut indigentiam personæ. Neque enim filius ex se est aut impotens, aut imperitus, aut indigens, aut talis, qui ex se opus habeat eruditione aut disciplina, neque tanquam discipulus acquisiuit à patre scientiam, neque tanquam seruus à domino potestatem: sed sapientiam, potestatem, virtutem, gloriam, cæteraque omnia, quæ pater habet, ipse (vt iam patuit) dedit filio iure generationis, non liberalitate gratiæ, non potestate creationis, aut dominationis, aut factionis, seu mutationis in filio. Similiter omnia quæ spiritus sanctus habet à patre & filio, hæc habet ab ipsis non secundùm gratię beneficium aut liberalitatem aduenticij muneris, sed iure processionis & emanationis. Proinde filius & spiritus sanctus sunt vnum cum patre, non per gratiæ vnionem, aut voluntatum ac animorum consensum siue concordiam, de qua vnitate loquitur & ipse Christus in eodem scripturæ loco, vbi de hac vnitate naturæ, & personæ suæ discretione locutus est, vt mox patebit. Alia igitur est vnitas, secundùm quam pater & filius sunt vnus Deus. Alia vnitas est, de qua loquitur scriptura: Multitudinis cor vnum, & anima vna in Domino, Item, qui plantat, & qui rigat vnum sunt Homines in Christo Iesu sunt vnum, per fidei & charitatis gratiam. Sed inter diuinas personas, neque est vllius gratiæ donatio, neque vllius aduenticij muneris largitas: sed omnia sunt vnum secũdùm naturam, quam impossibile est aliter habere sese. Apud sapientes huius mundi nota est quædam vnitas, secundùm naturã inter se eiusdem speciei indiuidua, quorũ ratio substantiæ secundùm nomen speciei est vna: sed illic singula sunt discreta accidentibus, loco, tempore, ætate, potestate, aliisq; etiam proprietatibus, quibus vnumquodq; illius speciei indiuiduum secernitur habere suam propriam singularemq̃ue naturam, suam animam, suum corpus, suamq̃ue operationem. Proinde & illic tres homines, non vnus sed tres sunt homines propter tres formas humanas, vbi & singuli habent suas (vt ita dicam) humanitates ex anima rationali & carne: sed longè alia est vnitas inter tres personas diuinas, vbi tres personæ sunt vnus Deus, secundùm vnam & eandem numero deitatem. Docuit autem Christus hunc diuersum modum essendi vnum in eo loco, vbi se & patrem vnum esse dixit: Vt omnes (inquit) vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te. Non dixit: Sicut tu pater in nobis, & nos in te: sed tu in me, & ego in te, vt à creaturis separet se. Vnde & continuò adiecit: Et isti in nobis. vbi etiam suam patrisq; potentiã à nobis secernit, & orat vt nos vnum simus cum ipso in patre suo: sed nequaquam orat vt ipse vnum sit cum patre, planè intimans nos in patre & filio vnum esse per gratiam, non per naturam. Ipsum autem & patrem esse vnum non per gratiæ copulam, sed per naturalem generationem, æternamq̃ue originem seu emanationem, quam in alijs scripturæ locis docet esse ineffabilem & incomprehensibilem. Ex his ergo manifestum est primo, quòd in hac personarum trinitate nihil maius aut minus, nihil prius aut posterius, nullus inter eas ordo aut dominationis, aut dignitatis, aut excellentiæ. Nam de filio (vt inquit Ambrosius) loquitur Apostolus: Quis prior dedit illi, & retribuetur illi? Est quidem inter easdem personas originis ordo, secundùm quem altera est ab altera.

CAP. I.

De processione spũs sancti, ab vtroque.

Iohan.10.f
Iohan.18.b
Singularissima vnitas diuinæ essentiæ, Act 4.g 1.Cor.3.b
Rom.11.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verùm non est vlla inferior altera in dignitate, in sempiternitate, in sapientia, in potestate, & virtute. Totum quod est pater, hoc est filius, & spiritus sanctus. Totum est spiritus sanctus, quod est pater & filius, Sic ab initio etiam ante concilium Nicenum, & antequam Arrius hæreticus natus esset, locuti sunt sancti patres docentes, quòd in hac ineffabili & incomprehensibili deitatis essentia est quidem alter & alter, quia alter pater, alter filius, alter spiritus sanctus: sed in ea neque est alterum & alterum, neque aliud & aliud. Qui pater est, filius non est: & qui filius est, non est spiritus sanctus. Per aliud, & aliud (inquit Bernardus) nouit pietas fidei cautè inter personarum proprietates, & individuam essentiæ vnitatem discernere, & medium iter tenens via regia incedere, vt nec declinet ad dexteram confundendo personas: nec respiciat ad sinistram, substantiam, sapientiam, virtutem, potestatem, voluntatem aut operationem diuidendo. Proinde quòd patres orthodoxi attribuere solent patri omnipotentiam, filio sapientiam, spiritui autem sancto bonitatem & clementiam, non hoc dicunt tanquam horum singula sint suis personis propria, & non cõmunia vniuersis & singulis: neq; enim in patre omnipotentia est sine sapientia & bonitate, neq; in filio sapientia est absq; omnipotentia & clementia: sed vt pater omnipotẽs, sapiens, & bonus, & clemens: ita & filius, & spiritus sanctus omnipotens, sapiens, & bonus. Quemadmodum pater, filius, & spiritus sanctus sunt tres personæ vnius naturæ & deitatis: ita & sunt vnius potestatis, maiestatis, sapientiæ, bonitatis, voluntatis & operationis indiuisæ, sicut ostendunt scripturæ, quibus demonstratur filius esse Deus, & spiritus sanctus esse Deus. Cuiusmodi sunt scripturæ de filio: Deus erat verbũ, quod factum est caro. Omnia quæ habet pater, mea sunt: & quæcunq; pater facit, hæc & filius similiter facit. Qui videt me, videt & patrem meum. Pater in me est, & ego in eo. Item de spiritu sancto: Omnia operatur idem & vnus spiritus, diuidẽs singulis prout vult. Quòd autem apud Marcum cap. 13. dicitur: De die autem illo nemo scit, neque angeli cœlorum, neque filius, nisi solus pater, se negauit scire, non sibi, sed nobis, quod ita secretum atque arcanum apud se fuerit, vt nobis ipse diem illum reuelare non debuit: quippe qui venerat in mundum, vt nos instrueret, vtiliaque manifestaret magis, quàm vt suam potentiam demonstraret. Et quemadmodum nos interrogati plerunque rectè dicimus nos nescire hæc, quæ nobis sunt sub secreto commissa, quæ nec expedit interrogantibus esse cognita: Ita & Christus interrogatus, hunc diem nescire se dicit. Sunt tamen plerique freti eo, quod scriptum est: Et Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines, qui dicunt confidenter, quòd secundùm diuinitatem quidem ea quæ futura sunt non potuit ignorare, sed secundùm nostræ carnis assumptionem ignorare se quasi filium hominis dixit, de quo Ambrosius. Secundò. Ex suprà dictis est manifestum, quòd in hac personarum trinitate, neque sunt nuda & sola nomina, neq; relationes solæ, vel naturæ deitatis inhærentes, vel secundùm humanam rationem solum fabricatæ, aut conceptæ, aut distinctæ solius mentis nostræ cõceptibus: quẽadmodum secundùm philosophos intellectus est, qui facit vniuersalitatem in rebus vniuersaliter concipiens eiusdem speciei individua: sed vere sunt tres personæ inter se distinctæ, vere res subsistentes, vnius tamen & eiusdem substantiæ. Est inter patrem & filium generationis expressa distinctio, secundùm quam verus Deus est, de vero Deo genitus, lumen verum de vero lumine. Est inter patrem, & filium, & inter spiritum sanctum processionis differentia, secundùm quam spiritus sanctus à patre filioque procedit: sed quemadmodum genitor & genitus est vnus Deus secundùm vnitatem indifferentis deitatis, ita spiritus sanctus procedens à patre & filio, vnus est cum patre & filio Deus, secundùm vnitatem eiusdem deitatis individuæque substantiæ. Tertiò. Ex huius iam consideratione

Bernardus. — De attributis cuiusq; personæ in diuinis. — Iohan. 1.a Iohan. 16.b Iohan. 5.b Iohan. 14.b — 1 Corint. 12. b — Marci. 13. d — Luc. 3. g — Ambr. de fide lib. 5. c. 8.

ratione patet, quanam ratione verum sit in diuinis personis, quæ inter se sunt coæquales, vnam esse mittentem, & aliam missam: vnam demonstrantem, & alteram intelligentem & videntem. Nam hæc intelliguntur, secundùm quod vna persona dat alteri potestatem faciendi. In scripturis pater legitur mittere, sed non missus: filius autem & missus, & mittere legitur: missus quidem à patre, mittens autem spiritum sanctum paracletum. Singuli tamen, pater, filius, & spiritus sanctus, sunt vnũ principium omnis gratiæ, omnis operis, omnisque effectus, tam inuisibilis, quàm visibilis. Quicquid enim agit & operatur persona, quæ mittitur, hoc ipsum quælibet persona & simul tota trinitas operatur. Secundùm quod missum esse, designat effectum aliquem diuinæ potestatis. Christus Dei filius Isaiæ. 48. dicit se missum à Deo, & à spiritu eius, loquens de missione, qua filius secundùm formã serui, quam induit, est missus ad humani generis reparationem, quam neq; solus pater, neque filius solus, aut spiritus solus, sed tota trinitas est operata per ministerium Christi filij Dei, secundùm formam serui sese pro humano genere offerẽtis toti trinitati. — Opera trinitatis indiuisa.

Quartò. Ex his cõsideratis aperitur via ad intelligendum scripturas multas, & præcipuè sacrosanctum Ioannis euangelium, in quo Christus multa loquitur, quorum alia cõueniunt illi, quatenus est Deus æqualis patri, & ab illo genitus: alia verò conueniunt quatenus est homo. Quòd dicitur Ioan. 5. *Sicut pater habet vitam in semetipso sic dedit & filio habere vitam in semetipso*, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Prior huius sententiæ pars est coaptanda patri & filio secundùm diuinitatem, vterq; habet vitam sempiternam in semetipso, & pater, & filius, sed pater non ab alio habet, filius autem à patre. Vnde signanter ait: Pater habet vitam in semetipso, filio autẽ dedit habere vitam in semetipso. Quod autem sequitur: Et potestatem dedit ei facere iudiciũ, quia filius hominis est. hoc iam conuenit Christo secundùm formam humanam, in qua venturus est iudicare viuos & mortuos, visibiliter omnibus. tam reprobis, quàm electis. Christus ergo in eo quòd est filius Dei, est vita viuificans animas, sed hanc vitam accipit nascendo. In eo autem quòd est filius hominis, constitutus viuorum & mortuorũ iudex. Proinde quod consequenter dicit: Non possum à meipso facere quicquam, sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed eius, qui misit me patris: cõgruit ipsi tam ratione naturæ diuinæ, quàm ratione naturæ humanæ. Qui enim non est à se, is neq; facit quicquam à se, neque iudicat à se, neque quærit voluntatem suam, id est, sibi soli propriam, & non cõmunem ei, à quo est. Est quidem sua ipsius Christi voluntas, sed non ita est sua, vt sit à voluntate patris aliena. Secundùm similem sensum accipiendũ est quod subditur: *Si ego testimoniũ perhibeo de meipso, testimoniũ meum non est verũ.* tanquam dicat: *Si ego solus non à Deo patre audiens, perhibeo testimoniũ de me, non est efficax testimoniũ meum*: alius, scilicet pater, testimoniũ perhibet de me, qui & in me loquitur, cuius & vocem audistis vos de cœlo dicẽtem: Hic est filius meus dilectus. Sic dicit Ioannis 12. Qui credit in me, non credit in me: sed in eum, qui misit me, hoc est qui recta fide credit in me, non credit in me, tanquam à me ipso loquerer, & tanquam solus essem. Neque pendent hæc sacratissima fidei nostræ sacramenta sub incerto in vagis ac varijs magistrorum opinionibus, sed antiquum est in his eiusdem fidei nostræ dogma, nihil in eis dubia æstimatione pẽdulum: totum quod est in ea, est solida & certa veritate subnixum, in prophetis & euangelijs demonstratum, miraculis & oraculis ante secula longè toti ecclesiæ gentium persuasum, partu virginis consecratum, incarnatione redẽptoris, & gloria resurgentis, & sanguine martyrum communitum, ita vt testimonia Christi super omnibus his mysterijs facta sunt credibilia nimis.

Iohan. 5. d — Iohan. 5. e — Iohan. 12. g

Secunda

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda pars huius capituli, de rationibus & mysterijs incarnationis filij dei, quatenus necessaria sunt ad intellectum scripturarum. A

NOTA lex & prophetæ nunc in figuris & in vmbris, nunc in sermonibus planis locuti sunt de Christo Domino, & de regno eius, & de misericordia liberationis per eum futura plebi Israel, & omni populo in fidem Israelis transeunti. Et ideo ad intelligendum locos scripturæ difficiliores, quisque sacræ theologiæ studiosus, secũdùm ecclesiæ catholicæ fidem ex apostolica doctrina (in qua discimus, quòd per vnum hominem peccatũ intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors) ex alijsq; scripturis firmissimè debet credere, & nullatenus dubitare, quòd primus parens noster Adam, ab initio cõditus ad Dei imaginem & similitudinem rectus, in paradiso deliciarum per Dei bonitatem positus vbi fuisset immortalis, & futurus semper beatus, propter peccatum suum seu inobedientiam sit deiectus in hanc vallem miseriæ factus mortalis & carnalis, secundùm naturam deprauatus, ad malum pronus, sub potestate diaboli captiuus, in ira Dei & inimicitia constitutus, in qua Dei ira nascimur vniuersi filij in eodem primo parente nostro, eiecti extra eandem paradisum, facti mortales, nobismetipsis graues & contrarij, nobis permisi, paternorum scelerum imitatores, factiq; sic miseri ex iusticia Dei peccatum vindicantis, vt non possimus rursus ab hac miseria & captiuitate sub diaboli potestate liberari, absque Dei miserentis gratia, quæ per Dominum nostrum Iesum iam est facta, olim patribus, prophetis, cæterisq; iustis promissa, in quam Christi gratiam tendunt vniuersa, lex & prophetę. Et inde iam consideranda est ratio incarnationis Domini nostri Iesu Christi, secundùm quam filius Dei ab æterno in forma Dei genitus ex Deo patre sine matre, humiliatus descendens ad liberandum genus humanum in terram, non horruit virginis vterum, natus ex eadem virgine matre, sine patre, formam serui accipiẽs, vt in ea pro peccatis nostris pœnitentiam ageret, pœnasque exolueret peccatis nostris debitas, in eaque nos Deo patri reconciliaret, orando, moriendo, & seipsum offerendo in sacrificium, Ex quibus cõsequens est, Christum non fuisse in carne moriturum si hominum genus non fuisset lapsum. Nulla enim Christo fuit ratio in carne moriendi, nisi causa humani generis redimendi. Sic hactenus ex scripturis docuerunt patres, quòd Christum vnicum filium in mortem pater non tradidisset, neq; eum in carne moriturum humano generi præparasset, si nemo peccasset. Christus pro homine factus est paruulus, homo mortalis, & iuxta Isaiæ vaticinium, ab ipso Deo homini datus, vt homo ex se nihil habens dignũ, quod pro debitis peccati sui soluat, ipsum eundem paruulum semel oblatum ex integra fide Deo pro eisdem peccatis suis offerat. Ex his consideratis multæ intelliguntur scripturæ, in quibus aut Christus loquitur, aut sermo fit de Christo, cui propter duas in ipso naturas, mortalem videlicet, & immortalem, diuersa & contraria tribuuntur prædicata: nunc designatur vt seruus & mortalis homo, factus sub lege, nũc vt omnium Dominus immortalis, Deus, legislator, & omnis legis author. Super Messia, id est, Christo rege, vero Dei filio, redemptore nostro, & super spirituali eius regno, & de duplici aduentu ipsius, de iusticia & misericordia eius super vniuersum genus humanum pendebant omnium prophetarum scripta. Quamobrem & ignoratio Christi & spiritualis regni eius, est omnium prophetarũ & scripturarum ignoratio. Possunt quidem Iudæi habentes libros legis Moysi, psalmos & Prophetas legere, & ex illis rerum gestarum historias cognoscere atque intelligere: sed quia finem Christum quem historiæ ipsę figurant & significant, non cognoscũt: ergo verũ spiritus sancti sensum viuificantem, in illis gestis significatum non intelligunt. Ne igitur propter harum rerum inconsiderantiam in scripturis intelligendis, aliorsum rapiatur lectoris

Qualis homo factus sit per Peccatum.

Ratio incarnationis Christi.

Isaię 9.b

Scopus omniũ prophetarum Christus.

B C D

A lectoris intentio, operæprecium est mysteria incarnationis eiusdem domini nostri paucis declarare. Sciendum est ergo, quòd quemadmodum ab æterno fuerunt tres personæ in vnitate naturæ seu substantiæ, Ita ex tempore factum est, vt tres naturæ, videlicet deitas, anima rationalis, & caro, sint in vnitate personæ iuxta Ioannis euangelium: Verbũ caro factum est. Verbum inquam, quod in principio erat Deus apud Deum, per quod & omnia facta sunt. Et iuxta Pauli apost. doctrinam, Christus Iesus cùm in forma Dei esset ante secula Deus, semetipsum exinaniuit & humiliauit, formam serui accipiens. Hic ergo vigilare debet mens studiosi lectoris in scripturis intelligẽdis, vt dum Christus loquitur, aut apostolus vel propheta de Christo, consideret quid loquatur pro sua persona, quæ secundùm diuinitatem æqualis est patri: quid secũdùm formam humanam, qua minor est patre: quid secundùm carnem infirmam & mortalem, quid secundùm voluntatẽ rationalis animæ. Vnde in scripturis sacris triplex operum seu officiorum genus legitur attributum Christo Domino. Primũ Christo tribuuntur ea, quæ sunt solius Dei opera. Insuper & illi tribuuntur alia, quæ non possunt esse nisi solius hominis opera.

Iohan.1.a

Philip.2.a

B

Tertiò tribuuntur & eidem nonnulla, quæ non possunt esse nisi opera illius, qui simul est Deus & homo. Exempli causa: saluare, viuificare, à mortuis suscitare iustificare impios, peccata remittere, spiritum sanctum dare, & id genus alia, sunt solius Dei opera. Obedire verò, orare, sacrificare, gratias agere, mortem velle tolerare, non possunt esse nisi solius hominis, aut spiritus rationalis opera. Porrò emittere spiritum suum, & pro voluntate ponere animam, & iterum sumere eam, resuscitare se de morte, precium condignum soluere pro peccatis totius mundi, non possunt esse nisi opera eius, qui simul Deus est & homo. Rursus natura humana, quia in Christo, quemadmodum in nobis, ex duabus constat naturis seu partibus, ex carne videlicet, & anima rationali, seu ex parte sensitiua, & ex parte rationali. Pars sensitiua in Christo constans ex vera carne mortali, suos habet motus ex perceptione sensibilium rerum, tum in carne sua, tum in imaginatione sua. Quãobrem verus fuit in Christo dolor, verus pauor & tremor mortis, & quædã etiam voluntas seu desiderium non moriendi: sed hæc voluntas non erat in illo propriè voluntas, quia non ex iudicio rationis elicita, sed ex imaginatione sensibilium rerum naturalis fuga mortis, tanquã appropinquãtis mali: veruntamen erant omnia hæc in Christo sub dominio rationalis voluntatis, in cuius potestate situm erat horribilia mortis tormenta amouere, & excludere tam foris à carne sua, quàm intus ab imaginatione: & stante etiam imaginatione & sensibilium causarum naturaliter agentium coniunctione, suspendere nihilominus illa ab actione sua. Vnde ipse ait: Nemo tollit animã meam à me, sed ego pono eam. Proinde cœpit timere, pauere, mœstus esse, dolere & pati quando voluit, & quàm diu voluit. Tunc cœpit (inquit scriptura) pauere, tœdere, & mœstus esse, indicans initium pauoris & tœdij esse in dominio sui arbitrij. Ex his iam intelliguntur scripturę, quibus Christus diuersas explicat in se voluntates. Ipse secundùm voluntatem quandam carnis, voluit non mori: secundùm voluntatem autem rationis, mori voluit. Vnde ad patrẽ loquitur: Non mea voluntas fiat, sed tua: non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Tanquàm dicat: Ego secundùm rationalem voluntatem volo fieri, non sicut ego volo secundùm volũtatem carnis naturaliter mortem fugientis. Quicquid Christus secundùm. rationalem voluntatem petiuit à Deo patre, impetrauit. Pater scio (inquit) quia semper me audis. In omnibus (inquit Apostolus) exauditus est pro sua reuerentia. Voluntate labiorum eius non defraudasti eum. Sed cicatrices, vulnera, & mortis passionem non euasit, quæ in eo natura humana horruit, & naturali quodam appetitu refugit. Vnde & horrorem hunc, timorem, naturalemq; fugam, dolorem, & id genus alia in carne sua esse voluit, quæ & pro nobis assumere di-

Triplicia opera Christi.

C

Duę voluntates in Christo

D

Iohan.10.d

Matth.26.d

Ibidem.

Iohan.11.a

Hebr.5.

re di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. TRAC.

re dignatus fuit. Proinde in his, quæ ſecundùm voluntatem carnis petiuit, exaudi-
tus non fuit, quia exaudiri noluit, ſicut nec pro carne ſua vt exaudiretur orauit:
ſed deſideriũ infirmitatis carnis ſuæ, tanquàm aduocatus ad noſtram inſtructio-
Pſalm.21.a nem & ſalutem propoſuit atq; expreſsit. Vnde ait: Clamabo per dies, & nõ exau-
dies in nocte: ſed non ad inſipientiam mihi, quia ego volo vt fiat, non ſicut ego ſe-
cundùm carnem volo, ſed ſicut tu vis. Fuit ergo in Chriſto aliquid creatum, quòd
mori voluit: fuit & aliquid creatum, quòd mori non voluit. Rurſus, fuit aliquid in
Chriſto, quòd Deo potuit obedire, orare, ſacrificare, gratias agere, ieiunare, pauere,
dolere, & mori: aliquid etiam fuit in ipſo, quòd propter ſuam immenſitatem
hæc aut pati, aut facere non potuit, quia impoſsibile eſt deitatem obedire, gratias
agere, orare aut mori. Sunt enim hęc inferioris ad ſolum ſuperiorem officia. Quic-
quid operis ſupra creaturam competit patri & ſpiritui ſancto, hoc competit & B
Chriſto Domino: & econtrario. Quicquid ratione ſolius naturæ diuinæ compe-
tit Chriſto, tribus perſonis eſt commune. Quemadmodum & ipſa diuina natura
cõmunis eſt tribus perſonis, patri, filio, & ſpiritui ſancto, eadẽ eſt (vt iam patuit) in
vniuerſis & ſingulis deitas, eadem increata ſapientia, eadem increata, ſempiterna
& immutabilis volũtas, & poteſtas patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Proinde quem-
admodum Deus ipſe redemit nos, liberauit nos in Chriſto Ieſu Domino noſtro,
ſic non fuerit ſermo abſurdus, ſi dixerimus, Chriſtus Ieſus redemit nos, liberauit
nos in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Siquidem Chriſtus Ieſus redemit nos, libera-
uit nos in Chriſto Ieſu Domino noſtro: ſiquidem Chriſtus Ieſus verus eſt Deus ſe-
cundùm deitatem ipſam ſociatam humanæ naturæ in vnitatem perſonæ. Quic-
quid proinde beneficij pater præſtitit nobis per Chriſtũ Ieſum, hoc & ipſe Chri-
ſtus ſecundùm diuinam naturam, in qua æqualis eſt patri, præſtitit nobis per eun- C
dem Chriſtum Ieſum, Quicquid autem ratione humanæ naturæ competit Chri-
ſto, ſoli Chriſto proprium eſt, & neque patri, neque ſpiritui ſancto competit. Hu-
iuſcemodi ſunt orare, obedire, pati, mori, & id genus alia. Chriſtus ſecundùm di-
uinam naturam, neque ſubiectus eſt patri, neque orauit patrem, neque obediuit
illi, neque emit nos à patre, neque gratias illi egit, neque paſſus eſt, neq; mortuus:
ſed hæc omnia perfecit ſecundùm formam ſerui, in qua mortuus eſt, ſecundùm
hanc & reſurrexit à mortuis, ſecundùm hanc aſcendit in cœlum, ſecundùm hanc
dicitur exaltatus eſſe, & ſedere ad dexterã patris, ſecundùm eam venturus eſt, iu-
dicare viuos & mortuos, ſecundùm eam pater non iudicat quenquam, ſecundùm
eam, omne iudicium dedit filio, ſecundùm eam datum eſt illi nomen, quod eſt ſu-
per omne nomen, ſecundùm eam factus eſt obediens vſque ad mortem. Chriſtus
antequam fieret homo erat filius Dei, æqualis patri, neque maior, neque minor, D
neque debuit patri quicquam, neq; obedientiam, neq; honorem, neq; latriæ cul-
tum. Eſt enim vnus Deus patri conſubſtantialis, ſed cùm factus eſt homo, induens
formam ſerui dixit: Pater maior me eſt. Secundùm formam Dei loquitur: Ego &
Iohan.14.e pater vnum ſumus. Antequàm Abraham fieret ego ſum. Secundùm formam ſer-
Iohan.10.f ui, filius Dauid ex tempore natus, dixit: Pater maior me eſt. Sed ſecũdùm formam
Dei eſt Dominus & creator Dauid, ante luciferum genitus, ſecundùm formam
ſerui inter homines viſibiliter eſt conuerſatus, pro nobis cum impijs iudicatus,
factus opprobrium hominum, abiectio plebis, nouiſsimus virorum. Secundùm
formam Dei eſt altiſsimus, creator, fabricator, rector, & iudex totius mundi, glo-
ria angelorum, immortalis, impaſsibilis. Secundùm formam ſerui ſeipſum exina-
niuit, & eo vſque ſeſe humiliauit, vt ſe magis humiliare non poſſet, habens veram
mortalem carnem atque paſsibilem, veram in carne animam rationalem, ex qui-
bus conſtituta eſt in illo humana natura diuinæ ſociata, ſecundùm quam verè fu-
it paſsibilis & mortalis, verè eſuriens, verè Deo obediens, verè factus tanquàm le-
proſus

A proſus, cui neq; ſpecies erat, neq; decor, flagellatus, colaphis cæſus, ſputis deturpa-
tus, cum latronibus ſceleratis morte turpiſsima condemnatus. Per eundem ſe-
cundùm formam ſerui factum eſt, vt Dei miſericordia & iuſtitia quæ videbantur
diſsidere, conuenirẽt in vnum oſculũ pacis, iuxta prophetæ teſtimonium: Miſeri- Pſalm.84.b
cordia & veritas obuiauerunt ſibi. Iuſtitia & pax oſculata ſunt. Quam ſanè pacẽ &
olim ſuſpirabat Iudæorũ ſynagoga, clamans quotidie: Oſculetur me oſculo oris Cant.1.a
ſui. deſiderans præſentiã aduentus illius. Oſculũ eſſe indiciũ pacis (inquit Bern.)
omnes nouimus. Peccata noſtra (vt ſcriptura teſtatur) ſeparant diuiduntq; inter
nos & Deum: ſed tollatur de medio quod intereſt, pax erit. Proinde Chriſtus quia
tulit peccata mundi, iuſta ratione mediator appellatur, tollens id quod nos à Deo
ſeparabat, per ſuam ſapientiam vincens maliciam, vt leo rugiens diabolus, qui ho-
minem vicerat per fraudulẽtiam, rurſus ſapienter ſuperaretur per iuſtitiã. Hęc eſt
B iuſtitia data filio regis, qui deſcendens ſicut pluuia in vellus, de manu potentis dia-
boli liberauit pauperẽ populũ, id eſt, humanũ genus ſub peccato damnatũ, cui nõ
erat adiutor, id eſt, quem neq; cuiuſquàm creaturæ virtus, nec angelus poterat ad-
iuuare. His regulis fidei intellectis ex locis ſcripturæ manifeſtis, firmaq; fide cõſti-
tutis in animo ſtudioſi lectoris, intelliguntur prophetarũ & apoſtolorũ ſcripturę,
quæ alioqui videbũtur difficiles, quibus Chriſto Domino tam diuerſa & tam in-
ter ſe pugnantia tribuũtur, vtpote quòd immortalis ſit & mortalis, ϕ ſit Dominus
omnium & ſeruus, ϕ ſit ſalus omniũ, ſaluator & ſaluũ faciens, & nihilominus orãs
vt ſaluus fiat. Rurſus ex his intelliguntur ſcripturæ, quibus ſignificatur, Chriſtus
offerendo ſe in mortẽ, eſſe nobis redemptor, reconciliator, propitiatio, ſacrificiũ,
victima, oblatio, preciũ, & ſatisfactio. Ipſe factus eſt nobis hęc omnia, non ſecundũ
C naturam diuinam, ſed ſecundùm humanã formam. Secundũ hanc (inquit Aug.) De ciuita. Dei lib.10.cap.10.
eſt caput eccleſiæ, ſecundùm hanc ſacerdos factus eſt, ſecundùm hanc oblatus eſt,
ſecundùm hanc voluit eſſe mediator & ſacrificium, ſecundũ hanc orauit pro no-
bis, & ſatisfecit pro nobis: qui & ob id hanc noſtram induit formam, vt in ea no-
ſtram ſuſciperet cauſam, in eaq; ſentiret pœnas peccatis noſtris debitas. In ea ipſe
prorſus innocens eſt tanquàm reus iudicatus pro nobis, factus inglorius, contem-
ptibilis, qui intus erat ſpecioſus forma præ filijs hominum, plenus gratia & verita-
te, obſcuratus in cruce tanquam nouiſsimus eſſet virorum. Secundùm formã ſer-
ui pendebat in cruce, ſecundùm Dei formã regnabat cum patre: & cùm vt homo
moreretur in ligno, ſimul vt Deus triumphabat in cœlo. Secundùm formam ſerui
dicebat Petro. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Secundùm for-
mam Dei dicebat eidem: Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Tibi Luc. 22.c
D dabo claues regni cœlorum. Vox Chriſti hominis eſt totus pſalmus octogeſimus- Matth.16.c
ſeptimus, vbi in forma ſerui loquitur: Repleta eſt malis anima mea, & vita mea ap
propinquans erat in inferno. Eſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum. Factus
ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. De ipſo etiam Chriſto ſecun-
dùm formam ſerui loquitur Deus pater: Poſui adiutorium ſuper potentem, &
exaltaui electum de plebe mea: Adiutorium ſecundùm formam ſerui Chriſtus ha Pſalm.88.d
buit, dum diuinitas ipſum à morte ſuſcitauit. Ipſe autem idem ſecundùm formam
ſerui ſolus inter mortales à reatu mortis liber, factus eſt ſine adiutorio, dum pen-
dens in cruce dixit, Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me, dum neque per nu- Pſalm.21.a
tum, neque per legatum, neque per alterius auxilium, ipſe per ſeipſum opus noſtræ
redemptionis impleuit, pœnamque peccatis noſtris debitam pro nobis ſuſtinuit.
Foris vt Eſau, indutus veſtimento peccati: intus vt Iacob, in cuius labijs diffuſa
eſt plenitudo gratiarum. Vox quidem, vox dulcis erat, tanquam vox Iacob ple- Geneſ.27.e
na charitatis & manſuetudinis. Manus autem & omnia membra eius, tanquam
membra erant Eſau hiſpida, in ſimilitudinem carnis peccatricis: infirma, ſqua-

 lida, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

lida,& amaritudinis plena. Suum erat quod audiebatur in eo, noſtrum erat quod A
videbatur in eo. Quod loquebatur,ſpiritus & vita erat: quod videbatur,caro erat
infirma: ſed ſub pelle Eſau dilectus Iacob, pulcher & decorus, plenus diuinitatis,
quem Iſaac pater ſuus oſculatus eſt oſculo oris ſui, acceptis ab illo cibis, quibus
libẽter veſcebatur. Vnde & benedixit eum,vt fieret odor eius ſicut odor agri ple-
ni,quem benedixit Dominus, cuius ſuauitate totus mundus impletur. Hæc quæ
ſic olim de Chriſto ſub gemina forma venturo fuerant figuris adumbrata, ſunt in
pſalmis & prophetis longè antequam fierent expreſſa: quemadmodum ex ſupe-
rioribus,patet conſiderantibus ex cap. de mutatione perſonarum,voces quas lo-
cutus eſt ipſe Dominus noſter Chriſtus, nunc ſecundùm diſpenſationem aſſump-
tæ carnis,nunc ſecundùm formam deitatis, quæ ſunt & ab Apoſtolis & euange-
liſtis,& à Iohanne & Paulo clariſsimis ſententijs expreſſæ, quemadmodum ex ſu- B
perioribus eſt manifeſtum. Quibus conſideratis habemus clauem ad aperiendum
& ad ingrediendum in multarum ſcripturarum intellectũ, ſcientes quòd Chriſtus
ſecundũ formam vnam, vtpote diuinam, ſecundùm quam eſt æqualis patri,ſuum
ipſius ſacrificium acceptauit vnà cum patre & ſpiritu ſancto, orationemq; ſuã ex-
audiuit. Secundùm alteram autem naturam, videlicet formam ſerui,in qua mi-
nor eſt patre,meruit, orauit,poſtulauit, & pro peccatis noſtris pœnitentiam egit,
atq; ſatisfecit, reconciliauit, obediuit patri, & toti trinitati vſq; ad mortem. De-
monſtrantur autem hæc omnia ſcripturis manifeſtiſsimis in libro de captiuitate
& redemptione generis humani,in capitulo de bello,victoria,merito,ſatisfactio-
Pro intellectu myſterij incarnationis Chriſti. ne,& ſacrificio in paſsione Chriſti. Ex ſuprà dictis primùm ſequitur,non alte-
ram perſonam eſſe ex patre æternaliter genitam, alteram ex virgine temporaliter
natam: ſed eandem perſonã, id eſt,eundem Dei filium aliter eſſe ex patre,aliter ex C
virgine matre,aliter,hoc eſt,alia & alia generatione, ex patre accipiẽs eſſe diuinũ,
ſeu formam Dei, hoc eſt, deitatem æterna generatione: ex matre accipiens eſſe
hominis, ſeu humanam naturam, conceptione virginali ex tempore. Secundò
ſequitur: Quemadmodum in generatione filij Dei à patre non recipitur forma
Dei in vllo ſubiecto, ita in generatione filij Dei ex matre humana natura non re-
cipitur in filio Dei,aut in diuina natura,vt in ſubiecto,ſed totam humanam natu-
ram, hoc eſt, carnem & rationalem animam vniuit ſibi ipſe Dei filius in vnitatem
ſuæ perſonæ, totaq; trinitas formauit eandem humanam naturã in virginis vtero,
faciens eandem mirabili quodam & ineffabili modo vnitam eſſe perſonæ filij ſe-
cundùm incõprehenſibilem vnionem quandam, qua non eſt vnita patri aut ſpi-
ritui ſancto. Tertiò ſequitur, quòd etſi pater & ſpiritus ſanctus in illa vnione
fecerunt quicquid filius fecit, eo quòd indiuiſa ſunt trinitatis opera: ſolus tamen D
filius indutus forma humana factus eſt homo,veluti cùm pater quiſpiam & mater
formant vnà cum filio tunicam, ſimul etiam operantes vt ipſe filius hanc induat
ſemetipſum, ſolus filius eſt tunica indutus, quàmuis nihil fecerit filius,quòd pater
vnà cum matre non fuerit operatus. Ex his ſequitur quartò, quòd dũ hoc opus
incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſpiritui ſancto tribuũt ſcriptutæ, quales
Matth.1.e Luc.1.d Opus incarnationis. Item opera amoris, charitatis & gratiæ, ſpiritui ſancto attribuuntur. ſunt: Maria inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto. Quod in ea natũ eſt,de
ſpiritu ſancto eſt. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. & reliquæ ſimiles,non exclu-
dunt ab operatione patrẽ & illius filium: ſed tribuentes hoc opus ſpiritui ſancto,
intimant opus illud maximè eſſe opus diuinæ bonitatis, amoris, charitatis,& gra-
tiæ. Opus charitatis,amoris, gratiæ, & ſanctificationis ſpiritui ſancto appropria-
tur,quẽadmodum opus potentiæ,patri: & opus ſapientiç,filio. Quintò ex ſcri-
pturis ſacris diſcimus proceſsionem illam, qua filius procedit à patre, eſſe genera-
Proceſsio filij à patre eſt generatio. tionem,& idcirco eſſe filium genitũ,cõgruaq; ratione appellari filium. Proceſsio-
nem autem illam,qua ſpiritus ſanctus procedit à patre,non eſſe generationem ſed
proceſ-

A proceſsionem: & idcirco ſpiritum ſanctum,neq; eſſe genitũ à patre,neq; appella-
ri filium patris,quia ex fide certũ eſt non eſſe niſi vnum filium in trinitate,iuxta il-
lud Iohannis: Sic Deus dilexit mundum,vt filium ſuum vnigenitũ daret. Cur aũt Iohan.3.b
datio illa,qua pater ſua fœcunditate dat vitam filio, ſit vera generatio,& non ve-
ra generatio ſit datio illa, qua idem pater dat eandem vitam ſpiritui ſancto, diffi-
cilè eſt concipere. Cùm enim ſecunda in diuinis perſona dicatur filius patris, pro-
pterea q̃ accepit à patre vitã intellectualem eiuſdem naturæ, conſequens videtur
eadẽ ratione & ſpiritum ſanctum poſſe appellari filium patris,quia accepit à patre
intellectualem vitam eiuſdem naturæ. Scrutari ergo quemadmodũ ex natura rei
differant generatio filij à patre,& proceſsio ſpiritus ſancti à patre,grandius & ſub-
limius eſt, quàm vt ab vlla humana mente poſsit in hac vita cõprehendi. Ex ſcri-
pturis credere oportet filium procedere à patre,vt genitum à genitore: ſpiritum
B autem ſanctum à patre & filio,nõ vt genitum,ſed vt ſpiritum vtriuſq;: ſed quem-
admodum ſit natus filius à patre,& quemadmodũ ab vtroq; procedat ſpiritus ſan-
ctus, ſanctius eſt humili fide confiteri, quàm quæſtionibus multis velle diſcutere.

Sextò ex ſuperioribus patet, q̃ proceſsionem hanc in diuinis perſonis non de-
beamus intelligere talem, qualis eſt proceſsio ſecundùm quam effectus procedit
à ſua cauſa, quemadmodum docere præſumpſit Arrius Hæreticus contra prædeceſſores patres orthodoxos, dicens filium procedere à patre, tanquàm primam e- Arrius.
iuſdem Dei patris creaturam, & ſpiritum ſanctum ab vtroq;,tanquàm creaturam
vtriuſq;. Neq; item intelligere debemus proceſsionem hanc,quemadmodum in-
tellexit hæreticus Sabellius, ponens eundem Deum eſſe trinominem,abſq; perſo- Sabellius.
narum diſcretione, docens patrem & eſſe & appellari filium, inquantũ carnem aſ-
ſumpſit ex virgine,& eundem patrem eſſe ſpiritum ſanctum,inquantum viuificat C
& ſanctificat rationalem creaturam. Vtraq; hæreſis pullulare longè ante Arrium
cœpit ipſis Apoſtolorum temporibus, quamobrem & Iohannes in ſuo euangelio
contra vtramque luculentiſsima ſcripſit teſtimonia, quibus intimatur Chriſtus
eſſe verus Deus, Deo patri coæternus, & ab eodem Deo patre in carnem miſſus.
Vnde & vtriuſque teſtamenti pagina Chriſtum expreſſo nomine Deum appellat, De diuinitate Chriſti.
quemadmodũ in ſuperioribus oſtenſum eſt. Item apud prophetas ſcripturæ mul-
tis in locis Chriſto Domino tribuunt nomen Dei Tetragrammon, quod ſecun-
dùm Hæbræos ſoli Deo eſt proprium, quemadmodum patet Hieremiæ 23. vbi
ſecundùm omnes etiam Hebræos,prophetia de Chriſto Domino: Ecce (inquit)
dies venient, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & ſapiens,& rex
erit,& faciet iudicium & iuſtitiam in terra, & hoc eſt nomen, quòd vocabũt eum
D Dominus iuſtus noſter. In eo loco, vbi Dominus ponitur in textu Hebraico, po- D
nitur nomen Dei quatuor literarum. De myſterijs igitur trinitatis perſonarum
in vnitate deitatis, & de ſacramẽto incarnationis filij Dei eſt antiqua fidei regula,
etiam ante Nicenum concilium à tota Chriſtianorum ſchola credita & euulgata.
Vnde glorioſus Ignatius martyr, Iohannis Apoſtoli diſcipulus, poſt Petrum An- Ignatius de Chriſti diuinitate, epiſt. 5. ad Philadelp. circa mediũ.
tiochiæ epiſcopus, vnà cum fratribus in Troia in epiſtola ad Philadelphienſes,
cuius epiſtolæ meminit & Hieronymus in libro de viris illuſtribus, plano ſermo-
ne explicat hæreſim eſſe Ebionis, dicere Ieſum Chriſtum non eſſe Deum vnige-
nitum,ſed hominem purum. Si quis (inquit) dicit vnum Deũ,confiteturq; Chri-
ſtum Ieſum, ſed putans illum purũ hominem,& non Deum vnigenitũ, & ſapien-
tiam, & verbum Dei: ſed exiſtimans eum eſſe ſolùm ex anima & corpore, huiuſ-
modi ſerpens eſt & ſeductor, errorem prædicans ad perditionem hominum, &
pauper eſt ſenſu, ſicut & eſt, & vocatur adinuentor huius erroris Ebion. Rurſus
in epiſtola ad Trallianos ex Smyrna, eius epiſtolæ meminit & Hieronymus in-
ter pernicioſas hæreſes recenſet errorem eorum, qui dicebant, aut Chriſtum Dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

filium esse purum hominem, aut ipsum patrem esse filium & spiritum sanctum, A
addens ibidem: Deus verbum ex virgine, sine peccato verè corpus induit, verè
cõceptus est in vtero, formans sibi corpus ex virgine sine semine, portatus in vte-
ro sicut nos portati sumus, verè lactatus & nutritus sicut & nos, cibo & potu sicut
& nos vsus est, triginta annos agens baptizatus est à Iohanne in veritate, & non in
phantasmate, & tribus annis prædicauit euangeliũ, faciens signa & prodigia co-
ram falsis Iudæis, & à præside Pilato iudicatus & flagellatus, colaphis cæsus, cõspu-
tus, coronam spineam, purpureamq; vestẽ portauit, condemnatusq;, verè est cru-
cifixus voluntariè, verè mortuus & sepultus, sicut & ipse alibi orans patrem dice-
bat: Tu autem Domine resuscita me & retribuam eis. Cui pater, qui semper eum
exaudit, respondens ait: Exurge Deus, iudica terram, quoniam tu hæreditabis in
omnibus gentibus. Hactenus fidei regula tradita à beato Ignatio, & tota Smyr- B
Irenæus de diuinitate Christi. neorum & Ephesiorum ecclesia. Deinde Irenæus episcopus, qui ante Arrium flo-
ruit centũ annis & vltra, lib. prim. aduersus Valentinum cap. 19. contra hæreticos
fidem totius ecclesiæ prædicat, qua Christus credebatur esse verus Deus. Neque
enim Dominus, neq; spiritus sanctus, neq; Apostoli eum qui non esset Deus defi-
Psalm. 44 b nitiuè & absolutè Deum nominassent, nisi esset verus Deus. In psalmo vtrunq; esse
Deum significauit spiritus prophetæ, vt eum videlicet qui vngit, & eũ qui vngi-
Quatenus Christus dicitur speculũ & imago patris. tur. Sedes tua Deus in seculũ seculi, propterea vnxit te Deus. Septimò, ex supe-
rioribus consequens est, quanam ratione filius in scripturis sacris appelletur spe-
culum & imago Dei patris, & quasi verbũ, & quasi splendor seu candor lucis æter-
næ. Speculum quidem & imago, quoniã in ipso relucent omnia quæ pater habet,
vtpote summa maiestas, sapientia, bonitas, cæteraq; omnia quę pater habet, qui ni-
hil habere voluit, quòd non eidem filio suo cõmunicauerit, quemadmodum ipse C
filius in euangelio ad eundem patrem suum loquens, inquit: Omnia mea tua sunt,
Iohn. 17. b & omnia tua sunt mea. Proinde qui videt filium in ipso filio tanquam in speculo,
Iohan. 14 b & in propria imagine videt patrem, sicut ipse ad Philippum dicentem: Domine
ostende nobis patrem, & sufficit nobis, loquitur: Philippe qui videt me, videt &
patrẽ meum. Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Dicitur etiam filius
Item splendor & candor patris. splendor seu candor patris, vt lucis ęternę, quia lux simul cùm est operatur splen-
Mystica humanum captum excedentia. dorem, neq; momentũ est vllum, in quo sine splendore lux est, sic & sine filio nunq̃
pater est. In huiusmodi fidei regulis deficit omnis humanę indaginis inuestiga-
tio, ac inferior, lõgeq; dispar est ex corporalib⁹ rebus omnis cũ huiusmodi my-
sterijs collatio, comparatio, ac similitudo. In mysterio trinitatis locum non habet
dialecticorum regula. Quæcunq; sunt eadẽ vni tertio singulari, sint eadem inter
se, nempe singularis Deitas pater est & filius, neq; tamen pater est filius. Neq; enim D
in his diuinarum personarũ processionibus comprehendit humanus intellectus,
quemadmodũ filius habens eandem vitam, eandemq, numero Deitatem & essen-
tiam cum patre, sit alia persona à patre: & quemadmodum ipse procedat à patre
vt filius seu natus, vt verbum, spiritus autem sanctus accipiẽs ab eodem patre ean-
dem vitam & deitatem, procedat ab illo non vt genitus seu natus, non vt filius,
non vt verbum, sed vt spiritus & donum, quòd pater & filius sese amando produ-
cunt: non penetrat hominis intellectus, quare filius procedat à patre, quomodo
natus, non sic autem spiritus sanctus. Neq; item cõprehendit quemadmodũ spiri-
tus sanctus procedit à patre, quomodo datus, & quomodo filius. Item cur proces-
sio spiritus sancti à patre & filio, nõ sit ab vtroq; generatio, quemadmodũ proces-
sio filij à patre generatio appellatur. Rursus in sacramento incarnationis filij Dei,
humanus intellectus nõ capit admirabile illud creatoris cũ creatura cõmercium,
duarumq; naturarũ in Christo concursum illum efficacem atq; sublimem, secun-
dùm quẽ natura humana in Christo est sic deificata, id est, deitati vnita, & exalta-
ta atq;

ta atq; sublimata, vt filius Dei sit verus homo, non equiuocè aut metaphoricè, sed A
propria locutione, accepto homine vt significet personã, in qua existit vera natu-
ra humana, cõstituta ex vera carne, & vera rationali anima. Quemadmodũ in re-
bus creatis nihil est, quod tantæ cõueniat personarum trium æqualitati & vnitati:
ita nihil est in rebus sub sole ortis, quod conueniat tantæ vnioni, secundũ quã na-
turæ in infinitũ distantes, deitas videlicet & humanitas vniuntur, sic vt natura hu-
mana existat, non propria personalitate, sed in persona verbi Dei. Existat inq̃, non
secundũ vllum inesse ndi modũ, cognitũ à sapientibus huius mundi, non per essen-
tiam, quemadmodũ ipsa est in homine. Neq; per inhærentiã, quemadmodum al-
bedo in corpore. Natura enim humana neq; est de essentia filij Dei, neq; est acci-
dens eius: sed existit in illa secundũ singularem quendam ineffendi modum, admi-
rabilemq; vnionẽ talẽ, qualis non est reperibilis in vllis creaturis. Proinde neq; B
conari debet sacræ theologiæ studiosus, vt huiuscemodi mysteria secundũ inda-
ginem humanæ rationis cõcipiat, aut ex similitudinibus & exemplis corporalium
rerum intelligat: quippe quę sublimia & grandia oẽm prorsus rationem humanã
transcendunt. Et ideo sacræ theologiæ discipulum oportet fidem ante rationẽ ad-
hibere, & contra humanæ rationis indaginẽ intellectum captiuare in obsequium
fidei. Neq; ideo debet ad discendum sacras literas accedere, vt ex his sacratissima
hæc trinitatis & incarnationis mysteria ratiocinando per lumen rationis internæ
videat, aut vt ea quæ prius crediderat tandem intelligat. Solent quidẽ sacræ theo-
logiæ magistri sacratissima hæc trinitatis & incarnationis mysteria declarare &
manifestare similitudinibus quibusdam & exemplis, naturalibus rationibus & ar-
gumentis: quemadmodũ & scriptura sacra generationẽ filij cõparauit processioni
candoris à luce: non vt ex his intellectus ex fide in visionem perueniat eorũ quæ C
sunt credenda: sed vt intellectus iam credens adiuuetur & fõueatur illis tanq̃ ad-
miniculis quibusdam consonis veritati primæ, & ex eisdem videat atq; demõstret
argumenta hęreticorũ non cõcludere. Sic diuus August. ex animi interni motibus
procedit ad ducendum intellectũ in mysteria trinitatis. Sic ratione separabilitatis
modus ille vnionis & ineffendi, secundũ quem natura humana existit in persona
filij Dei, solent assimilari vnioni, aut ineffendi modo, secundũ quem accidẽs est in
subiecto, q̃uis modus iste ineffendi ab illo distet interuallo immenso. Et quemad-
modum homo non est albedo, sed albus, & id quidem nõ essentialiter, sed separa-
biliter, & prædicatione denominatiua: ita & filius Dei nõ est natura humana, aut
humanitas, constituta ex anima rationali & carne, sed est homo, non essentialiter,
sed separabiliter, & prædicatione quadam, quæ reducibilis est, & proportionem
quandam habet cum denominatiua prædicatione. Quo modo albedo non existit
D per se, sed habet esse in homine: ita humanitas in Christo non subsistit in propria
sua personalitate, sed existit in persona filij Dei, qui eam sibi vniuit, tam mirabili
quadam & ineffabili vnione, vt secundùm eam filius Dei inceperit esse homo,
permanens quod erat, & assumens quod non erat.

Sequitur caput secundum de transitu literæ ad spiritum.

Leriq; in locis prima fronte videntur scripturæ difficiles & obscu-
ræ, proptęrea quòd in eis præter sensus literales, historiales, ac res
corporaliter aut gestas, aut futuras, sunt frequentes mysticarum re-
rum significationes, sub quibus occultus sit transitus de litera ad
spiritum, id est, de literali historia in sensum mysticum, in historia
illa figuratum. Illa est consuetudo prophetica (inquit Hieronymus) post vm-
bram, typum, & figuram, aperire veritatis lucem. Mos est prophetarum, qui secu-
li huius historiam aut præsentem, aut præteritam recitant, aut futuram prænun-
ciant, subiungere prophetiam de Christi regno & Ecclesia illius. Hoc hæretici

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidam olim non animaduertentes, arbitrati sunt propheticum spiritū non constare sibi, & prophetas more lymphaticorum temerè de vna sententia in aliam prorsus separatam rapi: sed errant profectò, non considerantes prophetiæ spiritum, rem aperire figuratam post sensum literalem. Exempli gratia: Scriptura interdum dum multa dixit de Babyloniorum regibus & eorum imperio, de Israele secundùm carnem, de Iacob, & de temporali domo illius, aut de Dauid & de Salomone, aut de temporali regno eorum, & de persecutione Dauid à Saul, vel à filio suo Absolon, frequenter occultè ad ea transit, quæ illis personis designantur: nunc à Babyloniorum regno, ad diabolum & regnum illius, nunc à Iacob, à Dauid & Salomone, & à regno illorum ad Christum & ecclesiam eius, cuius typum gesserat ille Iacob & Dauid, qui persecutionem passus, siue à Saul, siue à populo suo, siue à proprio filio suo, ædebat psalmos quidem super huiuscemodi rebus: sed ea quæ in huiuscemodi psalmis tractata serie quadam intimantur, plerunque excedunt & superant rerum gestarum modum, qualitatem, & ordinem, neque possunt congruenter aptari solis rebus historialiter gestis, & tunc propheta post typum & vmbram aperiens veritatis lumen, transit de litera ad spiritum, & huiuscemodi transitus est frequens in psalmis Dauid, & hinc iam prouenit tanta exponentium varietas, dum psalmum eundem vnus sic exponit, alter verò sic: interdum etiam vnus & idem nunc sic, nunc aliter interpretatur. Verùm in omnibus caueamus oportet, ne literalem sensum intelligamus, esse carnalem sensum Iudæorum, qui diuinos hymnos Dauid maxima ex parte exponunt de ipso Dauid, & de presburis eius, & de persecutione à Saul, aut de filio suo Absolon. Vnde 2. psalmū: Quare fremuerunt gentes. & 3. Domine quid multiplicati sunt. Iudæi exponunt secundùm literam de hostibus, qui insurrexerunt aduersus Dauid Christum, id est, vnctum Domini. Cui expositioni consonus videtur esse titulus eidem tertio psalmo præfixus, in quo dicitur: Psalmus Dauid cùm fugeret à facie Absolon filij sui. Actuum. 4. c Petrus verò & Apostoli iam pleni diuino spiritu in die Pentecostes, exponunt de hostibus contra Christum Dominum, intelligentes psalmos istos esse propheticos, & non solas recitare historias, seu res gestas in Dauid. Psalmum 15. qui incipit: Conserua me Domine. exponunt Iudæi de persona Dauid in persecutione Saul & Absolon filij sui. Petrus verò Act. 2. de Christo Domino interpretatur, exponens versiculum illum: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. esse vocem non ipsius Dauid pro sua persona, sed Christi loquentis de sua resurrectione per prophetam Dauid. Psalmō 17. Sic & psalmum 17. qui incipit: Diligam te Domine virtus mea. docent Hebræi esse gratiarum actionem ipsius Dauid, in fine dierum suorum laudantis Deum, quòd liberatus sit de manu Saul, & aliorum inimicorum suorum. Patres autem ecclesiæ Christianç tradunt psalmū hunc esse vocem Christi in forma serui, in quantum homo, & caput ecclesiæ loquentis ad patrem, non pro se solùm, sed & pro membris suis, id est, credentibus in illum. Neq; enim omnia, quæ narrantur in hoc psalmo conueniunt Dauid filio Isai, qui neq; secundùm puritatem manuum suarum, neq; secundùm suam innocentiam & iustitiam cupiuit fieri retributionem sibi. Neque ipsi conueniunt quæ dicuntur: Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium: populus quem non cognoui, seruiuit mihi. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine. Omnia hæc voces sunt Christi Domini. Vnde & 2. Regum 23. Dauid filius Isai, appellatur egregius psaltes Israel, cui cōstitutum est de Christo Dei Iacob. Dauid ergo hunc psalmum loquens in die qua liberauit eum Dominus de manu inimicorum suorum, personam gesit Christi, Deo patri exponentis suas passiones in carne mortali, quas intelligit per dolores inferni, laqueos mortis, torrentes iniquitatis, & inunda-

Psalmos de Christo & ecclesia ipsius ad literam loqui.

inundationes peccatorū generis humani, pro quibus diluendis voluit mori. Vox Christi secundùm humanam carnem patientis erat, quod illic dicitur: In tribulatione mea inuocaui Dominum, & exaudiuit de templo sancto suo vocē meam. Commota est & contremuit terra, fundamenta montium cōturbata sunt. tāquam dicat: me à patre meo exaudito, commota sunt & contremuerunt terrena hominum corda, & fiducię ac pręsumptiones hominum superborum innitentium huius mundi bonis, ceu fundamentis, quibus perierunt, vt spes huius mundi non habeat fundamentum in cordibus eorum iam credentium & pœnitentium, quoniā iratus est eis, scilicet fundamentis & montibus. Ideo Deus destruit peccata & altitudines montium, quia irascitur illis castigans & conturbans eos, vt non maneant montes, id est, elati & superbi. Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, & carbones succensi sunt ab eo, hoc est, in hac ira ipse tāquam sufflans super eos eduxit fumum compunctionis & lacrhymosę deprecationis de cordibus eorum: quo ascendente ignis charitatis exarsit à facie ipsius antecedētis eos, qui antea fuerant tanquam carbones mortui ac frigidi, inclinauit cœlos, id est, cœlestes spiritus id est, filium suum & angelos, & sanctos homines, mittens eos in terram ad salutem humani generis promouendam. Et caligo seu aer tenebrosus sub pedibus eius, hoc est, inter nos & ipsum est, vt nequeamus comprehendere maiestatem eius, quia ascendit super Cherubin, habitans lucē inaccessibilem, volauit super pennas ventorum, hoc est, supra oēs virtutes ventorum ipse est, sua virtute attingens à fine vsq; in finem fortis. Tenebrosa aqua in nubibus aeris, hoc est, obscura doctrina est in prophetis, inuoluta vmbris & figuris: sed præ fulgore in cōspectu eius nubes trāsierunt, dum ablato velamine per Christū manifesta sunt salutis nostræ mysteria, euanuerunt nubium tenebræ, grando, & carbones ignis transierunt super illos & intonuit de cœlo Dominus, & misit sagittas suas, hoc est, ignita euangelistarum & apostolorum iacula. Hæc & reliqua sub tropis dicta sunt verba Christi. Rursus. 18. psalmi contextum exponunt Hebræi de prima datione legis in monte Synai. Paulus verò ad Rom. nō de illa, sed de prædicatione legis euāgelicę per Christum & Apostolos interpretatur. Item. 21. Psalmum ad literam exponunt Iudæi de afflictione sua, quam sustinuerunt sub Artaxerxe Assuero tempore Hester: Euangelistæ verò docent hunc psalmum esse vocem Christi pendentis in cruce. Psalmum. 108. qui incipit: Deus laudem. Hebræi secundùm literam exponunt de destructione domus Saul peccatoris, qui cōcepta iniquitate & inuidia dolosè persequebatur ipsum Dauid, cui debuit beneficium tanquam liberatori, qui liberauerat eum de manu Goliæ, regnum Saul, populum videlicet Israelem. Verùm huiuscemodi expositio, non prophetia, sed historia & secundùm Iudæorum sensum intellecta falsitatem contineret: nam ipse Dauid nunquam maledixit ipsi Saul, sed fleuit mortem eius. Proinde psalmū istum de Christo habere prophetiam, quisquis Actus apostolorum fideliter legerit agnoscit, vbi de Christi traditore Iuda prophetatum est, quod hic scriptum est: Fiant dies eius pauci, & episcopatū eius accipiat alter. Quod si etiam de vno homine omnia, quæ in malo hic dicta sunt, intelligere conemur, expositionis ratio non omni modo aut vix valebit occurrere. Si autem in Iuda intelligamus tale genus malorum hominum, id est, ingratorū Iudæorum, inimicorum Christi, omnia mihi (inquit Augustinus) videntur posse clarius aperiri. Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad apostolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illustrem intellectum nisi cùm referuntur ad ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gessisse personam propter primatum quem in discipulis habuit sicuti est: Tibi dabo claues regni cœlorū. ita Iudas personas quodāmodo sustinet ingrati populi Iudaici. Vnde & psalmus transit de numero singulari ad pluralem, rursus de plurali in singularem. Os (inquit) peccato-

Psalmo. 18. Roma. 10. d
Psalmo. 21.
Psalmo. 108.
Act. 1. d
Augustinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalmo 108.

ris & dolosi super me apertum est. & mox transit in pluralem: Locuti sunt aduersum me lingua dolosa. & paucis interpositis rursum transit in numerum singularem: Constitue (inquit) super eum peccatorē, fiant dies eius pauci, episcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius orphani, &cæt. Hic omnia per verba imperatiui modi pronunciata non imprecando, non malum optando, sed propheticè sunt dicta, & vxor Iudæ & filij eius intelliguntur Iudæorum sinagoga, & omnes quotquot Christum persequuntur, qui constituunt vnum corpus diaboli. Sicut enim Christus est omnium Christianorum caput, ita & Iudas traditor est omnium Iudæorum caput, qui persequuntur Christum. Proinde & Iudæi post Christum appellandi sunt Iudæi, non tam à Iuda iusto, filio Iacob, quàm à Iuda proditore, qui primùm tradidit & vendidit Christum Iudæis, qui deinde eundem Christum crucifigendum pilato tradiderunt, & sententiam damnationis ferentes contra semetipsos dixerunt: sanguis eius super nos & super filios nostros, non habemus regem nisi Cæsarem. Et sic verus episcopatus & verum sacerdotium, vera lex, verum regnum à populo Iudæorum transierunt in populum alterum: & ita vxor Iudæ, id est, synagoga Iudæorum manet vidua, orbata vero Christo rege & sacerdote. Quòd si Iudas habuerit carnales filios & vxorem, mala hæc super eos prænunciata solùm vmbræ fuerunt & figuræ malorum, quæ tunc futura erant super populum Iudæorum per Romanum imperium, per Tytum & Vespasianum: Et filij eius, id est, Iudæi sequaces & imitatores criminum eius, in hodiernum vsque diem consentientes in occisionem Christi, facti sunt in interitum, & translati de habitationibus suis de terra Iudæa, mendicantes, id est, sub tributo dispersi in omnem terram. Totus Psalmus 77. ea continet, quæ in testamento veteri populo acta narrantur in Ægypto, in mari rubro, in deserto: recentior autem & posterior populus admonetur, vt caueat ne sit ingratus beneficij Dei. Quanta (inquit) mandauit patribus nostris nota facere illis filijs suis vt cognoscat generatio altera, ne fiant sicut patres eorum generatio praua & exasperans. Hæc est (inquit Augustinus) huius psalmi intentio & vtilitas. Verùm ne hæc mirabilia in Ægypto, & beneficia de liberatione ipsorum ex Ægypto, & de diuisione maris rubri, & de deductione per desertum in nube per diem, & in illuminatione ignis per noctem, solùm carnaliter, & secundùm res solùm in Ægypto factas intelligeremus, sed ex illis ascenderemus ad beneficia magnifica redemptionis nostræ per ipsum Dominum Iesum. Primùm præmonuit se in parabolis locuturum, id est, in similitudinibus ad aliud referendis. Est ergo in principio psalm. vox Christi dicentis: Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Hactenus sunt verba Christi Domini, quemadmodum & euangelista Matth. testatur cap. 13. Quæ autem sequuntur: Quanta audiuimus & cognouimus, ea patres nostri narrauerunt nobis. Et reliqua sequentia vsque in finem psalmi, sunt verba Prophetæ in spiritu loquentis ex persona fidelis populi, seu Apostolorum, qui ex spiritu Christi mirabilia commemorando, retexunt quæ fecit in Ægypto & in campo Taneos. Et quàmuis in hoc psalmo populus fidelis, aut Apostolorum chorus, qui loquitur, prosequatur historiam veteris populi, vsque in finem psalmi, neque videatur in vllo versiculo palàm transire de litera ad spiritum, spiritus propheticus tamen in principio psalmi dicens se locuturum in parabolis, satis docet nos ex historia hac debere transire ad mysticam intelligentiam Christi Domini & regni eius. Propheta ergo, qui loquitur in persona fidelis populi, terram Ægypti intelligit, tanquam figuram huius mundi ambulantis in tenebris peccatorum, cæteraq; omnia tanquà figuras accipit, Christum Dominum intelligens per Dauid seruum suum, quem elegit: regnum autem Christi intelligens per tribum

Psalmo 77.

Mystica sunt quæ deus egit cum Israel in Aegypto.

A tribum Iuda, & per montem Syon, quem dilexit, & per Iacob seruum suum, & per Israel hæreditatem suam. Per tabernaculū autem Ioseph repulsum, & per tribum Effraim non electum, intelligens vniuersum populum Iudaicum carnalem, à Domino Deo nihil aliud quàm terrena præmia requirentem. Sic totum psalmum de exitu Israel ex Ægypto, Augustinus sensum sequens, quem Propheta principaliter intēdebat, interpretatur de spirituali exitu populi ex Ægypto, id est, de egressu humani generis ex tenebris peccatorū per Christum Dominum. Et hac in re Augustinū non esse digressum à mente prophetici spūs, patet ex supradicta doctrina saluatoris apud Matth. cap. 13. citantis testimonium ex prædicto psalmo: Aperiam in parabolis os meum. Eructabo abscondita à constitutione mundi. Vbi considerandum est (inquit Hieronymus) in illo psalmo describi egressum Israelis ex Ægypto, & omnia signa narrari, quæ Exodi continentur historia. Ex quo intelligimus

B vniuersa illa, quæ ibi scripta sunt, parabolicè sentienda, & manifestare abscondita sacramenta. Hæc enim saluator edicturum se esse promittit dicens: Aperiam in parabolis os meum. Ex his iam primùm est considerandum, non oportere nos omnia, quæ in psalmis secundùm historiam recitantur, ita spiritualiter accipere, vt historiæ gestæ intellectum negligamus: sed historiam primùm debemus discere tanquam materiam, de qua spiritualis intelligentia formatur. In psalmis dum historia (inquit Augustinus) refertur, noui testamenti gratia declaratur. Secundò ex supradictis patet diligenter esse obseruandum, ne volentes psalmos intelligere, fallamur in titulorum prænotationibus, accipientes titulum secundùm puram literam, quæ occidit. Nam multi sunt psalmi, in quorum titulis contextuq; sermonis, plana historia & res gesta magna ex parte canitur, sed quę vel intermiscentur, vel sequuntur, neque illustrem, neque propheticam habebunt intelligentiam, nisi

C in historia intelligantur mystica sacramenta, vel de Christi miserentis gratia, si bona sunt quæ recitantur: vel de iusto illius iudicio, si quæ recitantur sunt mala. Veluti cùm in psalmo aliquo prænotantur nomina propria, & designantur quædam aut de Dauid, aut à Dauid, aut à filijs Chore, aut ab alio quóuis gesta, oportet quòd illic intelligamus literalem psalmi sensum esse non de rebus illis tanquam videlicet illæ solùm sint à spiritu sancto illic designatæ, sed de illis, tanquam de speculis, vmbris & figuris, sub quibus Propheta spiritu sancto illustrante, intelligens sacramenta Christi & ecclesiæ ipsius, ducere voluit populum in Christum, omnium illarum rerum gestarū finem. Deinde & sub nomine proprio in titulo non semper intimatur eiusdem psalmi autor, sed interdum persona cantoris, interdum verò persona, de qua est psalmus, veluti dicitur: Oratio Moysi viri Dei,

D non oportet quòd significetur Moyses ædidisse psalmum illum, cùm ad veritatem sufficiat, quòd factus sit à Dauid in persona Moysi, aut loquentis, aut sacramentum aliquod figurantis. In titulo psalmi 3. cùm dicitur: Psalmus Dauid cùm fugeret à facie Absolon filij sui. non significatur principalis sensus esse de persecutione illa, nam ad Christum propriè pertinet quod in eo dicitur: Ego dormiui & soporatus sum. Exurrexi, & adhuc sum tecum. Deinde in psalm. 3. ille 3. est posterior sequentibus multis, qui ad Saul videntur historiam pertinere. Ante siquidem Dauid à Saul est passus insidias, quàm Absolon aduersus eum arma corriperet. Sed quia propositum (inquit Hieron.) ei erat, vt non tam de se referret quę passus est quàm vt per exemplum sui omnes homines institueret: ideo primis secunda pręposuit, vt tentationum ordinem doceat. Siquidem antè propter peccata corripimur, & postea propter virtutem probamur. In Dauid verò tentationū ordo mutatus est. Sub Saul persecutione innocens fuit, sub Absolon manifestissimè tenetur criminis reus. Proinde & psalmus 50. æditus interfecto Vria, prior est psalmo isto. Et idcirco in psalmi istius titulo prænotatur materia, non de qua est principalis intentio,

Pſal. ſpiritualiter intelligendos.

Titulum noui ſemper deſignare autorē pſalmi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentio, sed ex qua tanquàm ex figura sumitur eiusdem psalmi prophetia, ad implẽda in Christo Domino. & idcirco psalmus iste est vox Christi in sua passione, à populo seu filio suo Israel illata, quam spiritu prophetico vidit Dauid in sua hac persecutione, per filium suum Absolon illata figurari. Tertiò ex his manifestum est pro intellectu tituli vniuscuiusque psalmi, quòd aliud significatur dum dicitur: Canticum Dauid, cùm fugeret à facie filij sui Absolon. Aliud si dicatur: Canticum Dauid de hoc, quòd fugit à facie filij sui Absolon. Nam priori sermone non perinde atque in posteriore, significatur materia psalmi esse de historia illa: sed significatur psalmus esse dictatus, aut factus, seu cantatus, cùm fugeret Dauid. Et hoc est obseruandum in titulo tertij psalmi, vbi legitur: Cùm Dauid fugeret. & non dicitur de hoc quòd fugeret. Sic & psalmi 17. titulus est: In finem puero Domini Dauid, qui locutus est verba cantici huius in die, qua eripuit eum Dominus de manibus inimicorum omnium. Verùm donemus illius psalmi titulum esse: Canticum Dauid de hoc, vel super hoc, quòd fugit à facie Absolon, vel super hoc quòd liberatus est: non inde consequens esset, psalmos illos non esse principaliter interpretandos de Christo Domino, nam tum intelligendus esset transitus fieri de litera in titulo intimata ad spiritum, seu mysticum sensum, in psalmo expressum. Titulus psalmi septimi est: In finem psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis, vel super verba Chus filij gemini. nihilominus tamen Dauid loquens in psalmo isto, intelligitur Christus Dominus.

De psalmorũ titulis.

A

B

Quartò ex his manifestum est, quàm temeraria sit sciolorum quorundam præsumptio, qui scandalum accipiunt propter diuersas patrum psalmos interpretantium sententias, qui Iudaizantes arbitrantur expositiones psalmorum, datas de Christo Domino, ex historijs veteris populi esse extortas, violentas, & non esse literales, neque intentas à Dauid: sed adinuentas per opinionem magistrorum, qui vim faciant scripturarum verbis. Nempe & Christus, & apostoli talem mysticum intellectum ex historijs recitatis in psalmis habuerunt. Deinde sacramenta hæc in historijs illis figurata, atque velata, non modò in lege noua, sed & in veteribus libris sunt reuelata. Nam Michæas propheta ita loquitur: Iuxta dies antiquos, secundùm dies egressionis tuæ de Ægypto ostendam ei mirabilia, videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua, & reliqua. Hic Propheta prænuncians aduentum Messiæ tunc futuri, planè insinuat egressum illum de Ægypto, olim sub Moyse fuisse vmbram & figuram exitus illius, quo nos iam in ecclesia liberamur per Christum Dominum, qui nobis egredientibus de Ægypto spiritualis Pharaonis, id est, de ignorantiæ tenebris, frontibus nostris signatis sanguine ipsius, & transeuntibus nobis mare baptismi, submergit Pharaonem infernalem, deponitque (quemadmodum Micheas paucis interpositis subiungit) iniquitates nostras, & proijcit in profundum maris omnia peccata nostra. Non debet igitur studiosus sacræ theologiæ lector turbari, si videat in psalmis diuersas magistrorum expositiones, dum vnus exponit sensum historiæ ac rei gestæ, quæ est tanquam materia, ex qua sumitur prophetia rerum mysticarum: alius verò præsupposita historia rei corporaliter gestæ, rerum mysticarum prophetiam interpretatur. Verbi gratia, psalmos decimumsextum, decimumseptimum, & quinquagesimumoctauum, cæterosque multos. Lyranus & alij exponunt literaliter de ipso Dauid, & de rebus in eum, vel per eum gestis. Hieronymus, Augustinus, cæterique interpretes de Christo Domino interpretantur, adijcientes non omnia, quæ in illis literaliter continentur, ipsi Dauid conuenire posse. Sed sciendum est illos intendisse in materiam, de qua sumpta est prophetia. Sanctos autem magis in prophetiam ipsam, tacita literali historia, & id quidem iusta ratione, aut ex alijs videlicet libris historialibus præsupponentes illam, tanquam huius

C

Psalm. secundum literã loqui de Christo.

Michæ. 7.

D

A huius rei mysticæ figuram: aut considerantes ea, quæ recitantur in psalmis, excedere modum & conditionem rei gestæ. Vnde & ipse Lyranus quibusdam in psalmis conatus literalem de Dauid historiam tãquam materiam tradere, innixus expositioni Rabbinorum Iudæorum, interdum vim facit verbis scripturæ, propterea quòd etsi in psalmo tali plurima conueniant rei gestæ, quædam tamen intermiscentur, quæ commodè applicari non possunt ad cõsequentiam historiæ, quæ vel in titulo, vel in quibusdam psalmi versiculis videtur intimari. Quod sanè factum est prophetico spiritu ad vtilitatem nostram, vt discamus ex reb⁹ in Dauid gestis ascendere ad sacramenta cœlestia. Quibus commoti sancti patres, totum psalmum sub nomine Dauid intitulatum, aut etiam in contextu sermonis sub nomine Dauid pronunciatum, exposuerunt de Christo Domino: intelligentes in voce Dauid significari non ipsius Isai filium, sed Christum Dominum: quòd non

B modò patres post euangelium, sed & prophetæ Christo nondum nato cognouerunt, intelligentes sub voce Dauid, non ipsum, sed Christum: vt patet Hieremiæ 30. Ezechielis 34. & 35. & Oseæ. 3. Proinde in psal. sub voce Dauid aut Salomonis expressis, non omnis expositio de Christo Domino est mystica per alium sensum literalem designata, sed plerunque ipsa mystica est literalis sententia: veluti dum in nomine Dauid, non ipse, sed Christus significatur. Vnde psalmus secundus, tertius, octauus, nonus, 15. 18. 19. 21. & alij multi, quos Iudæi carnaliter intelligunt de Dauid, aut de synagoga Iudæorum, intelliguntur literaliter de Christo Domino, nec videntur posse sensum habere alium, præter mysticum. Psalmus septuagesimus primus, qui incipit: Deus iudicium tuum regi da. habet titulum: Psalmus Dauid in Salomonem. Proinde & Iudæi carnaliter intelligentes, interpretantur psalmum illum esse orationem Dauid, orantis pro filio suo Salomone, & pro prospe-

C ritate regni illius. Sed ea, quæ sequuntur, & prænũciantur in filio regis adimplenda, videlicet: permanebit cum sole, & ante lunam, dominabitur à mare vsque ad mare. longè excedunt conditionem regni Salomonis. Ideo non de Salomone, sed de Christo intelligenda est prophetia. Quamobrem in huiusmodi psalmis exponendis talis consideranda est regula: Quotiescunq; in titulo vel versiculo alicuius psalmi explicantur ea, quæ videtur temporaliter gesta, vel in Abraham, vel in Iacob, vel in Israel, vel in Ioseph, vel in Moyse, vel in populo Israel, vel in Ægypto, vel in Dauid, vel in Salomone, vel in bellis ducum Israel: sed quæ consequenter in alijs eiusdem psalmi versiculis dicuntur aut intermiscentur excedunt modum, qualitatem, & conditionem rei gestæ, tum intelligendus est Propheta, vel transire de litera ad spiritum, vel sub voce translatè accepta significare rem mysticam, cùm sub voce Dauid translatè accepta secundùm literalem sensum significa-

D tur Christus: non est absurda neq; violenta expositio, si in persequutionibus Dauid, vt in Saul, in Absolone, cęteriſq; inimicis intelligamus Iudæos, & gentes Christum crucifigentes, & in actionibus ac passionibus Dauid intelligamus Domini nostri Christi sacramenta. Verbi gratia: psalmi quinquagesimi octaui titulus, nomina inscripta habet Dauid & Saul. Sed quia in illo psalmo Dauid multa dicit, quæ ipse de se (vt inquit Hieronymus) dicere non solet, quale est, neque iniquitas mea, neq; peccatum meum Domine. supple fuit vllum, propter quòd irruerent in me fortes. Nam sine iniquitate cucurri & direxi. Idcirco totus psalmus: Eripe me Domine de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. & reliqua vsq; in finem psalmi, accipienda sunt tanquam dicta ex persona Christi, persequutionem patientis à Saul, id est, à Iudæorum rege & populo, tametsi interpretatio fieri posset secundùm literam de gestis in ipso Dauid, tanquam de materia huius prophetiæ figuratiua, quemadmodum Postillator exponit. Verùm hic sciendum, quòd sacræ theologiæ expositores, aliud significant, dicentes scripturam

Elegans regula psalmos rectè intelligendi.

Psal. 58. a

Quando in scripturis fiat transitus de litera ad spiritum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

turam transire de litera seu figura ad spiritum, seu rem mysticam figuratam. Aliud verò significant, dicentes scripturam in litera, in figura, seu tropo significare rem mysticam, seu spiritualem sententiam. Nam in scripturæ loco, vbi est transitus de litera ad spiritum. primùm datur literalis sensus de rebus corporaliter gestis, aut gerendis, quibus tanquam figuris præmissis subiungitur res mystica, in illis, aut ex illis designata: veluti dum primo recitantur ea, quæ vel in Ægypto, vel in mari rubro, vel in deserto, vel in Iudea & terrena Hierusalem, vel in Babylone, vel in Dauid, aut Salomone sunt gesta. Deinde subijciuntur res mysticæ de Christo, aut de corpore eius, vel de diabolo, vel ministris eius, in illis gestis figuratę, aut ex illorum occasione intelligendæ. Verbi gratia, in psalmo supradicto septuagesimo primo, si principium psalmi diceretur oratio esse Dauid, orantis pro se & Salomone, oportet consequenter dicere, in eodem psalmo fieri transitum de litera ad spiritum, de carnali Salomone ad Christum: veluti cùm peruenitur ad ea, quæ Salomoni conuenire non possunt. Et quia omnes versiculi post primum sibi connectuntur verbis, appositis eidem personæ, videlicet filio regis, idcirco totus psalmus coaptandus est Christo Domino absque vllo tali transitu: quemadmodum exponunt ipsi sancti patres, Hieronymus & Augustinus. Quæ dicuntur in principio psalmi secundi, possent vtcumque coaptari ipsi Dauid, sed quæ sequuntur: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, possessionem tuam terminos terræ. ipsi Dauid cõuenire non possunt. Ex quibus possumus animaduertere psalmũ totum de Christo esse intelligendum, etiam ipsius Psalmi principium, quemadmodum Petrus in Actis exposuit. Initium psalmi 17. posset quidem intelligi, vt fit oratio Dauid, gratias agentis Deo pro liberatione ab inimicis suis: sed ea quæ sequũtur, grandiora & sublimiora videntur, quàm ea, quæ solet Dauid humilis pro sua persona sibi tribuere: veluti quòd dicitur. Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, & secũdùm puritatem manuum mearum. Constituet me in caput gentiũ. Deinde quod in fine psalmi dicitur: Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicam. magnificans salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius vsque in seculum: secundùm proprietatem sermonis non potest esse nisi vox Christi hominis & Dei, qui quatenus homo confitetur Domino Deo, & gratias agit: quatenus autem est æqualis patri, magnificat salutem Christi regis, & misericordiam facit Christo suo Dauid, & semini eius. Et quemadmodũ ipse Christus homo natus est in Syon, & ipse vt Deus altissimus fundauit Syon, sicuti & antiqui patres: Irenæus, Ambrosius, Hieronymus, & cæteri notauerunt ex psalmo octuagesimo sexto: Ita & in hoc psalmo ipse Christus simul Deus & homo, dicere potest. Confitebor tibi in nationibus Domine, magnificans salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, loquens in secunda parte vt Deus misericordiam faciens de semetipso, vt homine rege, tanquam de altero propter humanam naturam, secundùm quam ipse idem misericors & salutis author, misericordiam accipit & salutem. Et nisi sic dixerimus, vt sensus sibi constet, oportet vel mutare textum, quemadmodum Hieronymus facit, hoc pacto: Psalmum dicam nomini tuo magnificanti salutes regis, & facienti misericordiam Christo suo Dauid. Vel oportet subaudire verbũ cum mutatione personæ, hoc pacto: magnificans est salutes regis eius, faciens est misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius vsq; in seculum. Vnde Dauid cùm persecutionem pateretur, vel à Saul, vel à proprio filio, vel à suo populo, aut cùm ab inimicis suis esset liberatus, cecinit quidem psalmos, & nunc implorat auxilium & liberationem, nunc exponit suas passiones & inimicorum persecutiones, nunc liberatus in gratiarum actionem. Sed quemadmodum Dauid ipse spiritualiter

De Christo loquuntur psal. 2. 71. 86. &c.

Dauid figura Christi, & illius regnum figura regni huius.

A tualiter vnctus & nomine & opere, & ipso sui regni principatu Christum figurabat, sicuti docuerunt Hieremias, Osee, & Ezechiel prophetæ, Christum sub nomine Dauid appellantes: ita & res per eundem Dauid gestæ in regno illius, figurabant res gerendas per Christum in ecclesia eius. Proinde quæ Dauid ipse scripsit, cecinit, & orauit in persecutionibus suis à Saul, ab Absolone proprio filio suo, & à cæteris inimicis suis, præfigurant ea quæ ipse Christus locutus est, docuit & orauit in carne sua pauper, & in laboribus à iuuentute sua, à proprio suo discipulo, & à populo suo traditus, passus & derelictus. Neq; in Dauid solùm, sed & in Abel, in Isaac, in Iosue, in Isaia, Hieremia, cæterisq; prophetis Christum figurari, est ex doctrina sanctorum manifestissimũ. Hieremias typum gerit Christi, dum vaticinatur populum Iudæorum esse vsq; in finem deserendum, & legem, cõsilium, & prophetiam ab ipsis transferendum. Vox populi cõtra Hieremiam, vox est Iu-
B dæorum contra Christum. Vox Hieremiæ ad Deũ, vox est Christi ad patrem. Venite (inquit populus ille Iuda) cogitemus aduersus Hieremiam cogitationes. Non enim peribit lex à sacerdote, neq; consilium à sapiente, neque sermo à propheta. Venite ergo & percutiamus eum lingua, & non attẽdamus ad vniuersos sermones eius. Deinde sermo eiusdem Hieremiæ in hac persecutione ad Deum loquentis: Attende Domine ad me, & audi vocem aduersariorum meorum. Nunquid redditur pro bono malum? quia foderunt foueam animæ meæ. Recordare quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis, Hieremiæ decimooctauo. Hæc quidẽ ad literam sunt in Hieremiam gesta, sed vt gerentem typum Christi. Proinde & ecclesia vniuersis huiuscemodi prophetijs vtitur in officio dominicæ passionis. Vox Iudæorũ cõtra Hieremiam:
C Venite cogitemus contra Hieremiam cogitationes. figura est sermonis Iudæorũ, qui contra Christum Dominum inierant concilium, vt eum dolo tenerent & interficerent. Huiuscemodi ergo, quæ sunt corporaliter in Hieremiam gesta, dum coaptamus Christo Domino, de litera ad spiritum facimus transitum. In cæteris quoque prophetis consuetudo est spiritus prophetici, ea quæ sunt corporaliter aut gesta, aut gerenda præmittere, vtpote reditum ex captiuitate Ægypri aut Babyloniæ, vel reædificationem templi, vel ciuitatis Hierusalem, & cætera id genus alia corporaliter facta, & ex his ad sublimiorem quandam intelligentiam mysti-
cam ascendere. Neque sufficeret tempus ad commemorandum omnes scripturæ locos, in quibus talis est ex corporali re transitus ad rem mysticam in Christo, aut in ecclesia eius. Ex multis sufficiat paucos quosdam locos exempli gratia recensere. In Aggæo & Zacharia prophetis reædificatio templi (quæ illic recitatur
D fieri per Zorobabel ducem, & Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum, adiuuantibus Aggæo & Zacharia prophetis) erat vmbra & figura ædificationis ecclesiæ per Christum in Dominum futuræ, quæ & in scripturis sacris Hierusalem appellatur, & domus Dei in Hierusalem, aut in monte Syon, quemadmodum ex superioribus patet. Et idcirco in eisdem prophetis de corporali illo ædificio fit transitus ad ædificium spirituale ecclesiæ, tunc ædificandæ per Christum Dominum. Et quia carnales Iudæi eundem Christum Dominum abnegantes, nolunt animaduertere huiusmodi transitum fieri in scripturis prophetarum, idcirco ad verum eorundem prophetarum intellectum non perueniunt. In cap. 1. Aggæi præmittitur materialis templi, iamdudum per Babylonios destructi, in Hierusalem reædificatio: quæ & fiebat illius & Zachariæ temporibus per Zorobabel ducem, & Iesum sacerdotem magnum. In capite sequenti transit propheta ad Christum & illius ecclesiam, in illo templo materiali & Hierusalem designatum, loquẽs ad illius templi ædificatores: Confortare Zorobabel dicit Dominus, confortare Iesu fili Iosedech, confortare omnis populus, quoniam ego vobiscum sum,

Hierem. 18. &

Reædificationẽ templi typum esse ecclesiæ per Christum ædificandæ.

Exempla vbi à litera ad spiritũ transitur.

Aggæ. 1. & 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicit Dominus,& cęt. Nolite timere,quoniam ego vobiscū sum, dicit Dominus: A
Adhuc vnum modicū, & ego mouebo cœlum & terram, & mouebo omnes gentes,& veniet desideratus cunctis gentibus. Et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est aurum, meum est argentum, magna erit gloria domus istius nouissimæ,plusquàm primę,& in loco isto dabo pacē. Hic iam planè vides,ea quæ futura dicuntur, pertinere ad Christum, quæ & videmus iam adimpleta in eodem Christo.Ex cuius prȩsentia in templum venientis,fuit gloria illius secundi templi maior,q̄ gloria templi primi per Salomonem ædificati. Excessus gloriæ in hac domo secunda, est accipiendus non secūdùm splendorem & triumphum huius seculi in structuris,ædificijs & ornamentis. Fiebat enim templū fermè duplo minus quàm prius: sed secundùm gloriam spiritualem, quæ in illa domo futura erat vero Israeli expectanti recta fide Christum Dominum. Vnde & B
iustus Simeon hanc prophetiam de gloria & pace spirituali in loco illo spiritualiter intellecto, de commotione gentium spirituali,insinuat esse cōpletam in Christo Domino,quem suscipiēs in vlnas cecinit: Nunc dimittis seruum tuum Domine,secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Gloria vera fuit illi templo,& loco illi,quia in eo Deus homo factus offerri dignatus est,& in loco illo fuit mirabilium operum effector, in signis atque prodigijs, & in illo viam salutis æternæ docuit, inde egressam in omnes gentes,& in illo seipsum obtulit in cruce, vt susciptentes misericordiā eius in medio templi sui,assequeremur remissionem
Augustin. 18. de ciuitate Dei, cap. 47. b peccatorū,& haberemus pacem cum Deo: Vnde Aug. Quod Deus per prophetā Aggēū dixit: Dabo pacem in loco isto.per significantē (inquit) locum,ille qui eo C
significatur,est intelligendus,id est, ecclesia per Christū ædificanda, cuius singuli & omnes simul templum sumus. Sic in eodem capite ex Zorobabel temporali duce, transit in Zorobabel Christum,in duce illo designatum. Et factum est verbum Domini secundo ad Aggęum in 24.die mensis,dicens: Loquere ad Zorobabel ducem Iuda dicens: Ego mouebo cœlum pariter & terram, & subuertam solium regnorum. & quibusdam interpositis: In die illo dicit Dominus exercituū: Assumam te Zorobabel fili Salathiel, serue meus, & ponam te quasi signaculum, quia elegi te, dicit Dominus exercituum. non ad ipsum Zorobabel temporalem ducem,sed ad Christum ducem ęternum in illo designatum,sermo Dei patris directus intelligitur: quemadmodū Hieremiæ tricesimo in Dauid,non ille qui iam erat mortuus,sed Christus tunc nasciturus,est intelligendus.Seruient (inquit propheta) Domino Deo suo & Dauid regi suo. Sic & Oseæ tertio: Reuertentur filij
Zorobabel figura Christi. Israel,& quærent Dominum Deum suum,& Dauid regēm suum. Vnde Zorobabel dux filiorum Iudæ, reædificator templi nomine & opere, & ipso principatu D
suo, typum gessit Domini nostri Iesu Christi. Nomine quidem, quia Zorobabel interpretatur,natus in Babylone. Opere, quia manus eius fundauerunt domum, & manus eius perfecerunt illam. Principatu, quia princeps & dux fuit filiorum Iuda. Vniuersa hæc suo modo competunt Christo: qui cùm in forma Dei esset, natus est in mundo, qui & templum corporis sui fundauit in virginis vtero,& domum suam, quæ est ecclesia, construxit viuis ex lapidibus, princeps & dux om-
Zach.1.& 2. nium filiorum credentium. Apud Zachariam,cùm in capite 1. de corporali ædificio dixisset propheta in secundo capite, occultè transit inde ad spirituale ædificium, videlicet ad spiritualem Hierusalem, quæ est ecclesia Christi. Zacharias cùm in visione imaginaria vidisset virum habentem funiculum ad metiendum Hierusalem, audiuit vocem angeli dicentis ipsi: Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Hæc & reliqua, quæ sequuntur, de Christo Domino & ecclesia eius intelliguntur. Sic & in
cæteris

CAP. II.

A cæteris prophetis frequens est huiuscemodi transitus: Apud Isaiam cap. 7. post historiam sui seculi de liberatione à duobus regibus, transit ad liberationem futuram per Emanuelem Christum Dominum: qui etiam nondum natus, & à populo inuocatus populum liberat: ex cuius virtute & fiducia pendet omnis salus, & liberatio salutaris,tam in hoc seculo,quàm in futuro. Capite quadragesimoquinto,de Cyro rege tunc futuro, qui subiecturus erat sibi gentes Babylonas,& populum Iudæorum temporaliter liberaturus, transit ad Christum, qui saluaturus erat populum salute sempiterna. Sic & in singulis ferme Isaiæ capitulis est commixtio quædam literalis cuiusdam historiæ cum spiritu. Et Ezechielis 36. Factum est Ezech.36.
verbum Domini ad me dicens: Domus Israel habitauit in terra, & polluerunt eam in vijs suis, & in studijs suis, & effudi indignationem meam super eos. Pro sanguine quem fuderunt in terram, & ventilaui eas in regiones secundùm vias
B eorum, & secundùm peccata eorum iudicaui eos, & cæt. Facilè est hæc intelligere de populo Israel, secundùm carnem propagato, & de terra Chanaan illis data, & de illa domo Israel, de qua dicit Apostolus: Videte Israel secundùm carnem. 1.Cor.10.d
quia hæc omnia mala populus Israel carnaliter & fecit, & passus est, corporaliter captus, & dispersus secundùm locorum spacia. Sed cùm incipit loqui de liberatione eorum: Ideirco hęc dices domui Israel,non propter vos ego faciam,sed propter nomen meum sanctum,quod polluistis inter gentes. Tollam vos de gentibus, Eze.11.d
& congregabo de vniuersis terris,& adducam vos in terram vestram,& effundam & 36.f
super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor nouum & spiritum nouum, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & habitabitis in terra, quam dedi
C patribus vestris. & eritis mihi in populum, & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & reliqua. Hic iam hanc terram, & Israelem, & habitationem, & fructum terræ,non carnaliter, sed spiritualiter debemus accipere Christi ecclesiam ex Iudæis credentem. Sic & in scripturis propheticis plerunque fit transitus de
Transitus de parte regni aut prouinciæ ad totum. parte alicuius aut regni, aut prouinciæ, aut terræ ad totum regnum, aut prouinciam,aut terram: veluti cùm ea quæ de Tyro vel Babylonia,vel alia gentium ciuitate, & de onere, vltione, seu desolatione primùm intimantur, tandem in prosecutione textus modum & qualitatem illius gentis aut ciuitatis excedunt: ita vt ea quæ sequuntur, conueniant potius omnibus gentibus & vniuerso orbi. Ibi vigilare debet lectoris intentio, ne citra hyperbolem quærat totum in parte, quod melius & certius potest inueniri in toto. Sic desolationi Babyloniorum conueniunt quidem ea quæ dicuntur Isaiæ 13. & 14. capitulis,hyberbolicè tamen accepta.
D Proinde quod dicitur: Vasa furoris Domini,& dispердat omnem terram. secundùm historicum sensum intelligitur non de omni terra, sed de terra Babyloniorum solùm. Verùm citra hyperbolem metaphoræ ipsæ terribiliorem quandam videntur explicare desolationem, quæ futura est generaliter super omnem terram. Vnde & idem Isaias postquam descripserat onera, id est, desolationes spirituales super Babylonem,Moab,Damascum, Ægyptum, Idumæam,Tyrum, reliquasq; prouincias florentissimas, tandem capite vigesimoquarto, quasi transiens de partibus ad totum, potius de vmbris atque figuris ad veritatem, describit desolationem totius mundi (quem appellat ciuitatem vanitatis in Babylonijs,Ægyptijs, cæterisque gentium ciuitatibus figuratam. Sic & econtrariò, frequens est in scriptura transitus de genere ad partem: Veluti cùm post generale iudicium, generalemque sententiam super omnem prouinciam, aut terram, transit ad partem illius, quasi coarguens populum sui temporis, tanquam dicatur illi: cùm Deus totum mundum sit iudicaturus, quo tu sub tanto pondere peccatorum poteris effugere iudicium eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sequitur caput tertium de gemino aduentu Christi, alijsq; rebus diuersis, sub eodem sententiarum contextu promiscuè positis. A

PRophetæ multa variaq; promiscuè mixtimque tradunt, & sub vno contextu sermonis de vno transeunt in aliud, & rursus ad id, vnde digressi sunt, redeunt: & secundùm varium tactum prophetici spiritus crebrò id quod prius futurum erat posterius recitant, & rursus transeunt in aliud absque vllo rerum ordine, & hinc iam turbatur lectoris animus, quòd res diuersæ longis temporum interuallis futuræ recitantur sic promiscuè, absque vlla temporis differentia. Diuersæ captiuitates Iudæ & Hierusalem, geminiq; aduentus Christi. Insuper ecclesia in hoc seculo militans, & in futuro triumphans, plerunq; ita commiscentur, vt in contextu nulla videatur esse sermonis in sententijs cohærentia. Vnde propter ignorantiam gemini aduentus Christi, Iudæi scripturas prophetarum neq; intelligunt, neque rectè interpretantur, quemadmodum ostendit vetustissimus Irenæus lib. 4. aduersus hæreses Valentini, cap. 56. Iudicat (inquit) Iudæos Deus, neq; cognoscentes, neq; intelligere volentes, quòd prophetæ duos annunciauerunt Christi aduentus. Vnum quidem, quo homo factus est in plaga, sciens ferre imbecillitatem, in pullo asini sedens, lapis ædificantibus reprobatus, ouis ad victimam ductus. Secundum autem, quo super nubes veniet, superducens diem, qui erit sicut clibanus ardens, percutiens terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiens impium, ventilabrum in manu habens, & mundans aream suam, comburès paleas igni inextinguibili. Scripturas ergo veteris legis facit obscuras, quòd in eis frequens est transitus de primo aduentu ad secundum, & econtrariò: & id quidem interdum tam occultus, vt cùm de vno aut altero propheta loquitur, adhuc in sequentibus de eodem loqui videatur. Sic Malachiæ 3. cap. vox Christi est de priori suo aduentu prophetantis: Ecce ego mittam angelum meum (quem ipse Dominus in euangelio testatur esse Iohannem Baptistam) & præparabit viam ante faciem meam. Deinde ipse Christus filius Dei, de se quasi de altero, iuxta scripturã loquens subdit: Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? Tanquàm dicat: Rarus ex vobis erit, qui oculis fidei in illum aspiciet. Veniet enim occultus sicut mitis & humilis, nulla præcedẽte pompa: veniet quasi ignis, faciens terrena corda cœlestium amore feruere, & colabit filios Leui, id est, sacerdotalem dignitatem ecclesiæ suæ, purgans & segregans à carnali Iudæorum sacerdotio, eruntq; eiusdem ecclesiæ suæ sacerdotes, Domino sacrificia offerentes in iustitia, & placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalem: non carnalium quidem Iudæorum in terrena Hierusalem, sed spiritualium filiorum Iudæ in spirituali Hierusalem, id est, in ecclesia, quæ non suis, sed Christi meritis fisa in omni loco & gente offert sacrificium. Ex his transit in aduentum eius secundum: Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, adulteris. De hoc aduentu in principio capitis quarti. Sic & apud Isaiam capite vltimo, mixtim loquitur de primo & secundo aduentu. Cùm multa dixisset de futuris per primum, transit ad ea quæ sunt in secundo aduentu futura, tanquàm retributiones eorum quæ egerunt impii, non recipientes aduentum illius primum. Quia ecce (inquit) Dominus in igne veniet, reddere in indignatione furorem suum. Deinde paucis interpositis ad ea rursus transit, quæ futura tunc erant in aduentu primo, videlicet ad vocationem gentium, quæ credituræ erant per Apostolorum prædicationem, ibi: Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Aphricam & Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierant de me, & annunciabunt gloriam

Transitus de vno Christi aduentu in alium.

Malach. 3.

Isaiæ vltimo.

A riam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis ad montem sanctum meum in Hierusalem, non terrenam intellige, sed spiritualem, hoc est, in ecclesiam fide ambulantem, vt ex illa perueniant ad Hierusalem in cœlo triumphantẽ, vbi cœlum nouum & terra noua: & erit (inquit) sabbatum ex sabbato, hoc est, sabbatum perpetuum succedet sabbato in hac vita celebrato: & ita prope finem libri transit in ea, quæ in die iudicij sunt futura super bonos & malos. Item Zach. 11. ab eis quæ futura erant sub aduentu primo, transit ad ea, quæ futura sunt propinquante iam secundo sub idolo pastore stulto Antichristo. Sic & psalmo 49. principium est de aduentu primo: Deus Deorum Dominus locutus est, vocauit terram à solis ortu & occasu, ex Syon species decoris eius. Hinc transit ad secundum cùm dixit: Deus noster manifestè veniet, & non silebit, ignis in cõspectu eius exardescet. Et pau-

B cis interpositis rursus transit, loquens populo sub statu ecclesiæ aduentus primi, cùm dicitur: Audi populus meus, & loquar. Interdum etiam scripturæ sensus est ita ambiguus, vt non facilè discernas, an de rebus tunc futuris primo aduentu, an de rebus in secundo intelligatur, veluti psalmo 96. Dominus regnauit exultet terra, lætentur insulæ multæ. Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudiciũ correctio sedis eius. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini. Annunciauerunt cœli iustitiam eius. Hæc & id genus alia quidam exponunt per Christum in tempore hoc primi sui aduentus olim facta & quotidie fieri, vt Augustinus, Cassio, Isidorus. Sed Lyranus ex verbo Apostoli ad Hebræos 1. docet de secundo aduentu hæc esse interpretanda. Et prouenit hinc difficultas, quòd in vtroque aduentu narrantur grandia, gloriosa, & sublimia de Christo & regno eius quod est ecclesia, vtpote ꝙ ipse vt rex exaltabitur, & sublimabitur super omnem terram, & ꝙ regnum eius erit inclytum & gloriosum. In vtroq; etiam aduentu legitur Christus super impios & peccatores facere ea quæ videntur sæua, aspera, & crudelia, vtpote euertere impios, dissipare, fugare, & interficere de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Rursus in vtroque aduentu leguntur elementa & cœlestia turbari, commoueri, & prodigia fieri in cœlo sursum, & in terra deorsum, sol obscurari, & stellæ non dare splendorem suum, & id genus alia. Nec mirum. Nam & similibus locutionibus hyperbolicis etiam vtitur scriptura prænuncians grandia quædam futura per alium temporalẽ regem. Vnde quod dicitur Iohel. 2. A facie eius contremuit terra, moti sunt cœli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. ad literam exponendum

D est, non de primo aduentu, neque de secundo, sed de alia quadam deuastatione anteriori per impetum Chaldæorum, tunc futura tanquam figura aduentus Domini, à facie eius, scilicet Babylonij populi multi & fortis, terra contremuit, cœli moti sunt, luna obtenebrata est, & cæt. quæ omnia (vt inquit Hieronymus) hyperbolicè dicuntur, pro eo quòd Iudæis à populo isto aduersa patientibus, & in miserabilem captiuitatem deductis, cœlum ruere, & terra fluctuare videatur, & non esse vllum solatium ex plendore stellarum. Deniq;, ꝙ ob multitudinem locustarum inter cœlũ & terram, lumen lunæ & solis non dabit Iudæis ipsis captiuis solatium. Vnde ex his, quæ in superioribus de metaphoris diximus, patet locutiones illas, quibus à facie alicuius regis dicitur terra contremere, cœlum moueri, sol & luna obtenebrari, bifariam secundùm literalem sensum posse interpretari. Vno quidem modo secundum metaphoram, nominibus videlicet translatè acceptis, vt terra intelligatur populus communis: sol, pontifex, qui lucere debet populo: cœli, sacerdotes: rex, luna: stellæ prophetæ. Vnde à facie castrorum hostilium populus timore concutitur, sacerdotiũ conturbatur, prophetia siluit, maie-

Iohelis. 2.

Quomodo intelligãtur, terrã tremere, solem obscurari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stas regia deperijt, cultus iustitiæ euanuit. Quòd autẽ huiuscemodi nomina: terra, cœlum, sol, luna, & stellæ, interdum in scripturis ad talia referantur, patet ex commentarijs Hieronymi. Vnde & Isaiæ 14. vbi secundùm literalem sensum rex Babyloniæ lucifer appellatur, qui manè velut stella oriens, prænunciatur lapsurus esse de cœlo, id est, de altitudine & sublimitate gloriæ suæ. Vnde & Hieronymus, imitatus suorum prædecessorum sententias, docet res tales huiuscemodi nominibus metaphoricè acceptis esse significatas. Secundò, sensus literalis huiuscemodi nominibus expressus, accipi potest secundùm hyperbolem, seu locutionem hyperbolicam, vt talia sic dicantur augendi gratia, & res in cœlestibus illis corporibus designatæ intimẽtur esse grandes: non quòd à præsentia vllius exercitus temporalis regis elementa & cœlestia corpora huius mundi contremiscant, aut moueantur: sed ꝙ præ magnitudine potestatis illius, cœlum & terræ tremere videantur. Ex quibus pãtet, scripturas secundũ huiuscemodi locutiones expressas, non semper esse intelligendas de nouissimo Christi aduentu, in quo cœlum & terra, cæteraq; huius mundi elementa non metaphoricè, sed propriè intellecta, realiter mutabuntur. In vtroq; insuper aduentu Israel seu semen Abrahæ legitur dispersum in nationibus gentium, & inde cõgregari in vnum: hæc omnia secundùm modum sunt cõmunia vtriq; aduentui. Nam & in primo inuentus est Israel dispersus in nationes gentium, ex diuersis bellorum tempestatibus, & captiuitatibus antecedentibus, tum per Salmanasar regem Assyriorũ, tum per Nabuchodonosor regem Babyloniorum, tum per Antiochum regem Græcorũ: quibus contigit, vt sub aduentu Christi plerique Iudæorum inuenirentur alienati à terra sua Iudæa. Vnde post ascensionem Iesu in die Pentecostes conuenerant in Hierusalem, viri religiosi Iudæi ex diuersis nationibus, sicut dicitur Act. 2. Erant autem in Hierusalem viri Iudæi religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Et ita non est arbitrandum absurdum esse, si quis ea, quæ Isaiæ 41. & 43. loquitur Deus ad semen Abrahæ: In quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te. Item: Afferam filios tuos à longinquo, & filias meas ab extremis terræ. dixerit esse adimpleta, & quotidie adimpleri in primo illius aduentu, secundùm quem modum sunt, qui intelligunt illud, quod dicitur Iohannis 11. Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. quãuis & hæc secundùm aliam regulam, probabiliorem recipiant expositionem, secundùm quam (vt ait Augustinus in libro de prædestinatione diuina) appellantur filij etiam hi, qui secundùm præsentem iustitiam nondum sunt filij. In omnibus igitur scripturis propheticis, facientibus commemorationem de venturo Christo, vigilare oportet mens studiosi lectoris ad sententiarum cohærentiam: sciens quòd aliter grandia, magnifica, & sublimia per Christum, & super eius ecclesiam fient in primo illius aduentu vsq; in finem seculi, aliter fient in secundo aduentu. Manifestũ quidem est, ꝙ in aduentu secundo implebuntur prophetiæ, veluti ꝙ cœlum & terra commouebuntur, lætabuntur insulæ multæ, nubes & caligo in circuitu eius, ignis ante ipsum præcedet super inimicos eius, illucescẽt coruscationes orbi terræ, mõtes terræ sicut cera fluent à facie Dei, montes stillabunt dulcedinem, colles fluent lac & mel, & per omnes riuos Iudæ ibunt aquæ, Ægyptus, id est, populus tenebrarum, in desolatione erit. Iudea in qua significatur credentis populi ecclesia, in æternum habitabitur, & annunciabunt cœli iustitiam eius, & videbunt omnes iusti gloriam eius, & plangẽt omnes tribus terræ, cõfundentur oẽs qui adorant sculptilia. Hæc omnia secundũ sensum quendam prænunciantur futura sub aduentu Christi tunc venturi in carnem. Sed interrogantibus nos, an sub primo illius aduentu, an sub secundo. Respondebimus, partim sub primo, partim autem perficientur omnia sub aduentu illius secundo.

Scripturã promiscuè loqui de vtroq; aduentu Christi

Multa

Multa hæc secundùm sensum quendã facta sunt sub aduentu illius primo, & quotidie fiunt vsque in consummationem seculi, dum ipse Christus in carne mortali mirabilium extitit operum effector in signis & prodigijs, tandem voluntariè passus in cruce, cœlestibus & terrestribus conturbatis, dum sol est obscuratus, & terra contremuit, & scissæ sunt petræ, & in tertia die resurgens à mortuis post resurrectionem suam omnibus discipulis manifestus apparuit, mittens spiritum sanctũ desuper sonitu & igni visibili, cõturbantibus totam ciuitatem Hierusalem, ascendens quidem in cœlum, & tamen nobiscum inuisibiliter manens, regens & gubernans mirabili & ineffabili modo, intus immutans corda hominum, qui regnum mundi & omnem ornatum seculi contemnant, subijciens euangelio suo nationes gentium, corda regum & principum in toto mundo, ita vt lætatæ sint maris insulæ multæ, adiungentes se Christianæ societati, per ignem charitatis inflammantis corda eorum. Illuxerunt coruscationes orbi terræ, dum igneta Christi eloquia innotuerunt toti mundo. Montes, hoc est, sancti apostoli, à terrenis cupiditatibus segregati, stillauerunt dulcedinem salutaris doctrinæ, & colles, id est, successores apostolorum fluxerunt lac & mel salutaris sapientiæ diuini spiritus, per quem dulcis fit consolatio in omni amaritudine & aduersitate huius seculi. Scripturam igitur propheticam, cùm est obscura vt non facilè queas discernere, an de primo aduentu, an de secũdo prophetia sit accipienda, propterea quòd in illa nonnulla ponantur, quæ videntur pertinere ad primum: nonnulla, quę ad secundũ, non oportet referre ad vnius dumtaxat aduentus tempora, sed vbi omnia absque temporis differentia intimantur, teneas potiùs propheticum spiritum de vtroque aduentu esse locutum. Proinde non debet turbari mens studiosi lectoris, si videat sanctos ecclesiæ doctores, in exponendis scripturis inter se varios esse, alijs de priori, alijs de posteriori aduentu eandem scripturam interpretantibus, hac ratione commotis, quòd cœli & terræ cæteraque similia, quæ attribuuntur aduentui secundo, leguntur etiam interdum attributa aduentui primo. Ex his enim fit, vt multa sint in scripturis prophetarum loca, quę coaptari possunt vtriq; aduentui: in quibus neque absurdum est dicere, spiritũ sanctum de vtroq; per prophetam loqui, quemadmodum Hieronymus tractans illud Aggei 2. Factum est verbum Domini secundo ad Aggeũ 24 die mensis, dicens: Loquere ad Zorobabel ducẽ Iuda, dicens: Ego mouebo cœlũ pariter & terram, & subuertam solium regnorum. Hoc in loco (inquit Hieronymus) apud plerosque diuersa sententia est: alij suspicantur de primo eius aduentu dici, alij de secundo, quando in sua maiestate futurus est: nos vtrunq; (inquit) suscipimus. Deinde quæ in eodem capite præmittuntur: Adhuc vnum modicum, & ego commouebo cœlum & terram, mare & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domũ istam gloria, & magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquàm primę. Hæc etsi maximè sunt adimplenda & consummanda in aduentu secundo, in quo domus ista, quæ est ecclesia, implebitur gloria magna, prius commotis cœlestibus & terrestribus: Plurima tamen & iam secundùm sensum literalem impleta sunt in aduentu primo, de quo & secundùm literam illic loquebatur prophetia. Siquidem & in hoc aduentu cœlum & terram commouit Dominus, tum in nativitate eius, tum in conuersatione, tum in morte, & resurrectione, & missione spiritus sancti. In nativitate quidem, quando de cœlo audita est vox exercitus angelorum, & circumfulsit lux pastores, quando stella apparens in Chaldæa traxit Magos in Hierusalem quando turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum eo. In cõuersatione sua cum hominibus sæpe mouit cœlum & terram, quando vox patris de cœlo audita est, quasi tonitruum, vtpote in baptismo & in transfiguratione: in cõuersatione vitæ, vt quando mortuorũ fuit suscitator, & curator omnis languoris in passione

Multa in scripturis vtriq; aduẽtui aptari posse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

insuper & resurrectione terra cõtremuit, angeli de cœlo apparuerũt sicut fulgura coruscantia, sol obscuratus est, factæ sunt tenebræ super vniuersam terram, secundùm metaphoram etiam mota est arida infructuosa, quondam gentium solitudo. Et quàmuis hoc tempore Christus neque erat adhuc desideratus cunctis gentibus, quippe à quibus ignorabatur, tamen verè dixit Propheta: Veniet desideratus cunctis gentibus, hoc est, veniet qui erit desideratus cunctis gentibus, iam tunc accepturis cœlitus illius spiritum. Et ita commotio cœlestium & terrestriũ, quæ pronunciatur futura, magna ex parte cœpit compleri in aduentu primo, cõsummabitur autem & in totum completa erit in aduentu illius secundo. Proinde quod dicitur Iohelis 2. Effundam de spiritu meo super omnem terram. ex Petro Apostolo docente, manifestum est de primo aduentu accipiendum esse: sed non ita manifestum, an ea quæ sequuntur vsque ad finem libri ad primum aduentum pertineant, an potiùs ad secundum, ob id, quòd quædam illic posita videntur ad primum: quædam verò indistinctè intermixta, videntur prorsus ad secundum aduentum pertinere, ad primum aduentum videntur spectare, quæ dicuntur de inuocatione nominis Domini, de saluatione, quæ erit in monte Syon & in Hierusalem, & de montibus, qui in die illa stillabunt dulcedinem, & de fonte egressuro ex domo Dauid. Ad secundum aduentum videntur omnino pertinere, quæ dicuntur de prodigijs in cœlo & in terra, & de congregatione gentium in vallem Iosaphat, de obscuritate solis & lunæ, & quòd Hierusalem erit sancta, & quòd alieni non transibunt per eam amplius. Magni autem est laboris, ostendere sequentia superioribus esse coaptata. Et idcirco quidam omnia simul ad primum aduentum pertinere tradunt ex Petri Apostoli sententia Actuum 2. copulantis ea, quæ sunt in calce 2. capitis, prodigia videlicet in cœlo & in terra, cum prioribus ad primum aduentum pertinentibus. Proinde eidem interpretationi magis adhærere videtur diuus Hieronymus. Nam si omnia, quæ dicuntur in fine capitis secundi, ad primum aduentũ referantur, necesse est vt & ea quæ dicuntur in principio capitis tertij de congregatione gentium in valle Iosaphat, ad eundem aduentum referantur. Neq; enim (vt inquit Hieronymus) fieri potest, vt superiora à tempore passionis, & quæ sequuntur in tempore iudicij, intelligamus: maximè cùm sequatur, Quia ecce in diebus illis & in tempore illo. vbi vno & eodem tempore hæc indicat futura. Si verò in cauda eiusdem capitis quædam ad primum aduentum, deinde sequentia vsque in finem capituli ad secundum aduentum dicantur pertinere, iam stabit sententiarum cohærentia. Sic Nicolaus de Lyra & alij dicunt transitum ex primo aduentu in secundum fieri ante principium tertij capitis, vbi dicitur: Et dabo prodigia in cœlo. Sed illis obuiare videtur, quòd Petrus, vti diximus, Act. 2. huiuscemodi prodigia in cœlo & in terra sub vno contextu iungit prioribus, videlicet somnijs, prophetijs, seu visionibus super filios & filias, tanquàm & illa & ista pronunciata fuerint eodem tempore futura. Deinde quod sequitur: Et omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Apostolus Paulus refert ad tempus passionis dominicæ. Et ita sunt illic diuersæ interpretantium sententiæ, sed sub spiritu pacis omnes veræ & eiusdem fidei catholicæ. Non erit igitur absurda interpretatio, si dicamus prophetiam illam non esse coaptandam tempore vnius aduentus duntaxat, sed vtriusque aduentus temporibus, & illic promiscuè esse posita, quæ tum futura erant per Christum Dominum, totumq; tempus à primo aduentu vsque in secundum, appellari in prophetis nouissimos dies, & reputari vt tempus vnum. Verùm hic sciendum, quòd ea quæ terrorem & conturbationem iudicij manifestam sonant, magis (si tamen litera patiatur) sunt ad secundum aduentum referenda, quia Christus in primo aduentu per scripturas manifestas prænunciatur futurus misericors, humilis, mansuetus, consolator, & liberator, qui infirmos, languidos, & pauperes sit susceptурus. In secundo autem prænunciatur fore iustus, horribilis, & omnibus manifestus. Annus placabilis, aduentus primus: dies vltionis, aduentus secundus. Tempus miserendi, aduentus primus: tempus vltionis & retributionis, aduentus secundus. Neque hinc turbari oportet lectorem, quòd tristia simul & læta prænunciantur futura in aduentu secundo. Nam & dies illa iudicij erit desiderata, expectata, & læta iustis, habentibus fiduciam in die illa per Christum Dominum: impijs autem & reprobis dies illa erit dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde. Sic & aspera, sæua, atque crudelia, quæ leguntur facta in Christo & in Apostolis eius in aduentu primo non semper ad literam, sed figuratè sunt accipienda, vt illa non seueritatem, sed clementiam potius insinuent. Christus in primo suo aduentu venit, non vt iudicaret, sed vt saluaret mundum, id est, vt peccatores saluos faceret. Vnde Christus & sancti eius dicuntur euertere impios, interficere & dissipare gladio oris sui, dum agunt, vt ex impijs fiant iusti. Ita & in primo aduentu prodigia facta, videlicet cœlum & terram conturbari, solem obscurari, stellas de cœlo cadere, montes liquescere, in quibusdam scripturæ locis non tam ad literam, quàm metaphoricè sunt accipiẽda: sicut 45. psalmo est manifesta prophetia de primo Christi aduentu, in quo propheta vtitur metaphoris: Montes transferentur in cor maris, & tonuerunt aquæ eorum. quæ prophetia impletur, dum in prædicatione Christi & Apostolorum conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna, id est, humiliata sub euangelio Christi. Deinde & secundùm literam sub primo aduentu etiam ipsa elementa obediebant Christo, qui imperabat ventis & mari, & facta est tranquillitas: sol fuit obscuratus, terra contremuit, & petræ sunt scissæ. In psal. 49. vbi dicitur: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocauit cœlum de sursum. manifesta est, vt iam patuit prophetia de aduentu secundo. Ex quibus patet, ea quæ in primo, quæ & in secundo aduentu fient, eisdem verbis esse pronunciata. Vnde Hieronym. tractans illud: Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra à facie eius. Ante faciem indignationis eius quis stabit? & reliqua. Possunt hæc (inquit) simpliciter accipi, quòd in consummatione mundi, cùm in maiestate sua saluator venerit, & montes & colles, & orbes & terra, & cuncta moueantur. Si enim in passione Domini sol fugit, saxa sunt scissa, terra contremuit, multò magis in consummatione mundi, in claritate maiestatis illius montes & colles, sol & luna mouebuntur. Sed figuraliter montes & colles intelliguntur sublimes quique, & potentes, qui in aduentu Domini prosternentur. Et ita non debet quis arbitrari absurdum, si quæ apud Iohelem cap. 2. nunc sunt recitata, intelligãtur vsq; in finem eiusdem cap. omnia pertinere ad primum aduentum, vt sub metaphoris dicta referantur in tempora, quando passus est Dominus, & resurrexit. Nam & in hoc Deus dedit prodigia in cœlo, & in terra sanguinem, & ignem, & vapores fumi, dum terra tam vehemẽti & insolito motu tremuit, vt monumenta sint aperta, & saxa dirupta, dum sol obscuratus est, quando pendentem Dominum non ausus videre, retraxit splendorem suum. Verùm & hic sciendum, quòd primus aduentus, quia fuit in carne mortali gerente similitudinem carnis peccatricis, quæ tamen diuinitati vnita fuit absque macula & ruga, per mortem triumphans ad resurrectionis & ascensionis gloriam. Idcirco pro illo aduentu vtrunque verum est, videlicet & id quod dicitur: Speciosus forma præ filijs hominum, accinctus gladio super femur suum potentissimè. & quod dicitur: Vidimus eum, & non erat ei species neque decor. Proinde in scripturis sacris aduentu primo sub eodem contextu sententiarum, alta & grandia simul atq; abiecta Christo tribuuntur: quemadmodum patet Isaiæ 52. & 53. cap. vbi Christũ nunc

Iohel. 2. g
Act. 2. e

Nicolaus Lyr.

Iohel. 2. g
Roma. 10. c

Hierony. super Naum cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nunc seruum vocat, & mox valde exaltatum & sublimem. Deinde paucis interpositis, valde despectum & contemptibilem. Postea iterum gloriosum, ita vt reges contineant super illo os suum. Et postremùm rursus reuertitur ad despectissima, significans Christum ita esse vilificatum, vt ipse Propheta in persona apostolorum dicat: Domine quis credit auditui nostro? Vidimus eum, & nō erat ei species neque decor. & nos reputauimus eum quasi leprosum, sed ipse vulneratus est propter peccata nostra. Quæ prænunciantur futura Sophoniæ 1. partim pertinent ad captiuitatem Iudæ & Hierusalem per Babylonios, partim ad captiuitatem eorum per Romanos, partim ad vltimi iudicij diem. De prima desolatione transit in secundam, de secunda in tertiam. Sciendum est enim primam desolationem esse typum secundæ perfectæ euersionis Hierusalem. Secundam autem typum esse tertiæ, quæ erit super omnem peccatorem in die, de qua dicit ibidem: iuxta est dies Domini magnus, dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, & reliqua. Deinde apud Matthæum à desolatione seu destructione templi atq; Hierusalem, tunc futura per Romanum exercitum, fit transitus ad desolationem totius orbis futuram in fine seculi per Antichristum & satellites eius. Et iste transitus ibidem adeò est occultus, vt non omnino certum videatur, quo in loco incipiat Euangelista sic transire ad ea, quæ in consummatione seculi sunt futura. Diuus Hieronymus hoc quod dicit saluator apud Matthæum. Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stantem in loco sancto, qui legit intelligat exponens, hoc (inquit) iuxta literam de aduentu Antichristi prędici, nulli dubium est: de quo Paulus apostolus dicebat, quòd homo iniquitatis & aduersarius, eleuat se contra omne quòd dicitur Deus, ita vt audeat stare in templo Dei. Idem sentit diuus Hilarius. Non prætermittit tamen Hieronymus ibidem aliorum sententiam, licet quidam (inquit) Titi & Vespasiani aduersus Iudæos, & præcipuè contra Hierusalem pugnam obsidionemq; illic significari velint. At verò Chrysostomus, Augustinus, Remigius cęteriq́ue nonnulli probatissimi expositores, docent sententiam illam saluatoris, quemadmodum & Danielis prophetiam, esse referendam ad desolationē terrenæ Hierusalem, & hanc esse sententiam probant ex Luca. Sic enim habet Lucas: Cùm ergo videritis Hierusalem circumdari ab exercitu, tunc scitote quoniā appropinquat desolatio eius. Hieronymus cōmemorat sententiā illam saluatoris ad vtrāq; desolationē referri posse, vsq; ad illud quod sequitur: sicut fulgur exit ab oriente & patet in occidentem. ita erit aduētus filij hominis. Obscuritas videtur magna in sententiarum cohærentia. Verùm totus euangelistæ processus fiet illustrior, si consideremus quòd saluator in principio eiusdem capituli discipulis interrogantibus tria, videlicet quo tempore Hierusalem esset destruenda, quod signum futuri aduentus eius, quod insuper signum esset futuræ consummationis seculi. Respondet non mox ad ea, quæ interrogabantur, sed dirigens sermonem ad ea, quæ ipsis erant vtilia. Primùm hortatus fuerit eos ad perpetuam vigilantiam, in apostolorum collegio cui loquebatur, designans non ipsos solùm, sed ecclesiam seu omniū credentium personas, volens docere non solùm apostolos, neque eos solum qui erunt, aut sub destructione Hierusalem, aut sub seculi consummatione victuri, sed omnium temporum & ætatum homines, præmonens ipsos vt sint vigilantes, orantes, & parati hinc migare in aliam vitam, vt cùm Christus aduenerit, valeant euadere omnia, quæ futura sunt super impios in consummatione seculi. Proinde & Lucas eundem Domini sermonem tali fine concluſit: Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra ebrietate, crapula & curis huius vitæ. Vigilate itaq; omni tēpore orantes, vt digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare ante filiū hominis. Christus ergo vt discipulos redderet magis solicitos, & ad persecutiones

Sopho. 1.

Matth. 24

Hierony. Epist. ad Alg quæst 4. Tractat locū Matth. 24. & Lucæ, 21.

Luc. 21. d Hier. super Matth.

Lucæ. 21. f

cutiones ferendas magis paratos, eosdem & in illis omnes Christianos vsq; in consummationem seculi voluit esse præmonitos. Videte (inquit) ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus. Vnde ab initio Christianæ fidei vsque in consummationem seculi, sunt præcursores Antichristi hæretici, pseudoprophetæ, pseudoapostoli, & osores nominis Christiani, volentes docere alium Christum. Quatenus igitur omnium temporum homines faciat esse attentos atque solicitos, pronunciat multa futura mala, antequàm veniet consummatio seculi, videlicet prælia gentium contra gentes, pestilentias, famem, terræ motum, pseudoprophetas, apostasias multorum à fide, persecutiones & prædicationes euangelij in vniuerso regno. Hæc cùm facta fuerint, veniet (inquit) consummatio. quod sanè de consummatione seculi prædicari nulli dubium est. Deinde vertit sermonem super destructione Hierusalē, quia de illa intelligitur prophetia in Daniele. Cùm ergo videritis (inquit) desolationem abominationis, quę dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat: intelligat inquam, prophetiam scilicet Danielis in hoc facto adimpletam, vt deficiat à templo in Hierusalem Iudæorum hostia & sacrificium vsque ad consummationem. Tunc qui in Iudęa sunt fugient ad montes præ terrore Romani ducis, totam Iudęam deuastantis. Væ autē prægnantibus & nutrientibus in diebus illis. & hæc verba referenda esse ad dies desolationis Hierusalem, patet ex processu, quem seruat Lucas euangelista. Sequitur apud Matth. Orate vt non fiat fuga vestra in hyeme vel in sabbato. Tropologicè loquitur, acsi dicat: Cauete ne tempora illius tribulationis sint vobis importuna ad fugiendum, id est, talia, in quibus non erit vobis facultas ac permissio fugiendi: erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet. Hic iam Lyranus dicit saluatorem transire de desolatione Hierusalem ad desolationem totius mundi. Sed id non oportere docet Augustinus per ea, quæ sequuntur ex processu Lucæ euangelistæ. Intelligitur enim secundùm sermonem Lucæ, quòd tunc erit tribulatio & pressura magna populo huic Iudæorum, qualis neque fuit, neque sic particulariter fiet vnquam super populum illum. Nam tribulatio illa, quæ erit sub Antichristo erit vniuersalis, & nisi fuissent dies tribulationis ex diuina dispensatione facti pauciores, nullus Iudæorum supereſſet saluus, sed propter electos abbreuiatum est tempus persecutionis illius. Tunc ergo, id est, post illam desolationem Hierusalem, si quis dixerit vobis, Hic est Christus, aut illic, nolite credere Christi aduentum iam esse in foribus, quia secundus aduētus Christi non erit sic occultus, vt primus fuit. Siquidem primùm surgent pseudoprophetæ, qui dabunt signa & prodigia, vt in errorem ducantur etiam, si fieri potest, electi: & tunc demum sicut fulgur exit ab oriente, & reliqua. quæ manifestè intelliguntur de futura desolatione in fine mundi, & huiusce modi obscuritates apud Matth. satis elucidantur ex processu Lucæ, capite 21. Hactenus de gemino Christi aduentu, in eodem scripturæ sacræ contextu promiscuè posito. Deinde & hoc ex superioribus patet, frequentem esse in scripturis sacris trāsitum occultum, de regno Christi in hoc seculo militante, ad regnū Christi in cœlis triumphās: & hinc iam in scripturis nascitur obscuritas, quæ lectorem plerunque aliorsum rapit, dum non satis aduertit, quòd ea, quæ propheticus spiritus prænunciat de regno Christi futura, sunt accipienda non tanquam omnia simul complenda sub Christo in primo ipsius aduentu visibiliter in carne apparēte, sed tanquam talia, quæ tunc cœperunt fieri, & paulatim sunt complenda, in fine seculi consummanda, cùm tradet regnū suum Deo patri, auferens ab illo scandala, abstergens omnem lachrymam ab oculis suorum electorum. Sic Isaiæ 35. propheticus spiritus de Christi regno, seu de ecclesia Christi, permixtim loquitur: & ea, quæ illic prænunciantur futura, partim in hac vita, partim in die iudicij, & in futurā

De transitu regni Christi in hoc seculo ad regnum futurū seculi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

futuri seculi vita adimplentur. Nam milites Christi ex gentibus conuersi, venientes in Syon, id est, in ecclesiam credentiũ, licet adhuc sint sub pugna in hoc mundo, tamen postquam seculum vicerint, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet ab eis omnis dolor & gemitus, quemadmodum ibidem dicitur in fine capitis. Sic & apud eundem in 40. cap. spiritus propheticus incipit de regno Christi militante, videlicet de ecclesia apostolorum ex Hierusalem orta, & in gentes transmissa, finit autem per ea, quæ plenius complebuntur in consummatione mundi in secundo saluatoris aduentu. Sic & apud eundem Isaiam capite vltimo, idem Dei spiritus mixtim loquitur de ecclesia, nunc de ecclesia secundùm eam partem quæ est sub pugna in hoc mundo: nunc de ecclesia secundùm eam partem, quæ triũphat in cœlo. Vnde Augustinus tractans illud Aggei 2. Adhuc vnum modicum, & ego commouebo cœlum & terram, mare & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus. Hæc prophetia (inquit) partim iam completa cernitur, partim sperator in fine complenda. Mouit Deus cœlum & terram quando incarnatus est Christus. Iam verò quod sequitur: Et veniet desideratus cunctis gentibus. in nouissimo eius aduentu expectatur, quãuis iuxta sentẽtiam eiusdem Augustini in alio loco, vtrumq; referri possit ad primum Christi aduentum. Ex supradictis ergo possumus considerare, quòd in scripturis sacris transitus iste de vno in aliud, variarumq; rerum commixtio multis modis contingit, nunc de litera ad spiritum, id est, re temporali gesta aut gerenda ad rem mysticam, nunc de primo aduentu in secundum, & econtrariò: nunc de regno Christi seu ecclesia Christi militante in hac vita, ad regnum Christi iam triumphans in cœlo, & ecõtrariò: nunc de rege Babylonio ad luciferum, de regno Babyloniorum aut Ægyptiorum ad regnũ diaboli, vel Antichristi satellitis eius, nunc de desolatione Babylonis ad desolationem totius mundi, nũc de Iacob aut Israel, aut de Dauid, Hieremia, aut Zorobabel ad Christum, nunc de Iudæa terrena & Hierusalem terrena ad Iudæam spiritualem, id est, ad ecclesiam Christi, quæ in æternum habitabitur: nunc de templo ac domo manu facta, ad templum & domum non manu factam: nunc de captiuitate Iudæorum ac desolatione Hierusalem per Babylonios, ad extremam captiuitatem & desolationem eorundem Iudæorum: & hinc etiam plerunque ad desolationem omnium reproborum in consummatione seculi. Multa huiusmodi sub eodem scripturæ contextu promiscuè seu permixtim posita, absque vllo rerum futurarum ordine, & absq; vlla temporis differentia, plerunq; mentem lectoris turbant, & à vero scripturæ sensu alienant, si non prædictarum rerum aut aliarum rerum commixtionem in scripturis esse aduertat, diligenterq; obserue t, vt ex alijs manifestæ scripturæ locis sciat singulas sententias singulis suis accommodare temporibus. Ex his iam consideratis soluitur argumentum, quod solent nobis obijcere contra Dominum nostrum Christum fidei nostræ hostes: Ea (inquiunt) quæ prænunciantur sub aduentu Messiæ futura, non sic vt prænunciantur futura, per vestrum Christum fuerunt adimpleta. Nam de diebus Messiæ prædicitur, quòd futura esset abundantia pacis, & quòd ipse auferret bella vsque in fines terræ, & quòd ad eum fluerent omnes gentes, & quòd dominaretur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, & quòd ipse filios Israel dispersos in quatuor angulis terræ congregaret in vnum, & quòd ipse missurus esset legatos ad gentes in mare, in Africam, in Lydiam, in Italiam, in Græciam, & ad insulas maris, & quòd hi legati essent omnes fratres de cunctis gentibus adducturi atque portaturi in equis, in quadrigis, in lecticis, in mulis, alijsque diuersi generis vehiculis ad montem sanctum Dei in Hierusalem, quemadmodum dicitur Isaiæ vltimo, & quòd filij Hierusalem & populus de longè venturi essent, & quòd multitudo maris & fortitudo gentium esset conuertenda, & ventura

Augustin. 18. de ciuitate Dei, cap. 35. a Aggei. 2. a

Carnaliũ Iudæorum obiectio contra Christi aduẽtum soluitur.

ventura ad Hierusalem, & quòd omnes de Saba venturi essent, aurũ, thus, & myrrham deferentes, laudẽ Deo annũciantes, & quòd filij peregrinorum essent ædificaturi muros Hierusalem, & reges eorum essent ministraturi eidẽ, & quòd portæ Hierusalem essent aperiendæ iugiter, & non clauderentur die aut nocte, & quòd omnes, qui detrahebant ipsi Hierusalem, essent venturi & adoraturi vestigia pedum plebis illius, & quòd nec esset amplius ei sol per diem, neq; splendor lunæ ad illuminandum, sed quòd Dominus esset ei in lucem sempiternam, & ꝙ dies luctus eius essent tunc completi, vt patet Isaiæ 60. & ꝙ regnum Messiæ contereret, & cõminueret quatuor regna sibiinuicem succedentia, vtpote: Assyriorum, Chaldæorum, Græcorum, & Romanorum. Hæc & id genus alia, in scripturis propheticis de regno Christi olim prænũciata, carnales Iudæi obijciunt nobis dicentes, quòd temporibus Domini nostri Iesu non fuerit tanta pax, tantaq; bonorũ copia, quanta prædicitur futura. Proinde ipsi cupientes viuere in pace huius mundi, in diuitijs, in delitijs huius carnalis vitæ, hæc omnia in scripturis prophetarum vaticinata, expectant futura per regem suum Messiam, qualem sibi confingunt ex eisdem scripturis praue carnaliterque intellectis: non aduertentes geminum Christi aduentum, vnum in humilitate ad euangelizandum pauperibus, & saluandum peccatores: alterum in gloria cum potestate magna ad iudicandum, & ad retribuendum vnicuique secundùm opera, non attendentes scripturas plerasque transitum facere de vno in alium, & promiscuè loqui de vtroque aduentu, & in primo aduentu non simul adimpleri omnia, sed paulatim secundùm successionis seriem, vsque in consummationem seculi. In diebus Domini nostri Iesu fuit quidem, & vsque nunc est abundantia pacis in monte Syon, seu in Hierusalem spirituali, hoc est, in ecclesia, non quomodo mundus dat pacem, sed quomodo Christus dedit, faciens veram æternæ salutis pacem cum Deo patre, operans remissionem peccatorum, & largiens spiritum charitatis inhabitantem corda credentium, qui facit multitudinis credentium esse cor vnum, & animam vnam in Domino, dum principes populorum sanguinarij, omni crudelitate semota, depositis armis & gladijs, quibus vtebantur contra populum Dei, congregantur cum Deo Abraham, iungentes se societati ac vnitati ecclesiæ Christi in vnitatem fidei. Et sic ex parte adimpletũ est, quòd Dominus noster Iesus commouit omnes gẽtes, & quòd regnum eius creuerit, & dilatatum fuerit in omnem terram, dum Christus in omni loco & gente per spiritum suum cœlitus in Apostolos missum, subiecit ecclesiæ suæ gentes, non corporalibus armis aut prælijs, sed gladio euangelij sui, destruens idolorum cultum. Vnde regnum istud Christi congruo nomine appellatur ecclesia, quod interpretatur communitas seu cœtus, à coeundo seu conueniendo in vnum. Ecclesia enim Christi sancta vnione lætatur, vnione intellecta non secundùm corporalem præsentiam, aut congregationem in vnum aliquem locum, in vnam aliquam prouinciam, aut terram secundùm certos vllius spacij terræ fines aut terminos: sed secundùm compaginem signaculi eiusdem fidei, charitatis vnius spiritus Christi Iesu, vnius spei æternæ vitæ, vnius religionis cũ vno Deo patre, omniũ creatore, in omni gente & loco, siue facie se nouerint, siue non nouerint. Proinde quemadmodũ & in superioribus diximus, esse in hac Hierusalem, esse in hac domo, esse in hac ciuitate, & properare seu aduolare ad montem sanctum Syon, non vllum certum exigit locum, non tempus, aut patriam suis finibus terminatam, non cognationem vllam secundùm propagationem carnis & sanguinis: sed ex omni natione & familia, quisquis se iunxerit ecclesiæ Christi, olim ex Syon & Hierusalem ortæ, is incipit & esse, & habitare in Hierusalem, in monte sancto Syon, incipitq; esse filius Israel spirituali generatione secundũ fidei spiritum, genitus ab Israel, id est, à populo Israelitico, videlicet ab ecclesia Christi & apostolorum, qui

Ecclesia regnum Christi dicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christiani rectè dicuntur filij Israel, filij Abraham &c.

etiam secundū carnem descenderunt à Iacobo Patriarcha, qui alio nomine vocabatur Israel. Quamobrē & omnes Christiani ex gentibus credētes, quatenus Christiani sunt, præter alias causas cōgrua ratione in scripturis appellantur filij Israel, & filij Abrahæ, & populus Iacob, propterea ꝙ secundùm spiritualem generationem geniti sunt ab ecclesia Christi, quę secūdùm successionis seriem originē habet ab ecclesia Christi & Apostolorum, secundū carnem ex Israel descendentium. Vnde his consideratis intelliguntur scripturæ multæ, quibus etiam sub priori aduentu Christi, prænunciantur filij Iacob, & filij Israel, dispersi in quatuor angulis terræ adducendi in Hierusalem, & in montē sanctum Syon. Nempe ad hoc fuerūt Apostoli à Christo legati ac missi in omnem terram, vt spirituales filios Abrahæ, Iacob, & Israel generarent in Christo Iesu, vt ex gentibus in omni terra facerent homines in Christū credere, docendo, exhortando, admonendo, & consolando. Proinde & huiuscemodi apostolorū ministeria sunt, quę appellātur apud Isaiam cap. vltimo, nominibus vehiculorum diuersi generis. Deinde & hoc considerandum, ꝙ secundùm euangeliū Lucę de ędicto egresso à Cęsare, vt describeretur vniuersus orbis, ac etiam secundùm ethnicorum historias, supputationē faciendo sub temporibus Christi nascentis, corporaliterq; conuersantis in hoc mundo, fuit olim abundantia quædā pacis, prioribus seculis inaudita. Hæc autem quāuis nō erat pax illa, quæ promissa erat per Christum futura in vniuerso mundo, quæ iam perijt, vniuersis termē regnis cōtra Cæsarem belligerantibus, erat tamen vmbra & excitamentum quoddam diuinitus præparatum carnalibus Iudæis, pacem hanc corporalē expectantibus, vt inde cōmouerentur & excitarētur ad intelligendum, iam aut instare, aut appropinquasse dies Messiæ, de cuius pace futura tanta fuerant prophetæ vaticinati. Vnde & Iudęi, nisi Christum veræ pacis authorē interfeciſſent, etiam pacē quandā forsitan in sua terrena Hierusalē possedissent, neq; tam atroci atq; immani bello fuissent electi extra terram illam. Nam & temporalia bona idcirco illi genti pollicebantur, quatenus ex illis promouerentur ad diligendū Deum propter veram pacem salutis æternæ, propter cœlestia & sempiterna bona, quę non pereunt vnquàm. Proinde & huiuscemodi spiritualis pax, spiritualisq; congregatio in spirituali Hierusalē, spiritualia insuper bona futura in cœlesti Syon, sunt multis scripturæ locis designata, intellecta & figurata in temporali pace, in corporali congregatione ad terrenam Hierusalem, in corporalibusque bonis, quibus fruebatur populus in terra illa. Et quia scripturæ hæc carnalia & temporalia bona frequenter promiscuè atque permixtim ponunt sub eodem sermonis contextu, & interdum de his, interdum verò de illis loquuntur verbis & nominibus translatè acceptis: idcirco vigilare debet mens studiosi lectoris ad sententiarum cohærentias, ne vel ad literam spiritualiter exponat, quod secundùm literam corporaliter est accipiendum, vel econtrario. Vnde quod in vno aut altero scripturæ loco de terrena Hierusalem, aut de terrena Babylone, & de pace huius mundi, & liberatione à seruitute corporalis captiuitatis ex manibus hostium, ad literam intelligitur: hoc plerunque in alijs scripturæ locis non sic carnaliter, sed spiritualiter est accipiendum. Quod ex duobus iam locis scripturæ sufficiat demonstrare.

Hieremiæ 31. Caput Hieremiæ tricesimumsecundum, ad literam intelligitur partim de corporali liberatione, & reductione Iudæorum ex captiuitate Babylonica in terrenam Iudam, partim de spirituali: & permixtim nunc de vna intelligitur Dei sermo, nunc de altera. Nam quod dicitur: Habitare eos faciam confidenter, & feriam eis pactum sempiternum. non videtur (inquit Hieronymus) posse coaptari corporali liberationi ex captiuitate Babylonis. Talia igitur ad aduentum sunt referenda saluatoris. Quod autem in fine eiusdem capitis dicitur: Quia hæc dicit Dominus, Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande, sic ad-

ducam

ducam super eos omne bonum, quod ego loquor ad eos, & possidebuntur agri in terra ista. & reliqua hęc iuxta literam, licet in typo (inquit Hieron.) pręcesserint post reditum de Chaldæis, quando ad Cyri regis imperium populus est reuersus in Iudæam, tamen spiritualiter in Christo & in Apostolis verius pleniusque complentur. Caput etiam 33. eiusdem Hieremiæ, secundùm partes multas, sicuti & vltimum caput Isaiæ, ad literam intelligitur de spirituali adductione in spiritualem Iudæam, & in spiritualem Hierusalem, non de corporali adductione gentium in terrenam Iudæam aut Hierusalem: quippe quæ non capax est multitudinis tantarum gentium, quemadmodū declarat Isaias cap. 54. Amplius autem in scripturis sacris frequens est transitus de temporalibus principibus huius mundi ad insanientem dæmonem, quo aguntur atque ducuntur quotquot sunt populi Israel, id est ecclesiæ Christi persecutores. Scriptum est in Isaia de Nabuchodonosor rege Babylonis, quòd se Dei potentiæ coæquauerit, in tantam elatus arrogantiam, vt auderet dicere: Super sydera cœli ascendam, & ero similis altissimo. Et quòd propterea præcipitatus de solio, meruerit audire: Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Rursus scriptū est de principe Tyri, ꝙ elato corde dixerit arroganter: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, in corde maris. Item de Pharaone scriptum est ꝙ dixerit: Meus est fluuius, & ego feci memetipsum. Hæc & id genus alia, quanq̄ videantur non tam verba hominū esse, quàm insanientiū dæmonum, tamen hyperbolicè (inquit Hieron.) debemus accipere, ꝙ intantum principes hi intumuerint, vt nescirent mensurā suam, vt elati felicitate seculi regniq; potentia, dum præsentia bona habent tanq̄ perpetua, homines se esse non attenderint, & æternum sibi imperiū vindicarint. Verùm non ita hæc hyperbolicè sunt accipienda, tanq̄ sint dicta de illis solùm principibus: sed & sub typo principū illorum aduersarię intelliguntur potestates, quę ab Apostolo vocantur principes tenebrarū, habentes videlicet regnum & imperiū super omnes homines in tenebris peccatorum habitantes. Vnde Isaiæ 13. & 14. capitulis, q̄uis multa narrentur de rege Babylonis, quæ videntur excedere modum, qualitatē, & cōditionem oneris terrenæ Babylonis & regis illius: multa tamen etiā illic intermiscentur, quæ planè videntur intimare Babylonem illam terrenam per Medos destruendam, quæ cap. 13. dicuntur: Ecce Dominus veniet crudelis, & indignationis plenus, iræ & furoris, ad ponendum terram in solitudinē, & ad cōterendum peccatores de ea, quoniā stellæ cœli & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo, & visitabo super orbis mala, & cōtra impios iniquitatē eorū. Hæc & id genus alia excedere videntur illam Babyloniorū desolationē, quæ facta est per Medos & Persas. Deinde multa, quæ illic sequuntur, planè videntur indicare hæc prænūciari de terrena Babylone, à regibus Medorū & Persarū destruenda, quæ videntur non posse congruè coaptari ad desolationem eam, quæ futura est in fine mundi, veluti quòd in eodē cap. paucis interpositis subditur: Ecce ego super eos (scilicet Babylonios) suscitabo Medos, qui argentum non quærant, nec velint, sed sagittis paruulos interficient: & erit Babylon illa ciuitas inclyta in superbia Chaldęorum subuersa, sicut subuertit Dominus Zodomā & Gomorram. Hic planè videtur esse prophetia de desolatione terrenę Babylonis, per Medos destruendæ. Verùm quod iam mox sequitur: Non habitabitur vsq; in finem, & nō fundabitur vsq; ad generationem & generationem. & reliqua vsq; in finem capitis, non videntur conuenire terrenæ Babyloni, quæ post desolationem à Medis factam, rursus est ædificata & habitata. Deinde quæ in principio capitis 14. sequuntur: Prope est vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel, & requiescere eos faciet super humum suam. Hæc & alia multa, quæ sequuntur, videntur perti-

Transitus de membris diaboli ad ipsum caput.

Isaiæ 14. d

Ezech. 28. a
Idem. 29. a

Isaiæ 13. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nere ad liberationẽ domus Iacob è poteſtate Babylonica, quæ tunc (ſcilicet Iſaiæ temporibus) futura prænunciebatur deſtruenda, vt ipſa deſtructa Iſrael liberaretur. Sed quæ illic ſequuntur de deſtructione Babyloniæ, videntur grandiora, quàm ea, quæ ſuper regem Babylonis per Chaldæos acciderunt, veluti quòd dicit illic ſpiritus propheticus ad populum Iſrael tunc à Babylonijs captiuandum, & à poteſtate illius liberandum: Et erit in die illa cùm requiẽ dederit tibi Deus, & cæt. aſſumens parabolam iſtam contra regẽ Babylonis, & dicens: Ceſſauit exactor, quieuit tributum, & ſiluit omnis terra, &c. Quomodo cecidiſti lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum aſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſedebo in mõte teſtamenti in lateribus aquilonis, ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis altiſſimo. Veruntamen ad infernum detraheris vſq; ad profundum laci. Hæc iam videntur grandiora eſſe, quàm quæ conueniant Babyloniorum regi: ſed videntur potiùs eſſe verba inſanientis dæmonis, qui de cœlo ob ſuperbiam cecidit, & detractus eſt ad infernum, quàmuis & his aliquid intermiſceatur, quod angelo illi primo non videtur poſſe coaptari, veluti quòd dicitur: qui vulnerabas gentes, quod regi Babyloniorum videtur tribuendum. Verùm omnia hæc etiam ſic pronunciata, videntur congruè poſſe coaptari angelo de cœlis lapſo, qui & ipſe gentes vulnerabat ſecundùm naturalem quendam ordinem, priuſquàm de cœlo corrueret, ſi per gẽtes intelligamus angelos cæteros de cœlo lapſos, quibus & ipſe fuit ruinæ occaſio. Vnde angeli in ſacris literis interdum viri appellantur: Ecce duo viri ſteterunt iuxta illos. Inſuper & ipſe diabolus in euangelio vocatur inimicus homo. Proinde doctores ſancti in his duobus Iſaiæ capitibus, dicunt propheticum ſpiritum tam de rege Babyloniæ, quàm de aduerſaria poteſtate, quæ & operabatur & figurabatur in illo, permixtim loqui, & tranſitum facere de vna poteſtate in aliam, rurſusque in priorem redire: vt illa, videlicet quæ videntur modum & conditionem regis Babylonis excedere, ad literam intelligantur dicta de angelo Lucifero, qui eſt caput ſuper omnes filios ſuperbiæ, cuius capitis membra ſunt omnes iniqui. Vnde iuxta Tychonij regulam ſeptimam, ſcriptura loquens de vno propter connexionem capitis ad membra, tranſit ad loquendum de alio. Sic loquens de rege Babyloniorum in ſupradicto capite Iſaiæ 14. de rege Babylonis, qui erat diaboli membrum, tranſit ad loquendum de principe dæmonũ, cùm ſubditur: Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? & cæt. Item apud Ezechielem, loquens de principe Tyri, tranſit ad loquendum de diabolo, dum ſubiunxit: Hæc dicit Dominus Deus, Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in delitijs paradiſi fuiſti, omnis lapis precioſus operimentum tuum, & reliqua quæ ſequuntur ibidem. Verùm non hæc ſunt ita prorſus aliena à rege Nabuchodonoſor & à rege Tyri, quin & principibus illis ſcriptura hæc conueniat per figuram hyperbolen locutionibus intellectis. Proinde & Diuus Hieronymus, dum in libro quinto commentariorum Iſaiæ, capitula 13. & 14. cum ſequentibus, vſq; ad 23. incluſiuè hiſtorica expoſitione differuiſſet, in 6. & 7. libro eadem capitula iam ſecundùm ſpiritualem intelligentiam interpretatur, docens omnia, quæ contra Babylonem dicuntur, ad confuſionem & interitum huius mundi pertinere, probans ex textu ſenſum illum ſpiritualem à ſpiritu ſancto etiam per literam eſſe intellectum, propterea quòd illic dicitur ad Iſraelem: In die illa cùm dederit tibi Dominus Deus requiem à labore tuo, ſumes parabolam iſtam contra regem Babylonis. Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum, &c. Si res (inquit) in rege Babylonis geſta, ſit accipienda vt parabola, eſt ergo alteri rei comparata. Res autem cui parabola comparatur, videtur eſſe quæ ſequitur: Quomodo cecidiſti Lucifer, &c. Illic ergo ſub

Iſaiæ.14.e

Lucæ.10.a
Matth.13.f

Ezech.28.e

Hieronymus.

litera occultus inſinuatur tranſitus de litera ad ſpiritum. Item quæ de Gog & Magog Ezechielis 38. & 39. dicuntur, Iudæi carnaliter interpretantur, dicentes, quòd temporibus Meſſiæ, quem ſibi confingunt futurum, Gog & Magog in prælium contra Meſſiam & Hieruſalem ſint venturi, & quòd illic principes illi cum exercitibus ſuis ſint vincendi, ac ſubijciendi dominio regis Meſſiæ in terra Hieruſalem, quam arbitrantur fore totius orbis metropolim. Hieronymus autem relinquens carnalem Iudæorum interpretationẽ, aliaſq; fabulas, generaliter interpretatur eſſe prophetiam omnium aduerſariarum poteſtatum huius mundi aduerſus eccleſiam Chriſti, intelligens per Gog, peruerſæ doctrinæ principem: per Magog autem omnes qui imitantur illum. Ex lib. Apocalyp. cap. 20. diſcimus prophetiam hanc eſſe referendam ad nouiſſimam perſecutionẽ, quæ fiet in fine mundi ſub Antichriſto: quemadmodum docet Auguſt. dicens: Gentes quas ſcriptura appellat Gog & Magog, non ſic eſſe accipiendas, tanquã ſint aliqui in aliqua parte barbari conſtituti, ſiue quos quidam ſuſpicantur Getas & Maſſagetas, propter literas horum nominum primas, ſiue aliquos alios alienigenas, & à Romano iure ſemotos, ſed toto terrarum orbe ſignificati ſunt iſti eſſe. Sicut enim Hieruſalem ſiue dilecta ciuitas, contra quam venient Gog & Magog, non eſt ſecundùm aliquem vnum locum accipienda, ſed eſt eccleſia in toto terrarum orbe diffuſa: Ita & perſecutio eccleſiæ à Gog & Magog erit vbicunque fuerit eccleſia ab Antichriſto & ſatellitibus eius perſecutionem paſſa. Hactenus de duobus Chriſti aduentibus, alijſq; rebus in ſcriptura ſacra promiſcuè poſitis.

CAP. III.

Auguſt 20. de Ciuit. Dei. c. 11.

Quartum caput de diſſoluendis apparentibus ſcripturarum contrarietatibus.

MVltis præterea in locis ſcripturæ ſunt difficiles & obſcuræ, propterea, ꝙ in eis multiplex videtur eſſe cõtrarietas, in præceptis, in hiſtorijs, cæteriſq; ſententijs. In huiuſcemodi ergo cõtrarietatibus, cùm ipſæ occurrere videntur ſtudioſo lectori, talis obſeruanda eſt regula: Quæ in ſcripturis inter ſe videntur eſſe cõtraria, non cõſiderantibus cauſas, perſonas, tẽpora, & rationes, hæc propter tacitam vel expreſſam diuerſitatem aut cauſarum, aut rationũ, locorũ, aut temporum, aut perſonarum, inter ſe non pugnant. Sunt diuinæ quædam prohibitiones & præcepta, quæ ſuas habent rationes, ſua tempora, ſuos fines, ſuaſq; perſonas, & perſonarũ ætates. Aliud magiſter adoleſcenti, aliud puero ſolet imponere: aliud agricola iubet in æſtate, aliud in hieme. Sic Salomon in Prouerb. docet, vt reſpondeamus ſtulto iuxta ſtultitiam: & item prohibet, ne reſpondeamus ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam. Sed illud faciendum eſſe docet, ne ſtultus videatur ſibi ſapiens eſſe. Vetat autem facere, ne ſimiles ipſi efficiamur. Reſponde (inquit) ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur: Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam, ne ſimilis ei fias. Hic vides ea, quæ apparent inter ſe contraria præcepta, pro diuerſitate rationum inter ſe nõ pugnare, neq; ſibiinuicẽ cõtradicere. Nouerũt dialectici contradictionem eſſe vnius & eiuſdẽ, nõ nominis tantũ, ſed nominis & rei ſimul, ad idem, ſecundùm idem, ſimiliter & in eodem tempore. Sic olim Tertullianus in libro de præſcriptione hæreticorum, docuit Apoſtolos pro temporibus, perſonis, & cauſis quædam reprehendiſſe, quæ & ipſi pro reſpectu perſonarum cuſtodiebant & obſeruabant. Sic diuerſa ſunt tempora, pro quibus Chriſtus Apoſtolis ſuis præcepit contraria. Quòd ante paſſionẽ eis dixit: In viã gẽtium ne abieritis, ſed ite potius ad oues, quæ perierũt domus Iſrael. videtur contrarium ei, quod poſt reſurrectionem dicit: Ite in mundum vniuerſum, docete oẽs gentes. Sic & geſta operaq; ſanctorum reperiuntur interdum contraria, quæ tamẽ rectè & ſapienter ſunt ab eis facta. Moyſes & Hieremias recuſant mitti. Moyſes ait:

Regula diſſoluendi apparentes ſcripturarũ contrarietates.

Prouerb. 27. b
Prouerb. 27. a

Matth. 10. a

Matth. 28. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Obsecro Domine, mitte quem missurus es. tanquam dicat: Prouide alium quem mittas. Hieremias quoque mitti recusans, ait: A, a, a, Domine nescio loqui. Contrà verò Isaias mitti desiderabat dicens. Ecce Ego Domine, mitte me. Sed habet rationem Isaias se offerens, vt mittatur: habent & rationes Moyses & Hieremias mitti recusantes. Sic Apostolus Paulus, dum Antiochiæ reprehendit simulationem Petri, subtrahentis se à communione gentilium propter metum Iudæorum, videtur fecisse illi doctrinæ contrarium, dum propter metum Iudæorum & circũcidit Timotheum, & rasit sibi caput, & obtulit legis sacrificia. Item præcepta, quibus dicitur: Nolite eradicare zizania, sed sinite crescere. contraria videntur ei quod dicitur: Expurgate vetus fermentum. auferte malum à vobismetipsis, id est, hominem malum à vestro consortio separate. Sed nulla erit contrarietas, si consideremus huiuscemodi prohibitiones, vel præcepta, gestaq; Apostolorum contraria, habere suas rationes vel causas: quibus cessantibus, cessant obligationes. Vnde Tertullianus in lib. de fuga in persecutione, tractans verbum Domini ad suos discipulos: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. & verbum Domini de non resistendo inimicis. Item: Ego dico vobis non resistere malo. Qui voluerit tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & cætera quæ dicuntur Matth. 5. Omnium (inquit) dominicarum sententiarum suæ sunt causæ, & regulæ, & termini, & non in infinitum, nec ad omnia spectant. Et quãuis Hieronymus in lib. de viris illustribus, testetur hoc Tertulliani opus, & alia quædam eius opera esse aduersus ecclesiam scripta, in hac tamen interpretatione scripturarum nihil asserit contra ecclesiastica dogmata.

Exod. 4. c. Hierem. 1. b. Isai. 6. c Gal. 2. c Act. 16. & 21. Matth. 13. d. 1. Cor. 5. d. Tertullianus. Matt. 10. & 5. Hieronym. de scriptis Tert. Matth. 5. Error Tertulliani. Astutia hæreticorum. Roman. 9. e.

Saluator cùm dicit: Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. non intelligit vniuersaliter secundùm omnium dicendi modum, sed de illo, qui quadam ex causa id dixerit, qui videlicet contumeliæ causa id fecerit: alioqui Christus & Apostoli essent rei, appellantes discipulos suos stultos & insensatos. Deinde Tertullianus in lib. de monogamia, discutiens intellectum sententiarum Pauli 1. ad Corint. 7. Interpretatio (inquit) capituli de hoc erit examinanda, an & tempori, & causæ, & exẽplis ac argumentis, & sententijs tam prẽcedentibus, quàm sequentibus, & ipsius (inquit) Pauli consilio proprio congruat. Nec ob id falsa putanda est hæc regula, quòd illic eadẽ regula ipse Tertullianus abusus sit, scripturas aliter quàm oportuit exponens. existimans illicitas esse secundas nuptias. Nam & hæretici multa dogmata de scripturis exponendis obseruare se putant, quæ tamen non seruant. Quisquis ergo integer & fidelis fuerit scripturæ sacræ expositor, is præcipuè scripturas, quæ videntur contrarias intimare sententias, in vnum fidei dogma conuenire declarat, ostendens non esse vllã in scripturis contradictionem. Hæreticus autem qui scripturas deprauare conatur, in diuersos sensus vnum fidei dogma disrumpens, illa tantùm de diuinis scripturis testimonia colligit, quibus proprium suum dogma sibi constituat: tacitis scripturis, quæ contrariam sententiam videntur cõprobare. Et q̃uis operosum foret singula quæ in scripturis contraria inter se videntur, explanare: tamen vt supra dictæ regulę euidentior clarescat assertio, colligemus pauca quædam ex scripturis contrarietatũ genera, quibus ad concordiam reductis, facilius videbitur quid in cæteris & similibus scripturis faciendum erit. Primùm videntur contrarietates in scripturis, explicantibus nobis diuinas voluntates ac operationes super humanum genus. Sunt etenim scripturæ, tribuentes salutem & perditionem, seu indurationem, cæteraq; omnia diuinæ voluntati, tanquam illi nemo possit resistere: & eandem diuinam voluntatem totam esse causam vitæ & mortis, salutis & perditionis, & hominem esse in manu Dei, sicut lutum in manu figuli: ex quibus consequens videtur, nihil esse liberum hominis arbitrium. Huiuscemodi sunt scripturæ: Non est volentis, neque

De scripturis explicantibus voluntatẽ Dei circa genus humanũ, in specie contrarijs.

A que currentis, sed Dei miserentis. Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea dicit Dominus. Sunt rursus scripturæ, quæ in contrariam sententiam videntur tribuere totum voluntatibus hominum, liberè aut concordantium sese, aut aduersantium & resistentium diuinæ voluntati & spiritui sancto, & hominem saluum fieri posse si voluerit, & Deum velle omnes saluos fieri, eumque nolle mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur & viuat. Sed huiuscemodi scripturas concordabimus ex supradicta regula, pensantes personas, ad quas, vel de quibus loquitur sermo diuinus. Deus non vult vlla mala fieri super hominem, nisi propter culpam inuentam & datam ab homine. Post peccatum Adæ vult fieri super hominum genus miseriam, mortem, quæ non voluit super hominem fieri ante peccatum. Interdum ergo explicat scriptura voluntatem Dei, vt iudicis & punientis peccatũ, interdũ verò explicat

B voluntatẽ Dei, vt conditoris & instituentis hominũ genus. Sic ipse mortẽ nõ fecit, sed homo peccãs sibi mortẽ pręparauit, secundũ hanc considerationẽ concordantur scripturæ, quæ inter se pugnare videntur, vtpote: Deus mortẽ non fecit. Mors & vita à Domino Deo. Deus mortem non fecit, quia humanum genus instituens, creauerat hominem immortalem, & tamen ipse idem Deus mortem fecit, hominis peccatum morte vindicans. Interdum autem scriptura explicat voluntatem Dei vt boni patris miserentis, & ignoscẽtis peccatum. In scripturis igitur cùm legitur, Deus indurare, excæcare homines, tradere in reprobum sensum, & in passionem ignominiæ, non ex sua bonitate, sed prouocatus peccatis hominum intelligendum est ipsum hæc facere. Interdum explicat simplicem voluntatem Dei super hominem peccatorem, iam mortis reum, cuius & vita & salus pendet in sola misericordia Dei, qui nullam facit iniuriam, si noluerit misereri ipsius, qui iam

C reus est mortis. Secundùm hunc volendi modum loquitur Paulus. Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Patebunt autem hæc latius in sequentibus. Multæ sunt scripturæ, quæ inter se videntur contrariæ: Mea Doctrina non est mea, sed eius, qui misit me patris. Item quod apud Ioannem dicit: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. contrarium videtur ei quod paulò post loquitur: Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam. Alibi cùm dixisset Iudæis: Et me scitis, & vnde sum scitis. mox velut à seipso dissentiens loquitur: Verus est, qui me misit, quẽ vos nescitis. Alicubi dicit Christus: Ego non iudico quenquam. Alibi autem testatur scriptura de Christo: Pater omne iudicium dedit filio, Item cùm alibi dicat, vxorẽ, excepta fornicatione, dimitti non posse: alibi hortatur, vt vxor dimittatur. Omnis (inquit) qui reliquerit vxorem, & c. propter me, cẽtuplum accipiet. Alibi docet scriptura, patrem, matrem,

D & vxorem, esse diligendos, alibi præcipit eos odio habendos. Marcus ait: Erat hora tertia, & crucifixerunt eum. Ioannes autem dicit: Erat autem parasceue paschæ, hora quasi sexta, & dicit Pilatus: Ecce rex vester. Apud Matth. Christus loquitur pharisæis. Qui non est mecum, contra me est. Apud Marcum autem de quodam, qui in nomine Iesu eijciens dæmonia, nolebat sequi discipulos, ait: Nolite prohibere eum. Qui non est aduersus vos, pro vobis est. Quomodo non est aduersus Christum, qui noluit esse in societate discipulorum Christi? Sed nullam in his sermonibus esse contradictionem, satis planè indicat diuinus ipse sermo. Quod dicit Christus: Mea doctrina non est mea. intelligit, mea doctrina nõ est mihi à me metipso, sed à Deo patre, à quo accepi quicquid habeo. Quod dicit: Qui edit meã carnẽ, & bibit meũ sanguinem, habebit vitam æternã. ex sententiarum cohærentia intelligitur acceptum, non de omni, sed de quodam manducandi modo, secundùm quem habet vitam æternam, quisquis manducat carnis & sanguinis sacramentum in spiritu fidei, & in commemorationem passionis Dei, mortui pro

Hierem. 18. 1. Timot. 2. De dei voluntate erga genus humanum Quomodo deus mortẽ non fecit. Quatenus deus hominem iudicat. &c. Rom. 9. d Iohan. 7. b Iohan. 6. f Iohan. 7. d Iohan. 5. d Mat. 5. e & 19. b Luc 18. e Mar. 15 c. Iohan. 19. e. Matth. 12. e Mar. 9. f Iohan. 7. d Iohan. 6 f.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatis mundi. Scripturæ iubentes patrem, matrem, & vxorem dimittendos esse, A
intelliguntur quòd sunt dimittendi in causa fidei & morum, hoc est. secundum
ea, in quibus obuiant Christo, aut retrahunt nos à Christo: & secundùm huiusce-
modi causas sunt odiendi. Non prohibuit diuinus sermo parentes & vxores dili-
gere, sed plusquam Christum diligere prohibuit. De hora crucifixionis differen-
August super Iohan. tractatu. tiam inter Marcum & Ioannem concordat Augustinus, dicens quòd Marcus oc-
culte voluit ostendere eos magis crucifixisse, qui hora tertia clamabant vt cruci-
figeretur, quàm Pilati milites: qui hora sexta nondum exhibuerunt ministerium
suo principi. Sententias apud Marcum & Matthæum non discordare manifestum
est. Nam de quo loquitur Christus apud Marcum, dicens: Qui non est aduersum
vos, est pro vobis, id est, is (inquit August.) intantum erat pro discipulis Christi,
inquantum operabatur virtutes in nomine Christi. inquantum verò societati eo-
rum noluit adhærere, aduersus eos erat: non tamen sic erat aduersus societatem B
discipulorum, vt eam ipse tanquam inimicus & hæreticus improbaret, aut bla-
sphemaret: non sic aduersabatur Christo, quemadmodum apud Matthæum pha-
risæi dicentes Iesum eijcere dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum: sed
sicut solent homines non audere suscipere baptismum Christi, & tamen fauere
nomini Christiano, ita vt obsequantur etiam Christianis. Et idcirco cùm dixisset:
Nolite prohibere eum, qui enim non est aduersus vos, pro vobis est. continuò subie-
cit: Qui enim dederit potum aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedem
suam. Ex hac erga Christianos beneuolentia etiam homo non baptizatus, ita
misericordia Dei gubernatur, vt ad baptismum quoque & societatem ecclesiæ
perueniat. Et idcirco talis etiam vtilior est ecclesiæ, quàm hi, qui cũ Christiani ap-
pellentur, scandalizant Christianos vt ruant in ea, quibus eant in gehennam: quos
& Christus illic paucis interpositis appellat nomine manus & pedes, in quibus in- C
telliguntur hi, quorũ in rebus huius vitæ quotidiano egemus auxilio, quos tamen
Contrarietas scrip. de libro repudij. sic nos scandalizantes, à societate nostra debemus reijcere. De libello repudij vi-
Matt. 19. b detur cõtrarietas inter euangelistas. Nam apud Matth. cùm Christus doceret non
Marci 10. b esse relinquendam vxorem, pharisæi leguntur eum interrogasse: Quid ergo Moy-
ses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Quibus Christus non ait Moy-
sen mandasse, sed ad duriciam cordis permisisse vt vxores dimitterent. Apud Mar-
cum autem pharisæis dicentibus, Moysen permisisse libellum repudij, respondet
Christus: Ad duriciam cordis permisit Moyses præceptum hoc. Sed diligenter
verba Christi ponderantes, videbimus nullam esse contrarietatem. Nam aliud est
dimittere vxorem, aliud dare libellum repudij. Dimittere vxorem, non præce-
ptum, sed ad duriciam cordis erat permissum: & hoc voluit Christus apud Matth. D
de dimissione vxoris respondens. Dare autem libellum repudij præceptum erat
his, qui volebant vxores dimittere: & hoc voluit Christus apud Marcum de li-
bello repudij dando. explicans præceptũ. Contrarietates vidẽtur inter Matthæũ
Matth. 1. a & Lucam in genealogia Christi. Non enim videtur posse stare iuxta Matth. quòd
Luc. 3. g Ioseph Mariæ vir fuerit filius Iacob, ex stirpe Salomonis: & quòd iuxta Lucam fue-
rit filius Heli ex stirpe Nathan, qui frater fuerit Salomonis. Sed hanc controuer-
siam iam olim dirimerunt sancti patres, dicentes quòd Ioseph Mariæ sponsus fue-
rit filius Iacob genitura, & simul filius Heli siue Ioachim lege vxoria. Nam cùm vir
& vxor vna sit caro, qui pater est vxoris meæ, is & mihi pater appellatur. Vnde pa-
ter Mariæ, nomine Ioachim, sanctæ Annæ maritus. alio nomine vocabatur Heli.
Iohan 1. c Item quòd apud Ioannem euangelistam præcursor domini Ioannes Baptista dicit
Prior me erat, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mi-
hi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem, hic est qui ba-
ptizat in spiritu sancto: & ego vidi spiritum sanctum descendentem, & testimoni-
um perhi-

A um perhibui. Hic videtur Ioannes Baptista dicere se non nouisse secundùm faci-
em Christum. prius quàm videret spiritum sanctum descendentem tanquam co-
lumbam super ipsum: quod videtur esse contrarium ei, quod apud Matth. dicit Matth. 3. d
ad Iesum, non audens tangere sanctum Dei verticem: Ego à te debeo baptizari &
tu venis ad me? & reliqua. Chrysostomus breuiter hanc contrarietatem concor- Chrysost.
dat, dicens: Cùm Ioannes (inquit) dicit: Ego nesciebã eum. vult significare se per
aliquod tempus non nouisse Christum secundùm faciem, siue Christi personam:
cùm hoc tamen stat, quòd nouerit illum iam in eremo ad se venientem, sicut exul
tauit in vtero ad Christi præsentiam: ita iam desuper illustratus spiritu sancto, no-
uit Christum iam ad se venientem in eremo. August. magis est in hac obscuritate Augustinus.
elucidanda occupatus, dicens Ioannem antè nouisse de Iesu quædã, & etiam quæ-
dam ignorasse. De illo nouisse quidem Christum esse filium Dei incarnatum, &
B peccata remittere, & veri baptismi esse authorem, sed nondum nouisse eum esse
talem, qui baptizaret in spiritu ex potestate sua solius, æqualiter operantis per om-
nes, qui baptizant, tam malos, quàm bonos: didicit Ioannes baptismi effectum nõ
pendere vllo modo à bonitate ministri baptizãtis. Potuit quidem Deus dare po-
testates baptizandi inæquales, quibus contingeret meliorem esse baptismum vni-
us ministri, quàm alterius: sicut maior erat virtus operandi miracula in Petro, quã
in alijs: sed noluit sic facere, ne spes poneretur in homine, dum tot viderentur esse
baptismatũ differentiæ, quot baptistarum gratiæ. Deinde solet quæri, quomodo
Matth. & Lucas commemorauerint præcepisse Dominum discipulis, vt nec vir- Matth. 10. b
gam ferrent, cùm dicat Marcus, ne quid tollerent in via, nisi virgã tantùm. Insuper Marci. 6. a
quomodo Matthæus præcipiat, vt neq; calciamenta possideant, cùm iubeat apud
Marcum, vt sint calciati sandalijs. Priorem difficultatem soluit Augustinus, sub Augustinus.
C alia significatione dictum esse virgam, quæ secundùm Marcum ferenda est: & sub
alia illam, quæ secundùm Matthæum & Lucam non est ferenda. Illa, vtpote fere-
nda virga, erat virga euangelica, seu potestas viuendi ex euangelio. In virga, quam
portare non poterant, intelligitur virga corporalis reponẽda & custodienda pro
defensione: iussit enim, vt nec minimum quid pro suæ vitæ præsidio seu sustenta-
tione deferrent. Aliam difficultatem soluit, dicendo aliud esse calciamenta possi-
dere, aliud esse calciamentum sandalijs, vt neque pes sit desuper tectus, neq; nudus
super terram. Vnde hæc omnia præcipit Christus, vt sursum esset affectus, non
super terram, vt absq; solicitudine temporalium, de crastino præter necessitatem
præsentis temporis nihil possiderent, neque duas tunicas haberent, si vna sufficee-
ret. Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. Quicquid nostro corpori
(inquit Hieronymus) sufficere potest, & imbecillitati succurrere hominũ, quos Hieronymus.
D natura nudos profudit, hoc vna appellanda est tunica: & quicquid in præsentibus
alimentis necessarium est, hoc vnius diei victus appellatur. Vnde præcepta omnia
quæ durè sonare videntur, & esse contrà humanitatis officia, quemadmodum ex
superioribus patet, ciuiliter sunt interpretanda secundùm rationes & causas, aut
secundùm tropos & metaphoras ad mysticum quendam sensum sunt intelligen-
da. Quòd saluator discipulis iussit: Neminem salutaueritis in via. durum & super- Lucæ 10. a
bum, nec mansueti & humilis Domini præcepto cõuenire videtur, cùm iste com-
munis gratiæ sit vsus. Nam & gentiles cum Christianis habent huiusce modi offi-
ciorum commercia. Proinde considerandum est, quòd Dominus hoc præcepto
non simpliciter voluit hunc vsum humanitatis auellere. Nec hoc solũ dixerit: ne-
minem salutaueritis, sed adiecit: in via. vt significetur (inquit Ambrosius) non sa- Ambrosius.
lutationis officium, aut sedulitas, sed obstaculum impediendę deuotionis auferri,
vt quando diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana: vt dum sumus in- 4. Reg. 4. e
terra in executione diuini ministerij, non retardemur confabulatione alicuius ob-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uij. Sic & Helizæus, cùm mitteret puerum suum, qui baculum ipsius poneret super corpus mortui pueri, mandauit ei ne quem salutaret in via. Quod Christus Matthæi 16. præcepit discipulis, vt nemini dicerent, quòd ipse est Iesus Christus, videtur esse contrarium ei, quòd ipse miserit discipulos ad prædicandum aduentum suum. Sed hoc non esse contrarium intelligimus ex diuersitate temporum & rationum, quibus fit, vt non sit absurdum diuersis temporibus vnum & idem ex alia ratione nunc præcipere & vetare. Deinde aliud erat, ad quod prædicandum ipse misit discipulos, Matthæi decimo: aliud, quòd prædicari vetuit Matthæi 16. Illic enim misit discipulos vt prædicarent regnum Dei, & vt prædicarent ex authoritate, dedit illis potestatem curandi omnem languorem. Petro autem vetuit ne cui diceret, quòd ipse esset Christus filius Dei viui, addens causam, quia oportet filium hominis multa pati. acsi dicat: inutile adhuc est meam diuinitatē manifestare turbæ, quæ mox me sunt visuræ flagellatum, crucifixum & morientem. Postquàm autem filius hominis à mortuis resurrexerit, tempus erit manifestandæ diuinitatis. Cæterùm difficiles, & inter se contrariæ videntur scripturæ de gratia & libero arbitrio, quibusdam significantibus Deum expectare impios, vt ipsi sese conuertant, vt ipsi cor nouum faciant, & iniquitates abijciant. Propterea expectat vos Deus, vt misereatur vestri. Dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Ignoras (inquit Apostolus) quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, seu inuitat? Vnde & in Iob coarguitur impius: Dedit ei Dominus locum pœnitentiæ, & ille abutitur ea in superbia. Alijs verò contrarium dicentibus, non esse volentis, neque currentis hominis iustificari, scilicet à peccato, sed Dei miserentis, qui gratis vnumquemq; iustificat. Si ex operibus est iustitia (inquit Apostolus) ergo non ex gratia. Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus. Ex quibus videtur consequens, hominem nihil posse facere, quo perueniat in iustificationem. Sed hæc non esse contraria patet considerantibus nulla esse merita nostra, quibus mereamur iustificari: non tamen iustificamur absque motu liberi arbitrij cœlitus attracti, consentientis Deo vocanti, vt sanctum spiritum desuper in remissionem peccatorum accipientes efficiamur iustificati, ac deinceps ducti ex eodem spiritu ambulemus in lege Domini, quotidie colluctantes contra carnis & huius seculi desideria. Insuper quòd dicit Iacobus: in multis offendimus omnes. non esse contrarium ei, quod dicit cap. 2. Qui offendit in vno, factus est omnium reus. hinc patet, nam aliud est offendere in multis, vtpote ociosè aut vanè cogitando, vel loquendo: Aliud, offendere in aliquo vno decalogi præcepto contra charitatis legem, vtpote homicidium, adulterium, aut falsum testimonium agere, de quibus loquebatur capite 2. Amplius autem & hic considerandum, quòd interdum diuersi euangelistæ & prophetę videntur vnum & idem factum voluisse recitare, qui tamen non sic, sed res diuersas narrant: quemadmodum Apud Matthæum interdum in diuersis locis & temporibus recitantur gesta & miracula ita similia, vt si à diuersis euāgelistis forent scripta, viderentur non diuersa, sed eadem esse: veluti apud Matth. duo recitantur miracula de multis hominum milibus, in deserto saturatis ex paucis panibus & pisciculis. Primùm in cap. 14. leguntur quinque milia virorum ex quinque panibus & duobus piscibus in deserto satiati, collectis duodecim cophinis plenis fragmentorum reliquijs. Capite verò 15. leguntur in deserto saturati quatuor milia virorum ex septem panibus & paucis pisciculis, collectis septem sportis reliquiarum plenis. Vtrumque miraculum factum recitat Marcus sub eodem contextu, cap. 8. Hic quia sub ordine & differentia temporum recitantur ab eodem Euangelista, sunt proculdubio diuersis temporibus facta miracula: quæ tamen si separatim recitarentur à diuersis euangelistis, daret legentibus occasionem existimandi, eosdem

A B C D

Contrarietas scrint. de gratia & lib. arbit.

Rom. 2.a
Iob 24.d

Rom. 9.c

Eph 2.b

Quatenus ex operibus iustificamur.

Iacobi 2. & 3.

A di, eosdem voluisse vnum idemque factum recitare: & ita alterum vel non integrè & veraciter recitasse, sed vel obliuione deceptum, quo quinq; panibus septem posuisse. Ex hoc iam discimus, si apud vnum euangelistā aliquid factum narratur, quod videtur ab alio euangelista etiam recitatum, secundùm aliquam tamen sui partem alteri repugnans, vt omnino solui non possit, iam nihil aliud intelligatur, quàm vtrumque in diuersis locis aut temporibus factum esse, & ita vtrumq; euangelistam verum dixisse. Nihil enim obest veritati euangelicæ, si vnus commemorat, quod alter tacet. Vnde etiam atque etiam retinendum est, sæpe Christum diuersis temporibus, & dixisse eadem, & fecisse similia. Matthæi 12. scribis & pharisæis petentibus signum de cœlo, respondit: Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Hæc & alibi, alioq; tempore Christum dixisse ad scribas & pharisæos, patet ex cap. 16. apud eundem

B Matth. Sic & verbum illud: Multi sunt vocati, pauci verò electi. concludit parabolam saluatoris de operarijs denario diurno conductis in vineam, Matth. 20. quod itidem est finis parabolæ alterius, quæ est de inuitatis ad nuptias venire nolentibus, Matth. 22. Deinde Mariam Magdalenam, bis vnxisse pedes Iesu, semel in domo pharisæi, cuius nomen Simon, vbi remittebantur ei peccata, antequam Lazarus esset mortuus, vt patet Lucę 7. & Ioannis 11. Semel in domo Simonis leprosi, qui alius videtur fuisse à Simone pharisęo: quòd accidit Lazaro iam mortuo ante sex dies pascę. Sic & parabola præfata, quam assumit saluator Matthæi 22. de homine rege, qui fecit nuptias filio suo, mittente seruos suos inuitare ad nuptias, videtur aut esse eadem, aut prorsus significare idem cum parabola, quam recitat Lucas de homine, qui fecit cœnam magnam. Sed hanc non esse eandem, patet in eo, quòd hic per nuptias præsentem ecclesiam, extra quam eijciendus est, quisquis sine nuptiale veste inuentus fuerit: illic verò per cœnam magnam futuram ecclesiam designet, quam quisque semel intrauerit, vlterius repelli non poterit. Item bis accidit, quòd Petrus cum filijs Zebedæi piscantibus per totam noctem, nihil prendiderunt. Semel ante passionem secus stagnum Genezareth, vbi Christus dixit: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Cui Petrus: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Secūdò autem ad mare Tyberiadis post resurrectionem, vbi ascenderunt in nauim, & tota nocte nihil prendiderūt. Sed hoc factum longè diuersum est, non solùm secundùm locum & tempus, sed & secundùm res ipsas. Nam hic retia in dexteram partem missa, centum quinquaginta pisces magnos ceperunt, & non sunt confracta. In facto autem recitato à Luca ante resurrectionē, retia præ multitudine piscium rumpebantur. Alio tempore factum est, quod recitat Ioānes Iesum apparuisse di-

D scipulis, & dixisse illis: Sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Alio autem tempore, quod recitat Matthęus Iesum apparuisse discipulis, & dixisse illis: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Nam illud apud Ioannem dictum est apostolis ipso die resurrectionis, vt patet ex Ioānis euangelio. Istud autem apud Matthęum, longè pòst dictum est eis, iam ex Hierusalem profectis in montem Galileæ, vbi constituerat eis Iesus. Bis ergo Iesus discipulos misit, semel vt peccata remitterent, semel vt docerēt omnes gentes, & vt baptizarent. Sic & in libris Moysi discimus, quòd Deus bis aquas de petra duxerit filijs Israel, præ siti murmurantibus, semel ante legem datam, vbi Moyses virga iubetur percutere petram Oreb, Secundò post legem, vbi Moyses virga sua bis silicem percussit in loco, quem vocauit, aquas contradictionis. Quòd Paulus dicit: Sicut ego per omnia omnibus placeo. videtur esse contrarium illi, quod dixit: Si adhuc hominibus placerem,

Elegans regula concordādi euangelist.

Magdalenam bis Christi pedes vnxisse.

Lucæ 14.d

Lucæ 5.b

Ioan. 21.

Ioan. 20.

Matth. vlt.

Exo. 17.
Exo. 20.
Galat. 1.
1. Cor. 10.

Christi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi seruus non essem. Sed non est dissonantia, si intelligamus Paulum per omnia sua opera placuisse omnibus, quia omnia sua sic faciebat, vt omnibus placere debebant, dum omnia sua sic faciebat, vt nulli aut scandalum, aut offendiculum præstarent. Super his, quæ circa tempus resurrectionis acciderunt, videntur contrarietates & difficultates esse inter euangelistas. primùm, quòd Matthæus dixerit: Vespere sabbati illucescente, in vna sabbati Dominũ surrexisse, cùm Marcus resurrectionem eius mane esse factam commemoret, ita scribens: Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ciecerat septem dæmonia. Secundò. Quomodo secundùm Matthæum angelus super lapidem sedebat, foris scilicet reuolutum à monumento. Secundùm Marcum autem, angelus in specie iuuenis, sedit intus in dextris, coopertus stola candida. Præterea quomodo singuli angeli visi sunt sedentes, vnus secundùm Matthæum foris super lapidem, alter secundùm Marcum intus à dextris, cùm secundùm Lucam angeli in specie virorum in veste fulgenti leguntur stetisse secus mulieres. Tertiò quomodo secundùm Marcum mulieres exeuntes, fugerunt de monumento, inuaserat enim eas timor, & nemini quicquàm dixerãt. cùm dicat Matth. eaſdem mulieres exijsse cum timore gaudioq; magno, currentes nunciare discipulis. Quartò videtur contrarietas super hora, qua mulieres venerant ad monumentum, cùm Matthæus dicat: Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalena & altera Maria videre sepulchrum. & Marcus dicat eas venisse valde mane vna sabbatorum, orto iam sole. Ioannes autem dicat eas venisse mane, cùm adhuc essent tenebræ, quæ non stant cum orto sole. Quintò videntur esse contrarietates super Magdalena. Nam Ioannes describit Mariam Magdalenam venisse ad monumentum, & nondum angelo viso cucurrisse ad Simonem Petrum, ac indicasse Iesum esse sublatum. Matthæus autem indicat Magdalenam vidisse angelum & exisse de monumento cum gaudio, & cucurrisse ad apostolos, ac nunciasse ipsis Dominum surrexisse. Sextò, apud Ioannem dictum est eidem Magdalenæ: Noli me tãgere, nondũ enim ascendi ad patrẽ meum. Matthæus autem describit Iesum occurrisse Magdalenæ, alijsque mulieribus, & easdem tenuisse pedes eius, & adorasse. Si Magdalena secũdùm Matthæum admittitur pedes Domini tangere, quomodo secundùm Ioannem prohibetur? & audit à Domino: Noli me tãgere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Septimò, Quomodo Christus Matthæi 12. dixit: Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, cùm tamen Christus solum vna die & duabus noctibus fuerit in sepulchro. Octauò, quomodo Matthęus & Marcus scribant apostolis mandatum esse per mulieres, vt irent in Galilæam Dominum reuisuri: cùm ipsum Lucas & Ioannes Hierosolimis ab illis visum esse perhibeant. Si Matthęus insinuat Dominum post resurrectionem primùm in Galilæa esse visum à discipulis, cur Lucas & Iohannes testantur Iesum esse à discipulis visum ipso die resurrectionis? Rursus, quomodo Ioannes & Lucas testantur Iesum in Hierusalem illo die, scilicet resurrectionis, stetisse in medio discipulorum, & dixisse, Pax vobis. & iuxta Iohannem ostendisse eis manus & latus, & insufflasse, atque dixisse: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. cùm Matthæus nihil tale dicat, sed cùm insinuasset quid ab angelo & à Domino Iesu sit mulieribus dictum, & illis abeuntibus subiecisset, quid de corruptis ad mentiendum custodibus sit gestum, continuò subiecit: Vndecim autem discipuli abierunt in Galilęam in montem, vbi constituerat illis Iesus, & videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt, & accedens Iesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare quæ-

Matth. vltimo
Marci vltimo
Iohan. 20.
Matth. 12.
Matth. vltimo

re quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque in consummationem seculi, ita Matth. conclusit suum euangelium. Ex quo videtur consequens esse Dominum post resurrectionem in Galilæa primum esse à discipulis visum, quod contrarium est his, quæ Lucas & Iohannes docent, ipso die resurrectionis Dominum esse visum à discipulis in Hierusalem, quæ ita longè est à Galilæa, vt vno die ab ipsis in vtroq; loco videri non possit. Si ergo Iesus iuxta Lucam & Iohannẽ fuerit visus à discipulis sub initio noctis, ipso die resurrectionis, non igitur ipso die quo resurrexit viderunt Dominum in Galilæa, neq; in sequentibus octo diebus apparuit vndecim in Galilæa. Nam Iohannes dicit Dominum apparuisse discipulis octauo die, vbi primùm vidit eum Thomas, qui non fuerat cum alijs discipulis, dum eis appareret Iesus ipso die resurrectionis. Nonò, quomodo Iohannes docet Iesum ad mare Tyberiadis à septem piscantibus esse visum, & hoc ipso iam tertiò se manifestasse suis discipulis, cùm ex alijs euangelistis sit manifestum, plures quàm duas antecessisse hanc manifestationem. Nam ex euangelio claret, quòd ipso die resurrectionis, prꝛterquàm quòd à mulieribus visus est, ter se manifestauit, semel Petro, iterũ duobus discipulis euntib⁹ in Emaus, tertiò pluribus, inter quos non erat Thomas. Quomodo ergo manifestat se tertiò, & hoc iuxta mare Tyberiadis. Postremùm autem obscuritas est, quomodo ea quæ de manifestatione resurrectionis recitant Euangelistæ, consonant his quæ Paulus tradit 1. ad Corinth. 15. dicens: Christus resurrexit tertia die, & apparuit Cephæ, & postea duodecim. Deinde apparuit plusquàm quingentis fratribus simul, ex quibus quidam manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Postea apparuit Iacobo, deinde Apostolis omnibus, nouissimè autem omnium tanquam abortiuo mihi. Hunc ordinẽ nullus euangelistarum tenuit, sed aduersari videtur eorundem euangelistarũ contextui. Neq; enim potuit quingentis fratribus simul sese manifestare ante suam ascensionem Christus, & præcipuè ante apparitionem, qua apparuit Iacobo, & omnibus Apostolis, cùm nondũ tantus erat credentiũ numerus, qui Act. 1. describitur fuisse centum & viginti hominum. Sed in his nõ esse vllam contrarietatem manifestum erit, primùm si intelligamus vnum enangelistam tacuisse, quod alter expresit. Matth. tacuit de angelo, quem mulieres intrãtes viderant. Marcus verò de illo tacuit, quem foris viderãt sedentẽ super lapidẽ: & ita duos viderunt, & duos figillatim audierunt de Iesu loquentes: aut si vnus & idem angelus apud Matthæum & Marcum intelligatur esse designatus, necesse est, vt vnus & idem intelligatur secundùm aliquem sensum esse & foris & intus. Foris quidem, hoc est, ante locum saxei sepulchri, quod fossum erat in petra. Intus tamen, id est, in horto quodam secundùm maceriem distincto, in quo & constitutus erat locus ille saxei sepulchri: sic enim habet euangelium Iohannis: Erat autem hortus in loco, vbi crucifixus est Iesus, & in horto monumentum nouum. Deinde & sciendum est secundùm diuum Hierony. in epistola ad Hedibiam, quæst. 4. Sanctas fœminas Christi absentiam non ferentes, per totam noctem non semel, nec bis, sed crebrò ad sepulchrum Domini cucurrisse, præsertim cùm terræ motus, & saxa diruta, & rerum natura turbata, & quod his maius est, desiderium somnum ruperit fœminarum: & ita Maria Magdalena nunc sola, nunc cum altera, siue cum alijs mulieribus, memor beneficiorum, quæ in ipsam Dominus contulerat, ad sepulchrũ eius frequenter cucurrit, & nunc fleuit quem quærebat absentem, nunc adorabat quem videbat præsentem. Ex concordia igitur scripturarum, quæ falsæ esse non possunt, credimus, quòd Maria Magdalena iterum atque iterum venit ad sepulchrum, semel sicut Iohannes recitat, dum adhuc sub tenebris videns lapidem semotum, cucurrit ad Petrum, credens Dominum sublatum, nondum consolata angelorũ visione. Vna sabbati (inquit Iohannes)

Iohan. vlt.
1. Cor 15
Hieronym.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRAC. III. Ioan. 20. a

nes) Maria Magdalenæ venit manè cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Cùm adhuc tenebræ essent tales, inquam, quales sunt orto iam sole, id est, cùm sol in ortu suo incipit illuminare terram: vsus enim loquendi est, vt dicamus, sole oriente, aut sub ortu solis quid fieri, cùm lumen eius incipit nobis apparere. Et hoc est quòd Matthæus ait: In vespera sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, id est, in vltima parte noctis, cùm incipit lux solis apparere. Venit, inquam, cũ cæteris mulieribus, & videns lapidem reuolutum, cucurrit ad Simonem Petrum & ad Ioannem, dicens: Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Iohannes ergo & Petrus currere cœperunt ad monumentum, & Iohannes præueniens inclinauit se, & videt posita linteamina, nec tamen introiuit. Petrus autem secutus intrauit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuit super caput eius, nõ cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutũ in locũ vnum. Deinde & Iohannes intrauit, & vidit similiter, & credidit. Credidit, inquam, quod Maria dixerat, scilicet sublatum esse Dominum: nondum enim sciebat scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo discipuli iterũ ad semetipsos, sed Maria solicita de corpore Iesu Domini sui, ad sepulchrum reuertitur. Et dum staret (vt inquit Ioannes) ad monumentum foris plorans, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad caput, alterum ad pedes. Hic iam intelligendi sunt angeli apparuisse, sicut Lucas eos visos fuisse commemorat, & dixisse: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit, ite & nunciate discipulis eius, & Petro, quia precedet vos in Galilæam. Et dum Magdalena apud monumentum maneret plorãs, alijs mulieribus fine dubio non longè inde distantibus, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, nesciens quia Iesus est. Et ita mulieres iterum atq; iterum habuerunt angelorũ visiones, bis apud sepulchrum, & tertiam semel in via. Apud sepulchrum quidem viderunt angelos semel sedentes, secundò autem stantes, qui dixerunt ipsis: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. tanquam dicat: Quem mortuum creditis, viuentem tangere non meremini: corpus quæritis occisi hominis, quod quia viuit & surrexit, mortuum inuenire non potestis. Deinde & bina fuit allocutio Domini ad Magdalenam, semel dum ad monumentum staret foris plorans, vbi prohibetur tangere pedes Iesu, & dicitur ei: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem, quem hominũ fraude sublatum credis, & idcirco indigna es quæ tangas me, qui tibi aut in corde tuo nondum ascendi ad patrem meum: nondum credis mortalitatem carnis meæ, in gloriam immortalitatis esse mutatam: nondum credis me spiritualiter regnare cum patre, & ideo non mereris salubriter me tangere, quia mea præsentia frui cupis secundùm carnem, & corporale solatium magis, q̃ secundũ spiritualem charitatẽ frui mea diuinitate. Secundò, dum ei vnà cum mulieribus alijs occurrit Iesus in via, vbi mulieres accesserunt, & tenuerunt pedes eius, eadem Magdalena primùm potuit corrigi (inquit Hieronymus) quasi incredula, & postea non repelli, quasi quæ errorem confessione mutauerat. Quod & de latronibus intelligi potest, cùm alius euangelista vtrunque blasphemasse, alius narret alterum esse confessum. De quo vide Hieron. in epistola ad Marcellam. Magdalena igitur, cùm mutauerat errorem, ait illi cæterisq; mulieribus: Nolite timere, ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, vbi me videbũt. Venit ergo Maria Magdalena announcians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi: & non solũ ipsa, sed & aliæ mulieres nunciauerũt hæc discipulis, & visa sunt ante eos, sicut deliramentũ verba ista. Nõ oportet igitur ex euangelijs asserere plures fuisse Magdalenas, quãquam Ambrosius super Lucam, ad concordandũ quatuor euangelia dicat: sicut plures sunt Mariæ, ita fortassis etiam plures sunt Magdalenæ, quam opinionem recitat Hieronymus

A

B

C

D

Hieronymus.

nymus, quæst. 4. ad Hedibiam, dicens eandem Magdalenam sæpe ad sepulchrum cucurrisse, licet quidam duas (inquit) Marias Magdalenas de eodem vico Magdalo fuisse cõtendant. Ex his consideratis non est difficile, supradictas nouem apparentes contrarietates concordare. Primam contrarietatẽ soluit Hieron. quæst. 3. ad Hedibiam. Huius (inquit) quæstionis duplex solutio est: Aut enim non recipimus Marci testimoniũ, quod in paucis fertur euangelijs omnibus Græciæ libris, penè hoc capitulum in fine nõ habentibus, præsertim cùm diuersa atque contraria euãgelistis cęteris narrare videatur, aut hoc respondendũ, quòd vterq; verũ dixit: Matthæus, quando Dominus resurrexit vespere sabbati: Marcus autẽ, quando Maria eum viderit, id est, mane prima sabbati. Ita enim distingnendũ est. Surgens autẽ Iesus. & parũper spiritu coartato inferendum, mane prima sabbati apparuit Mariæ Magdalenæ: vt qui vespere sabbati iuxta Matthæum surrexerat, ipse mane prima sabbati, iuxta Marcũ, apparuit Marię Magdalenæ. Quod quidem & Iohannes euangelista significat, mane eum alterius diei visum esse demonstrans. Hæc Hieronymus. Potest autem hæc quæstio aliter dissolui ex dictis Hieronymi, ibidem in solutione quæstionis 4. Matthæus enim nõ scribit absolutè: Vespere sabbati. sed addit: quæ lucescit in primam sabbati, hoc est, sero, non incipiente nocte, sed iam profunda, & magna ex parte transacta, apparuisse Dominum Mariæ Magdalenæ, & mulieribus cæteris. Seipsum interpretatur Matthæus, dum vespere sabbati adiecit, illucescentis in primam sabbati, id est, appropinquante iam luce diei sequentis sabbatum. Vna enim sabbati, siue prima sabbati, dies dominica est intelligenda: quia omnis hebdomada in sabbatum, & in primam, & in secundam & tertiam, & quartam, & quintam, & sextam sabbati diuiditur. Vnde quòd Apostolus Paulus collectam pecuniam, quæ indigentibus præparabatur, in vna sabbati præcepit colligendam, die dominico significauit eam esse colligendam. Vnde & Apostolorũ temporibus die prima post sabbatum solet populus in templũ cõuenire. Pars ergo illa noctis, in qua iam lux sequentis diei appropinquat, potest esse mane illud, cùm adhuc sunt tenebræ, de quo Iohannes: Vna sabbati Maria Magdalenæ venit mane cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum, & vidit lapidem sublatum. Hoc idem tempus significauit forsitan & Marcus. Valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole, hoc est, lumine solis iam incipiente sub tenebris apparere, quemadmodum suprà expositum est. Et per hæc patet responsio ad quæstiones cæteras, & non esse vllam inter euangelistas contrarietatem. Iam ergo considerandus est apparitionum ordo, secundùm quem Christus manifestauit se suis discipulis. Omnium virorum primò Christus apparuisse intelligitur Petro, ex his duntaxat omnibus, quos euangelistæ quatuor, & Apostolus Paulus commemorauerunt. Nam si apparuit alicui eorum prius q̃ Petro, quòd omnes tacuerunt, quis vel dicere audeat, vel negare? Neq; enim Paulus dixit: apparuit primò Cephæ, nam esset contrarius euangelistæ: Surgens Iesus apparuit primò Mariæ Magdalenæ. & ita ante Petrum cæteris mulieribus: sed apparuit (inquit) Cephæ, & postea duodecim, id est, collegio seu societati duodecim Apostolorũ. Quãuis enim nõ oẽs illi fuerãt præsentes, tamen numerus duodenarius illi collegio asscribitur, cũ in & alius erat in locum Iudæ surrogandus. Nonnulli autem codices habent vndecim, sed siue illi verius (inquit Augustinus) habeant, siue alij, nihil deperit veritati. Rursus neque dicit Paulus Christum in apparitione secunda apparuisse duodecim, sed post hoc, inquit. Nam ex scripturis colligitur Christum, postea quàm Petro apparuit, apparuisse duobus discipulis euntibus in Emaus, quod Lucas narrat eadem hora in ipso die resurrectionis, postquam Christus in panis fractione esset cognitus, & euanuisset, regressos esse in Hierusalem, & inuenisse congregatos vndecim, eosq; qui cum ipsis erant, dicentes: Surrexit

A

B

C

D

Hieron. de vltimo cap. Marci

Prima sabbati est dies dominicus.

1. Cor. 16. a

Ordo apparitionum Christi à sua resurrectione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ita iam erat fama, & ab illis mulieribus, & à Simone Petro facta, ꝙ Iesus resurrexisset. Dū ergo discipuli hæc loquuntur, vt recitat Lucas, Iesus stetit in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Videte manus meas & pedes, palpate & videte, quia ego ipse sum, spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Adhuc illis non credentibus, & præ gaudio mirantibus, dixit illis: Habetis hic aliquid quod manducetur? Et cùm manducasset aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, dicens: Quoniam sic scriptum est, quoniam oportebat Christū pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Et hanc apparitionem scribit & Iohannes: Et die illo vna sabbatorum, cùm fores essent clausæ, vbi discipuli erant congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio eorū, dicens: Pax vobis, ostendens eis manus & pedes. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixitq; eis iterū: Pax vobis, sicut misit me pater, ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit & dixit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem non erat cum eis quando venit Iesus, id est illa die, qua intrauit domum, Thomas non erat intus.

Iohan. 20. c

Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominū. Ille dixit: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorū, non credam. Hæc ergo de apparitionibus tribus factis die Paschæ ipsis viris. Et post dies octo (inquit Iohannes) iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit ergo Iesus ianuis clausis, & stetit in medio eorum dicens: Pax vobis. Deinde dicens Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & noli esse incredulus, & reliqua. Postea manifestauit se Iesus ad mare Tyberiadis, vbi erant simul Simon Petrus, Thomas, Nathanael, & filij Zebedæi, & ex discipulis eius duo: & tota nocte illa piscantes nihil prendiderunt. Mane autem facto stetit Iesus in littore, sed non cognouerunt illum, & dixit eis: Mittite rete in dexteram nauigij, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant trahere rete præ multitudine piscium. Et dicit Iohānes Petro: Dominus est. Simō cùm audisset, quia Dominus est, succingens se, misit se in mare. Et ascendens in terram, traxit rete in terram, plenum piscibus centū quinquaginta tribus. Hoc iam tertiò (inquit Iohannes) manifestatus est Iesus discipulis suis cùm resurrexisset à mortuis. Iohannes euangelista si hoc quod dicit Iesum tertiò se manifestasse, referat ad vices seu numerum manifestationum, tanq; ante hanc duæ tātum fuerint discipulis factæ manifestationes. & post illas hæc sit tertia, consequens erit ꝙ Iohannes contrarius erit cæteris euangelistis. Non sic ergo accipiendum est, sed intelligēdus est ad numerū retulisse dicrum, quibus per interualla se manifestauit discipulis. Primū in die resurrectionis: secundò in octauo die resurrectionis: tertiò ad mare Tyberiadis: quartò in mōte Galilææ, vbi constituerat illis Iesus. Neq; ex vllo euangelistarū consequens est, ꝙ aut angelus vllus, aut Iesus ipse per mulieres nūciauerit discipulis, vt irēt in Galilæā, & ꝙ illic Iesus vellet primū se manifestare illis. Si angelus dixisset: Ite in Galilæam, vbi primùm videbitis eum, aut ibi eum solum videbitis, cæteris euangelistis sine dubio Matthæus repugnaret. Cùm verò dicit: ibi eū videbitis. neq; diem exprimit, neque ordinem vllum temporis contexuit. Idcirco autem illius manifestationis tam peculiariter meminit, quia huiusce modi manifestationē ad literā voluit intelligi, vt vmbram & figurā transmigrationis futuræ ex Iudæa ad gentes, ex fide in claram visionem post hāc vitam.

Iohan. vltimo

Hieronymus.

Deinde Hieron. in epistola ad Hedibiam, quæst. 7. hanc apparentem contrarietatem etiam aliter dissoluit. Inuenimus itaque (inquit Augustinus (apud quatuor euangelistas, decies commemoratum dominum visum esse ab hominibus post resur-

CAP. IIII. Christū decies apparuisse.

A resurrectionem: semel ad monumentum Magdalenæ, vel soli, vel vnà cum mulieribus: secundò eisdem regredientibus de monumento in itinere: tertiò Petro: quartò duobus discipulis euntibus in Emaus: quintò discipulis pluribus in Hierusalem, vbi non erat Thomas. Et quia hæ quinque factæ sunt eodem die, scilicet Paschæ, ideo hoc totum factum ad vnum intelligens Iohannes semel computat, id est, pro vna vice manifestationis: sextò vbi eum vidit Thomas. Et hoc apud Iohānem dicitur iterum, id est, alio die: septimò ad mare Tyberiadis, & hoc iam alio die dicit Iohannes ipsum tertiò se manifestasse: octauò in monte Galileæ, quam manifestationem recitat Matthæus: nonò, vndecim nouissimè recumbentibus: decimò, in ipso die in nube eleuatum in cœlo, & ascendentem. Toties ergo in euāgelicis libris commemoratus est ab hominibus visus antequam ascendisset in cœlum, sed non omnia scripta sunt, sicut Iohannes fatetur. Nam post ma-

B nifestationem ad mare Tyberiadis nihil repugnat, si quotidie dicitur eis apparuisse, loquens de regno Dei. Apparuit etiam plus quàm quingentis fratribus, simul & Iacobo & Paulo, vt ipse testatur in capite 15. primæ ad Corinthios, vbi tradens ordinem quendam apparitionum, sic loquitur: Tradidi vobis in primis quod & accepi, quoniam Iesus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm scripturas, & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim. Deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo. Deinde Apostolis omnibus. Nouissimè autem omnium tanq; abortiuo visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, & cæt. Ex hoc textu Pauli obscuritas nascitur, propterea quòd Christus dicitur apparuisse plusquàm quingentis fratribus simul, deinde

Corint 15.

C Iacobo, postea omnibus Apostolis. Sunt qui dicūt, quòd Christus quemadmodum non manifestauit se ante suam ascensionem Paulo nondum credenti, ita neq; manifestauit se quingentis fratribus ante suam ascensionem, cùm nōdum extitit tantus credentium fratrum numerus, qui non maior fuisse videtur, quàm centum & viginti hominum, quemadmodum indicare videtur historia in Actibus Apost. cap. 1. Erat turba hominum ferè centum & viginti. supple simul cum Apostolis à die ascensionis vsque in diē Pētecostes, vnanimiter in oratione perseuerantium. Vnde consequens videtur, hanc apparitionem quingentis fratribus simul esse factam post ascensionem, & sancti spiritus missionem. Sunt qui dicunt hanc apparitionem fuisse, de qua loquitur Dionysius in 3. cap. de Diuinis nominibus, quando omnes discipuli conuenerunt ad videndū corpus, quod portauerat principē vitę: quod cōmuniter intelligitur factum ipso die dormitionis Mariæ, cui aderant oēs

Quando obiit virgo Maria.

D Apostoli tunc viui, & fratres multi, anno 12. post Christi mortem, secundū chronographiam Eusebij. Sed contra hoc videtur series textus apostolici supradicti. Visus est (inquit) plusq̄ quingentis fratribus simul, deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: Iacobo autem & Apostolis omnibus visus est ante ascensionem, ergo & quingentis fratribus simul ante ascensionem fuit visus: quia post illam visionem secundùm ordinē temporis, recitat eum visum fuisse Iacobo. Vnde sciendū, quòd etsi ante ascensionem nō erant discipuli in Hierusalem supra cētum & viginti, multi tamen alij poterant esse in Galilæa & alijs in locis, quibus simul congregatis, Christus potuit ante suam ascensionem apparere, Ista apparitio (inquit Postillator) facta est Matthæi vltimo in Galilæa, in qua Christus manifestauit sese Apostolis & multis alijs. Sed hic rursus videtur aduersari quod adijcitur: deinde, seu vt alij codices habent, postea visus est Iacobo. quæ manifestatio dicitur facta in ipso die resurrectionis: iurauerat Iacobus se non commesturum (inquit Hierony) panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret eum resurgentem à mortuis. Verùm hoc soluitur per hoc quòd Christus potuit se bis manifestare eidem Iacobo, semel ipso die resurrectionis, & postea iterum aut iterum, quemadmodum & Apostolis iterum atque iterum se manifestauit. Vnde Actuum 1. dicit textus: Per dies 40. apparens eis, & loquens de regno Dei. Dicere ergo hanc manifestationem quingentis fratribus esse factam ante Christi ascensionem, non repugnat scripturæ Actuum 1. Neque vspiam docet scriptura, quòd turba omnium fratrum credentium in Christum, fuerit ferè cētum & viginti hominum, aut quòd Christus iniunxerit Apostolis, vt à die resurrectionis vsque ad ascensionis diem sederent, aut manerent in ciuitate Hierusalem, sed contrarium potius præcepit, vt videlicet visuri ipsum irent in Galilæam. Nouissimè autem recumbentibus vndecim apparuit illis Iesus, videlicet ipso die cùm esset ascensurus, præcipiens ab Hierosolymis ne discederent. Vnde post ascensionem reuersi sunt in Hierusalem. Verùm nō erant in societate illa omnes fratres tunc credentes in Christum. Vnde verisimile est, Christum à die resurrectionis, vsque in diem ascensionis sæpe apparuisse suis electis, quibus (quemadmodum testatur historia in Actis) præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Sed in his & cæteris omnibus ad intelligendum scripturas, quæ inter se pugnare videntur, attentè oportet considerare quæstiones, opiniones, sentētias personarum, aut gentium, aut Iudæorum, contra quas, aut ad quas, vel de quibus diuinus sermo dirigitur, & exinde eiusdem diuini sermonis doctrinas & argumenta accommodare, & intellectum sumere, & non aliorsum atque ad impertinentia diuinum aptare sermonem: quemadmodum doctrinam & sententias Christi Matthæi 5. iustitiam scribarum & pharisæorum coarguentis, non crudè & ad literam oportet accipere: veluti quòd dicitur de maxilla altera offerenda & obuertenda ei, qui nos iniuriosè percusserit: & de pallio etiam dimittendo ei, qui nos vult in ius trahere, tunicamq; tollere: & de itinere duorum miliarium cum aduersario, qui nos ad vnum miliare coegerit: & de relinquēdo munere ante altare, vt priusquam offeras, ad fratrem pro reconciliatione vadas: & de non iurando omnino. Hæc & id genus alia multa, nisi hyperbolicè acceperis dicta tanquam documenta quædam vitæ mysticæ tradita, & dicta contra iustitiam, quam scribæ & pharisæi præsumebant, absonus erit intellectus, & videbimus neque Christum, neq; Apostolos hæc sic obseruasse. Accipiendus est ergo horum intellectus ex beatitudinibus, quas tanquam fundamenta quædam veræ Christianæ philosophiæ præmiserat, quæ sunt paupertas spiritus, mansuetudo, patientia, tolerantia in iniurijs & aduersitatibus, de odio & rancore amouendo: de quibus sanè beatitudinibus scribæ & pharisæi nihil curabant, De pharisæis ergo huius generis, non resecantibus de cordibus suis cupiditatem, auaritiam, superbiam, odium, inuidiam, iram, ambitionem, loquitur Christus ad discipulos suos, dicens. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Ex causa & ratione dicti, debent scripturæ inuestigari, quēadmodum eius quōd dicit Apostolus: Non vos defendentes charissimi. Item: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. intellectus est accipiendus ex causis adiectis. Prioris sententiæ causa subditur: Scriptum est enim: Mihi vindictam & ego retribuā. Intelligitur ergo, non vos defendentes, retaliando iniuriam, aut ex appetitu vindictæ. Nam & alioqui Paulus hoc scribens, contra se fecisset, defendens se coram iudice appellationis beneficio. Posterioris causa adijcitur: Hæc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Intelligitur ergo beneficium etiam inimicis præstandum non semper & omni modo. Satius est, vt inimicus pro tempore sitiat & esuriat, quàm vt citra extremam necessitatem cibatus deterius agat. Oportet ergo

Actuum 1.

Quomodo intelligatur dicta Christi Matthæi 5.

Matth 5.e

Roman. 12.

CAP. IIII.

ergo huiusce modi scripturas intelligere, vt Christus intelligatur prohibuisse resistere malo, & defendere, & contendere in iudicio, sic vt scribæ & pharisæi æstimabant esse licitum resistere malo, & contendere, & sese defendere, æstimantes licere vt malum malo compensemus, iniuriam iniurijs, contumelias contumelijs. Ad hoc valet quod Christus præmisit: Auditis quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo, &c. Auditis quia dictum est antiquis: quia quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulteratur. Sic & cæteris in locis sententiæ coherentes si considerentur, plerunque faciunt intelligere scripturas. Sic in eo, quòd dicit saluator: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Non significatur iudicium, quo Deus iudicauit de nobis, esse tale in genere moris, qualis est mensura, quam nos seruamus erga proximum, quicquam operantes. Neque enim si nos temerario iudicio proximum iudicemus, etiam de nobis iniquo iudicio iudicabit Deus: neque si nos iniqua mensura in proximum operemur, Deus iniqua mensura remetietur nobis. Sed hæc dicta intellige, quòd iuxta mensuram qualitatis operum, erit retributio præmiorum. Secundùm mensuram temeritatis iudicij de fratre, erit compensatio pœnæ, cùm steterimus ante tribunal Christi. Insuper assertiones, quibus Deus in scripturis affirmat se aliquid facturum super homines, ad quos, vel de quibus loquitur, plerunque videntur inter se contrariæ. Sed non videbuntur cōtrariæ, si secundùm communem sermonis significationem similiter accipiantur sermones, vt intelligantur subintellecta conditione: si tales manserint homines, quales sunt, cū de ipsis scripturę sermo loquitur. Veluti quòd saluator dicit: Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo. accipiendum est non quemadmodum hæreticus. Nouatus intelligit, volens hoc verbo hominibus negantibus Christum adimere spem agendæ pœnitētiæ. Sed quemadmodum similes scripturæ intelliguntur, subaudita videlicet conditione, si permanserit in tali negatione, & non egerit pœnitentiam. Vnde Petrus ter Christum negauit, sed amarè fleuit. Ita quòd Christus dicit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo. intelligitur de eo qui in tali confessione permanet vsque in finem vitæ. Item: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. si in fide & donis semel acceptis permanserit, & vestem candidam, quam in baptismo susceperit, custodierit. Sic quæ dicit Christus: Dimittite, & dimittemini. Si dimiseritis hominibus peccata, dimittet vobis pater cœlestis peccata vestra. Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. & id genus alia non intelliguntur, quòd Deus remittat peccata omnibus hominibus condonantibus iniuriam sibi factam, & eelemosynam largientibus. Sed quemadmodum est quidam manducandi & bibendi sanguinem Domini modus, secundùm quem qui manducat & bibit, non morietur in æternum: Ita est modus quidā dimittendi alijs peccata, & dandi eleemosynam: secundùm quem modum qui remiserit peccata & dederit eleemosynam, remissionem peccatorum consequetur: alioqui scriptura erit contraria scripturæ. Nam si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autē non habeā, nihil mihi prodest. Item quòd dicit Apostolus: Iusto non est lex posita. contrarium videtur ei, quòd orat Dauid: Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum. Sed nullam in his esse contrarietatem patet considerantibus modum, secundùm quem lex non est imposita iusto, tanquàm ipse coactus sit sub lege: & alterum modum, secundùm quem iustus orat sibi legem poni, id est, intus scribi in visceribus animæ suæ. Item aliam esse legem, quæ non est iusto posita. Aliam, quam orat sibi iustus poni

Matth. 7. a
Lucæ 6. f

Matth. 10.

Matth. 26. g

Matth. vltimo

Matth. 6. b

1. Corint 15. a
Iusto non est lex posita.
1. Timot 1.
Psalm. 118.

in corde

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd gratia præuenit voluntatē hominis.

in corde suo, viam iustificationum Domini, vt fidei, spei, & charitatis augmētum, vt diligendo faciat quod lex iubet. Deinde videntur contrarietates esse in scripturis sanctorum, quibusdam dicētibus, quòd Dei est incipere, vt velimus, credamus, vt bona desideria habeamus: alij verò contrà dicentibus, quòd nostrum est velle, & petere, & quærere, & desiderare: Dei autem perficere, & dare postulata. Sed in his nullam esse contrarietatem videbimus, si consideremus regulam beati Augustini docentis, quòd scripturæ & sancti patres, cùm tribuunt opus aliquod nostræ voluntati, non excludunt gratiam Dei: & dum tribuunt opus aliquod diuinæ gratiæ, non volunt illud esse alienum à nostra voluntate: gratia enim Dei adiuuat nos, vt voluntariè, liberè, & rectè velimus, & operemur. Dei inspirantis motio antecedit nostram voluntatem. Proinde & ipse Deus quædam operatur in nobis sine nobis, quædam autem cooperantibus nobis. Sed de his latius in sequentibus libris. Cæterùm videntur cōtrarietates in scripturis de nouissimo Dei iudicio diuersis tempore pacis & securitatis, & quando omnia putabuntur esse in tuto: aliis verò contrarium docentibus, signa & prodigia multa in cœlo & in terra, & tribulationes in vniuerso mundo præcedere diem illum. Vnde Paulus, cùm præmisisset de iudicij die, quòd ipse Dominus cum iussu & voce archangeli descendet de cœlo, subiungit: De temporibus autem & momentis fratres, nō indigetis vt scribam vobis. Ipsi enim diligentes scitis, quia dies Domini in nocte sicut fur, ita veniet. Cū enim dixerint, pax & securitas, repentinus eis superueniet interitus. Cui & conuenit verbum Christi dicentis: Sicut erat in diebus Noē, homines edentes & bibentes, sic erit aduentus filij hominis. His autem contrariantur scripturæ multæ, quibus de nouissimo die iudicij prophetæ & apostoli, insuper & ipse Christus sic prophetauerunt, vt mirabilia quoq; opera, signa insuper & prodigia prius in vniuerso mundo pronunciauerint esse futura. Sed non esse in his vllam contrarietatem docent sancti patres, Hieronymus & Augustinus, exponentes scripturas in istis rebus apparenter contrarias, propter personas diuersas & tempora diuersa non discordare ex scripturis, probantes ante iudicium illud nouissimū, futurum esse tempus aliquot dierum, in quo videbuntur pax & securitas, omniaq; esse in tuto. Verùm ante tempus illud præcedet persecutio Antichristi contra ecclesiam in vniuerso mundo. Hæc autem persecutio & tribulatio, quæ ventura est sub Antichristo, ad ecclesiam pertinet, non ad Antichristum & satellites eius, & alios reprobos qui ecclesiam vexant & tribulant: qui interfectis Enoch & Helia, dicent: Pax & securitas. Sed de his in sequenti capite. Insuper videbuntur & aliæ in scripturis apparentes contrarietates multæ suborituræ, propter commixtionem spiritus & literæ, & transitum de litera ad spiritum: veluti cùm de Antiocho rege tyranno transit ad Antichristum tribuens Antiocho, quæ non ipsi, sed Antichristo conueniunt: quemadmodum spiritus propheticus Danielis ii. transit ex Antiocho tyrāno in Antichristum, prope finem capituli. Sed de his in superioribus. Insuper cōtrarietates videntur tum propter commixtionem ecclesiæ militantis cum triumphante, tum propter diuersam ætatem & statū eiusdem ecclesię, quæ nunc vt parvula & sterilis prædicatur in generatione gentium: nunc vt fœcunda & ampliata. Insuper & contrarietates multæ videbuntur in scripturis, propterea quòd diuersa & contraria tribuantur ei, quòd intimatur vt vna persona, vel vna quædam res quæ tamen non est vna res, sed multæ res secundùm vnionem quandam cohærentes, & secundùm diuersas sub vno nomine personas, & idcirco contraria quædam seu repugnantia ei tribuuntur, veluti cùm aut ecclesia intimatur, vt vna quædam res cum capite suo Christo, aut cùm Christus simul cum corpore, quod est ecclesia, intimatur vt vna persona, vbi sermo diuinus videtur sibi contrarius, explicans nunc

Scripturæ de die iudicij in speciem contrariæ.

1. Thess. 4. d

Eodem 5. a

Luc. 17. e

nunc ea, quæ competunt Christo capiti, nunc ea, quę competunt ecclesiæ. Proinde in omnibus scripturis, in quibus vel ipsa ecclesia, vel sermo diuinus de ipsa loquitur, attendere oportet diuersa ecclesiæ membra, diuersum eius statum secundùm successionis seriem, variamque ætatem ac conditionem, & aptare singulas scripturas, habendo considerationem ad tempora, ad ętates, ad membra, pro quibus fit scripturæ sermo. Alia enim competunt ecclesiæ secundùm membra quædam, alia verò secundùm membra alia. Sic & homini pro statu naturæ lapsæ, propter diuersas in eo leges repugnantes diuersa tribuuntur. Vnde Paulus apostolus dicit se quædam facere, quæ tamen & ipse dicit se non facere: Quod odi malum (inquit) hoc facio, nō ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Quod facit homo secundùm legem carnis concupiscens, hoc non facit secundùm suam voluntatem, dum non consentit carni concupiscenti. Sic & Christo tribuuntur, quæ videntur contraria, propter diuersas in ipso naturas. Ex his ergo consideratis intelliguntur scripturæ, in quibus eidem supposito plerunque contraria tribuuntur prædicata, veluti dum is, qui loquitur, intimat se esse & sponsum & sponsam innocentem, immunem à peccato, & nihilominus habere delicta & peccata multa, esse æternum & mortuum. Sed de his in superioribus dicta sufficiant.

Rom. 7. d

Sequitur caput quintum, de obscuritatibus in scriptura sacra emergentibus ex numero temporum, & supputatione annorum & hebdomadarum.

Diuersa annorum supputatio à mundi creatione vsque ad Christum.

Nprimis igitur sciendum est, quòd inter supputatores tēporum ab initio mundi vsque ad Christum natum est magna differentia, & ea quidem tanta, quòd numerus designatus ab alijs sit in mille annis maior numero ab alijs supputato. Sunt probatissimi doctores, tam vetustiores, quā recētiores, veluti Eusebius, Origenes, Chrysōst. Alfonsus, & alij supputātes numerū annorum à principio mundi vsque ad Christum, quinque milia centū & nonaginta nouem, Sunt alij tam vetustiores, quàm recentiores, supputantes à principio mundi vsque ad Christum natum, annos ter mille nongentos & quinquaginta duos: secundùm quorum sententiam hac nostra ætate, anno videlicet à Christi natiuitate 1533. nondum in septimo, sed in sextò sumus millenario. Secundùm supputationem verò priorem transiuimus iam dimidiū septimi millenarij, completis iam 6721. vbi est differentia in mille ducentis & 36. annis, plus, minus. Fuit autem hæc inter Hebræos & 70. interpretes differentia etiā veteribus notissima, vt Eusebio, Hieronymo & Augustino vtramque sententiam recitantibus. Ne quis igitur propter diuersitatem numerādi annos à principio mūdi, vel à qualibet ætate in ætatē cōturbetur in sacris literis intelligendis, scire debet eandem hāc differētiam prouenire ex translatione septuaginta interpretū, qui super annorū numero in prima & secunda ætatibus, videlicet à conditione mundi vsque ad diluuium. Et item à diluuio vsque ad Abrahæ ortum, non conueniunt cum Hæbraica litera. Nam à principio mundi vsque ad diluuium, numerus annorum secundum æditionem septuaginta interpretum supputatus, est duorum miliū ducentorum, & quadraginta duorum annorum: secundùm literam autem Hebraicam supputatus, est numerus mille sexcentorum, & quinquaginta sex annorum: vbi annorum numerus iuxta septuaginta interpretes supputatus, superat in quingentis octoginta sex annis, numerum supputatum iuxta textum Hebraicæ authoritatis. Et hoc iuxta Eusebium. Nam Sabellicus subtrahit huic numero centum annos. Deinde numerus annorum à diluuio vsque in natiuitatem Abrahæ, secundùm translationem septuaginta interpretum supputatus, est annorum nongentorum & quadraginta duorum: vel adiecto Caynan, quem codices quidam secundùm septuaginta interpretes non posuerunt

Dissentiunt Græci ab Hebręis in annorum supputatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

posuerunt, est mille & 72. secundùm textũ verò Hebraicum supputatus, est annorum 292. Et sic numerus annorum à diluuio vsque ad Abraham, iuxta septuaginta interpretes, in sexcentis & quinquaginta annis superat numerum annorum computatum iuxta textum Hebræorum. Quibus fit, vt numerus annorum à principio mundi vsq; ad natiuitatem Abrahæ, iuxta authoritatem septuaginta interpretum, calculatus in mille atque ducentis triginta sex annis, superet numerum supputatum iuxta Hebræorum authoritatem. Et hoc est, quod maximè facit hac in re diuersitatem inter veteres sacræ theologiæ tractatores, inter chronographos & temporum supputatores. Propterea quòd alij nunc secundùm authoritatem septuaginta interpretum suas faciunt supputationes, alij verò secundùm Hebræorum authoritatem. In numero autem annorum post Abrahæ tempora, est admodum parua differentia inter temporum supputatores. Vnde Eusebius ab ortu Abrahæ, vsque ad Christi natiuitatem ponit annos 2025. quæ sanè annorum summa, aut omnino non dissonat, aut parum admodum, vtpote in tribus vel quatuor annis discordat ab illa annorum summa, quæ demõstrari potest ex sacris scripturis, vsque ad solutionem captiuitatis Babyloniæ, & deinceps vsque ad Christum ex probatissimis chronographis. Ante ortum autem Abrahę prouenit differentia ex diuersitate facta à septuaginta interpretibus, qui in sua æditione habent numerum annorum alium, quàm reperimus in litera Hebraica, qua & hac parte (Hieronymo interprete) tota ecclesia nunc vtitur. Nam in generationibus ante diluuium, antequam quisquam generaret, reperimus iuxta Hebraicam veritatem centum annos pauciores, quàm reperiamus in æditione secundùm septuaginta interpretes facta. Verbi gratia, vbi nos iam vtentes translatione secundùm Hebræorum authoritatem, legimus Genesis 5. Vixit autem Adam centum & triginta annos, & genuit Seth. Et facti sunt dies Adam, postquàm genuit Seth, octingenti anni. Septuaginta interpretes habent: Vixit autem Adam ducentis & triginta annis, & genuit Seth. Et facti sunt dies Adam postquàm genuit Seth, septingenti anni, & ita summa vniuersitatis annorum totius vitæ Adam in vtrisque concordat. Deinde vbi nos habemus. Vixit quoque Seth centum & quinque annis, & genuit Ænos. illic septuaginta interpretes habent: Vixit quoq; Seth ducentis quinque annis, & genuit Ænos. & ita in generationibus reliquis, quæ sequũtur. De hac autem differentia annorum, inter Hebræam & septuaginta interpretum authoritatem, Hieronymus in libro quæstionum Hebraicarum, & Augustinus 15. libro de Ciuitate Dei, capite 10. & 13 planissimè disputant. Vnde in decimosexto de Ciuitate Dei, capitulo decimo, de annis post diluuium hoc modo concluſit: Fiunt itaq; anni à diluuio vsque ad Abraham, mille & septuagintaduo anni, secundùm vulgarem, hoc est, septuaginta interpretum æditionem. In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos perhibent inueniri, de quibus rationem aut nullam, aut difficilem reddunt. De numero autem annorum ab Abraham ad sequentium ducum, iudicum, & regum Hebræorũ tempora, modica inter Hebræos & septuaginta est differentia. Verùm hic & sciendum, quòd secundùm diui Augustini sententiam, in capite 13. suprà dicto, diuersitas numerorum in annis, à principio mundi vsque ad Abraham inter Hebræos codices, & Græcos atque Latinos ex Græcis translatos, non est tribuenda nec ludęorum malitię aut diligentię, nec septuaginta interpretum errori, sed negligẽtiæ scriptoris, qui de bibliotheca Ptolomæi regis codicem describendum primus accepit. Vbi autem propter codicum diuersitatem colliguntur aliqua simul stare non posse, opinemur potius in huiusce modi numeris vnum aut alterum codicem facillimè potuisse corrumpi, non ob id tamen ęstimare oportet inutilem aut vanum esse laborem studiosorum, conantium intelligere probatorum authorum chronographias & cosmographias. Deinde hic

A

Numerus annorum ab Abraham vsque ad Christum.

B

C

Hieronymus. Augustinus.

Anno à diluuio vsque ad Abraham.

D

Deroga fidẽ Græcorũ chronographorũ

A hic silentio prætereundum non est, in rationibus seu supputationibus temporum in ætatibus aut genealogijs regum, sacræ theologiæ studiosum nõ oportere inniti Græcorum aut historijs aut chronographijs. Nam vt docet Metasthenes Persa, publica & probata fide scribens, Græci, qui solo auditu & per opiniones chronographiam scribũt, cum ipsis pariter se & alios decipiunt, Qui de temporibus (inquit) scribere parant, necesse est illos nõ solo auditu & opinione chronographiam scribere, ne cum per opiniones scribunt, vti Græci, cum ipsis pariter & se & alios decipiant, & per omnem viam aberrent. Verùm absque vllo errore fiet, si solos annales duarum monarchiarum assecuti, cæteros omnes vt fabulatores reiecerimus. In his enim tam liquidè atque verè digesta sunt tempora, reges, & nomina, quàm apud eos regnatum est. Neque tamen omnes (inquit) recipiendi sunt, qui de his regibus scribunt, sed solum sacerdotes illius regni, penes quos est publica Laus Beroſi.

B & probata fides annalium suorum, qualis Berosus. Nam is Chaldæus omne tempus Assyriorum digessit ex antiquorũ annalibus, quem solùm vel maximè Persæ nunc sequuntur. Itidem asseruit noster Eusebius de temporibus, & Iosephus contra Appionem Grammaticum. Omnes Græcæ historiæ de temporibus à Nino vsque ad Olympiadem primam sunt incertæ, imò & sæpe falsæ, & per opiniones scriptæ, quarum & scriptores sæpe sibi mutuo cõtradicunt, & scinuicem de mendacio accusant. Epaphorus in pluribus ostendit Hellanicum esse mendacem, Epaphorum verò Timæus, Timæum posteri. Herodotum arguunt cuncti. Proinde non iniuria dixit Iuuenalis: Et quicquid Græcia mendax audet in historia. Et non solùm apud Græcos, sed & apud Ægyptios mendacissimæ sunt historiæ commemorantes res gestas ante multa annorum milia. In Timęo Platonis dicitur, quòd Sami ciuitas Ægypti, tunc steterat octo milibus annorum. In alijs legimus Astrologiam apud Ægyptios quatuor milibus annorum viguisse. Et cum illis dictum

C fuerit, si tot milibus annorum fuerint hominum regna, quonam modo vera sua ipsorum loquatur historia? narrans, quicunq; fuerint quamcunque rerum inuentores, qui primi liberalium disciplinarum instructores, vel à quibus primùm illa, vel illa regio aut insula incoli cœperit. Respondent diluuijs & cõflagrationibus per certa temporum interualla plurima terrarum ita deuastari, vt rediganTur homines ad exiguam paucitatem. Recitat Augustinus 13. de Ciuitate Dei, quòd sua ætate ab institutione hominis nondum completa erant sex milia annorum, & tamen secundùm epistolam Alexandri ad Olympiadem matrem, ex narratione sacerdotis Ægypti, regnum Assyriorum quinque milia annorum excedere. Persarum autem & Macedonum imperium pluſquam octo milia annorum cõtingere. In huiusce modi ergo rationibus temporum, credendum est non quibusuis scriptoribus: sed his, qui publica fide & authoritate in sua monarchia successiones regum ac rationes notauerunt, penes quos fuit publica probataque fides annalium suorũ, qualis (vt inquit Metasthenes) fuit Berosus Chaldęus, in descriptionibus temporum & regum Assyriorum. Metasthenes Persa in descriptionibus temporum ac regum monarchiæ Persarum. Philo Iudæus, & Eusebius in descriptionibus temporum, & regum, & monarchiarum Græcorũ & Latinorum. Horum enim vnusquisque in supradictis monarchijs, digessit tempora ex annalibus antiquorum, quibus publica & probata fides data erat, breuiter scribere res gestas singulorum annorum, seruato vniuscuiusq; ordine & tempore. Hos chronographos videbis à rationibus temporum ac regum in sacris literis designatorum non dissonare, & idcirco non oportet sequi cæteros ab his discordantes, quales sunt: Herodotus, Agesilaus, Iustinus, Orosius, in supputationibus temporum & regum Assyriorum, Iosephus Africanus, Eusebius in supputationibus temporum & regum Persarum, Iosephus & Talmudistæ in monarchijs Græcorum & Roma-

D

Auguſt reſpõdet nõdũ fuiſſe cõ, lets 6000. annorum à cõdito mundo,

Prebyteros chronographi

norum

Universidad de Deusto
Biblioteca

norum. Philo autem Iudæus (vt ipse inquit) vsus septuaginta Seniorũ testimonijs non per opiniones ex diuersis Græcorum historijs sumptas, sed aut ex sacris literis, aut ex singularum monarchiarum annalibus certissima colligens, ab omnibus est recipiendus. Non oportet igitur sacræ scripturæ studiosum turbari, si videat theologiæ magistros in rationibus temporum, ætatis, annorum mundi, inter sese & discrepare & dubitare, interdũ quibus temporibus, & sub quibus regibus cõpleta fuerit historia, digesta in sacris literis. Alij nempe in huiusce modi supputationibus ætatum & temporum secuti sunt istos, qui aut mendaciter, aut per opiniones scripserunt. Alij, alios. Alij ab isto tempore cõputare cœperunt, alij à tempore alio: & ita scripturam sacram multis in locis reddiderunt obscuram. In primis igitur ex sacra scriptura, quæ falli non potest, ætatem & mundi annos, & tempora supputari à principio mundi vsq; ad Christum colligemus certos annorum numeros, certaque tempora, simul demonstrantes scriptores etiam ethnicos, & à fide Christi alienos, vtpote probatissimos Assyriorum & Persarum scribas, publica fide scribentes, ab hac annorum supputatione non deuiare: quibus consideratis multùm per omnem modũ iuuabitur sacræ theologiæ studiosus ad intelligendum scripturas, in quibus designantur certi annorum numeri, veluti de quadringẽtis triginta annis peregrinationis Abrahæ, in Ægypto, de septuaginta annis desolationis sub Babylonijs, de septuaginta hebdomadibus Danielis, De Assyriorũ aut Persarum, aut Babyloniorum regibus, cum quibus fuit aut bellum, aut negocium aliquod cum Iudæorum regibus & ducibus. Prima conclusio: Ab Adam vsque ad diluuium fluxerũt anni mille, sexcenti, & quinquaginta sex. Ista sententia demonstratur ex 5. cap. libri Geneseos, hoc pacto: Adam triginta & centum annorum genuit Seth, Seth quinque & centum annorum genuit Ænos, Ænos nonagenarius genuit Caynam, Caynam septuagenarius genuit Melalehel 65. annorum genuit Iareth, Iareth centum & 62. annorum genuit Enoch, Enoch 65. annorum genuit Mathusalem, Mathulalem centum & octogintaseptem annorum genuit Lamech, Lamech centum & octogintaduorum annorum genuit Noe, Noe cùm quingentorum esset annorum genuit Sem, Cain, & Iaphet. Anno autem sexcẽtesimo vitæ Noe, terra fuit inundata per nouem menses integros, decimo mense cacumina montium apparuerunt, sed vsque in finem duodecimi mensis expectauit Noe exiccationẽ terræ, & præceptum est ei egrediendi ex arca. Patent hæc omnia Geneseos 5. & 6. & 7. & 8. capitulis. Ex quibus colligitur numerus annorum vsque ad diluuium Noe supradictus, scilicet mille sexcentorum, quinquagintasex annorũ. Insuper patet Moysen in supradictis scripturis annos intelligere solares, annos duodecim mensium. Tertiò patet æditionem septuaginta interpretum longè à veritate Hebraica deuiasse in supputationibus temporum & annorum mundi. Ex quibus consequens est, in supputationibus annorum mundi, non esse innitendum patribus antiquis, innitentibus nimirum æditioni septuaginta interpretum.

Supputatio annorũ ex sacris scripturis.

Ab Adã vsque diluuium anni 1656.

Conclusio secũda: A diluuio vsq; ad ortum Abrahæ, fuerunt anni duo & nonaginta supra ducentos. Ista sententia demonstratur ex cap. 11. libri Geneseos, hoc pacto: Sem biennio post diluuiũ genuit Arphaxat. Arphaxat cũ esset triginta quinque annorum genuit Sale, Sale 30. annorũ genuit Heber, Heber trigintaquatuor annorum genuit Phalech, Phalech 30. annorum genuit Reu, Reu 30. annorum genuit Saruch, Saruch 30. annorum genuit Nachor, Nachor 29. annorum genuit Thare, Thare 70. annorum genuit Abraham, Nachor, & Aram. Hęc in Genesi capite supradicto, iunge annos hos simul omnes, & habebis ex scripturis sacris collectos à diluuio vsq; ad ortum Abrahæ, annos ducentos & nonagintaduos. A principio itaque mundi vsque ad ortum Abrahæ, anni sunt mille, nongenti, quadragintaocto. Tertia conclusio: Ex scripturis sacris ab ortu Abrahæ vsq; ad mortem

A diluuio vsque Abraham anni 292.

tem Ioseph, fuerunt anni trecenti & sexaginta. Ista conclusio demonstratur ex libro Geneseos per generationes patrum hoc pacto: Abrahã centenarius genuit Isaac. Isaac sexagenarius genuit Iacob, Genesis 25. Iacob nonagenarius genuit Ioseph. Nam Iacob cùm iam primùm ingressus Ægyptum staret coram Pharaone, ait: Dies peregrinationis vitæ meæ, centũ triginta annorũ sunt, parui & mali, Geneseos quadragesimoseptimo. Erat autem Ioseph tunc quadraginta annorum. Nam triginta annorum erat, quando primùm ingressus Ægyptum, stabat coram Pharaone, Genes. 41. & postea secuti sunt septem anni fertiles, & duo steriles, priusquàm Iacob pater ipsius descenderet ad ipsum in Ægyptum, Geneseos quadragesimoquinto. Ioseph ergo fuit quadraginta annorum, cùm Iacob esset annorum centum & triginta. Ex quo consequens est, Iacob nonagenarium genuisse Ioseph. Ioseph autem vixit centum & decem annis, & mortuus est in Ægypto, Geneseos vltimo. Iunge simul omnes annos, & habes ex scripturis sacris, à natiuitate Abrahæ vsque ad mortem Ioseph annos trecentos & sexaginta. Quarta conclusio: A morte Ioseph vsque ad exitum de Ægypto, seu vsque ad legem datam in monte Synai, fuerunt anni centum & quadraginta quinque. In præsentiarum autẽ vim non facimus de quinquaginta diebus ab exitu de Ægypto, vsq; ad datam legem. Patet hæc conclusio, quia ipse Abraham septuagesimoquinto suæ ætatis anno, ex iussu Dei cœpit primũ in terram Chanaan, & in Ægyptum peregrinari, vt legitur Geneseos 12. in quo sanè anno & promissionem accepit à Deo. Ab illo autem anno vsque ad legem in monte Synai datam, sunt quadringenti & triginta anni. In hanc annorum summam consentiunt passim in hodiernum vsq; diẽ omnes chronographi, qui sequuntur æditionem septuaginta interpretum, iuxta illud Exodi 12. Habitatio filiorum Israel, qua habitauerunt in Ægypto, & in terra Chanaan ipsi & patres eorum, anni quadringenti triginta. Secundùm hanc autem æditionem necessariò interpretandum esse textum Exodi 12. docentem filios Israel mansisse in Ægypto quadringentis triginta annis, ostendit & ipsa veritas Hebraica, quæ narrat Caath filium Leui natum in terra Chanaan, vixisse annos 133. & eius filium Amram patrem Moysi, annos 137. & ipsum Moysen fuisse annorum octoginta, tempore exitus filiorum Israel de Ægypto, quorum annorum summa implere non potest quadringentos triginta annos. Super omnia sufficiat nobis Christianis interpretatio Pauli ad Galat. tertio, textum Exodi duodecimo sic intelligentis, legem datam esse post quadringentos triginta annos à promissione Abrahæ facta: Abrahæ (inquit) factæ sunt promissiones, & semini eius, qui est Christus. Quæ verò post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritam facit promissionem. Secundùm hanc igitur apostolicam sententiam à promissione Abrahæ, vsque ad legem datam in monte Synai, sunt quadringenti triginta anni, Insuper & huic conclusioni consentiunt Hebræi in hodiernum vsque diem, secundùm hunc sensum exponentes textum Exodi 12. vbi dicitur: Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. intelligũt enim de habitatione, qua manserunt in Ægypto à prima vice, in qua (vt legitur Genes. duodecimo) Abraham descẽdit in Ægyptũ, quæ fuit quadringentorum triginta annorum. Hanc sententiam quoq; sanctus protomartyr Stephanus, Actuum 7. confirmat dicens: Locutus est Deus ad Abraham: Accola id est, peregrinum erit semen tuum, & in terra aliena, & seruituti eos subijcient, & malè tractabunt eos annis quadringentis & triginta. Subtrahas ergo ab illo numero 25. annos, vsque ad numerum annorum Abrahæ centenarium, in quo genuit Isaac, & sexaginta annos in Isaac generante Iacob, & nonaginta in Iacob generante Ioseph, centum & decem à natiuitate Ioseph, vsque ad mortẽ eius remanent anni centum quadragintaquinque, à morte Ioseph vsq; ad legẽ datam.

Ab Abraham vsq; ad mortẽ Ioseph an. 360 Genesis. 21.

A morte Ioseph vsque ad legem datam in monte Sinai anni 145.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et ne quis propter scripturas, quibus significatur, quòd habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit quadringẽtorum & triginta annorum, & quòd accola esset semen Abrahæ futurum in terra aliena, seruitutisque subijceretur annis quadringentis triginta, arbitretur longè plures annos intercessisse à morte Ioseph vsq; ad legem datam. Sciendum est quòd mater Moysi, Iacobeth nomine, erat filia Leui, quæ nata erat ei in Ægypto. Leui autẽ cùm descenderet in Ægyptum, erat fermè 45. annorum. Anni autem vitæ Leui fuerũt centum triginta septem, vt dicitur Exodi 6. Ex quo consequens est, Leui in Ægypto vixisse annos 92. Generationem Moysi habes in libro Numerorum. Leui genuit Caath, Caath genuit Amram, qui habuit vxorem Iochabed filiam Leui, quæ nata est ei in Ægypto: hæc genuit ipsi Amram viro suo filios, Aaron, & Moysen, & Mariam eorum sororem, Nume. 26, Ex quibus consequens est, Amram duxisse vxorem suam amitam, qua de re loquitur Hieronymus in quæstionibus primi Paralipo. Traditur (inquit) Moysen post acceptam legẽ in eremo patri iniũxisse, vt matrem dimitteret, eò quòd illius amita esset: filia enim fuit Leui, post cuius dissidium Amram duxisse vxorem aliam, ex qua suscepit filios duos, Eldad, & Medad, & cæt. Hæc Hieronymus.

Ioseph post ingressum Leui in Ægyptum, vixit annos vnum & septuaginta. Ex quibus consequens est à morte Ioseph vsque ad natiuitatem Moysi, non potuisse annos esse multò plures, quàm 65. alioquin Iochabed in sterilem iam venisset ætatem. Vnde & Philo cæterique Hebræi à morte Ioseph, vsque ad mortem Moysi, computant annos sexagintaquinque. Cui sententiæ consentiunt & Christiani interpretes, A natiuitate autem Moysi vsque ad legem datam, sunt anni octoginta, Exodi 7. fuerunt ergo à morte Ioseph vsque ad legem datam anni centum & quadragintaquinque, quibus si iungantur anni iuxta tertiam hanc & quartã conclusionem collecti, habebis ab ortu Abrahæ vsque ad legem datã annos quinq;

Anni ab ortu Abrahæ vsque ad legẽ datã, 505.

A lege data vsque ad ædificationem templi 480.

supra quingentos. Quinta conclusio: A lege data seu ab egressu filiorum Israel ex Ægypto, vsque ad templum inchoatum sub anno quarto regni Salomonis, sunt anni quadringenti & octoginta, vt patet 3. Regum 6, vbi sic dicitur: Anno quadringentesimo octogesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, in quarto anno regni, in mense secundo, Salomon cœpit ædificare domum Domino. Potest & numerus iste annorum ex scripturis libri Iudicum, & primi Reg. demonstrari, præsuppositio ex traditione Hebræorum numero annorum, quibus populo illi præfuerunt Iosue, Samuel, Saul, quorum trium hominum annos, quibus præfuerunt scriptura sacra non tradit. Cæterorum autem annos sacra designat historia, & id quidem hoc pacto: Moyses præfuit annis quadraginta, Iosue verò præfuit annis 26. Hunc autem numerum annorum ducatus Iosue, vt iam patuit, habemus ex traditione seniorum. Nam scriptura sacra quot fuerunt anni ducatus huius tacet. Mortuus est Iosue famulus Domini centum & decem annorum, Iosue vltimo, & Iudicum tertio. Post mortem Iosue consuluerunt filij Israel Dominum dicentes: Quis ascendit ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixitq; Dominus: Iudas ascendet Iudicum 1. Iudas itaq; in tribu Iuda, ex cõsilio Domini primus expugnauit hostes in terra sancta. Verùm & iste & cæteræ tribus citò deseruerunt viã Domini, ineuntes fœdus cũ hostibus suis, & neque subuertẽtes aras eorum, seruierunt dijs alienis. Ideoq; alienigenæ primũ tenuerunt filios Israel subiectos annis octo. Sed pœnitentibus, orantibus, & clamantibus eis suscitauit saluatorẽ nomine Othoniel, qui præfuit annis 40. vt patet Iudicũ 3. Sed in his 40. annis, iuxta Hebræorum traditionẽ includũtur anni 8. supradicti, quibus filij Israel alienigenis seruierunt. Testis est huius rei Eusebius in chronic. Temporibus huius Cadmus Thebarum rex Græcas literas adinuenit, post Othonielem Aod ambidexter præfuit annis 80. Iudicum 3. Delbora & Baruch præfuerunt annis 40. Iudicum

Inueniuntur Græcæ literæ.

CAP. V.

dicum 5. Deinde & Gedeon annis 40. Iudicum 8. & huius tempore Tyrus est condita, vt inquit Iosephus, Abimelech præfuit annis tribus. Iudicum 9. Thola item præfuit annis 3. & 20. Iudicum 10. Post illum Iair habens triginta filios, præfuit annis 22. Iudicum 10. Huius temporibus Carmentes literas Latinas adinuenit, lepte, qui & filiam immolauit, præfuit annis sex, Iudicum 12, Abessan de Bethleem, qui triginta filios, & totidem filias generauit, præfuit annis septem, Iudicum 12. Post hunc præfuit Archialon Zabulonites annis decem, Iudicum 12 Iste in septuaginta interpretibus cum suis decem annis non habetur, sed neque Eusebius illius meminit, pro cuius annorum damno (vt inquit Beda) supplẽdo, Eusebius plures annos, qui im in Iosepho legebat, ipsi Iosue, Samueli, & Saul assignauit, quatenus ab egressu filiorum ex Ægypto vsq; ad ædificationem templi quadringentorum & octoginta annorum summam, quam scriptura prædicat, haberet. Labdon, qui habuit 40. filios, præfuit annis 8. Iudicũ 10. Sampson fortissimus, qui multo plures interfecit moriens, q̃ antè viuus occiderat, præfuit annis 20. Iudicum 16. Heli sacerdos annis 40. 1. Regum 4. Samuel & Saul annis 32. iuxta supputationem Iosephi. Ex sacra autem scriptura veteris testamenti quàm diu hi duo præfuerunt non patet.

Inueniuntur Latinæ literæ.

Dauid primus ex tribu Iuda, regnauit annis 40. Salomon item filius eius regnauit annis 40. Collige annos hos simul omnes, & videbis quòd quartus annus regni ipsius Salomonis fuerit quadringentesimus octogesimus ab egressu filiorum Israel ex Ægypto. Ab inchoato itaque ligneo tẽplo in deserto, vsq; ad inchoatũ lapideũ templum sunt anni 480. In deserto cùm daretur lex, inchoatum fuit tabernaculum fœderis vice templi stabilis. Verùm quia populus stabilis non erat in deserto in vna mansione, & nondum ad regnum stabile in terram promissionis peruenerat, ideo templum portatile ac mobile iussu diuino fabricatum fuit, vt populus ille ad idololatriam inclinatissimus vtcunque religione teneretur. Conclusio 6. A quarto regni Salomonis anno, sub quo fuit templum inchoatum vsque ad Ioas qui iuxta Philonẽ & septuaginta seniores Hebræos, fuit primus rex Hierusalem, ex linea ipsius Nathã fratris Salomonis, fuerunt anni 8. & 30. supra centũ, qui colliguntur ex 3. & 4. Reg. & ex 2. Paralipo. hoc modo. Salomon à quarto anno regnauit annis 36. In anno quarto huius fundata est domus Domini, mense tertio, & in anno vndecimo mense Eluil, ipse est mensis Octauus, perfecta est domus in omni opere suo, & in omnibus vtensilibus suis, ædificauitq; eam annis septem. Roboam filius eius regnauit annis septendecim. Sub hoc seditione orta, regnum Israel est bipartitum. Apud decem tribus Israel in Samaria regnante Hieroboam, seruo Salomonis. Roboam autem regnãte in Hierusalem super tribum Iudã: fuitq; bellum inter Roboam & Hieroboam cũctis diebus 3. Reg. 14. Abias filius Roboam regnauit annis tribus. Asa filius eius regnauit annis vno & quadraginta. Iosaphat regnauit annis 25. In annis regni huius regnauit Achab super Israel, sub cuius regis tempore extiterunt: Helias, Helizæus, & Abdias prophetæ in regno Israel, filiusque viduæ Sareptanæ, qui fertur fuisse Ionas propheta, à morte suscitatur per Heliam prophetam. Pluuia quoque tribus annis & mensibus sex, per eundem Heliam continetur atque impeditur propter peccata Achab & populi Israel. 3. Regum 17. & 18. Ioram regnauit annis octo. Ambulauit Ioram in vijs Achab regis Israel. Filia quippe Achab vxor erat Ioram. Iste occidit omnes fratres suos gladio, & quosdam de principibus Iuda, secundi Paralipo. 21. Prædicti Ioram filius, nomine Occhosias, qui & Ahasias appellatur, in quo iuxta Philonem, Salomonis linea fuit extincta, regnauit anno vno. Sub hoc Helias curru igneo rapitur. Attalia verò Occhosiæ mater regnauit annis septem, connumerato anno, in quo ipsa interficitur. Nam secundi Paralipo. 20. ipsa legitur regnasse annis sex, sed 4. Regum 11. textus communis solet habere: Attalia regnauit super terram annis septem.

Reges Iudæ eorũque anni, quibus regnauerũt à Dauid vsque Ioas.

Ab ædificatione templi vsq; ad Ioas annum 138.

3. Reg. 7. a

Diuisio regni Israel.

Helias. Helizæus, Abdias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verùm hic sciendum hoc quod dicitur: annis septem, non haberi in codicibus emendatis, neque reperitur in Hebræo textu, quàmuis in septuaginta interpretibus annis septem regnasse perhibeatur. Hic videns filium suum Occhosiã mortuum, interfecit omne semen regium. De hoc sic loquitur scriptura 2. Paralip. 21. Ambulauit Ioram in vijs regum Israel, faciens malum in conspectu Domini, sicut egerat domus Achab, filia quippe Achab erat Attalia vxor ipsius, quod (vt inquit Hieron. in quæst. super 2. Paralip.) intelligendũ est secundùm imitationem & educationem filię, non secundùm generationem. Nam in cap. 22. secundi Paralipo. Attalia appellatur filia Amri, patris achab. Quæstio valde perplexa ex cap. 21. & 22. secundi libri Paralip. oboritur occasione horum duorum regum, Ioram videlicet & Occhosiæ: dicit enim illic scriptura Ioram regnasse annis octo, & vixisse annis 40. & Occhosiam filiũ eius cùm regnare cœpisset, fuisse 42. annorum, Quod si ita est, consequitur vel Occhosiam duobus annis natum esse, priusq; Ioram ipse illum generauit: quod ridiculum est, vel lõgum tempus intercessisse inter mortem Ioram & initium regni Occhosiæ. Neq; enim potuit Ioram generare Occhosiam ante annum suũ 12. Occhosias ergo si regnare cœpit anno ætatis suæ 42. quemadmodum scriptura dicit, consequens est, inter mortem Ioram, & initium regni Occhosiæ, intercessisse ad minus tempus annorum 14. Et ita sententia huius conclusionis de annorum numero videtur non solùm nõ esse in scripturis fundata, sed & scripturis ipsis contraria, Soluit hanc perplexitatem diuus Hieron. in quæst. 2. Paralipo. dicens collationem libri Regum huic quæstioni soluendæ magnum præbere auxilium. Dicitur enim 4. Regum 8. Viginti duorũ annorum erat Occhosias cùm regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Hierusalem. Ipse autem Ioram pater eius vixit annis 40. & regnauit 28. octo autem anni, qui & in regno tribuũtur ipsi sunt antequàm fratres occideret, cùm adhuc innocenter viueret, 20. verò anni quibus regnauit, ideo à numero regni eius auferuntur, quia in languore & tribulatione deduxit eos. Ideo filio eius tribuuntur, qui non amplius quã viginti duos annos habens regnasse perhibetur. Sed ex hac conclusione videtur nasci cõtra supradictã conclusionẽ scrupulus vrgẽtior. Nam Ioram si regnauit annis 28. post mortẽ Iosaphat patris sui, consequens videtur numerũ in hac conclusione collectũ, esse diminutũ & breuiorem in 20. annis. Sed hoc nõ sic esse colligitur ex numero annorum, secundũ quem scriptura designat regnasse reges Israel præfatis regibus Iudæ contemporaneos. Omnes ergo annos collige simul, & habebis à quarto Salomonis anno vsq; in finem vltimi anni regni Attaliæ annos 138. ex scripturis sacris demonstratos. Septima conclusio. A primo anno regni Ioas, qui iuxta Philonem primus regnauit in Linea ex Nathan vsq; ad desolationẽ Hierusalẽ destructionemq; templi, sunt anni trecenti & duo. Patet: Nam à principio regni Ioab vsq; ad spontaneam transmigrationem Ioachin, ex scripturis sacris colligitur vnus & nonaginta anni supra ducentos, connumeratis annis decem, quibus regnauit Amon captiuo patre suo Manasse, qui alio nomine vocabatur Her. A transmigratione autem illa vsq; ad desolationem Hierusalem & destructionem templi anni 11. Ex quibus consequens est, quòd à Ioas vsq; ad desolationem fluxerunt anni duo & trecenti, qui colliguntur ex scripturis sacris in 4. lib. Regum, & 2. Paralip. Ioas regnauit annis 40. Iste bonus fuit in principio, pessimus in fine inter cætera quoq; facinora Zachariã filiũ Ioade summi sacerdotis interfecit 2. Paral. 24. Is creditur esse Zacharias filius Barachiæ, qui à Christo in euangelio recitatur occisus inter templum & altare. Post Ioas regnauit Amasias annis 29. Pro intellectu scripturarum hic sciendum est, quòd tres reges supradictos videlicet Occhosiam (qui & 2. Paralip. 21. & 22. vocatur Ioacham & Ahasias.) Item Ioas & Amasiam Euangelista Matthæus in Christi genealogia tacuit dicens, Ioram genuisse Oziam

Hieronymus.

Reges Iudæ, eorumq; anni, quibus regnauerũt à Ioa vsq; ad desolationem Hierusalem.

Oziam: iste Ozias qui fuit Amasiæ filius alio nomine vocatus Asarias, lepra percussus regnauit annis 52. Sub hoc prophetauit Amos, Ionas quoq; ad Niniue mittitur, & Sardanapalus vltimus Assyriorum rex in prælio ab Arbase victus semet incendio concremauit. Post Oziam filius eius Ioathan regnauit annis 16. Sub initijs regni huius Olympias prima numeratur, vt tradunt Africanus & Eusebius. Post Ioathan filius ipsius Acham regnauit annis 16. Sub hoc condita est Roma, post quem filius ipsius Ezechias regnauit annis 29.. Sub Ezechia hoc extinctum est regnum Israel, & decem tribus ab Assyrijs ducuntur in captiuitatem. Insuper sub his regibus, Osia videlicet, Ioathan, Acham, & Ezechia prophetauerunt, Isaias, Osee, Iohel, Micheas. Post Ezechiam regnauit Manasses annis 55. Hic Manasses (vt Hebræi tradunt) interfecit Isaiam prophetam. De hoc Manasse scribitur secundi Paralipomenon 33. quòd fecerit malum coram Domino iuxta omnes abominationes gentium, instaurans excelsa, quæ pater ipsius Ezechias destruxerat, construens aras Baalim, adorans omnem militiam cœli, faciens transire filios suos ignem in valle Behennon, quæ (vt inquit Hieronymus) alio nomine Gehennon dicitur, id est, vallis Filiorum Ennon, quæ non procul est ab Hierusalem, de qua & in Hieremia, & in Regum libris plenè scribitur. Ab ea enim originem accepit nomen gehenna. Hæc Hieronym. in calce quæstionum secundi libri Paralipo. Principes exercitus regis Assyriorum eundem Manassem vinctũ cathenis & compedibus, captiuum duxerunt in Babylonem, vbi iuxta septuaginta seniorum sententiam, captiuus detentus est annos decem. Qui postquã sic est coangustatus, deprecatus est Deum, & egit pœnitentiam, cuius orationem exaudiuit Dominus, & reduxit ipsum in Hierusalem. Post quem filius ipsius Amon, connumeratis decem, absente patre regnauit duodecim. Sciendum est enim, quòd ex scripturæ sacræ textu habemus annos solùm duos regni Amon, reliquos autem decem septuaginta seniores tradunt adijciendos, quibus pater captiuus fuit: sic recenset Philo, Eusebius quoque secutus (vt ipse inquit) septuaginta interpretationem. Beda insuper in libro de temporibus, recitat septuaginta interpretes sic dicere, quis numerum annorum non supputet secundùm illorum sententiã. Iosias regnauit annis vno & triginta. Deinde Ioacham filius eius mensibus tribus, post quem alter filius nomine Ioakim annis 11. Post quem filius eius Ioachin, mensibus tribus. Post quem Sedechias Iosiæ filius, cuius anno regni vndecimo facta est desolatio. Sed hic sciendum, quòd in septuaginta interpretibus, Iosias triginta duobus annis regnasse legitur. Vnde & Eusebius, vt & Beda inquit, & in chronicis ipsius Eusebij videre licet inter regnum illius, & Ioakim aliũ de suo adiecit annum propter menses bis ternos, quibus Ioacham & Ioachin regnauerunt. Verùm quid veritas habeat, Hieremias cap 25. pandit perhibens à decimotertio anno Iosiæ, vsque in annum quartum Ioakim, qui est & primus annus Nabuchodonosor, se prophetasse viginti tribus annis, & Nabuchodonosor incœpisse regnare quarto anno Ioakim. Decimonono autem anno regni eiusdem Nabuchodonosor Hierosolymam fuisse destructam. Sub anno ergo decimotertio regni Iosiæ Hieremias prophetare cœpit, prophetauitq; vsque in desolationem Hierusalem, in qua & ipse captus est. Post Iosiam filius ipsius Ioacham regnauit mensibus tribus, quem Pharao Nechao vinctum & captiuum duxit in Ægyptum, constituens Ioakim fratrem eius Iosiæ filium regis in Hierusalem. Iste autem, qui & Eliachim dicitur, regnauit annos vndecim. Contra hunc ascendit Nabuchodonosor, & vinctum catenis duxit in Babylonem, & cum eo transmigrauerunt Daniel, Ananias, Asarias. Post Ioakim regnauit tribus mensibus filius eius Ioachin, alo nomine dictus apud Matthæum Iechonias, apud Lucam autem capite tertio vocatus Neri, alibi etiam vocatus Elih, qui & quarto mẽse dum

Regnũ Israel ducitur in Assyriam.

Origo nominis Gehenna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

exercitus Babyloniorum veniret contra ipsum, vltrò se dedit, & in Babylonem transmigrauit. Cùm hoc secundùm Hieronymi sententiam, Mardochæus iuxta historiam Hester & Ezechiel prophetain Babylonem adducuntur. Nemo igitur putet eundem in Danielis principio esse Ioakim, qui in Ezechielis exordio Ioachin scribitur. Post Ioachin est Sedechias constitutus rex, qui regnauit in Hierusalem annis 11. & facta est desolatio, dum templum per exercitum Chaldæorum est igni consumptum, ciuitas, muri, & domus Hierusalem subuersa, principes & nobiles, potentes & diuites, aut interfecti, aut vincti sunt ducti in Babylonem. Sedechias filijs occisis, oculisq; effossis, est in Babylonem tractus, completurq; in ipso vaticinium Hieremiæ, quod canebat: Intrabis in Babylonem, & non videbis eam. Sub hac desolatione ipse quoque Hieremias in Babylonem captiuus ducitur. Collige simul annos omnes omnium regum à Ioas vsque in annum vndecimum Sedechiæ, & habebis ex scripturis sacris collectos trecentos & duos annos. Hactenus numerus annorum à principio mundi vsque ad desolationem Hierusalem, collectus ex scripturis sacris: in quo conueniunt catholici tractatores cum Hebræorum chronographis. Ratio autem differentiæ, quæ modica est, patebit in sequentibus. Quæ autem à desolatione Hierusalem vsque ad Christum sequuta sunt tempora, ex scripturis sacris colligere non possumus.

4. Reg. 25.

A

B

Nam etsi post desolationem seu destructionem Hierusalem, historiam rerum gestarum contineant libri Esdræ, vsque in tricesimum annum illius Artaxerxis, sub quo muri Hierusalem sunt reædificati, ex illis tamen libris non possumus sic certum annorum numerum colligere, neque item in Christum vsque in ipsis protenditur historia. Ex supradictis conclusionibus recapitulantes, possumus colligere numerum annorum ab ætate qualibet, vel à regno quolibet, vsque in tempus desolationis huius, seu destructionis templi & ciuitatis. A principio mundi vsque in hanc desolationem, seu destructionem, sunt anni 3373. A diluuio vsque in hanc desolationem sunt anni 1717. Ab ortu Abrahæ vsque in hanc desolationem sunt anni 1425. Ab egressu filiorum Israel in anno quo & tabernaculum seu templum ligneum est inchoatum, vsque in hanc desolationem, sunt anni nongenti viginti. A quarto anno Salomonis, quo inchoatum est templum lapideum, vsq; in destructionem eiusdem templi, sunt anni quadraginta supra quadringentos. Et quia vndecimo anno Salomonis perfectum & consummatum est templum in omni opere suo, & in vniuersis vtensilibus suis, vt dicitur 3. Reg. 6. consequens est ipsum stetisse in sua perfectione annis quadringentis & triginta tribus. Cæterùm & hic sciendum est, à principio mundi vsque in hanc desolationem templi defluxisse quatuor ætates mundi inter septem, quæ solent assignari. Ætas prima à principio mundi vsque diluuium, continent annos mille sexcentos & quinquaginta sex, & in hoc annorum numero concordes sunt Hebræi & Latini chronographi, computatione facta secundùm textum Hebraicæ veritatis, secundùm quam reperiemus Mathusalem ipsum esse mortuum eodem anno, quo venit diluuium, vt ex scripturis demonstrat Hieronymus in quæst. super Genes. Secundùm septuaginta verò interpretum æditionem si supputare velis, conuinceretur Mathusalem quatuordecim annis vixisse post diluuium: quo concesso, non videbitur stare scriptura docens octo tantùm animas per arcam Noe fuisse seruatas. Ætas secunda à diluuio vsque ad ortum Abrahæ, est annorum ducentorum, & nonagintaduorum. In hoc item numero, qui & ex scripturis demõstratur, consentiunt vniuersi probati chronographi. Tertia ætas, ab ortu Abrahæ vsque in primum annum regni Dauid, continet annos duos & quadraginta super nongentos. Hic etiam annorum numerus ex scripturis patet, & ideo consentiunt vniuersi. Quarta ætas, à principio regni Dauid vsque in regni Sedechiæ annũ 11. in quo

Epilogus prædictarum supputationum.

C

Quatuor ætates mundi defluxisse vsque ad desolationẽ Hierusalem.

I. mundi ætas 1616. annorũ.

De obitu Mathusalem.

II. ætas mundi 292. annorũ.

III. ætas 942. annorum.

IIII. ætas 434

D

A in quo subuersum est templũ & Hierusalem, fluxerunt anni quadringenti & octoginta quatuor. Ratio autem propter quam Beda & cæteri recensent in hac ætate annos solùm quadringentos & 73. patet ex supradictis. Nam ipsi numerant Amon regnasse annis solùm duobus, quorũ meminit scriptura, tacentes 10. annos quibus secundùm 70. seniores regnauit idem Amon absente patre captiuo. Attaliam quoq; supputant regnasse annis sex, quam 70. censent regnasse annis septem. Quinta ætas à desolatione seu destructione templi & Hierusalem, vsq; in annum natiuitatis Christi, est annorum quingentorum & xcvi. Beda verò recenset hanc ætatem esse in septẽm annis breuiorem, ponens eam esse quingentorum & octoginta nouem annorum. Huius ætatis annorum numerum non ex scripturis sacris, sed ex probatis chronographis in conclusionibus sequentibus demonstrabimus, coassumptis etiam scripturis de 70. annis desolationis, & de 70. Danielis hebdomadibus, vsque ad Christum ducem. Sexta mundi ætas, quæ nunc agitur, cuius & initium Christus suo aduentu consecrauit, nulla temporum serie nobis certa, sed vt ætas decrepita, ipsa totius seculi morte finienda est. Insuper ex superioribus conclusionibus potest demonstrari, quantum annorum numerum contineat vnus aut alter scripturæ sacræ liber. Historia libri Geneseos à principio mundi, vsq; ad mortem Ioseph, cõtinet annos 2308. Historia verò Exodi post numerum filiorum Israel, qui cum Iacob seu Israel ingressi sunt Ægyptum, in capite libri præmissum, incipiens à morte Ioseph protensa vsq; ad diem qua Moyses completum tabernaculum in deserto montis Sinai erexit, vnxit & sanctificauit cum omnibus vasis inferens in illud arcam fœderis, continet annos 100. & 46. Nam per cõclusionem 4. superiùs positam à morte Ioseph vsq; ad exitum filiorum Israel de Ægypto, sunt anni CXLV. Ab egressu autem vsque ad erectionem tabernaculi, est annus vnus, quia primo die mensis filij Israel sunt egressi, & 1. die mensis secundi anni erectũ est tabernaculum, Exo. 40. Tradit autẽ Exodi liber ingressum Iacob in Ægyptum cum 70. animabus de fœmore eius. Tractat & de morte Ioseph & de multiplicatione & oppressione filiorum Israel post mortem ipsius, & de edicto imperij Pharaonis occidendi Hebræorum masculos infantes, & de natiuitate Moysi, & de missione eius ad Pharaonem, de plagis decem, & de exitu filiorũ Israel de Ægypto per mare rubrum, de subuersione Pharaonis atq; Ægyptiorum à die egressionis ex Ægypto, recensens mãsiones duodecim, in quibus castrametati sunt filij Israel peregrinantes in deserto, donec mense tertio egressionis venirent in desertum montis Sinai, vbi & Moyses ascendens in montem, audit legem Dei iubentis audita referri ad populum, & eundem populum sanctificari in diem tertium, in quo auditis tonitruis sonituque fulgurum & buccinarum, tradit Deus Moysi decalogi legem, aliaque præcepta quædam iudicialia & ceremonialia. Item de altari construendo & de tabernaculo ligneo vice templi construendo, de arca, de vasis, instrumentis, cultu & ornatu arcæ & tabernaculi, de vestibus Aaron & filiorum eius, & de erectione tabernaculi cum omnibus ad se pertinentibus, & de vnctione tabernaculi, vasorum ac ministrorum eius. Liber autem Leuiticus ab illa erectione tabernaculi, vsque in diem quo præcepit Deus Moysi, vt filios Israel à vigesimo anno & supra, ad bellum aptos, numeraret, cõtinet tempus vnius mensis. Nam in primo die primi mensis anni secundi egressionis de Ægypto tabernaculum est erectum. & tum (quemadmodum tradit initium libri Leuitici) Dominus Deus de tabernaculo testimonij vocauit Moysen, tradens illi holocaustorum ritum. alia quoq; quæ spectant ad ministros tabernaculi, vsque ad primum diem mensis secundi patent. Nam primo mensis secundi, anno altero egressionis de Ægypto, iussit Dominus Moysi, vt numeraret summam vniuersæ cõgregationis à vigesimo anno & supra, vt patet Numeri 1. Congruo igitur ordine post erectionem tabernaculi, tra-

Quinta ætas 596.

Sextæ ætatis annorum innumerus nobis occultus.

Tempus Gen. & Exodi annorum 2308.

Tempus Leuitici.

B

C

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctat Leuiticus de ritu holocaustorum, oblationum, festorum, coniugiorum, puerperarum, summi sacerdotis, & vestimentorum eius, tradens scilicet præcepta, cæremonias atque iudicia, quæ præcepit Dominus per Moysen referri ad populum.

Tempus libri Numerorum.

Liber autem Numerorum, à primo die secundi mẽsis, anni secundi egressionis de Ægypto, protensus vsque ad mansionem in campestribus Moab super Iordanem vbi & mortuus est Moyses, continet annos ferme trigintanouem. Quod hinc patet. Nam quemadmodum est ex scripturis manifestum, Moyses eductum ex Ægypto populum in deserto regit annis quadraginta, ex quibus Exodus & Leuiticus continent primi anni acta, sicuti iam patuit. Et quia liber Numerorum continet ea, quæ sub Moyse sunt acta, vsque ad vndecimum mensem quadragesimi anni, consequens est eundem librum numerorum complecti seriem temporum 39. annorum, incompletis tamẽ mensibus duobus, quorum duorum mensium acta, hoc est, vndecimi & duodecimi mensis eiusdem vltimi anni, qui est quadragesimus ab egressu filiorum Israel de Ægypto, continet liber Deuteronomij, vt patet Deut. 1. Designat autem liber iste filiorum Israel numeros, aliaque multa in deserto Sinai acta, de ritibus & officijs Leuitarum, & de leprosis eijciendis extra castra, de lege zelotipiæ, tabernaculi erectione, de ordine mouendi castra, & alijs quibusdam in Exodo descriptis. Vnde inter omnes mansiones, ea quæ est duodecima fuit maxima, ibi loquitur Deus cum Moyse facie ad faciem, sicut homo solet loqui ad amicum suum, ibi quinquagesimo die ab egressu de Ægypto lex est accepta, ibi tabernaculum erectum, ibi Exodus, Leuiticus, & Numerorum, vsq; in caput 10. descriptus. Nam vt scribitur Numeri 10. anno 2. mense 2. 20. die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fœderis, profecti sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharam. Et quia filij Israel primo die mensis tertij egressionis de Ægypto venerunt in hanc solitudinem Sinai, cõsequens est eos vndecim mensibus & 20. diebus commoratos esse in mansione ista, quæ & inter quadraginta duas mansiones descriptas, Numeri 33. duodecima computatur. Idem autem liber Numerorum à capite decimo vsque ad finem designans & mansiones reliquas triginta, & ea quę in illis sunt gesta, protensus vsq; ad primum diem mensis vndecimi anni quadragesimi egressionis de Ægypto, continet annos 38. menses 9. & dies 20. Liber, qui Deuteronomium, id est, secunda lex inscribitur, continet acta duorum mensium nouissimorum anni quadragesimi in campestribus Moab contra Iordanem, in quibus Moyses ea, quæ prius in diuersis mansionibus dicta sunt ac gesta explanat: quibus completis Moyses moritur. Vnde liber iste est recapitulatio seu explanatio breuis & lucida eorum, quę sparsim prius dicta & gesta sunt recollectio, quemadmodum in secundo capite eiusdẽ libri dicitur: Quadragesimo anno mense vndecimo, primo die mensis loquutus est Moyses ad filios Israel omnia, quæ præceperat illis Dominus, vt diceret eis postquam percussit Seon regem Amorreorũ, qui habitauit in Esebon, & Og regem Basan, cœpitque Moyses explanare legem, & dicere, &c. A morte itaque Ioseph descripta in principio libri Exodi, vsque ad mortem Moysi, designata in fine Deuteron. sunt anni 185. Continent ergo quinque libri Moysi tempus annorum 2493. Quot autem annorum historias contineant reliqui scripturæ libri, vt Iosue, Iudicum, Regum, & Paralipo. potest facilè ex superioribus conclusionibus supputari. Hactenus ergo ex scripturis demonstratus est annorum numerus. à principio mundi vsq; ad desolationem Hierusalem, per Nabuchodonosor Babyloniorum regem. Octaua conclusio: Ab hac desolatione, seu subuersione templi & vrbis, & populi Hierusalem, vsque ad primum annum Cyri, sub quo soluta est Babyloniorum captiuitas, sunt anni 70. Huic conclusioni consentiunt Iulius, Africanus, Philo, & septuaginta seniores, Ab euersione Hierusalem vsque ad initium Cyri regis Persarum

Tempus Deuteronomij.

Epilogus.

Supputatio ẽporũ à destructione Hierusalem vsque ad Cyrum.

CAP. V.

rum, supputantes annos septuaginta. Dissentit quidem ab horum sententia Eusebius, & ipsius sequaces in temporum libro, triginta solùm annos supputantes à destructione Hierusalem vsque ad Cyri regis Persarum initium. Sed non est quòd rationabiliter nos in huius sententiam moueat. Nam & de suprà dicta conclusione videtur esse textus satis expressus secundi Paralipo. vltimo, & primi Esdrę primo. Hunc insuper numerum desolationis annorum expresserũt Hieremias & Daniel Propheræ, Daniel quidẽ cap. 9. In anno (inquit) primo Darij, de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum, anno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam prophetam, vt complerẽtur septuaginta anni desolationis Hierusalem. Ad idem Hieremias capite 25. Adducam (inquit) Nabuchodonosor regem Babylonis, seruum meum, contra ciuitatem istam, & contra habitatores, qui in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam in solitudines sempiternas: & erit vniuersa terra eius in solitudinem & in stuporem, & seruient omnes gentes istæ regi Babylonis 70. annis. Cumque impleti fuerint septuaginta anni vltabo iniquitatem regis Chaldæorum. Ecce planè vides septuaginta annos finitos esse, dum regis Babylonis iniquitas vindicata est diuinitus: & hanc vindictam esse factam in Baltasare interfecto per mysterium Darij, manifestum est ex scriptura Danielis capite 5. Vnde Baltasar ipse irritam putans Dei pollicitationem, falsumq; promissum, versus in gaudium, fecit grande conuiuium, insultans quodãmodo spei Iudæorum, & prophanans sacra templi Dei vasa. Sed statim vltio secuta est. Deniq; & eandem sententiam, qua dicitur ab euersione templi facta, anno 19. regni Nabuchodonosor, vsque ad initium regni Darij & Cyri, interficientium Baltasarem in Babylone, fluxisse annos septuaginta, approbant & ethnicorum chronographiæ, vt mox patebit. Ex his manifestum est, annos septuaginta desolationis, de quibus loquuntur propheтę, supputandos esse non à spontanea transmigratione Ioachin, qui primo anno regni sui vltrò & se, & matrem suam, & seruos, & principes, & eunuchos & thesauros domus Domini, cæteraque omnia dedit in manus Nabuchodonosor in Babylonem transmigrans, vt dicitur 4. Regum 22. Sed à destructione templi & desolatione Hierusalem, facta sub Sedechia, vndecim annis post eiusdem Ioachin transmigrationem. Hactenus ergo habes annorum supputationem à diluuio vsq; ad Cyrum, ex sacris literis demonstratam. Sequitur pars huius capitis secunda de supputatione temporum ex monarchijs ethnicorũ conformiter ad sacras literas: reliquum est iam ostendere per ipsas monarchias, quonã pacto hanc annorũ supputationem, à diluuio in Cyrum, approbent & ethnici scriptores probatissimi, Berosus, & Manethon, & Metasthenes chronographi veteres, quorum meminerunt Iosephus, Eusebius, Hieronymus, cæterique patres. Verùm hic in primis sciendum, quòd is, quem appellat scriptura Noe, apud Berosum & alios ethnicos vocatur Ogyges & Ianus, quæ nomina eiusdẽ esse personæ ipse Berosus etiam exprimit, appellans ipsum Noam. Qui autem in scripturis sacris vocatur Nymbroch, robustus venator coram Deo, apud ethnicos dicitur Saturnus, qui fuit pater Beli, seu Iouis, & auus Nini. Hic sanè Ninus ambitione dominandi, cupiditateq; monarchiæ, vitiare cœpit aureum seculum. A diluuio ipsius Noe vocati, seu (vt inquiunt) Ogygijs, vsq; ad regnum præfati Nini regis Assyriorum, supputant præfati Berosus & Metasthenes annos ducentos, 49. A Nino vsque ad finem regni Sardanapali, Metasthe. supputauit annos mille ducentos, triginta quinq;, numerãs annos in singulis regibus Assyriorum, à Nino vsque ad Sardanapalum, in quo sanè Sardanapalo extincta fuit Assyriorum monarchia. Prosecutus est Berosus tempora decem & octo regum Assyriorum, deinde Manethon, vbi Berosus reliquit, prosecutus est cæteros Assyriorum reges. Post Sardanapalum, vt tradit Metasthe. monarchia

Danielis 9.

Anni desolationis Hierusalem quo computentur.

Annorum supputatio à diluuio vsq; Cyrum ex ethnicorum chronicis.

Noe ab ethnicis vocatus est Ogyges, Ianus, & Noam

Universidad de Deusto
Biblioteca

monarchia fuit bipartita in duo regna, vnum Medorum ac Perſarum, alterum Babyloniorum, vtroque regno trecentis & quatuor annis ſuos proprios reges tenentes, donec præfatus Cyrus Medorum & Perſarum rex, Balthazarem regem Babyloniorum interficeret, factuſque Babyloniorum rex tranferret monarchiam illam, ſic bipartitam rurſus vnitam in Perſas & Medos. Sciendum eſt enim, quòd à Nino vſq; ad Sardanapalum, rex Aſſyriorum vnuſerat monarcha, & Medorum & Perſarum, & Babyloniorum. Poſt Sardanapalū ergo monarchia ſic in duo regna manſit diuiſa annis trecentis & quatuor vſq; ad Cyrum. Collige omnes annos ſimul per Beroſum & Metaſthenem deſignatos à diluuio vſque ad Cyrum, & habes octoginta ſeptem annos ſupra mille & ſeptingentos, quæ ſumma prorſus eſt eadem cum ſumma annorū ex ſacris libris collecta. Collegit autem Metaſthenes numerum iſtum annorum per numeros annorū, quibus reges primùm apud Aſſyrios in monarchia vnita, deinde apud Babylonios in monarchia bipartita regnauerunt, De numero annorum, quibus regnatum eſt à diluuio vſq; ad Ninum, & à Nino in monarchia apud Aſſyrios vſq; ad Sardanapalū, Metaſthenes in ſua Chronographia ſic loquitur: Beroſus, apud quem (inquit) fuit apud Aſſyrios publica & probata fides, omne tempus Aſſyriorū digeſsit ex antiquorum annalibus, quem ſolum vel maximè vnum Perſæ nunc ſequimur: is tradit ante Ninum ducentis & quadragintanouem annis regnatum fuiſſe ſub tribus dijs regibus, quorum qui primus, vniuerſo imperauit orbi, fuit Ogyges, qui præfuit inundationi terrarum. Deinde Saturnus, fundata Babylonia, regnauit annis ſex & quinquaginta. Belus, Iupiter eius filius, duobus & ſexaginta. Ninus eius filius, qui primus Monarchiam cœpit, annis quinquaginta duob⁹. Semiramis quadragintaduobus &c. Et cæteros ſic conſequenter ſecundùm ſucceſſionis ſeriem ſupputat Metaſthe. partim ex Beroſo, partim ex Manethone, recenſens ſingulorum regum & nomina & annos, quibus regnauerunt vſque ad Sardanapalum, colligens à Nino vſque in finem imperij Sardanapali, annos mille ducentos triginta quinq;. Et quia Euſebius noſter eoſdem reges, eorumque tempora ad Longum à Nino vſque ad Sardanapalum ſupputat, colligens à Nino vſq; in finem imperij Sardanapali, mille ducentos & quadraginta annos, non eſt opus hic prolixius immorari, præſertim quum Euſebius non deficiat in numero iſto annorum à Nino vſq; in ipſum Sardanapalum. In numero autem annorum regni ipſius Sardanapali deuiat a Beroſo & Metaſthene in annis quinque, deſcribens Sardanapalum regnaſſe annis viginti, quem Metaſthenes ſcribit regnaſſe ſolùm annos 15. Secundùm Beroſum ergo & Metaſthenem & Manethonem ſupputando annorum numeros, omne tempus à Nino vſque ad finem Sardanapali, eſt mille ducentorum trigintaquinque annorum. De numero annorum à fine regni Sardanapali vſque ad Cyrum, ſic loquitur Metaſthe. Interfecto (inquit) Sardanapalo, & ipſo flammis iniecto, monarchia bipartita fuit inter Phul Belochum, & Arbacem, ea lege vt Arbaces Mediam & Perſas regeret, Phul Belochus Babyloniam. Apud Medos hi regnauerunt annis 4. & trecentis, Arbaces viginti octo, Mandanes quinquaginta, & ſic conſequenter recitat ſingulorum regum nomina & annos vſq; ad Cyrum. Et quia ſcriptura ſacra meminit eorum regum, qui in monarchia bipartita apud Babylonios regnauerunt, idcirco ſcire nomina & numerum annorum, quibus regnauerunt, plurimum per omnem modum confert ad intellectum ſcripturarum. Et ideo hic textum ex Chronographia Metaſthe. inſerimus. Apud Babylonios (inquit) annis quatuor & trecentis hi regnauerunt, primus Phul Belochus annos quadragintaocto, Phul Aſſur 25. Salmanaſſer decem & ſeptem, Sennacherib ſeptem, Aſſar Adon decem, Merodach duos & quinquaginta, Benmerodach vnum & viginti, Nabuchodonoſor primus 15. Nabuchodonoſor magnus quinque & quadraginta, Amilinus Euilmerodach triginta,

Reges Babyloniorū à Sardanapalo vſque ad Cyrum.

triginta, filius huius primus Regaſſar tribus, ſecundus Lab Aſſerdach ſex, tertius Balthaſar quinque, quem interfecit Cyrus Medus. Poſt Sardanapalum ergo apud Babylonios primus regnauit Phul Belocus annis quadragintaocto. Iſte Phul ſic à Metaſthene deſignatus eſt, cum quo componere debuit rex Iſrael argento dato, quarti Regum decimoquinto. Poſt hunc regnauit Phul Aſſur viginti quinque annis. Iſte eſt, qui tranſtulit partem decem tribuum, videlicet, Galilæā & vniuerſum populum Nephtalim in Aſſyrios, tunc regnante Phacee, filio Romiliæ, ſuper decē tribus in Samaria, in diebus Acham regis Iuda, vt dicitur quarti regum decimoquinto & decimoſexto. Poſt iſtum Phul regnauit Salmanaſſer decē & ſeptem annis. Huius quoq; meminit ſcriptura. Nam iſte eſt, qui Oſeæ regem Iſrael, decemque tribus Samariæ tranſtulit captiuas in ciuitates Medorum in diebus Achā regis Iuda. In diebus huius Salmanaſſar captus eſt Tobias, de tribu & ciuitate Nephtalim, qui in captiuitate poſitus viam veritatis non deſeruit, omnia quæ habere poterat quotidie fratribus cōcaptiuis impartiens, Tob. 1. Poſt hunc Salmanaſſar regnauit Sennacherib annis decem & octo. Iſte Sennacherib anno 14. regis Ezechiæ aſcendit contra Iudam & Hieruſalem, & cœpit ciuitates vniuerſas præter Hieruſalem, deditque ei Ezechias rex Iuda centum talenta argenti, & triginta talenta auri, omneque argentum, quod poterat inuenire in domo Domini. Sennacherib autem nihilominus contra Hieruſalem inſaniens noluit pacem dare, blaſphemās Deum Iſrael: quamobrem & percuſſit Deus exercitum eius, centum & octoginta quinque milia hominum nocte vna, Ipſo rege Sennacherib in templo Dei ſui tandem iugulato à proprio filio ſuo, vt habet ſcriptura. Iſte eſt, qui propter plagam à Deo factam in exercitum eius, ob blaſphemiam à Iudæa fugiens, multos filiorum Iſrael occidebat, quorum corpora Tobias dum ſepeliret, iuſſus occidi, cum vxore ſua & filio fugit. Rege autem poſt quadragintaquinque dies occiſo à proprijs filijs Tobias reuerſus eſt in domum ſuam, Tobiæ 1. Poſt hunc regnauit Aſſaradon annis decem, qui interfecto Sennacherib patre, ſucceſſit ei in regnum, 4. Regum 19. Huius meminit Eſdras capite 4. De hoc & de patre illius interfecto ſic habet hiſtoria 4. Regum 19. Sennacherib cùm adoraret in templo Deum ſuum, Adramelech & Saraſar filij eius percuſſerunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnauit Aſſaradon filius eius pro eo. Poſt hūc regnauit Merodach annis quinquagintaduobus. Huius meminit ſcriptura quarti Regum vigeſimo. Ipſe eſt, qui miſit literas & munera regi Ezechiæ, vt habetur Iſaiæ 39. Poſt hunc regnauit Benmerodach annis viginti & vno. Iſtius non meminit ſcriptura ſub nomine proprio. Ipſe tamen eſt, qui principes ſuos miſit cōtra Iudæos, & qui Manaſſem regem vinctum catenis duxerunt in Babylonem, vbi Manaſſes coanguſtatus vinculis & carceribus humiliauit ſemetipſum, orans Dominum, qui & liberauit ipſum è Babylone, ſecundi Paralip. trigeſimotertio, Poſt Benmerodach regnauit Nabuchodonoſor primus trigintaquinque annis. Huius nō meminit ſcriptura: regnauit enim diebus Ioſiæ regis Iuda, ſub quo regnum Iuda nihil paſſum legitur à Babyloniis. Poſt hunc Nabuchodonoſorem regnauit Nabuchodonoſor magnus quadraginta annis. Iſte eſt, qui regem Ioakim regem Iuda, Danielem, Ananiam, Aſariam, & Miſaelem, vna cùm vaſis templi vinctum duxit in Babylonem. Rurſus iſte Nabuchodonoſor eſt, qui eodem anno Ioachin filium ſupradicti Ioakim ſponte exeuntem de Hieruſalem, ſuſcepit illum, vnà cum matre, ſeruis, eunuchis, principibus, & theſaurum templi conferens in Babylonem, 4. Regum 24. Iſte Nabuchodonoſor eſt, qui in Babylonem duxit Ioachin, Ezechielem, & Mardochæū. Iſte eſt Nabuchodonoſor, qui anno decimonono regni ſui deſtruens templū & vrbem Hieruſalem, poſuit Iudæam in deſolationem, ducens Sedechiam captiuum. Iſte eſt Nabuchodonoſor, qui Danielem ſomnij ſui interpretem exaltauit in principem ſu-

4. Reg. 17. a

Iſaiæ 37.

Facinora Nabuchodonoſoris magni.

Hieremiæ 52.

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

Daniel. 3. c

per omnes prouincias Babylonis. Iste est Nabuchodonosor, qui Danielem nolentem adorare statuam aureā, vnà cùm pueris tribus iussit mitti in fornacem ignis. A
Iste est Nabuchodonosor, qui septem annis versus in amētiam, inter bruta animalia vixit, & radicibus herbarum alitus est, qui & postea per misericordiam Dei restitutus in regnum, laudauit & glorificauit regem cœli Danielis 4. Sunt qui huius scripturæ historiam, de transformatione videlicet eiusdem Nabuchodonosor in bestiam, ad sensum mysticum referunt, asserentes nequaquam potuisse fieri, vt fœno per septem annos vesceretur homo, qui nutritus fuerit in delicijs, & septem annis absque vlla laceratione corporis vixerit inter bestias, & quòd per septem annos imperium sit illi reseruatum, præsertim cùm historiæ Chaldæorum nihil tale contineant. Sed his sufficiat responsio, homines amentes æstimare se ista facere, & hæc etiam suo modo facere. Iste igitur est Nabuchodonosor, cuius passim meminit scriptura multis in locis, vt in libro Danielis, in Hieremia, in 4. lib. B
Regum, & in 2. Paralip. Annus quartus regni Ioakim, fuit primus annus regni Nabuchodonosor, vt dicitur Hieremiæ 25. Annus decimus Sedechiæ, fuit annus decimus octauus Nabuchodonosor, vt dicitur Hieremiæ trigesimo secūdo. Annus vndecimus regni Sedechiæ, fuit annus 19. Nabuchodonosor regis, & tum facta est desolatio templi & ciuitatis Hierusalem: & ideo ab hoc decimonono anno regis huius, qui fuit vndecim⁹ Sedechiæ, incipiunt septuaginta anni desolationis. Post hūc regnauit Euilmerodach annis triginta, de quo Hieremiæ vltimo, & 4. Regum vltimo sic dicitur: Factum est in anno trigesimo septimo transmigrationis Ioachin mense duodecimo vigesimaquinta mensis, eleuauit Euilmerodach rex Babylonis anno quo regnare cœperat, caput Ioachin regis Iudæ de carcere, & locutus est ei benignè. Ex hac scriptura consequitur, primum annum regni Euilmerodach fuisse trigesimum septimum à transmigratione Ioachin, & vigesimum sextum à desolatione Hierusalem. Et ita ex scripturis consequens est, à principio regni Nabuchodonosor vsque in primum annum regni Euilmerodach, esse tempus quadragintaquinque annorum, quibus regnauit Nabuchodonosor, qui numerus est & ab ipso Metasthene designatus. Post illum regnauit Regassar, primus filius Euilmerodach, annis tribus. Post illum Labassardach, secundus Euilmerodach filius, quàmuis horum duorum regum sacra scriptura expresse non meminerit, nequaquam tamen possunt iusta ratione prætermitti, præsertim quia Metasthenes scriba, authoritate publica scribens tempora, ipsos simul & numerum annorum, quibus regnauerunt designauit, cuius Metasthenis sententiam magister quoque historiarū scholasticarum repetit, quam & Philo in sua temporum descriptione secutus est. Postremùm chronographia sic designata, magis videtur esse conformis D
scripturæ sacræ, quæ distinguēs transmigrationē ipsius Ioachin, à desolatione Hierusalem supputat 70. annos, non à trāsmigratione ipsius Ioachin, sed à desolatione Hierusalem, qua vniuersa Iudæorum terra facta est in solitudinem & stuporem, vt patet Hieremiæ 29. & 2. Paralipo. vltimo. De qua & Hieremiæ in lamentationibus: Quomodo sedet sola ciuitas plena olim populo. Supputandi sunt ergo
Cyrus sit monarcha Persarum & Babyloniorum.
anni illorum regum duorum fratrum, secundùm successionem regnantium. Post illos regnauit Balthasar tertius, præfati Euilmerodach filius, annis quinque, quem interfecit Cyrus rex Persarum, simul factus Babyloniorum rex, de quo Danielis quinto. In hoc itaque Cyro, iuxta Danielis testimonium, reunita sunt Persarum & Babyloniorum regna in vnam monarchiam, quemadmodum & ipse Metasthenes tradidit. Ex hac ergo Berosi & Metasthenis chronographia iuuatur sacræ theologiæ studiosus, ad intelligendas scripturas prophetarum, easdemque illo vel illo tempore impletas esse: ex hac luce clara videns, à decimonono anno Magni Nabuchodonosor, vsque in vltimum annum regni Balthasaris, esse tempus annorum

rum septuaginta præcisè, quos & scripturæ prophetarum passim commemorantes, vocant annos desolationis. Vnde & ex scripturis sacris ipsa chronographia Metasthenis demonstratur esse verissima, dum in illa à vigesimonono anno Nabuchodonosor, vsque in primum annum Cyri intimantur esse septuaginta anni, quemadmodum & eædem scripturæ sacræ docent. Secundò ex Chronographia hac planè videmus in primo anno imperij Cyri (qui interficiens Balthasarem, soluit captiuitatem Iudæorum, vt patet primi Esdræ primo) impletum esse vaticinium Hieremiæ, qui prædixerat: Seruient omnes gentes istæ Iudæorum Regi Babylonis septuaginta annis. Tertiò ex hac videmus in nece Balthasaris Babylonij impletam esse prophetiam, qua dicitur: Cùm impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gētem illam iniquitatem eorum, & ponam terram Chaldæorum in solitudines sempiternas, Hieremiæ vigesimoquinto. c. Quartò ex hac Chronographia videmus B
veram fuisse prophetiam Hieremiæ vigesimo septimo, in qua dicitur: Seruient omnes gentes istæ regi Babylonis & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius, id est, donec veniat tempus vltionis etiam super terram ipsius Babylonis. Seruierunt Iudæi captiui primùm regi Nabuchodonosor, deinde & ipsi Euilmerodach, seruierunt & tertiò filijs ipsius Euilmerodach, donec veniret vltio super ipsos. Vnde & tres filij ipsius Euilmerodach, secundùm successionis seriem regnauerunt, quorum tertius Balthasar (vt inquit scriptura, & iam sæpe diximus) est interfectus. Et quia sunt, qui inter nabuchodonosor & Balthasarem non ponunt reges vllos intermedios, propterea quòd in
Quòd Balthasar non fuit filius Nabuchodonosor.
quinto capite Danielis Balthasar dicitur esse filius ipsius Nabuchodonosor, & ipse Nabuchodonosor pater ipsius: sciendum est (inquit Hieronymus) hunc C
Balthasarem non esse filium Nabuchodonosor, vt vulgò legentes arbitrantur. Sed iuxta Berosum, qui Chaldæam scripsit historiam, & Iosephum, qui Berosum sequitur. post Nabuchodonosor, qui regnauit quadragintaquinque annis, successit in regnum filius eius, qui vocatur Euilmerodach, vt patet Hieremiæ vltimo. Post Euilmerodach successit in regnum Regassar, post quem Labassardach, post huius mortem filius eius Balthasar regnum tenuit, qui interfectus est à Dario rege Medorum, qui fuit Cyri regis Persarum auunculus. Hunc Darium in Græcis voluminibus quidam Astyagem, alij Astyagis filium putant. Hæc Hieronymus in commentarijs Danielis quinto. Quòd ergo in Daniele Balthasar filius Nabuchodonosor dicitur, hoc non, vt vulgus, propriè filium accipit, dici intelligitur: sed nomine filij in scripturis significantur nepotes & pronepotes. Deinde & filij in scripturis non nascendo solùm, sed & D
imitando vocantur: quemadmodum & gignere, seu generare non solùm accipitur secundùm carnem & sanguinem, sed & secundùm morum institutionem aut imitationem: quod ad longum declarat Hieronymus in quæstionibus secundi Paralipo. Sic ergo apud Danielem Nabuchodonosor, pater ipsius Balthasar appellatur, qui non vulgari modo pater, sed auus fuit ipsius. Sub primo anno huius Balthasaris, ostensa est Danieli visio de quatuor ventis cœli, pugnantibus in mari magno, & de quatuor bestijs magnis inter se diuersis, de mari ascendentibus, Danielis septimo. a. In anno tertio eiusdem regis, ostensa est Danieli visio de ariete & hirco, Danielis octauo. a. In quinto & vltimo anno regni sui, ipse Balthasar grande conuiuium faciens & bibens vnà cum suis concubinis ex vasis sacris, vidit manum scribentis in pariete, & interfectus est nocte illa, Danielis quinto. a. Quintò ex superioribus manifestum est, sacræ theologiæ studiosum non oportere conturbari ex varijs aliorum chronographijs, varijsque magistrorum expositionibus, variè sentientium de fine aut principio

Universidad de Deusto
Biblioteca

istorum annorum septuaginta. Sunt qui annos septuaginta istos incipiunt ab anno II. regis Ioachin, in Babylonem transmigrantis. Sunt qui incipiunt eos post Ioachin transmigrationem, vndecim annis completis, videlicet in vndecimo anno regni Sedechiæ, in quo destructa sunt templum & oppidum ipsum Hierusalem, in desolationem & solitudinem redactū. Sunt qui finiunt annos istos septuaginta in Cyrō. Sunt rursus qui finiunt multis annis post Cyrum elapsis. Prouenit autem hinc error & diuersitas inter ipsos, quia falsis & diuersis innitūtur chronographijs. Si verò innitantur chronographijs eorum, qui publica & probata fide annales regum ethnicorum conscripserunt, quales sunt Berosus, Metasthenes. Philo Hebræus, planè videbimus scripturam sacram huiuscemodi ethnicos reges commemorantem, esse lucidiorem, atque verificatam esse sub tali & tali anno, vnius aut alterius regis: Si autem innitamur chronographijs aliorum, qui non publica fide, sed per opinionem scripserunt, ingentes nascentur difficultates, super numeris annorum designatorum in sacris literis. Et idcirco in enumeratione istorum annorum septuaginta, & septuaginta hebdomadarum Danielis, non est standum authoritati, neque Iosephi, neque Talmudistarū, neque aliorum, qui sumpserunt tempora annorum regum Babyloniorum ex horū scripturis. Sed de his in sequentibus, cùm tractabitur de septuaginta hebdomadibus, dicetur. Ex hac ergo Metasthenis Chronographia collige omnes annos simul in bipartita monarchia, & habebis à principio Phul Beloci, vsque ad Darium & Cyrum, annos quatuor & trecentos. Quemadmodum ergo supputantes annos simul omnes à diluuio vsque ad imperium Cyri & Darij, colligimus mille & septingentos & octogintaseptem annos, per nomina regum & per numerum annorum, quibus regnauerunt, descriptos per ethnicos scriptores, Berosum & Metasthenem. Sic & hunc eundem numerum collegimus ex sacris literis, quemadmodum in superioribus est demonstratum. Patet: Nam à diluuio vsque ad ortum Abrahæ, sunt anni ducenti nonaginta duo, per conclusionem secundam. Ab ortu Abrahæ vsque ad mortem Ioseph in Ægypto, sunt anni trecenti sexaginta, per conclusionem tertiam. A morte Ioseph vsque ad legem datam in deserto, seu ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, sunt anni centum quadragintaquinque, per conclusionem quartam. A lege data vsque ad inchoatum templum, anno quarto regni Salomonis, sunt quadringenti octoginta, per quintam conclusionem. A quarto anno regni Salomonis vsque ad desolationem & destructionem templi, sunt anni quadringenti & quadraginta, per conclusionem sextam & septimam. A desolatione vsque ad Cyrum & Darium, qui captiuitatem relaxauerunt, sunt anni septuaginta. Iunge simul annos omnes, & habebis mille septingentos octoginta & septem annos à diluuio vsq; ad imperium Cyri & Darij. Huic annorum numero si adiunxeris mille sexcentos quinquagintasex annos à principio mundi vsque diluuium, habes à principio mundi vsque ad Cyrum, ter mille quadringentos & quadragintatres annos. Neque turbari oportet in eo, quòd Beda & cæteri, à diluuio vsque ad Cyrum habeant breuiorem temporis seriem. Nam & ratio huius differētię est ex superioribus manifesta. Ex his ergo cùm pateat, chronographiam Berosi & Metasthenis hac in parte esse veram, & conformem annorum numeris descriptis in scriptura sacra, consequens est reijciendos esse omnes Chronographos ab istis ita discrepantes, vt tēporibus in scriptura sacra designatis nequeant coartari. Nam in scripturis sacris intelligēdis, etiam ab ethnicis est accipiendum, præsertim in historijs & temporum supputationibus, quicquid scripturæ sacræ consonum est & conforme: quicquid autem ab hac dissentit, est reijciendum. Insuper & ex his manifestum est, quòd ea quæ docet sacra historia in libro Geneſis de vniuersali diluuio sub Noe, aliaque multa illic recitata, etiam fuerint vtcunq; ethnicis

A

B

C

D

Chronica ethnicorum cum sacrā scriptura conueniunt in annis à diluuio vsque imperium Cyri.

Epilogus annorum à diluuio vsque ad Cyrum.

A diluuio vsque ad Cyrū & Dariū sunt anni 1787.

Ab Adā vsque ad Cyrū sunt anni 3443.

ethnicis cognita. Neque Deus absque suiipsius cognitione prorsus reliquit gentes. Vnde & præter naturæ talenta ipsi naturæ insita, velut semina quædam, quæ auditu & voluntate exculta fructificant, testimonium creatoris etiam multa gesta & miracula in sacris literis designata, quæ sola fide ex auditu cognoscūtur, nō fuerunt illis prorsus abscondita. Sed de his in alijs. Hactenus ergo tam ex scripturis sacris, q̄ ex probatissimorum ethnicorum chronographis habes certum annorum numerum, conformiter traditum à diluuio vsq; in primum annum imperij Cyri, qui interfecto Balthasare regnare cœpit super Babylonios. A Cyro autem vsque ad Alexandrum Magnū, & ab Alexandro consequenter vsq; ad Christum non habemus scripturas sacras, ex quibus colligamus certum numerum annorum: sed oportet huius temporis annos mutuare ab alijs scriptoribus, & eis quidē probatioribus. Vnde præfatus Metasthenes in supputatione temporum probatus, vsque ad sua tempora, videlicet vsque ad imperium Alexandri magni nobis tempora describit. Sit ergo hæc nona conclusio: A Dario & Cyro ad Alexandrum magnum, qui interficiens Darium vltimum Medorum, Persarum, ac Babyloniorum regem, transtulit imperium in Græcos, sunt anni centum nonagintaunus, quemadmodum supputat ipse Metasthenes, designans in singulis regibus & nomina & numeros annorum quibus regnauerūt. Et quia scire horum regum & nomina, & numeros annorum quibus regnauerunt, plurimùm per omnem modum confert ad intelligendum scripturas, & ad supputandum Danielis Hebdomadas, aliasque prophetias & historias in Daniele, in Esdra, in Aggæo, & Zacharia, commemorantes hoc, vel illo anno, aut Darij, aut Artaxerxis, aut Nabuchodonosor accidisse. Idcirco probatam chronographiam hic inseremus ipsius Metasthenis dicentis, quòd Balthasare interfecto regnauerunt simul Cyrus & Darius annis duobus. Deinde Cyrus solus, duobus & viginti. Post quem Priscus Artaxerxes Assuerus, filius darij, annis viginti, vltione interea sumpta de factione Tamirica, quæ per dolum tradiderat patruum Tamiræ. Post Priscum illum Artaxerxem duo filij eius, Artabanes & Darius Longimanus septem mensibus pro imperio dimicauerunt, & septimo mense cessit victoria Dario Longimano, qui regnauit annis septem & triginta. Post quem filius eius Darius Nothus regnauit annis decem & nouem. Post illum Magnus Artaxerxes. Darius Mnemon regnauit annis quinquagintaquinque. post quem Artaxerxes Ochus sex & viginti. Nostra ætate Arses regnauit annis quatuor. Post quem Darius vltimus, sex. Post quem magnus Alexander, qui transtulit imperium in Græcos, regnauit annis duodecim. Seleucus Nicanor, qui nunc agit annum trigesimum, successit toti Asiæ & Syriæ. Hactenus Metasthenes. Ex his igitur manifestum est, quòd à primo anno, quo Darius & Cyrus, interfecto Balthasare, simul regnauerunt vsque ad imperium Alexandri magni, sunt anni centum nonagintaunus. Sunt qui numerum annorum à Cyro vsque in Alexandrum, longè maiorem ponunt, & hi quidem inter se adhuc sunt varij atque diuersi. Verùm supradicta & regum & temporum ipsorum descriptio, videtur nobis probatior, & scripturis in libris Esdræ, in Daniele, in Hieremia conformior, præterquàm in ætatibus duorum hominum, Mardochæi videlicet, & Neemiæ, qui secundùm hanc chronographiam videntur vixisse longius, quàm ferre possit naturalis humanæ vitæ cursus. Sed hanc difficultatem soluere habent Eusebius, Beda, alijque veteres chronographi, ponentes historiam Hester contigisse sub Artaxerxe Mnemone. Vnde & secundùm Eusebij ac Bedæ chronographiam, à transmigratione Ioachin, cum quo Mardochæus dicitur esse in Babylonem translatus, vsque in duodecimum annum Darij Mnemonis, sub quo & ipsi constituunt historiam Hester & Mardochæi, defluxerunt anni sex & ducenti: quo fit, vt ætas Mardochæi magis obuiet

A

B

C

D

Deannis à Cyro vsque Christum agit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illorum chronographiæ, quàm chronographiæ Philonis & Metasthenis. A

Anni ab Alexandro Magno vsque Christum

Conclusio decima: Ab Alexandro, qui monarchiam persarum, Medorum, ac Babyloniorum transtulit in Græcos, vsq; in finem regni Pers. vltimi regis Macedonum, per Romanos superati, circiter primũ annum ducatus Iudæ Machabæi, sunt anni 174. A fine autem regni Macedonũ, seu á primo anno ducatus Iudæ Machabæi vsque ad Iulium Cæsarem, sunt anni 115. A primo autem anno Iulij Cæsaris vsq; in Christum sunt anni 46. Patet hæc conclusio ex chronographia Eusebij, per Olympiades supputando, demonstraturq; in parte sequenti latius.

Epilogũ omnium prædictarũ supputationũ vide in capit. proximo.

Tertia pars huius capituli de regum ethnicorum, quos scriptura commemorat, temporibus collatis ad gesta in eisdem scripturis recitata.

PRO intellectu scripturarum, operæpretium est horum ethnicorum regum tempora conferre ad gesta in scripturis sacris recitata. Sciendum est ergo quòd in principio primi anni regni illius Darij, qui cum Cyro simul regnauit Daniel est honoratus, sed per satraparum inuidiam accusatus, in lacum tandem leonum missus. Insuper & in principio eiusdem anni ostensum B

Danielis 6.a. est danieli tempus instare quo implerentur anni desolationis Hierusalem, in quo & eidem Danieli intimatus est numerus septuaginta hebdomadarum vsque ad Christum. Deinde & in eodem anno primo Darij, facta est Danieli visio de no-

Daniel 9.e uissimis temporibus, & de Antichristo. Danielis 11. Eiusdem Darij anno primo, Cyrus dedit Iudæis in Babylone captiuis facultatem redeundi in Hierusalem, soluens captiuitatem, & restituens vasa sacra. Secundo regni huius Darij & Cyri anno, Iesus filius Iosedech, & Zorobabel iecerunt templi fundamenta, prophetantibus Aggæo & Zacharia prophetis, primi Esdræ 2. Deinde mox ipsis per hostes vicinos impeditis, cessatum est ab ædificando vsque in secundum annum Darij Longimani. Cæterùm vt magis elucidentur scripturæ ex supradictorum regum ethnicorum temporibus, & annorum numeris habita consideratione & collatione ad nomina & ad tempora regum in sacris literis designata, operæpretium est de his hic inserere septuaginta seniorum sententiam, iuxta disertissimi Philonis sententiam. Populo, inquit, Iudæorum præfuerunt duces ex domo Dauid, & sacerdotes ex Leui seorsum, vsque ad tempora Machabæorum, & de his septuaginta seniores in scriptis sic reliquerunt: Iesus filius Iosedech magnus pontifex cum Barachia, Zorobabele, filio Mezebelis anno primo Cyri venit Hierosolymam, & dum hi secundo anno iacerent fundamenta templi, prophetantibus Aggæo & Zacharia prophetis ob mortem Darij Hystaspis, impeditum est opus, nec adiri potuit Cyrus, qui bello Tamirico erat impeditus. Successit interfecto Cyro, Priscus Assuerus Artaxerxes, qui bellum parabat contra Artaxat, factionis Tamiricæ fautorem. Ad Assuerum qui intra Babyloniam sese continebat Iesus pontifex, quia duces Syriæ contra Hebræos scripserant, se contulit, relicto in pontificatu, anno duodecimo Assueri, filio suo Ioakin, qui & elih, Ergo quia eo anno erat Assuerus occupatus bello, non est auditus Iesus. Assuerus victor cùm sequenti anno missum à se Holofernem à Iudæis truncatum audisset, edicto publico vetuit templum erigi. Successerunt duo filij eius de imperio contendentes. sed Dario Longimano, qui votum relaxandi edictum patris emiserat septimo mense, victoria cessit. Anno huius Darij primo reuersus Iesus, hortantibus eisdem prophetis, ædificare templum annixus est. Gessit ergo Iesus Pontificatum primum, vsque ad duodecimum annum Assueri Prisci, annis sex & triginta. Ioakin filius eius in absentia annis octo, is & gesta Iudith conscripsit, & anniuersariam liberationis memoriam quotannis agendam instituit. C

Pontifices à principio Iudaica per Cyrum soluta.

Idem Iesus D

A Idem Iesus reuersus, prosequutus est pontificatum annis viginti, vsque ad vigesimum annum Longimani, natus annos triginta & centum, cui successit Ioakin, secundo item pontifex annis quadraginta octo, vsque ad duodecimum annum Magni Artaxerxis Assueri. Hic item Ioakim gesta Hester conscripsit, & memoriam Phurim, id est sortium, instituit, hortante illum per literas Mardochæo, qui decem & octo annos ætate Isaac superauit. Tertius pontifex successit Eliasib annis vno & viginti, vsque ad trigesimumtertium annum Magni Artaxerxis supradicti. Hic Eliasib primus posuit Hierosolymis portam gregis. Quartus pontifex Ioiada gessit pontificatum annis viginti quatuor, & totidem Ioathan vsq; in finem Ochi Artaxerxis. Vltimus sub Persis fuit sextus pontifex Iaddua annis decem, vsque in Alexandri imperium. Hactenus septuaginta seniorum sententiæ. Ex quibus consideratis mirum in modum illustrantur multa scripturæ sacræ loca ob-

B scura in libris Esdræ, Danielis, Aggæi, & Zachariæ. Primùm ex illis patet, quòd duo fuerunt Darij, vnus Medus, videlicet Cyri patruus, appellatus Darius Hystaspes. Alter Darius Longimanus, & quòd sub vtriusque Darij anno regni secundo iidem fuerunt prophetæ vaticinantes: Aggæus scilicet & Zacharias, eædem personæ ædificantes templum, Iesus videlicet & Zorobabel. Hæc omnia patent primi Esdræ secundo, tertio, quarto, & quinto capitulis. Et hinc iam Aggæi primo, Zachariæ primo, & sequentibus capitulis, dum dicitur, Verbum Domini factum esse ad prophetas illos anno secundo Darij, emergit obscuritas & difficultas inter expositores, quibusdam dicentibus Darium Medum, qui cum Cyro regnauerat illic significari, propterea quòd Zachariæ septimo dicitur: Anno quarto Darij regis. vbi oportet intelligere alium Darium, quàm Darium Medum. Hic enim post solutã Iudæorum captiuitatem, solùm regnauit cum Cyro annis duobus, & mortuus est, vt patet ex supradictis. Sed de hac difficultate infrà latius. Secundò patet iacto templi fundamento secundo anno Darij Medi eodem anno morientis, impeditum esse opus templi omnibus diebus Cyri. Patet primi Esdræ quarto. Impeditum quidem opus, non per Cyri personam, qui bello Tamarico impeditus, adiri non potuit, sed per

C principes vicinos Iudææ hostes. Qui etiam post Cyrum in regno Assueri Artaxerxis scripserunt accusationem aduersus Iudæos ad eundem Artaxerxem, significantes ei, quòd si Hierusalem ciuitas rebellis reædificetur, Iudæi tributum & vectigal non dabunt. Quibus rescripsit ipse, vt prohiberent illis ne ædificarent: & tum intermissum est opus vsque ad annum secundum Darij Regis Per-

D sarum. Primi Esdræ quarto. Tertiò patet, quòd qui in libro Iudith appellatur Nabuchodonosor, is primi Esdræ quarto vocatur Assuerus atque Artaxerxes, ab ethnicis vocatus etiam Cambyses. Insuper patet Iesum summum sacerdotem, posteaquàm sub Cyro venit in Hierusalem reuersum esse in Babylonem, vt illic apud regem sollicitaret pro amouendis impedimentis, quæ præstabant hostes Iudææ, impedientes ædificare templum, quod & ipse Assuerus in principio regni sui, suggerentibus aduersus Iudæos hostibus, ædificare prohibuerat, vt patet primi Esdræ quarto. Quòd autem Iesus ipse primùm sub Cyro, deinde sub Dario isto ex Babylone ascenderit in Hierusalem, patet tertij Esd. quinto. Quintò patet, quòd ex huius Assueri regis anno duodecimo vsque in vigesimum regni eiusdem annum, Ioakin filius Iosue pontificatum vice patris gessit, qui & historiam conscripsit Iudith viduæ commorantis in Bethulia ciuitate. quæ anno decimotertio regni eiusdem Assueri occidens Holofernem principem exercitus Nabuchodonosor, liberauit populum Israel, cuius liberationis anniuersarium

Universidad de Deusto
Biblioteca

diem quotannis celebrandum instituit ipse Ioakin, qui & capite quarto libri Iudith Eliachim appellatur. Vnde ex libro Iudith patet quòd rex iste Assuerus deuicto Artaxat eleuatus in superbiã, cogitauit suo imperio subiugare omnem terram, mittens Holifernem principem militiæ suæ. Assuerus autem audiens, vt inquiunt septuaginta seniores, tandem eundem Holifernem principem suum occisum esse à muliere Hebræa, edicto publico vetuit templum erigi. Sextò patet, quòd Assuero illo Artaxerxe mortuo, duo filij eius pro imperio dimicauerunt mensibus septem, & quòd victoria cessit Dario Longimano, qui votum Deo cœli fecerat relaxandi edictum patris, si victor euaderet: de quo voto habes in prædicta sententia septuaginta seniorum, & tertij Esdræ tertio & quarto capitulis. Vnde adolescens nomine Ioachin filius Sorobabelis coram rege isto, anno regni eius secundo, loquens sermones mirificos, demonstrauit veritatem super omnia vincere, qui & ideo vnus inter tres iuuenes inuentus est sapientior. Vnde & rex ait illi: Inuentus es sapientior. pete quod vis, & dabo tibi. Cui adolescens: Memor esto, inquit, voti tui quòd vouisti ædificare Hierusalem in die quà regnum accepisti, & remittere omnia vasa quæ ex Hierusalem sunt. Impleas ó rex votum quod vouisti regi cœli ex ore tuo. Tum surgens rex Darius scripsit literas ad omnes dispensatores & præfectos, vt eum deducerent in Hierusalem. Et tum ascenderunt Iesus filius Iosedech, & Ioakin filius Sorobabelis. Patent hæc tertij Esdræ quarto & quinto capitulis. Hic sane tertius liber, hac in parte de voto Darij emisso, conformis est sententiæ septuaginta seniorum & Philonis, quãuis sit apocryphus, & in multis depravatus. veluti cùm in quarto capite dicitur: Tertius qui dixerat de mulieribus & veritate, hic est Sorobabel, cœpit loqui, & cæt. Hoc quod dicitur, Hic est Sorobabel, per sciolum quendam adiectum est: Nam sub secundo anno Darij huius, ipse Sorobabel non potuit esse adolescens. Deinde & in capite sequenti: Hic qui loquutus est mirifica coram Dario isto planè asseritur esse Ioachin Sorobabelis filius. Darius ergo Longimanus memor voti sui, Iudæis facultatem dedit ædificandi, scribens epistolas, quibus & relaxaretur patris edictum, & deduceretur Ioachin filius Sorobabelis, ac Iosue sacerdos magnus, filius Iosedech, ac omnes quotquot erant in Babylonia ex Iudæis, & traderentur ligna cedrina à Libano in Hierusalem ad opus ædificij, & remitterentur in hierusalem omnia vasa templi ex Hierusalem asportata, quæ separauerat Cyrus à prophano regis Babyloniorum templo, præceperatque mitti in Hierusalem. & vt dicitur tertij Esdræ 5. misit Darius rex vnà cum eis equites mille, qui deducerent eos in Hierusalem cum pace, cum muscis, & cum tympanis: quibus & in Hierusalem venientibus, Aggæo atque Zacharia prophetantibus anno secundo Darij, quemadmodum in libris ipsorum propheticis continetur, surrexerunt Sorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedech, & cœperunt ædificare templum Dei in Hierusalem, & cum eis prophetæ Dei adiuuantes. Ad eos autem iam ædificantes venerunt hostes duces trans flumen perturbantes & conantes impedire illos, & missis literis ad Darium, significauerunt ei quòd cùm vellent prohibere ne ædificarent, Iudæos respondisse, Cyro imperante se hoc facere, & propterea iubeat quærere in domo thesaurorum, an Cyrus talem dederit facultatem. Darius autem acceptis literis, iussit inquiri in archiuis, seu bibliothecis, quæ nam olim fuisset super hoc voluntas Cyri, & inuentum est volumen vnum in quo scriptũ erat decretũ Cyri, vt domus Dei in Hierusalem ædificaretur, sumptusq; de domo regis darentur, & vasa tẽpli remitterentur. Quo decreto inuento, Darius iste anno secundo regni sui decreuit, vt domus Dei ædificetur, & de arca regis sumptus dentur, & vniuersa quæ ad hostias offerẽdas sunt necessaria ministrentur, vt offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis, & pro

pro vita filiorum eius. A me ergo (inquit Darius) positum est decretum hoc, vt omnis qui mutauerit hanc iussionẽ, tollatur lignum de domo ipsius, & figatur in eo, domus autem eius publicetur. 1. Esdræ 6. Septimò patet à Cyro vsque ad imperium Alexandri eundem annorum numerum, quem suprà diximus esse olim ante mille quadringentos annos designatum in chronographia 70. seniorum, & Philonis per sex pontifices, quos Neomias cap. 12. enumerat. Iesus seu Iosue sacerdos genuit Ioakin, Ioakin genuit Heliasib, Heliasib genuit Ioada, Ioada genuit Ionathan, Ionatha genuit Iedda. Horum pontificum annos quibus præfuerunt populo Israel supradicti seniores supputant hoc pacto. Quemadmodum in superioribus dictũ est Iosue, qui & Iesus, filius Iosedech soluta captiuitate, pontifex fuit 74. annis, à primo videlicet anno Darij & Cyri, vsq; in vigesimum annum Darij Artaxerxis Longimani, viuens annos centum & triginta. Post hunc Ioakin alio nomine vocatus Elich, extitit pontifex 48. annis. à vigesimo scilicet anno Darij Longimani vsque ad annum duodecimum Darij Mnemonis: qui Darius in libro Hester vndecimo capite vocatur maximus Artaxerxes, & Assuerus, qui & maritus Hester fuit, sub cuius anno regni duodecimo, missa est in vrnam sors, quę Hebraicè dicitur phur, coram Aman. quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici. Hester tertio. Insuper iste Ioakin est, ad quem, & ad vniuersum populum Iudæorum scripsit Mardochæus literas, vt decimum quartum & decimum quintum diem mensis Adar pro festis susciperent, & reuertente semper anno solenni celebrarent honore: quia in ipsis diebus se vlti sunt de inimicis suis, dum Aman & filij eius molientes vniuersum genus Iudæorum extinguere, suspenduntur in patibulo, vt patet in libro Hester capite nono. Instituit itaque Ioakin pontifex summus diem Phurim quotannis solenniter celebrandum, hortante illum per literas Mardochæo. Post Ioachin extitit Eliasib pontifex annis vno & viginti vsq; ad vigesimum tertium annũ præfati Darij Mnemonis Magni Artaxerxis. Sub hoc pontifice vrbs Hierusalẽ muris & portis clauditur, secundi Esdræ tertio. Sub hoc pontifice fuit Neemias, qui anno vigesimo Artaxerxis venit in Hierusalem ad muros instaurandum, qui rursus & anno trigesimo secundo eiusdem Artaxerxis venit in fine dierum suorum ad regem ipsum, cupiens habere facultatem redeundi in Hierusalem, vt patet Neemiæ decimotertio. Et quia secundum superiores sententias à principio imperij Cyri, vsq; in trigesimum secundùm annum Artaxerxis Mnemonis, sunt anni centum & triginta duo, cõsequens est Neemiam istum vixisse circiter annos centum quadraginta: si tamen ipse est idem Neemias, qui primi Esdræ secundo recitatur, Primo anno Cyri reuersus esse in Babylonem cum Sorobabel & Iosue. Vnde & Africanus non multum ab hoc annorum numero discordat, ponens ab initio Cyri vsq; in vigesimum annum illius Artaxerxis, quo muri sunt constructi annos quindecim supra centum. Post Eliasib extitit Ioada in pontificatu annis quatuor & viginti vsq; ad annum secundum Artaxerxis Ochi. Hic Ioada iam habebat filios natu grandes, ex quibus poterat fieri gener ipsi Sanaballath, secundi Esdræ vltimo. Post Ioadam extitit Ioathan pontifex annis totidem, id est, quatuor & viginti vsque in finem regni Artaxerxis Ochi. Post Ioathan fuit Iaddua pontifex annis decem vsque ad Alexandrum magnum. Collige simul annos omnes, & habebis summam annorum centum nonaginta & vnius, quę summa resultat ex temporibus regum secundùm Metasthenem, supputatis à Cyro vsque in eundem Alexandrum. En vides summam annorum designatorum per 70. seniores, & per diserti ssimum Philonem à Cyro vsq; ad Alexandrum prorsus conuenire cum summa, quam in sua chronographia Metasthenes designauit. Octauò patet & eadem annorum summa, supputando tempora ducum, qui post solutionem captiuitatis præfuerunt populo Iudæorum vsq; in tempus eiusdem Alexandri.

Anni pontificum à captiuitate soluta per Cyrum vsque Alex. magnũ.

Duces qui Iudæis præfuerunt à soluta captiuitate vsque Alexandrum magnũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dri. Vnde Ioachin rex Iuda captiuus alio nomine (vt inquit Philo) vocatus Neri A
per Euilmerodach solutus & liberatus è carcere in Babylone genuit Salathiel, vocatum alio nomine Mesezebel. Salathiel genuit Sorobabel. Sorobabel autem alio nomine appellatus Barachias primus dux in solutione captiuitatis præfuit annis octo & quinquaginta, vsque ad decimumquartum annum Darij Longimani. Post Sorobabelem filius eius vocatus Misciola, secundi Esdræ tertio, apud Lucam vocatus Resa, præfuit annis sex & sexaginta, vsque ad vigesimum sextum annum Darij Mnemonis. Hic anno 20. Artaxerxis ædificauit muros Hierusalē vnà cum Eliasib, aliisq; principibus, vt patet Neemiæ tertio. Post Resam Ioanna filius eius dux præfuit annis tribus & quinquaginta, vsq; in annum vigesimum Artaxerxis Ochi. Post Ioānan dux fuit Iudas primus cognomine Hircanus, qui dux præfuit annis 14. vsque in annum primum regni monarchiæ Alexandri. Hactenus Iudæi Philonis B
Matth 1. sententiæ, ex quibus & intellectus patet eius, quod apud Matthæum dicitur, Iosias genuit Iechoniā & fratres eius in transmigratione Babylonis, & post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel. Iosias non fuit in transmigratione, ideo neq; vllos genuit in trāsmigratione filios: sed tempore illo, quo iam instabat transmigratio genuit filios, qui fuerunt in transmigratione, vtpote Ioacham, qui translatus fuit in Ægyptum, Ioakim & Sedechiam, & Ioachin nepotem suum, qui translati fuerunt in Babylonē. Ioachin Iosiæ ex filio nepos per Euilmerodach solutus carcere in Babylone genuit Salathiel. Sed hic ne in genealogia conturbetur lector ex scripturis sacris, operæpretiū est sanè ac rectè intelligere generationem
Generationes Ioachin. Ioakim, primi Paral. tertio, vbi sic dicitur. De Ioakim natus est Iechonias & Sedechias. Filij Iechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel, Mechiram, Pedaiah, Senneser, Iecemià & Saba & Madabia. De Pedaiah orti sunt Sorobabel & Semei. Sorobabel genuit Missollam & Ananiam. Filius autem Ananiæ Phalcias pater Hiesciæ, & reliqua. In hac generationis serie, Sorobabel videtur designari filius Pedaiah, & esse genitus non de Salathiele, sed de Pedaiah fratre ipsius Salathielis: quod repugnare videtur genealogiæ à Matthæo & Luca descriptæ. Sed hic sciendum, quòd secundùm Hebræos, eiusdem personæ nomina fuerunt Aser, Salathiel, Mechiram,
Hieronymus. Pedaiah. Et hæc ne confingere videamur, audiamus de his sententiam Hieronymi, in quæstionibus 1. lib. Paralip. Filij Iechonię (inquit) Asser, Salathiel vnum nomen est, ipse est Pedaiah pater Zorobabel Senneser filius Iechoniæ, in Esdra Gesbaser nominatur, cui Cyrus annumerauit vasa domus Domini. Hæc ille. Proinde quòd textus dicit de Pedaiah, orti sunt Sorobabel & Semei, perinde est acsi diceretur: de Salathiel orti sunt Sorobabel & Semei. Et hoc ita esse constat ex scripturis, quæ Sorobabelem planè appellant filium Salathielis, Aggei 1. & 2. & secundi Esdræ quinto, Matthæi primo, Lucæ 5. In eo ergo quod dicitur 1. Paralip. 3. Filij Iechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Pedaiah, Sennasar, & Iecemia, Saba & Nadabia, solùm designantur quinque filij, quorum primus fuit quatuor nominum appellatione vocatus, videlicet Asir, Salathiel, Melchiram, Pedaiah. Vnde sensus textus est: Filij Iechoniæ fuerūt, primus Asir, qui vocatur Salathiel, Mechiram. Pedaiah. Sed hæc pro scripturarum concordia. Vnde & hos duces videlicet Ioānam, Resam, Sorobabelem, Salathielem, Neri, id est, Ioachin, qui & apud Matthæum vocatur Iechonias, nominatim etiam ponit Lucas in genealogia Christi. Verùm Lucas ex Iechonia ascendit ad Dauid per Nathā Salomonis fratrem. Matthæus autem à Dauid per Salomonem descendit ad Iechoniam. De huius obscuritatis difficultate in alijs. Ad numerum annorum redeuntibus manifestū est ex supradictis, quòd à principio mundi vsque ad principium regni monarchiæ Græcorum, quæ incepit ab Alexandro magno, defluxerint anni ter mille sexcenti & triginta quatuor. A diluuio autem vsque in eundem primum annum monarchiæ Alexan-

CAP. V.

Epilogus præ dictarum suppotationum à principio mũ di vsque ad Christum.

A Alexandri, concorditer iuxta suppositionem ex scripturis collectam, simul & iuxta numerum annorū in regibus ethnicis, ex Berosо & Metasthene & Manethone desumptum, sunt anni mille nongenti, septuagintaocto. Ab ortu autem Abrahæ vsque in eiusdem Alexandri imperium, sunt anni mille sexcenti octogintasex. Nonò patet alium fuisse Darium & Artaxerxem, sub cuius anno regni sexto consummatum est templum: alium Darium Artaxerxem, sub cuius anno regni vigesimo construūtur muri & portę Hierusalem: & ita alius Artaxerxes, de quo primi Esdræ septimo, & Neemiæ primo & secūdo. Decimò patet, Neemiam & Esdram sub Dario Mnemone ascendisse ex Babylone in Hierusalem. Sub anno duodecimo huius Darij Mnemonis cōtigit historia Hester, periclitata est tota gens Iudæorum, Aman iussu regis à cunctis genibus flexis adoratur. Mardochæus non adorans illum accusatur, sors in vrnam mittitur, quo die gens Iudęorum sit prorsus de-
B lenda decernitur, Hester ieiunium & orationem à populo fieri postulat, & indutа regalibus vestimentis regi grata, quicquid vult ab eo impetrat, Mardochæus exaltatur. Aman suspēditur. gens Iudæorum liberatur. Patent hæc omnia ex scriptura sacra in libro Hester. Vndecima conclusio: A principio imperij Alexandri Ab Alexādro vsque ad Christum 335. anni. vsque 32. annum principatus Herodis, sub quo natus est Christus, sunt anni trecenti & triginta quinque. Ista conclusio per chronographos fide probata scribentes admittitur. Vnde Philo ab Alexrandro vsq; in Iudam Machabæum, per vndecim duces ex Domo Dauid vsque ad Iudam Machab. supputat annos centum & septuagintaquatuor. A Iuda autem Machabæo, qui primus simul dux & pontifex ducatum à domo Dauid surripuit vsque ad Herodem per septem duces, vnumq; ducem Alexandrum nomine, supputat annos centum & vigintinouem. Ab Herode autem vsq; ad natiuitatem Christi, sunt anni triginta duo. Iunge simul ab Ale-
C xandro annos vsque in Christi natiuitatem, & habebis annos trecentos triginta quinque. His sic positis, si annos omnes à principio mundi vsque in Christi natiui- Annũ mũdo cõdito vsque Christum natum 3969. tatem simul digesseris, habebis annos ter mille, nongētos, & sexagintanouē. Quòd autem Beda minorem numerum ponat, recensens à principio mundi vsque in natiuitatem Christi ter mille annos nōgentos & quinquagintaduos, supradictis non obuiat. Nam hæc differentia in septendecim annis, quos ipse à principio mundi vsque in Christum pauciores habet, prouenit de industria Bedæ, qui sequutus textum Hebraicū, ponit Aman filium Manasses regnasse annis solùm duobus, prætermittens annos decem, quos regnauit absente patre, quos tamen nos adiecimus secuti septuaginta seniorum traditionem secundùm Philonis chronographiam. In reliquis autem annis septem differētia prouenit in supputatione vnius anni regni Attalię, & in supputatione temporum ab euersione Hierusalem vsq; ad Chri-
D stum, in quibus temporibus supputandis sacra deficit historia, & ideo in horum temporū supputatione secuti eam (quæ visa est probatior) sententiam, iuxta Philonem & Metast. & in monarchia Græcorum ipsum etiam Eusebium, cæteros q; probatos, annorum numerum recensuimus. Secundùm has ergo conclusiones, à Epilogus omnium annorū principio mundi vsq; ad Christum, sunt anni 3969. A diluuio autem vsq; ad Christum, habebis annos bis mille trecentos & tredecim. Ab ortu verò Abrahæ vsque ad Christum, bis mille & 21. A desolatione Hierusalē, seu templi destructione vsq; ad Christum, habebis annos quingentos & 96. A Cyro, seu solutione captiuitatis Iudæorum vsq; in Christum, quingentos & 26. A secundo anno Darij Longimani, qui obtenta victoria satisfaciens voto suo facto Deo omnipotenti, dedit Iudæis facultatem perficiendi templum, olim sub Cyro inchoatum, vsque ad Christi natiuitatem, habebis annos quadringentos & octogintavnum, qui faciunt sexagintaocto annorum hebdomadas, & annos 5. Vnde secundus annus Darij Longimani est, in quo de consummando templo pridem fundato, & de Hierusalem reædificanda

Universidad de Deusto
Biblioteca

canda prophetauerunt Aggæus & Zacharias ex ore Domini dicentis: Reuertar ad Hierusalem in misericordia, domus mea ædificabitur in ea, & perpendiculum extendetur super Hierusalem, Zachariæ 1. Et quia ab illo anno numerantes vsque ad Christum, veniemus in sexagesimamnonam hebdomadam, consequens est in secundo illius Darij anno factum esse exitum sermonis, de quo scribitur Danie. 9. vt mox patebit. Item à 20. regni Darij Mnemonis anno vsque in annum natiuitatis Christi 29. si computaueris, habebis annos 434. qui præcise constituunt hebdomadas 62. post quas occisus est Christus. Vnde cõsequens est, ab illius Darij anno vigesimo computandas esse Danielis hebdomadas sexagintaduas, de quibus dicitur: Rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum, & post hebdomadas 62. occidetur Christus. Ex supradictis videri potest, nostrum Eusebium ab Ortu Abrahæ vsque Christi natiuitatem in numero hoc annorum non discordare, nisi in annis quatuor, recensentem ab ortu Abrahæ vsque ad Christum, annos bis mille 25. Vnde & annos istos quatuor propter dies & menses in tanto annorum numero, ab ortu Abrahæ vsq; ad Christum excrescentes, credimus numero annorum ex supradictis conclusionibus esse adijciendos, vt à diluuio vsque ad Christum supputẽtur 2317. Ab ortu autem Abrahæ vsq; ad Christum 2025. Quòd autem ipse à principio mundi vsque ad Christum, supputet 5000. annorum & ferme ducentos, his, quæ supradicta sunt, non obuiat: propterea quòd differentia illa in annis mille & fermè trecentis, prouenit ex annis supputatis ante ortum Abrahæ secundùm æditionem vulgarem, hoc est, 70. interpretum, secundùm quorum textum à principio mundi vsque ad ortum Abrahæ, inueniuntur anni longè plures, quàm habeat Hebraica veritas, quemadmodum suprà patuit. Nobis autem standum & permanendum est in æditione diui Hieron. & aliorum patrum iuxta Hebraicam veritatem nobis propositam, qua & ecclesia per vniuersum orbem iam vtitur. Neque tamen ob id sancti patres in cæteris suis dogmatibus sunt arguendi, à principio mundi vsq; ad ortum Abrahæ, & vsq; ad Christum, ex textu 70. interpretum, longè maiorem numerum supputantes: quippe qui textu à veritate Hebraica alieno vsi sunt, numerum annorum sic maiorem ex illo textu didicerunt. Vnde & Hierony. & Aug. suspicantur ęditionem 70. olim fuisse depraua tam de quo in superiori libro. De hoc habes Augu. iudicium 15. de Ciuita. Dei, cap. 13. Quòd insuper Eusebius, & omnes, qui sequuntur ipsius chronographiam, vt Hiero. Aug. Beda, longè à supradictis in monarchia secunda, quæ est Persarum & Medorum dissentiant, describentes longè alium numerum annorum, quibus regnauerunt tales & tales reges ethnici, vsque ad Alexandrum, hoc superioribus non repugnat. Nam & ipse Eusebius in illa monarchia, vt iam est demõstratum, aliorum sententiam tradit, secutus eos, qui in supputatione temporum monarchiæ Medorum, & Persarum, & Babyloniorum, non sunt recipiendi. Sciendum est tamen, quòd etsi plerique patres catholici longè dissentiant interdum in numeris annorum, vel regni alicuius, vel imperij aut Persarũ, aut Græcorum, aut Romanorum, non sic multùm tamen dissentiunt in summa annorum, vel ab ortu Abrahæ, vel à desolatione templi, vsq; in natiuitatẽ Christi ex superioribus collecta. Nam quòd in vno regno aut imperio minus ponũt, in altero regno vel imperio plus ponunt. Quòd Eusebius à destructione templi vsque ad Cyrum minus ponit, hoc supplet in temporibus à Cyro vsque ad Alexandrum. Item quòd Euseb. à Cyro vsque in natiuitatem Christi plus ponit, hoc minus ponit à destructione templi vsque ad Cyrum. Vnde sciendum, quòd etsi annorum numerus ab ortu Abrahæ vsque in natiuitatem Christi, secundùm Eusebij chronographiam supputatus, non nisi in 4. annis supradictis excedat numerum annorum ex supradictis conclusionibus ab ortu Abrahæ vsque in Christum collectum. Attamen annorum numerus secundùm

Supputatio 70. hebdomadarum Danie.

A diluuio ad Christum vsq; anni 2317.

Augustinus.

dum Eusebij chronographiam, vel à Dario, vel ab Artaxerxe, vel ab alio quopiã supputatus, longè distat ab annorũ numero, supputato ab Eodem rege Cyro vel Dario, vel alio secundũ prędictas cõclusiones: quod certè euenit propterea, q; Eusebius ponit reges illos regnasse sub hac vel illa olympiade, & sub tali vel tali seculo, & sub vno aut altero annorum numero, sub quo non regnauerũt, designans etiam nunc breuioré, nunc longioré numerum regni vniuscuiusq;, q̃ habeant cõclusiones supradictæ: & id quidem in monarchia Medorum ac Persarum, quæ est à fine regni Sardanapali vsq; ad Alexandrum magnum. Et idcirco Eusebius, quàm uis in numeris annorũ supputatis vel ab ortu Abrahæ, vel à lege data, vel ab ædificatione templi Salomonis, vel ab alia qualibet ætate ante euersionẽ Hierusalem primam inchoatam vsque ad Christum, vel euersionem Hierusalem sub Tito factam, in paucis admodum, vtpote in 4. vel 5. annis solùm discordat à numero colligendo secundùm conclusiones suprapositas: multùm tamen discordabit, si fiat computatio ab aliquo rege in regno Persarum, vtpote à Dario, sub quo constructum est templum, vsque ad Christum: vel ab Artaxerxe, sub quo reædificati sunt muri Hierusalem: quia Eusebius supradictos reges Persarum sub alijs ponit olympiadibus, quàm ponunt Philo & Metasthenes, aliter etiam quàm isti recensẽt illorum Persarum regum annos. Secundùm Eusebium à Darij 2. anno, sub quo rursus templum est ædificatum, vsque ad templi destructionem, 73. anno à Christi natiuitate sub Tito factam, sunt 591. anni. Secundùm conclusiones autem supradictas, à 2. anno Darij Longimani, vsq; ad præfatam templi destructionem, sunt anni 554. Ab ortu autem Abrahæ, & à Nino vsque ad finem regni Sardanapali, vel etiam vsque ad Christum, aut vsque ad euersionem templi sub Tito factam, & ab initio imperij Alexandri vsq; ad Christum, non sic discordat Eusebianus calculus. Proinde Eusebius à diluuio vsque ad monarchiam Assyriorum, & deinceps in monarchia Assyriorum, vsque ad Sardanapalum recipiendus est, modò fiat à diluuio vsq; ad ortum Abrahæ calculus secundùm Hebraicam veritatem. Accipitur etiam ab Alexandro vsque ad Christum. A Sardanapalo autem vsque ad Alexandrum non est recipiendus propter supradictas rationes. Et quia patres veteres in descriptionibus regum ethnicorum plerunque secuti sunt Eusebij chronographiam, aut Iosephi, aut aliorum aliter scribentium, idcirco in suorum temporum descriptionibus non sunt recipiendi, si discordent à calculo secundùm probatos chronographos designato & cõformiter scripturis sacris demonstrato. Sunt autẽ hæc summopere consideranda sacræ theologiæ studioso, ne turbetur ex diuersitate & varietate magistrorum, in hoc numero regum & annorum variè loquentium. Eusebius ponit Cyrũ regnasse annis 30. Post illum autem Cambisem annis octo. Et post illum duos fratres Magos menses 6. Post illos Dariũ 36. & sub anno regni sexto templum esse consummatum. Post illum autem Xerxem filium Darij annis 20. Post illum autem regnasse Darium Longimanum annis 40. & sub huius regni anno 20. muros & portas Hierusalem esse reædificata. Post Longimanum autem regnasse Xerxem & Sogdianum mensibus 10. Post illos Darium Nothum Artaxerxẽ Mnemona annis 40. sub quo ait historiam Hester contigisse: & sic cõsequenter supputans nomina regum, & numerum annorum eorum qui post Cyrum regnauerunt vsque ad Alexandrum, longè alio modo recitat, quàm Metasthenes, Philo, cæteriq; probati chronographi qui nomina regũ & annos eorum descripserunt. Alij verò etiam aliter atque aliter designant numerum, diuersíque inter se sunt etiam catholici tractatores, & à desolatione Hierusalem vsq; ad Cyrum, & à Cyro vsq; ad initium imperij Alexandri, alium numerum Iosephus, alium Iulius Africanus, alium Euseb. alium Hyppolitus, alium Apollinaris, alium clemens Alexandrinus, alium Origenes. Proinde & in supputatione 70. hebdomadarum Danielis longè

sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt inter se dissentientes, quemadmodum videre licet in commentarijs Hiero. super Dan. cap. 9. Iosephus in 10. Antiquitatum lib. centum ferè annos recensèt ab euersione Hierusalem, vsque in primum annum Cyri, facientis euersionem regni Chaldæorum. Africanus autem recensèt solùm annos 70. Eusebius verò annos solùm 30. Et hinc iam prouenit inter chronographos varietas magna in numeris annorum ab ædificatione templi sub Dario, vsq; ad euersionem illius, sub Tito factam: quia illum, sub quo templum est ædificatum, vnus sub vna statuit olympiade, alius sub alia: vnus ponit illum regnasse tot annis, alius tradit illum ante illum, alius post illum regnasse. Quibus factum est, vt multis in locis textus scripturæ sacræ adeò factus sit obscurus & difficilis, vt non facilè valeat & explicari sententia, & cõcordari sacra scriptura cum regum ethnicorum temporibus designatis à probatis Persarum & Chaldæorum chronographis. Secundùm chronographiam autem Metast. Philonis, & aliorum, probata & publica fide scribentium de regibus istis, & de numero annorum, quibus regnauerunt, supputantes: videbimus scripturas magis sibi esse consonas, prophetiasque suis temporibus adimpletas: quod vt pateat euidentius operæprecium est ostendere exemplis, per septuaginta hebdomadas Danielis.

Quarta pars quinti capitis de septuaginta hebdomadibus Danielis, cæterisque prophetiis de Messia, per dominum nostrum adimpletis.

Primùm igitur sciendum est, quòd appropinquãte iam Christo & præsertim sub eo seculo, quo Herodes alienigena regnabat, & deinceps vsque in Christi tempora erat fama & opinio publica apud Iudæorum scribas, sapientes & sacerdotum principes iam instare, & prope esse in annis tempus, quo Christus nasceretur, omnibus Iudæorũ sapientibus peritis in lege Moysi, & in prophetis: planè conijcientibus, tunc aut finitas esse, aut prope finem esse 70. Danielis hebdomadas, prophetiam quoq; Iacob adimpletam, qua dicitur: Non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. dum Herodes 30. principatus sui anno Zanedrim (vt inquit Philo) id est, collegium sceptri de domo Dauid delens. Deinceps anno regni sui tyrannici 32. receptus est in regem Iudæorum, qui sane Iudæi tum sesi eiusdem Herodis tyrannide vltrò se dederant ipsi, præstantes eidem & posteris suis iuramentum fidelitatis, quemadmodum noster scribit Eusebius cæteriq; patres cãtholici. Vnde August. 18. de Ciuita. dei, cap. 45. Iudæi post solutionem captiuitatis de Babylonia, reuersi in Hierusalem, non reges, sed duces vel principes habuerunt vsque ad Aristobolum, qui sumpto diademate & rex, & Pontifex factus est. Cui successit Alexander, etiam ipse rex & pontifex, qui crudeliter in suos regnasse traditur. Post hunc vxor eius Alexandra regina Iudæorum fuit, ex cuius deinceps tempore mala sunt secuta eis grauiora. Filij quippe eiusdem Alexandræ Aristobolus & Hircanus, inter se de imperio dimicantes, vires aduersus Israeliticam gentem prouocauere Romanos. Hircanus namq; à Romanis contra fratrem poposcit auxilium. Tunc iam Roma subiugauerat Africam & Græciam, lateque etiam imperãs alijs orbis partibus. Pompeius ergo populi Romani præclarissimus princeps, Iudæam cum exercitu ingressus ciuitatem capit, templum reserat, & ad sancta sanctorum, quo nisi summum sacerdotem non licebat intrare, vt prophanator accedit, confirmatoque Hircani pontificatu, & imposito subiugatæ Iudæorum genti custode Antipatro, vinctum adducit secum Aristobolum. Et ex illo die Iudęi etiam tributarij Romanorum esse cœperunt. Postea Cassius etiam templum expoliauit. Deinde post paucos annos etiam Herodem alienigenam regem habere me-

Quòd sapientes Iudæorum coniicebant instare Christi natuitatem.

Gen. 49. b

Augustinus.

Romani Iudæorũ regnũ occupant, & fiunt tributarij.

Herodes cõstituitur rex Iudæorum.

re meruerunt, quo regnante natus est Christus. Iam enim venerat plenitudo temporis, significata prophetico spiritu per os patriarchæ Iacob, vbi ait: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de fœmore eius, donec veniat cui repositum est: & ipse erit expectatio gentium. Non ergo defuit Iudæorum princeps ex Iudæis, vsq; ad istum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam regem. Tempus ergo iam erat, vt veniret ille, cui repositum erat, quod nouo promissum est testamento, vt ipse esset expectatio gentium. Fieri autem non posset, vt expectarent gentes eum venturum, sicut eum cernimus expectari, vt veniat ad faciendum iudicium in humilitate patientiæ. Hactenus August. Et vt hisce in rebus fides nostra, intellectusq; noster in scripturis sacris intelligendis adiuuetur etiam ex scripturis eorum qui sunt à Christo alieni, sciendum est, quòd Philo temporũ & historiæ Iudæorum supputator, in libro suæ chronographiæ recitat, quòd Hircanus ex Hebræis fuerit vltimus dux & pontifex Iudæorum, & quòd dum is à Parthis esset captus, relicta vxore, filia & eius fratre Aristobolo, mox Herodes alienigena Idumæus, iubente senatu Romano, inuitis Hebræis tyrannicè regnum arripiens, sumpserit sibi vxorem prædicti Hircani filiam, & quòd Aristobolum, eiusdẽ Hircani filium, declararit pontificem, vt Iudæorum animos ad se inclinaret, & quòd dum anno 26. regni sui aduerteret Hircanum reuersurum, interfecerit illum sibi socerum & socrum, & filiam eorum sibi vxorem, & duos insuper ex ea susceptos liberos, & Aristobolum, & quòd ipse anno 30. principatus sui tyrannici deleuerit Zanedrim, id est, collegiũ sceptri, siue publicæ potestatis, de domo Dauid, & quòd proprium filium, quem suscitauit ex vxore de tribu Iuda, interemerit, propterea quòd diceretur natus iam Christus, in lege promissus: & quòd fessi tandẽ Hebræi, multisq; calamitatibus affecti, vltrò sese obtulerint eidẽ Herodi, ac posteris eius regnum, iurantes se permansuros in fide ipsius ac posterorum. Habes igitur testimoniũ Iudæi Philonis, q hoc tempore defecerit à Iudæis pontificũ principatus, & quòd super eos regnauerit Herodes alienigena, & quòd defecerit sceptrum à populo Iudæorum. Ex quibus ipsi Iudæi certis argumentis poterant colligere tunc tempus, quo nasceretur illis Christus in lege promissus, aut adesse, aut vicinum esse, completamq; esse prophetiam, quæ per moysen loquitur: Nõ auferetur sceptrum de Iuda. Cùm igitur ex his testimonijs sanctorum patrum ac Iudæorum chronographia clara luce pateat, primum annum quo Hærodes susceptus est Iudæorum rex, consentiente & iurante populo Iudaico in sceptrum eius, fuisse & primum annum Domini nostri Iesu Christi nati, consequens est prophetiã Iacob de non auferendo sceptro, esse completam in Domino nostro Iesu. Cæterùm de tyrannide Herodis in socerum, in socrum, in filios & cognatos, partim in Iosepho, partim in Eusebio, partim in alijs legimus. De Zanedrim verò deletione (vt inquit Anneus) Hebræi scribunt in Talmud, &c. vbi sic legitur. Herodes Ascolonita, seruus fuit Asmanaym, qui suscepto per vim regno, interfecit vniuersos Zanedrim, septuaginta iudices, vno seruato Baba, filio Bota, cui eruit oculos. Porrò de filio interempto Macrobius in *Saturnal.* 2. meminit, dicens: Augustus cùm inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum, intra bimatum iussit interfici, filium quoq; eius occisum audisset, ait: Melius est porcũ Herodis esse, q̃ filium. Cæterùm prophetia Danielis, quia sese extendit vsque ad nouissimam Iudæorum exterminationem, pro intellectu eorum, quæ in scripturis propheticis olim prænunciabantur futura super populum Iudæorum, considerandæ sunt quatuor monarchiæ, seu quatuor generalia regna sibi succedentia. Prima monarchia est Assyriorum, à Nino inchoata: sub cuius anno imperij 43. nascitur Abraham, durauit vsque in finem regni Sardanapali annis 1235. Eusebius in Sardanapalo plures habet annos 5. Secunda monarchia est Chaldæorum, quæ est Medorum simul cum

Genesis 49. b

De quatuor monarchijs sibi succedentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IILTRAC.

Persis & Babylonijs, incipiens ab Arbace & Phul Beloco in diebus Osiæ regis Iuda, prophetante Isaia: durauit annis 495. vsque ad imperium Alexandri Macedonis, qui interfecto Dario Persarum atq; Medorum rege, trāstulit imperium in Græcos, vt patet 1. Machab. 1. Tertia Monarchia, quæ est Græcorum, incipiens ab Alexandro, paulatim defecit per Romanos. Vnde post mortem Alexandri monarchia hæc diuisa est in regna multa. Nam mox Philippus, præfati Alexandri frater, successit in regnum Macedonum. Seleucus autem Nicanor successit tandem toti Asiæ & Syriæ. Macedonum vltimus rex, nomine Parsis, fuit per Romanos superatus. Ab initio autem imperij Alexandri, vsque in huius Parsis finem, qui & initium est principatus Iudæ Machab. rectè supputat Eusebius olympiades 43. & annos duos, qui constituunt annos 274. A principio autem imperij eiusdē Alexādri, vsq; ad Philippum vltimum Syriæ regem, etiam per Romanos superatum, in quo & Syria transijt in ditionem Romanorum, rectè supputat Eusebius olympiades, vnam & 60. & annos duos, qui constituunt annos 246. Ab isto anno, quo Syria tota & Asia sunt translata in ditionem Romanorū, poteris cōputare initium imperij Romanorum, & ab illo vsq; ad Christum rectè supputat Euseb. olympiades 22. & vnum annum, qui constituunt simul annos 89. Hæc quatuor regna sibi succedentia ratione congrua, intelliguntur in quatuor bestijs apud Iohelem designata. Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo. Regnum Assyriorum in eruca designatū, decem tribus per Salmanasar captiuas transtulit in ciuitates Medorum. Deinde idem regnum per Sennacherib illius successorem ascendit ad vniuersas ciuitates Iudæ, & vastauit eas, cui & Ezechias dedit omne argentum, quod erat in templo. Regnum secundum in locusta designatum, per Nabuchodonosor Babyloniorum regem comedit, seu vastauit residuum Hierusalem, faciens captiuitatem vniuersalem, demoliens templum & ciuitatem, 4. Reg. 1m 25. Monarchia tertia designata in bestia tertia, id est, in bruchо per Antiochum Epiphanem seu illustrē, comedit seu vastauit reliquias Hierusalem, exurens templum & ciuitatem. 1. Macha. 1. Postremū, Monarchia 4. quæ est Romanorum, in rubigine designata, per Titum & Vespasianum anno à passione Domini 42. fecit vniuersalem Iudæorum euersionem omnium maximā, vsque in finem seculi duraturam, sine templo, & sine sacrificio vero in Hierusalem. Trium deuastationum harum causa fuit peccatum idololatriæ, vt patet in quarto libro Regum, & in secundo Paralip. Causa verò desolationis nouissimæ, fuit contemptus Christi, occisio illius & Apostolorum, quam causam assignauit & Christus in euangelio, cùm videns ciuitatem super eā fleuit, post multa adijciens: Non relinquetur in te lapis super lapidem, eò quòd non cognoueris tēpus visitationis tuæ. Et de hac desolatione loquitur Danielis prophetia. Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus in duce venturo, & erit in templo abominatio desolationis, & vsq; ad consummationem, & in finem perseuerabit desolatio. Capitulum hoc Danielis de 70. hebdomadibus multa mirabilia continet, nulliq; dubium, quin prophetia sit de aduentu Christi, qui post 70. hebdomadas apparuit. Et quemadmodum incarnatio dominica annunciata est virgini Mariæ per Gabrielem archangelum, ita & eiusdem incarnationis tunc futuræ tempora sunt Danieli reuelata per eundem Gabrielem dicentem ipsi Danieli: Nunc egressus sum vt docerem, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum.

Iohel. 1.

4. Reg. 18.

Matth. 13. a

De 70. hebdomadibus, Daniel, cap. 9.

Scito

CAP. V.

Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem vsque ad Christum ducem hebdomadas septem, & hebdomades sexagintaduæ erunt. Et rursus ædificabitur platea, & muri in angustia temporū. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsq; ad consummationē & finē perseuerabit desolatio. Hactenus Gabrielis archangeli ad Danielem prophetica verba. Pro quorū intellectu præmittenda est terminorū expositio. Primò igitur sciendum est, per hebdomadā in hac prophetia significari septenariū annorū numerum, quo fit vt 70. hebdomadæ constituant annos 90. supra quadringētos. Septem hebdomadæ constituunt annos 49. Sexagintaduæ hebdomadæ faciūt annos 34. supra quadringentos. Sexagintanouē hebdomadæ annos faciunt 83. supra quadringentos. Dimidiata hebdomada constituit tres annos & semis. Dicuntur aūt hebdomadæ istæ abbreuiatæ, non quòd earum anni sint aut breuiores solaribus annis, aut secundū lunæ cursum supputandi, sed q talis illarum hebdomadarū numerus diuinitus sit decisus, definitus, seu cōstitutus super populū Dei. Et quia sunt venerabiles patres, qui has hebdomadas tradunt propterea dici abbreuiatas, quòd anni earum sint accipiēdi lunares, & non solares, quemadmodū sunt Iulius Afric. & Beda, eorumque sequaces. Sciendū est, quòd annus lunaris cōmunis est constitutus ex 12. mensibus lunaribus, sicut annus solaris ex 12. mensibus solaribus. Mensis autē lunaris continet dies 29. & semis: mēsis verò solaris, acceptus vt est duodecima pars anni solaris, est triginta dierum, & horarum decem. Ex quibus sequitur annū communem lunarem continere dies 354. annum verò solarem 365. & horas 6. ex quibus sex horis quarto quoq; anno cōstituitur dies vnus, qui intercalatur 6. Calend. Martij, & vocatur annus ille bisextus, propterea quòd litera, super quā in Calendario assignatur, sextus dies ante Calend. Martij illo anno bis numeretur, duosq; contineat dies. Ex his cōsequens est, cōmunem annum lunarē esse breuiorē anno solari in diebus vndecim: quæ sanè annorum diuersitas in 70. hebdomadibus & anno vno, est in annis 15. Nam anni lunares 490 communes faciunt solùm 475. annos solares. Verùm hic sciendū est, quòd Hebræi supputantes ætates hominū & tēpora, nō secundùm lunares annos supputāt, sed secundū solares, quemadmodū & nos. Nam etsi menses initiaq; mensium supputēt secundū lunæ cursum, in supputandis tamen annis obseruant solis introitū in vernale equinoctiū, numerumq; dierū vndecimi ab vno anno solari deficientiū, in vno anno lunari cōstituto ex 12. mensibus lunaribus, supplent per emboliſmos, id est, per augmenta, intercalatione scilicet seu interpositione, debito ordine interserentes annos quosdā maiores etiā solaribus annis, ad supplendum ea, quæ in alijs cōmunibus lunæ annis fuerant diminuta à numero dierū solaris anni, apponentes emboliſmū, id est, augmentū vnius mensis triginta dierū, conficiētes scilicet annum illum emboliſmi ex 13. mensibus constituētibus dies 384. Quibus fit, vt sicut annus lunaris communis, breuior est, communi anno solari in diebus 11. ita & annus lunaris, auctus per suum emboliſmum longior est anno solari in diebus 19. Vnde & ipsi secundùm menses lunares mensurantes anni tempora in nouendecim annis solaribus, septem faciunt emboliſmos, id est, septem annos auctos, constitutos scilicet ex trecentis & 84. diebus: reliquos verò duodecim annos ex illis nouendecim conficiunt communes ex 12. lunaribus mensibus, ex quibus conficiuntur dies 354. & ita quòd in illis cōmunibus 12. annis deest, per septem emboliſmos supplent, interserentes illos vel tertio, vel secūdo, vbi decet, anno. Hinc & circulus decem nouenalis, quem designat numerus, qui

Quid per hebdomadam intelligatur.

Hebdomadę abbreuiatę quid.

Annus lunaris

Annus solaris.

Annus bisextus.

Hebræi ætates & tēpora supputant secundum annos solares vt nos.

De emboliſmis annorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad quid valet aureus numerus.

rus, qui vulgò appellatur aureus, compositus est protensus ad numerum vsq; nouendecim, qui sanè numerus propter multa inuentus est. Primò ad coæquandum nouendecim annos solares, nouendecim annis lunaribus, debito ordine dispositis cum septem suis emboliſmis. Deinde ad inueniendum nouilunia, & initium primi mensis lunaris, quem Hebræi faciunt primum, consideratione habentes ad anni solaris initiũ, quo videlicet sol ingreditur vernalis æquinoctij gradum. Vnde ipsi secundùm legem Moysi maximè student legitimo tempore obseruare Paschalem solennitatem, cuius obseruatio ex duobus pendet principijs: æquinoctio scilicet vernali, & nouilunio proximo illi, quorum vtrumq; in Romano Calendario decursu temporis defluxit à sua sede propter fractiones quasdam, quæ longis annorum curriculis faciunt errorem sensibilem. Æquinoctium olim à patribus constitutum tanq̃ esset fixum 12. Calend. Aprił. iam diem illum antecedit 10. vel 11. diebus. Similiter noua quælibet luna, per aureum numerũ certo die designata, non illo die contingit, sed 5. diebus diem illum præuenit, quæ sanè diuersitas & in æquinoctijs & nouilunijs contingit, propterea quòd ueq; 19. anni lunares cum septẽ suis emboliſmis cõstituant præcisè 19. annos solares, neq; medius lunæ motus sit præcisè 29. dierum & semis, & 44. minutarum: neque item sol cursum suum medium complet præcisè in 365. diebus & horis sex, sed in tempore breuiori, videlicet in tot diebus, horis 5. & 49. minutis, quæ horæ quinque, earumque fractiones simul collectæ in annis quatuor, non possunt constituere diem, qui vocatur biſextilis. Quo fit, vt anni 4. solares secundùm rationem Calendarij supputati sint maiores, q̃ 4. anni solares, secundũ cursum solis in cœlo supputatum, adeò vt singuli centum & trigintaquatuor anni secundũ Calendarium constituant vnum diem integrum super centum & trigintaquatuor annos solares: & ita propter huiusceмodi fractiones contingit diem illum æquinoctij olim fixè designatum 12. Calend. Aprilis iam diem illum antecedere diebus decem & vltrà: quibus fit, vt Romana ecclesia plerunq; celebret solennitatem Paschalem in mense anni secundo. Sed de his plura sunt dicta in de correctione Calendarij Romani. Sufficiat autem in præsentiarum pro intellectu hebdomadarum Danielis hoc scire, quòd Iudæi per annos solares, sicut & nos numeros annorum, supputant: obseruãt quidem in mensibus anni circuitum lunæ, ponentes vniuscuiusque mensis initium in nouilunio, sed cum hoc obseruant etiã anni solaris initiũ, quo sol ingreditur arietem, tradentes primum anni mensem semper inchoari in ea coniunctione lunæ cũ sole, cuius 14. dies vernale æquinoctiũ vel attingit, vel proximè sequitur. Proinde decimaquarta lunæ præueniens initium illud æquinoctij, etiã etsi ad vnum tantummodo diẽ fiat præuentio, vltimi mensis & nõ primi mensis anni est plenilunium. Vnde ipsi Hebræi si numeros annorum supputarent secundũ lunares annos communes, facerentq̃; vnumquẽq; annũ solum ex 12. mensibus lunaribus, non apponẽtes in certo ordine vnquã emboliſmos, 70. hebdomadæ annorũ lunarium essent breuiores 70. hebdomadibus annorũ solarium in duabus annorum hebdomadibus, & vno anno, id est, in numero annorũ quindecim. Nunc autẽ quia Hebræi nõ sic computant annorum numeros secundũ 12. menses lunares solũ, sed cõgruo ordine faciunt emboliſmos, qui cæterorũ annorum cõmunium damna supplent: non est putandum angelum in sua temporum supputatione voluisse intelligere 70. hebdomadas annorũ lunariũ. Vnde & scriptura sacra reconsens annum aut 20. aut 30. aut alium quemuis annum Artaxerxis, aut Nabuchodonosor, siue alterius, non lunares annos intelligit, sed vulgares, hoc est, quos vulgus æstimat secũdùm solis cursum, ac reuersionem in eundem cœli locum. Falluntur igitur (inquit Beda) qui putãt Hebræos annis lunaribus solùm vsos, alioqui tota veteris testamẽti series vacillaret; nec vllius ætas tãta, quãta scripta est, deberet intelligi, sed ad lunæ cur-

De tempore celebrãdi Paschatis errore.

A

B

C

D

CAP. V.

Christus appellatur iustitia, sanctus sanctorum.

Messias noncupatus Christus.

Causa obscuritatis in Dane.

Vnde sumendum sit initiũ 70. hebdomadarum.

Herodem constituisse pontifices alienigenas.

næ cursum stringi. Hactenus de acceptione nominis hebdomadæ, & mensura seu quantitate anni, & cur hebdomadæ dicãtur abbreuiatæ. Deinde sciendũ, quòd in hac prophetia, in cæterisq; scripturis Christus appellatur iustitia sempiterna, & sanctus sanctorũ, sine cuius gratia & redẽptione nemo ex Adam propagatus potest fieri neq; iustus, neq; liber à peccato, neq; dignus vita æterna, & ita peccatum per Christũ finem accepit, & cõsummata seu cõsumpta, id est, terminata est præuaricatio, non quòd hæc amplius post Christi aduentũ non sint in mũdo isto, sed ꝙ per ipsum vt mediatorẽ inter Deũ & hominum genus, oĩs præuaricatio omneq; peccatum remittitur omnibus qui inuocãt illum: & omnibus, qui per lauacrum sanguinis eius regenerantur, vt efficiantur membra in corpore ipsius. Hoc insuper sciendũ, quòd qui dicitur Hebraicè Messias, is dicitur Græcè Christus, & vnctus Latinè. Filius aũt Mariæ, vt dicitur Christus aut vnctus, non indiguit vlla visibili vnctione, aut sacramento lauacri seu baptiſmi, sed ipse à suæ conceptionis exordio vnctus fuit in virginis vtero inuisibilis gratiæ & letitiæ oleo: & ideo in Christi incarnatione vnctus est sanctus sanctorũ, tumq̃; impleri cœpit visio & prophetia: nam & omnes prophetæ tendunt in christum, & in opera redemptionis nostræ, per ipsum exhibenda pro nobis in carne sua mortali. Postremò pro intellectu prophetiæ huius secundùm eam partem, qua dicit: Scito ergo & animaduerte ab exitu sermonis, &c. Operæprecium est considerare quisnam fuerit sermonis exitus, à quo angelus intimat sumendum esse initium harum hebdomadarũ. Nam tota obscuritas hinc nascitur, quòd angelus Gabriel non expressit nobis tempus vllum, sub quo factus sit exitus iste. Intimauit quidem exitum sermonis esse ad faciendum populum reuerti, & ad reædificandum Hierusalem: sed quo tempore, sub quo rege, aut prophetà exitus ille aut fieret, aut factus esset tacuit. Quatenus ergo habeatur ratio tantæ inter expositores varietatis de ista re, sciendũ est, quòd in scripturis sacris multiplex reperitur exitus sermonis de captiuitate 70. annorum, & de reuersione populi in Hierusalẽ, & de reædificatione templi ac ciuitatis. Anno regni Ioakim 4. qui (vt dicitur Hierem. 25.) fuit annus primus regni Nabuchodonosor nondũ vlla transmigratione in Babylonẽ per Nabuchodonosor facta, fuit exitus quidam sermonis ex ore Hieremiæ prophetæ loquentis de captiuitate Iudæorum tunc futura per regem Babyloniorũ, & de seruitute Iudæorum 70. annis in Babylone duratura, & de Babyloniorum desolatione cùm impleti fuerint 70. anni, vt patet Hierem. 25. sed quia in illa captiuitate nihil dicitur neq; de reædificatione ipsius, idcirco non est illic accipiendus sermonis exitus in Daniele designatus: neq; legi vllos expositores, qui exitũ sermonis ab hoc tempore supputant. Deinde 12. anno sequẽti, id est, anno quarto regni Sedechiæ, qui fuit & 12. regni Nabuchodonosor, tẽplo in Hierusalem adhuc stante, sed Ioakim & Ioachin filijs ipsius iam in captiuitatem deductis, fuit exitus quidã verbi Domini ad Hieremiã loquentis de reditu ex Babylonia post 70. annos, vt patet Hiere 26. Iste exitus 6. annos antecessit destructionẽ templi, vrbisq; Hierusalem. Sunt qui existimant exitum sermonis, initiumq; hebdomadarũ Danielis sumendũ esse ab hoc tẽpore. Cuius sententiæ sunt Nicolaus de Lyra, & Raymundus, cæteriq; nõnulli, Sed huic sententiæ non consentiunt veteres vlli, neq; tempora concurrent. Nam ab hoc exitu, seu à quarto anno Sedechiæ, vsque in annum natiuitatis Christi secundùm probabiliorẽ calculũ colliguntur anni 603. qui longè excedunt numerũ 70. hebdomadarum. Tertiò de reuersione in Hierusalẽ, & de reædificatione illius, fuit exitus sermonis angeli Gabrielis ad Danielem prophetam loquẽtis. Ab hoc exitu Tertul. & Eusebius tradunt sumendum esse hebdomadarum initium, suppu tantes septuaginta hebdomadas vsque ad initium regni tyrannici Herodis, qui constituit pontifices alienigenas, nequaquam ex successione sacerdotalis generis

Universidad de Deusto
Biblioteca

assumptis pontificibus, neque perpetuitate secundùm legem Moysi, Deo seruientibus. Sed neque ab hoc exitu supputatis vsque ad Christum annis, concurrent (inquit Africanus) tempora, & multa reperientur contraria. Verum quidem est, quòd exitus sermonis angeli ad Danielem loquentis de hebdomadibus, præcesserit exitum sermonis Cyri laxantis captiuitatem, sed non præcessit in annis, quia primus annus Darij Medi regnantis super Babylonios, fuit primus annus Cyri, laxantis Iudæorum captiuitatem: & ideo pro eodem accipimus exitum sermonis ab angelo ad Danielem, & exitum sermonis Cyri laxantis captiuitatem: tametsi sint qui inter exitus illos ponant longam annorum distantiam. Quòd autem Tertullianus ab hoc exitu sumat harum hebdomadarum initium, patet ex eo libro, quem contra Iudæos scripsit vbi exponit Danielis prophetiam hoc pacto: O Daniel, scito quòd à die hac, qua tibi nunc loquor. Erat autem annus primus Darij, qui occidit Balthasarem, regnumque Chaldæorum in Persas & Medos transtulit, vsque in septuagesimam annorum hebdomadam, hæc per partes populo tuo accident, & reliqua Quarto de reuersione Iudæorum, & instauratione templi, tunc ante 44. annos sub Cyro fundati, & per Samaritas hostes impediti, fuit exitus sermonis Darij, in principio regni sui hoc impedimentum per edictum publicum auferentis, confectis desuper literis ad vniuersos Iudææ hostes, sub comminatione confiscationis bonorum, & mortis eorum, qui populum Israelem ab hac ædificatione impedirent, de quo 1. Esdræ 5. & 6. capitulis. Eodem insuper anno fuit exitus sermonis Aggæi & Zachariæ prophetantium de hac ædificatione. Iudæos quoq; ad hoc opus adhortantium, vt patet in Aggæo & Zacharia prophetis: & non solùm de templo reædificando fuit hic sermonis exitus, sed & de ciuitate Hierusalem reædificanda, vt patet Zacha. 1. Adhuc perpendiculum extendetur super hierusalem, adhuc affluent ciuitates meæ bonis, Zachariæ primo. Quàmuis & in libro hoc Zachariæ nonnulla sit obscuritas, propterea quòd Darius ille, sub cuius anno secundo prophetauerit Zacharias, videtur esse non ille Darius, qui iuxta Metasthenem 20. anno à morte Cyri regnare cœpit, sed Darius Medus, qui simul cum Cyro Balthasarem interfecit, sub cuius anno primo iam erat septuagesimus annus desolationis, vt dicitur Zacha. 1. & insinuare videtur Zacha. 7. Sed ex superioribus patet huius solutio, Aggæum videlicet & Zachariam prophetasse sub vtroque Dario, videlicet & anno 2. Darij Medi, & anno 2. Darij regis Persarum. Deinde patet Zachariam non intellexisse tunc primum fuisse solum septuagesimum annum desolationis impletum, sed quòd tunc diu fuerat transactus. Vnde & ex ea consideratione, qua videbat septuagesimum desolationis annum diu esse transactum, clamat ad Dominũ: Domine exercituum, vsquequo nõ misereberis Hierusalẽ & vrbiũ Iuda, quibus iratus es? Iam septuagesimus annus transactus est, Quinto fuit exitus sermonis de reuersione in Hierusalem, & de reædificatione illius, sub anno 20. Artaxerxis præficientis Neemiam pincernam suum, ad reædificandum Hierusalem, mittentisq; illum ex Babylone in Iudæam, vnà cum principibus militum & equitibus, confectis desuper literis publicis, de non præstando impedimento operi instaurationis, & portarum vrbis Hierusalem, Neemiæ secundo. Audita muri ædificatione Sãbalach & Tobiah coniuratione facta, clàm venerunt pugnare cõtra Hierusalẽ. Sed detecto eorum consilio, iubet Neemias, vt gladios, arcus, lanceasq; capiant, & media pars iuuenum opus faciebat, altera pars armis instructa faciebat opus manu vna, gladium autem tenebat manu altera. Et quia erant ædificantes à semet remoti, iussit Neemias, vt vbicunque sonitum buccinæ audierint conueniant, positis custodibus in medio ciuitatis Hierusalem, Neemiæ 4. Completi sunt muri & portæ Hierusalem in quinquagintaduobus diebus, Neem. 6. Africanus in quinto tem-

CAP. V.

to temporũ volumine tradit, ab hoc exitu septuaginta hebdomadas habere principium, hoc est, 20. Artaxerxis anno, quo egressus est sermo, qui extruendæ vrbis & circumdandæ muris daret facultatem. Ex hoc (inquit) tẽpore si numerare velis hebdomadas vsque ad Christum poteris inuenire. Quòd si harum (inquit) hebdomadarum principium ab alio tempore voluerimus sumere, & tempora non cõcurrent, & multa reperiemus cõtraria. Nam si à Cyro, & prima eius indulgentia: quia Iudæorũ est laxata captiuitas, septuaginta numerentur hebdomadę, centũ & eo amplius inueniemus annos, qui statutum septuaginta hebdomadarum numerum excedant: & multò magis, si ex die, quo locutus est angelus Danieli: additurque amplior numerus, si captiuitatis exordium volueris hebdomadarum habere principium. Permansit enim (inquit) regnum Persarum, vsque ad initium Macedonum ducentis triginta annis, & ipsi Macedones regnauerũt annis trecentis, atque exinde vsque ad annum 15. Tiberij Cæsaris, quando passus est Christus, numerantur anni sexaginta, qui simul faciunt annos quingentos nonaginta, ita vt centum anni supersint. A vigesimo autem anno Artaxerxis regis vsque ad Christum, complentur (inquit) hebdomadæ septuaginta, iuxta lunarem Hebræorum supputationem, qui menses non iuxta solis, sed iuxta lunæ cursum numerant. Hæc Africanus, qui & reliqua ad longum prosequitur, vt recitat Hierony. in commentarijs 9. cap. Daniel. Similiter Eusebius & Beda de initio & fine harum hebdomadarum, suas prosequuntur sententias secundũ chronographias sibi propositas, vt verisimiles. Et quia periculosum est (vt inquit Hieron.) de magistrorum ecclesiæ iudicare sententijs, & alterum præferre alteri, lectoris arbitrio relinquo, cuius expositionem sequi debeat. Interim tamen sub iudicio sanctæ matris ecclesiæ, & omnium melius sentientium, prosequar harum hebdomadarum declarationem secundùm chronographiam Metasthenis, in superioribus recitatum, quæ in monarchia Assyriorum & persarum, cæterisq; Græcorum chronographijs videtur probatior, quam & secutus est in supputationibus temporũ ipse Philo Hebræus. Anno sexto Darij, multis annis post Cyrum, consummatum esse templum in Hierusalem, olim sub eodem Cyro fundatum. Sub anno item 20. Artaxerxis portas murosque Hierusalem in quinquagintaduobus diebus esse instauratos, est ex scripturis sacris in libris Esdræ manifestissimum. Sed quisnam fuerit Darius ille, an videlicet is, quem historiæ vocant Longimanum, an alius: etsi fuerit alius, an posterior an anterior illo. Et quisnam fuerit Artaxerxes, sub cuius anno vigesimo muri Hierusalem sunt reædificati: an videlicet idem ipse sit, qui Darius, sub quo templũ est consummatũ, an alius posterior illo, & quantis annis alter alterum præcesserit, & sub quota olympiade vterque regnare cœperit, non est sic ex scripturis manifestum. Quæ tamen scire est necessarium ad hebdomadarum numeros, à 2. anno Darij, & à 20. Artaxerxis anno supputandos vsq; in Christum. Vnde Eusebius & Beda docuerunt septuagesimum Babyloniæ captiuitatis annum, fuisse secundum annum illius Darij, sub cuius anno sexto remplum est consummatum, defluxis annis 46. à fundatione ipsius, sub Cyro facta, propterea quòd in Zacharia dicitur de secundo anno Darij, iste septuagesimus annus: sed hanc sententiam neque esse verisimilem, neque probabilem, in superioribus ostendimus. Et quia in rebus istis de successione regum ethnicorum, & numero annorum, quibus regnauerunt, nõ habemus historiam sacram & canonicam, oportet horum regum annos & tempora quibus regnauerunt, mutuare ex historijs verisimilibus, & eorũ præcipuè authorum, qui probatiori fide cõperiuntur scripsisse. Sciendum est ergo, quòd etsi fuerint, qui docuerunt Darium, sub quo templum est consummatum, fuisse eundem qui Artaxerxes appellatus: sub cuius anno vigesimo portæ & muri Hierusalem sunt consummati, vt videre licet in commentarijs super cap. 7. primi Esdræ, & se-

Sententia authoris de initio 70 hebdomadarum.

Sub quo Dario fuerit templũ Hierosolymitanũ consummatũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cundi Esdræ secundo. Hæc tamen sententia non est consona, neque his, quæ scribuntur in libris Esdræ, neque temporibus & numeris annorum, quibus Philo & septuaginta seniores, post solutam à Cyro captiuitatem, designant præsediſſe ac præfuiſſe Iudæorum duces & pontifices. Proinde & patres ferme omnes, vt Africanus, Eusebius, & Beda, alium ponunt regem Darium, sub cuius anno sexto templum est consummatum: alium Artaxerxem, sub cuius anno 20. vrbs Hierusalem est reædificata. Africanus ab initio imperij Persarum Cyri, vsque in vigesimum annum Artaxerxis, sub quo portæ & muri Hierusalem fuerunt extructi, ponunt annos centum & quindecim: & hæc annorum summa non longè distat à Philonis & Metasthenis chronographia, secundùm quam à Cyro vsque ad annum 20. Artaxerxis Mnemonis, colliguntur centum anni & viginti. Longè autem antè sub Dario quodam templum erat consummatum, vtpote, 46. vel 7. annis post fundationem illius sub Cyro factam: quo fit, vt secundùm sententiam Africani, inter annum consummationis templi sub Dario, & annum consummationis murorum Hierusalem, interceſſerint anni plures quàm septuaginta. Item Eusebius in chronicis quàmuis ponat muros Hierusalem fuiſſe instauratos, anno vigesimo Darij Longimani, & illo anno Eliasib fuiſſe summum Iudæorum pontificem, longè tamen antè sub alterius cuiusdam Darij anno sexto, ponit templum fuiſſe consummatum, recensens septuaginta annos inter illius Darij annum sextum, & vigesimum illius Artaxerxis annum, sub quo muri Hierusalem sunt reædificati. Vnde secundùm Eusebianum calculum supputando à primo anno Cyri, soluentis captiuitatem, vsq; in vigesimum annum Darij Longimani, in quo (vt ipse arbitratur) muri Hierusalem sunt reædificati, recensentur anni centum & quatuordecim, aut quindecim supputatis mensibus. Sic & Beda secutus Eusebium, inter sextum Darij annum, in quo templum est consummatum, & vigesimum Artaxerxis Longimani annum, quo muri Hierusalem sunt extructi, ponit interuallum annorum 70. Idem quoq; annorum numerus colligitur secundùm chronographiam Metasthenis & Philonis, supputando à sexto Artaxerxis Longimani anno, vsque in annum vigesimum Artaxerxis Darij Mnemonis. Hoc ergo communi consensu nunc sit præsuppositum, quod & in Esdræ libris satis est intimatum, alium fuiſſe Darium Artaxerxem, in cuius anno 6. templum est constructum & perfectum. alium verò Artaxerxem posteriorem, in cuius anno vigesimo vrbs Hierusalem est muris circundata. Annum insuper septuagesimum seruitutis aut desolationis, seu captiuitatis Babylonicæ, de quo locutus est Hieremias, esse accipiendum non iuxta secundum annum Darij, sub cuius anno sexto templum est consummatum: sed iuxta primum annum Cyri laxantis captiuitatem, vt patet ex primi Esdræ primo, & ex Hieremiæ vaticinio, in quo significatur, quòd seruitus illa septuaginta annorum esset futura sub rege Babyloniorum, & sub filio eius, & sub filio filij eius, & quòd Deus post septuaginta annos esset vindicaturus peccatum regis Babylonis: quæ sanè omnia sunt sub Cyro adimpleta per Darium Medum Cyro conregnantem. Post Cyrum autem non legitur populus Iudæorum fuiſſe in seruitute vlla vllius regis Babylonis, neq; filij, videlicet Nabuchodonosor, neq; filiorum filij ipsius. Proinde & eorũ sententia, qui à destructione Hierusalem tradunt vsq; ad Cyrum fuiſſe septuaginta annos, videtur omnino magis consona sacris literis, quàm sententia eorum, qui dicunt à destructione Hierusalem vsque ad Cyrum defluxiſſe annos solùm 30. quemadmodum tradiderũt Eusebius & Beda, docentes annum illum septuagesimũ fuiſſe quadraginta annis post Cyrũ sub 2. videlicet anno illius Darij, in cuius anno sexto templũ est cõsummatũ. Quib⁹ præmiſſis secundùm conclusiones supradictas de numero annorum à Cyro vsq; ad Christum, videtur initium harum hebdomadarũ esse sumendũ in regno Darij Longimani

Vndesumẽdũ sit exordium 70. hebdomadarum.

mani, & id quidem à quarto sermonis exitu superiùs recitato, qui factus est secundo anno eiusdem Darij, dantis Iudæis facultatem ad iterum ædificandũ templum quod olim sub Cyro fundatum fuerat. Nam si ab hoc anno numeres septuaginta annorum hebdomadas, vsq; in Christum iam tunc incarnatum peruenies, videbisque non fruſtra harum hebdomadarum diuisionem ab angelo esse factam. Inprimis ergo accedentibus ad expositionem prophetiæ, per angelum Gabrielem reuelatæ Danieli, operæprecium est & septem illius particulas considerare, simul & harum hebdomadarum diuisionem, quam in suo sermone fecit angelus. Prima pars habet septuaginta hebdomadas abbreuiatas esse super vrbem sanctam, vt finem accipiat peccatũ, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Secunda pars habet ab exitu sermonis, vt iterũ ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomadas septem, & hebdomades 62. erunt, hoc est, hebdomades 49. In hac ergo iam parte angelus Hebdomadam vltimam, seu septuagesimã non supputauit. Tertia pars habet: Et rursum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum. Quarta pars habet: Et post hebdomadas 62. occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eũ est negaturus. Quinta pars habet: Ciuitatem & sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & post finem belli statuta desolatio. Sexta pars habet: Cõfirmabit autem pactum multis, hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Septima pars dicit. Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque in consummationem & finem perseuerabit desolatio. Veritas primæ partis prophetiæ patet, nam ab anno secundo Darij huius Longimani, supputantes iuxta chronographiam superiùs positam, hebdomades 70. hoc est, 490. annos, cõcurrimus in tempus Christi iam tunc incarnati, videlicet in nonum annum à natiuitate ipsius. Vnde ne quis arbitretur has septuaginta hebdomadas, vsque in primum annum natiuitatis Christi, integrè & cum præcisione futuras esse, continuò adijciens partem secundam, posuit hebdomadas solùm 69. dicens: Scito ergo quòd ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomadæ septem & 62. erunt, hoc est, hebdomadæ 69. quæ constituunt annos 483. Patet ergo veritas partis secundæ. Nam hoc secundo anno incluſiuè supputando tempora vsq; in annum natiuitatis Christi, colliguntur anni 483. qui constituunt hebdomadas 69. Et quòd in hoc anno fuerit exitus sermonis de reuersione, & reædificatione non solùm templi, sed & ciuitatis Hierusalem, patet ex supradictis. Vnde iuxta septuaginta seniorum sententiam, Iesus per hostes ab ædificando impeditus, ex Hierusalem reuersus fuerat in Babylonem, & sub huius Darij anno secundo, impetrata facultate perficiendi opus templi, olim per ipsum sub Cyro fundati, reuertitur in Hierusalem vna cum Ioakin Sorobabelis filio, alioque comitatu. Vide Historiã tertij Esdræ quarto & quinto capitulis. In hac igitur parte secũda, quam dicit: Scito ergo, & animaduerte, quòd ab exitu sermonis, &c. angelus per partes incipit recitare, quæ nam mirabilia in istis hebdomadis 70. sunt futura super populum Iudæorum, interponens atq; adijciens etiam illa, quæ sunt futura post 70. hebdomadarum complementum. Nam primùm intimat, quòd in istis 70. hebdomadis Christus sit dux venturus, ante vltimam, hoc est, ante septuagesimam: nam in 69. Christus natus est. Deinde infrà istas 70. hebdomades rursusque ædificabitur platea, & muri Hierusalem in anguſtia temporis, id est, breuissimo tempore, quia cõpletus est numerus in 52. diebus. 20. anno Artaxerxis, quemadmodũ dicitur Neem. 6. Et post hebdomadas 62. supputatis videlicet ab ædificatione plateæ & murorũ occidetur Christus. Hanc partem quartam esse adimpletam, patet. Nam à vigesimo anno Artaxerxis Mnemonis computando hebdomadas 62. hoc est, annos 434. iuxta conclusiones in superioribus positas concurrimus in an-

Discutit prophetiam Danielis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in annum 29. ætatis Christi, qui & in hebdomada sequenti, hoc est, in hebdomada annorum sexagesimatertia, supputatis hebdomadis ad ædificationem illa Hierusalem, est occisus, & id quidem in dimidio hebdomadis illius, Glossa interlinearis hanc partem interpretatur: Post hebdomadas sexaginta duas. iubaudit & septem, vt sensus sit: Post hebdomades sexaginta duas & septem, occidetur Christus. Sed hæc supputatio innititur alteri chronographiæ, supponens muros & portas Hierusalem extructas esse sub anno vigesimo Darij Longimani, & ideo patet huius diuersæ expositionis ratio. Secundùm superiores autem conclusiones supputatis annis, non est opus additione ista. Nam vigesimo Artaxerxis Mnemonis anno, vsq; in annum 29. natiuitatis Christi, sunt 62. hebdomadæ, post quas occisus est Christus. Vnde annus natiuitatis Christi (quemadmodum à patribus accepimus) fuit annus 32. regni Herodis, qui fuit annus 42. Octauiani Cæsaris, sicut testatur Irenæus in libro 3. aduersus Valentinum, capite 25. Natus est (inquit) dominus noster Christus circiter annum 41. imperij Augusti. Dicit signater circiter primum & 40. quia tum annus ille 41. creditur fuisse completus, quo tempore exijt ab eodem Cæsare edictum, vt describeretur vniuersus orbis, vt testatur Lucas euangelista. Ascendit autem tum & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudeam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria despōsata sibi vxore prægnante. Factum est autem dum essent ibi, impleti sunt dies Mariæ vt pareret, & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio. Anno autē 15. Tiberij Cæsaris (vt inquit Lucas) Ioannes Zachariæ filius, in deserto iuxta Iordanem prædicat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et factum est cùm baptizaretur omnis populus, ipse quoq; Iesus est baptizatus. Et ipse erat incipiens quasi annorum triginta, Lucæ 3. Ex euangelio igitur Lucæ patet, quòd Christus circiter annum ætatis suæ trigesimum fuerit baptizatus, quod tempus concurrebat in annum circiter 15. Tiberij Cæsaris, quod & facilè ex chronographia Eusebiana calculari potest. Tempus autē passionis & mortis Christi, fuit annus Tiberij 18. Computantes autem à 15. anno Tiberij Cæsaris, in quo Christus cœpit prædicare, vsq; in annum eiusdem Tiberij 18. comperiemus Christum prædicasse annis tribus, & per tempus aliquod in anno 18. Quinta pars prophetiæ huius habet: Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Hæc pars non ad septuaginta hebdomadas, sed ad posteriora tempora pertinet, scilicet ad ea, quæ futura erant super Hierusalem, postquàm occisus esset Christus. Populum enim intelligit Romanorum exercitum, ducem autem venturū intelligit Titum cum Vespasiano, qui anno à morte Christi 42. Venientes contra Iudæos. vrbem Hierusalem, olim sub vigesimo anno Artaxerxis instauratam, & sanctuarium, id est, templum olim sub sexto Darij anno consummatum, expugnauerunt: atque ita demoliti sunt vniuersa, vt non relinqueretur lapis super lapidem, quibus facta est vastitas, id est, desolatio ciuitatis vsque in finem. Supradicta quinta parte per anticipationem interposita in parte sexta, reuertitur ad ea, quæ futura erant post hebdomadam 62. supputando eam ab ædificatione murorum & portarum Hierusalem: Confirmabit (inquit) pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: secundùm hanc sextam partem esse impletam huius prophetiæ promissionem, patet ex ipso euangelio. Nam ipse Christus iam baptizatus circiter annum eius trigesimū ductus est à spiritu in desertum, & post ieiunium quadraginta dierum, cōsummata & superata omni tentatione diaboli, cœpit prædicare in synagogis, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. & electis apostolis, fama exijt de illo per vniuersam regionem, vt patet Matth. 4. & Lucæ 3. ac 4. capi.

A Christus baptizatus

Christus est occisus anno regni Hero 32

B

Cap. 2. a

Cap 3.

C

Externa Hierusalē desolatio, anno à morte Christi 42.

D

Christus

CAP. V.

A Christus ergo baptizatus, incipiens annum ætatis suæ trigesimum, & id quidē inchoato anno 15. Tiberij Cæsaris, confirmauit pactum olim patribus promissum, id est, legem euangelicæ gratiæ, hebdomada vna, & in dimidio illius hebdomadis completis, scilicet annis tribus & mensibus tribus deficiet hostia & sacrificiū. Vnde Eusebius de hoc sic loquitur: Christus tribus annis & sex mensibus, iuxta euangelistam Ioan. Euangeliū prædicauit, & confirmauit veri Dei cultum multis, haud dubium quin apostolis & credentibus, quando post passionem in dimidia rursum hebdomada deficit hostia & sacrificium. Quicquid enim in templo post Christū semel in cruce immolatum factum est, non fuit sacrificium Dei, sed cultus diaboli cunctis in commune clamantibus: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Septima verò huius prophetiæ pars, quæ apud eūdem Danielem sequitur: Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Non ad illud dimidium hebdomadis, sed ad sequentia tempora pertinet, cuius prophetiæ veritatem, & historiæ veterum, & nostrorum hodie temporum testatur euētus. Cernimus vsq; nunc desolationem templi & vrbis Hierusalem, sub Tito & Vespasiano factam. Hæc autem dicta sint non tanquàm præiudicantia aliorum patrum interpretationibus, sed tanquam documenta quædam consequentia ex præsuppositā chronographia Metasthenis & Philonis, de numero annorum regum ethnicorum in Monarchia Persarum. Si quis autem in hac monarchia probatiorem temporū descriptionem scripturis sacris consonam inuenire valuerit, secundùm eam poterit etiam alijs modis hanc prophetiam hebdomadarum interpretari. Ex supradictis patet primùm non frustra esse factam harum hebdomadarum diuisionem per angelum Gabrielē, vt primùm diceret hebdomadas 70. deinde hebdomadas septem, & 62. Tertiò, hebdomadas 62. Postremò, hebdomadam vnam, & eam in duas partes sectam. Secūdò, iuxta hanc interpretationē patet, tres nouissimas hebdomadas ex illis sexagintaduabus, post quas occisus est Christus, esse extra numerum septuaginta hebdomadarum, de quibus in principio prophetiç. Quibus fit, vt secundùm hanc computationem aliud initium habeant sexagintaduæ hebdomadæ, post quas Christus designatur occidendus: aliud autem 70. hebdomadæ vsque ad finem transgressionis, seu vsque ad Christum ducem. Nam 70. hebdomadæ habent initium sub imperio Darij Longimani, sexaginta verò duæ hebdomadæ initium habent sub anno 20. Darij Mnemonis. Tertiò patet non valere argumentum aliorum contra sententiā istam opponentium, non posse videlicet harum hebdomadarum initium assignari in aliquo anno sequenti tēpus illud, sub quo Danieli facta est reuelatio, propterea quòd hinc (vt inquiunt) sequeretur, quòd Daniel per hāc reuelationem sibi factam nō fuisset certificatus de tempore, quo implenda fuerant ea, quæ petebat. Præterea si exitus ille sermonis futurus erat post Danielis mortem, qua (inquiunt) ratione dixisset ei angelus. Scito ergo & animaduerte, quòd ab exitu sermonis, &c. Hęc (inquam) argumenta non concludere, hinc patet: Nam Deus reuelauit huic Danieli tanquàm gerenti personam fidelis populi, vt & clauderet sermones, signaret in libro, traderetq; illos posteris legendos. Vnde & de temporibus Antichristi reuelauit eidem Danieli, quòd tribus annis cum dimidio esset regnaturus: non tamen reuelauit ei tempus certum, in quo tres anni illi cum dimidio suum haberēt principiū. Hæc omnia de 70. annis desolationis, & de septuaginta hebdomadibus vsq; ad Christum ducem, & de initijs & finibus eorum, sub iudicio melius sentientium dicta sint, & collecta tanquàm conclusiones consequentes ex collatione sacræ scripturæ, cum his, quæ de temporibus & regum ethnicorum chronographia Berosi, Manethonis, & Metasthenis. Isti enim ethnici chronographi inter cæteros sunt probatiores, nempe cùm in supputationibus temporum & annorum quorum sacra

Christus prædicauit 3. ānis & sex mensib.

B

C

D

Tempus regni Antichristi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cra meminit hiſtoria, inueniantur probati, & ſcripſiſſe conformiter numeris annorum deſignatis in eadem ſacra ſcriptura, quemadmodũ ſuprà oſtendimus: conſequens eſt & illos etiam habendos eſſe vt probatiores in numeris annorum illorum, qui poſt æditum veteris ſacræ ſcripturæ canonem ſupputantur, quales ſunt anni inter deſolationem Hieruſalem & Chriſtum Dominum. Proinde in Monarchia Medorum & Perſarum, omiſſis ſententijs Græcorum & Talmudiſtarum, inſuper & Latinorum ſequentium ipſos (qui & longè ſuper annorum numeris inter ſe ſunt diuerſi) ſupradictum calculum recẽſui. Siue iſte calculus ſit verus & ſecundùm ſcripturæ ſacræ ſenſum deſignatus, ſiue alius quiſpiam ſecundùm aliam chronographiam probatiorem. aut inuentam, aut inueniendam, putetur probatior, & propheticis dictis conformior, non multùm refert ad rem geſtam, id eſt, ad Chriſtum iam incarnatum, præſertim cùm interpretes vniuerſi cõſentiant, has ſeptuaginta hebdomadas iam diu eſſe tranſactas. Demum & illas adimpletas eſſe in Domino noſtro Ieſu, ex duobus præcipuè cõmonſtratur. Primùm quòd omnia quæ in prophetis de Meſſia, ſeu de Chriſto Domino ſunt prænunciata, videmus ex ipſis rerum factis adimpleta in Domino noſtro Ieſu, & in eccleſia illius. Secundò, quòd omnia, quæ Chriſtus in carne viſibili ore proprio futura prædixit, ab euangeliſtis lucidiſsimè expreſſa, comperimus ſic euenìſſe, & quotidie euenire, quemadmodum ipſe illa prædixerat. Primùm prædixerunt prophetæ natiuitatem Domini Meſſiæ & aduentum eius in carnem futurum in humilitate, & locum, in quo naſceretur, & tempus quando naſceretur, & virginem, ac tribum de qua naſceretur deſignantes, & templum per Zorobabelem ædificandum, in quo conuerſaretur, & conuerſationem vitæ illius in prodigijs & miraculis, quibus præſtaret cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis gradum, mhrmis ſanitatem. Inſuper prædixerunt, quòd & populus ipſius, pro his omnibus beneficijs retributuri eſſent illi mala, & quòd perforaturi eſſent manus & pedes illius, & potaturi eum felle & aceto, miſſuri ſuper veſtẽ ipſius ſortem, & quòd illuſuri eſſent illum opprobrijs & ludibrijs, quibus reputatus eſſet tanquàm leproſus & nouiſſimus virorum expreſſerunt, & genus mortis ipſius, cum iniquis reputandus, & ſepulturam illius, reſurrectionem, & aſcenſionem eius, miſſionem apoſtolorum in omnem terram, euerſionem reipublicæ Iudæorum, & diſperſionem eorum extra Iudæam in omnem terram, ſine altari, ſine templo, ſine ſacrificio, vſq; in conſummationem ſeculi, congregationem gentium futuram cum Deo Abraham, qui olim in omnibus gentibus fuerat incognitus. Hæc & id genus alia prophetarum vaticinia videmus adimpleta, per aduentum Domini noſtri Ieſu in carnem. Deinde & omnia, quæ prædixit Chriſtus ore proprio, & de ſemetipſo, & de ſua ipſius traditione à diſcipulo ſuo, de ſua paſſione, morte, & reſurrectione, de apoſtolorum ſuorum diſperſione ac fuga, de Petri negatione, de facto mulieris fundentis alabaſtrum, publicando in vniuerſo mundo, de ſubuerſione Hieruſalem, & euerſione templi, & de illa ciuitate non amplius futura Iudæorum ciuitate, de eccleſia ſua, & fide euangelij ſui dilatanda in omnes gentes per vniuerſum orbem, vſque ad inſulas maris, de perſecutionibus varijſq; tormentorum generibus aduerſus eccleſiam ſuam futuris, & quòd inter hæc omnia portæ inferi non eſſent ſuperaturæ eandem ſuam eccleſiam, vſque in conſummationem ſeculi. Vniuerſa hæc adeò lucidè, adeoque apertè olim eccleſiaſtici patres, Irenæus, Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſtomus, aduerſus Iudæorum incredulitatem demonſtrauerunt eſſe adimpleta, vt nulla valeant tergiuerſatione celari. Tres fuerunt crucifixi eodem tempore, eodem in loco, ſub eodem iudice, Chriſtus vnus ſolus in medio duorum latronum in vniuerſo mundo adoratur. Euangelium huius, & droctrina eius in vniuerſo mundo annunciatur, veneratur, & colitur. Iudas indignè ferens mulierem, quæ effudit alabaſtrum vnguenti precioſi ſuper

Hebdomadas 70 eſſe in Chriſto completas

Omnes prophetiæ de Meſſia ſunt completæ in Chriſto.

ſuper caput Ieſu, reprehenditur, & dicitur ei, quòd euangelium facti huius in toto mundo publicabitur. Euenit quod prædixit. In omnibus (inquit Chryſoſto.) eccleſiis, appellari audiuimus mulierem hanc. Sunt reges, conſules, duces, nobiles, illuſtres, ſplendidi, in quamcunque orbis partem veneris, ſummo cũ ſilentio, magnaq; cum veneratione audiunt officium mulieris huius. Neq; eſt vlla mundi plaga, quæ ignoret factum iſtud. Toto terrarum orbe mulier hæc decantatur, neque perſona erat celebris, neque factum ipſum inſigne, neque locus publicus. Neque enim hoc fecit per theatrum, ſed in domo paucis duntaxat præſentibus. Attamen neque perſonæ vilitas, neque teſtium paucitas, neque loci obſcuritas, neque vlla res alia potuit huius mulieris abolere memoriam. Ipſa igitur rerũ à Chriſto prædictarum veritas contra Iudæos clamitat, ex ipſis factis & euentibus declaratur ipſe verus eſſe agnus pro nobis immolatus, in agno veteris legis cæterisque ſacrificijs deſignatus. Ipſe ſuo diuino & incomprehenſibili conſilio diſpoſuit, vt ſacrilegi Iudæorum principes & impij ſacerdotes, qui ſæuiendi in ipſum ſæpe occaſiones quæſierant, non niſi in ſolennitate Paſchali, qua ſolet agnus immolari furoris ſui acciperent poteſtatem, vt ipſe ſua ſponte in cruce tum immolandus, oſtenderet ſe verum eſſe agnum, in agno illo paſchali figuratum, vt agnum ſignificatiuum agnus verus remoueret, & omnia quæ de immolatione agni erant inſtituta, doceret in ſe fore completa. Ex quibus omnibus, niſi eſſent cæca & pertinacia Iudæorum corda, certis argumentis conuincerentur 70. annorum hebdomadas deſignatas à Daniele vſque ad Chriſtum ducem eſſe adimpletas in domino noſtro Ieſu, per quem peccatum habet finem, & deleta eſt iniquitas, & adducta eſt iuſtitia ſempiterna, impleta eſt viſio & prophetia. Vnde & ſub temporibus Chriſti adeò publica erat apud Iudæos fama, regẽ Meſſiam aut tum veniſſe in carnem, aut tempus eius propè eſſe, vt Herodes veritus, ne rege nato propelleretur à regno, occiderit nedum infantes alienos à bimatu & infra, ſed & proprium filium ſuum, quem ex vxore de tribu Iuda ſuſcitauerat, quemadmodum in ſuperioribus patet ex dictis Iudæi Philonis alieni à fide Chriſti. Cæterùm in ethnicorum commentarijs miracula in Chriſti paſſione facta ad verbum ſcripta reperimus. De his (inquit) Euſebius ſcripſit Phlegon, olympiadum egregius ſupputator in 14. lib. ita dicens: Quarto autem anno 202. olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio ſolis eſt facta, dies hora ſexta ità in tenebroſam noctem eſt verſus, vt ſtellæ in cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Niceną vrbis multas ædes ſubuerterit. Inſuper & Ioſephus Iudæus à fide Chriſti alienus, ſcribens temporibus illis de eodẽ Domino Chriſto in 18. lib. Antiquita. cap. 9. ſic loquitur. Fuit autem iiſdem temporibus Ieſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum nominare fas eſt, erat enim mirabilium operũ effector, & doctor omnium eorum hominum, qui libenter audiũt veritatem, & multos quidem Iudęorum, multos etiam ex gentibus ſibi adiunxit, Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis virorum, cùm Pilatus cruci agendum decreuiſſet, non deſeruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum viuus, ſecundùm quod diuinitus inſpirati prophetæ, vel hæc, vel alia de illo innumera miracula futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Chriſtianorũ, qui ab illo nuncupati ſunt, & nomen perſeuerat & genus. Hæc ille. In eodem libro cap. 14. de ſanctitate & morte iniurioſa Iohannis Baptiſtæ ſic loquitur: Quibuſdam Iudæorum videbatur ideo periſſe Herodis exercitum, quòd in eum ſatis iuſtè indignatio diuina commota ſit, pro vindicta Iohannis, qui vocabatur Baptiſta. Hunc enim Herodes occidit virum valde bonum, qui præcipiebat Iudæis virtuti operam dare, iuſtitiam colere, in Deum ſeruare pietatem, per baptiſmum in vnum coire. Quæ cùm ab eo præcepta huiuſmodi docerentur, atque ad audi-

De eclypſi ſolis & terræ motu in morte Chriſti.

Ioſephus de Chriſto teſtatur.

Ioſephus de Iohanne Baptiſta teſtatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iosephus de Iacobo testatur.

endem eum q̃plurima multitudo concurreret, veritus Herodes, ne fortè persuasione doctrinæ ipsius populi à suo regno discederent, in castellum macherunta vinctum adducit Iohannem, eumq; gladio occidi iussit. Demum in 11. Antiquitatum libro, cap. vigesimo de Iacobo fratre Domini, sic loquitur: Ananus pontifex credens se inuenisse tempus opportunum Festo mortuo, Albino in itinere constituto concilium fecit iudicum, & quosdam deducens ad semetipsum, inter quos & fratrem Iesu, qui dicitur Christus, nomine Iacobum, quasi contra legem agentes accusans, tradidit lapidandos. Hæc sunt euangelij nostri testimonia, etiam à fide Christi alienis desumpta. Omnibus igitur prophetarum vaticinijs, & septuaginta Danielis hebdomadibus, luce clarius adimpletis in Christo domino nostro, frustra carnales Iudæi expectant alium carnalem Messiam in terrena Hierusalem. Dominus noster Iesus Christus de virgine natus est verus Messias in lege promissus, de tribu Iuda, de domo & familia Dauid ortus. Temporibus eiusdē Domini nostri Christi in carne visibiliter conuersantis, creditum & manifestum erat omnibus Apostolis ac alijs etiam Iudæis, Mariam matrem ipsius esse de familia & progenie Dauid. Vnde & Ioseph ibat in ciuitatem Dauid, vt profiteretur cum eadem Maria sibi despōsata prægnante. Manifestum est (inquit Apostolus) q̃ ex tribu Iuda Dominus noster ortus est, ad Hebræos 7. Deinde omnes Iudæi admittebant Christum Mariæ filium esse ex semine Dauid, interrogantibus eis, cuius filius ipse Christus esset, responderunt esse Dauid. Sed ex genealogia Christi aliter à Luca, aliter à Matthæo descripta, ingentes nascuntur difficultates. Primùm quòd alius pater, alius auus, alius abauus ipsius Ioseph recitatur à Matthæo, alius autem à Luca. Quomodo vnius Ioseph possunt esse duo patres, id est, Heli & Iacob: quomodo etiam duo paterni aui, Nathan & Melchi: deinde quamobrem Matthæus transit à Dauid ad Christum per Salomonem. Lucas autem ascendit à Christo ad Dauid per Nathan. Insuper quomodo potest Maria mater Christi esse de tribu Iuda, cùm fuerit cognata Elizabet, quæ vt dicitur Lucæ primo, erat vna de filiabus Aaron, de tribu Leuitica, quæ erat sacerdotalis, præsertim cùm apud Iudæos tribus non poterant per coniugia cōmisceri? Tertiò quomodo stare potest, quòd Sorobabel, Salathiel, & Neri, id est, Ioachin, ponantur in vtraque genealogia, cùm Matthæus tractat seriem ipsius Salomonis, Lucas verò seriem generationis ipsius Nathan? fieri autem nequit, vt hi tres à Dauid descenderint per Salomonem, & simul per Nathan Salomonis fratrem? Quartò, quomodo pater & auus & abauus Neri, id est, Ioachin recitantur apud Lucam, Melchi addi Thosan, & sic consequenter, cùm Matthæus alios parentes nominet quos neque liber Paralipo. neque liber regum commemorat? Quintò, qua ratione Matthæus à Sorobabel vsque ad Ioseph recenseat vndecim duntaxat generationes, cùm Lucas ab Sorobabel vsque ad eundem Ioseph Mariæ virum, ponat generationes octodecim? In his soluendis olim occupati fuerunt patres, Eusebius, Hieronymus, Ambrosius, & Augustinus: & quàmuis plerique inter se sint varij, consentiunt tamen vniuersi. quòd Ioseph duorum filius est dictus, non ab vtroq; generatus, sed ab altero generatus, ab altero autem secundùm rationem aliquam legis filius appellatus. Et quia sunt modi multi, propter quos quispiam filius solet alicuius vocari: Primus scilicet secundùm adoptionis legem, quæ cùm non valeat ad demonstrandum originem aut genus, non conducit huic proposito. Alter secundùm legem coniugij. Tertius per suscitationem seminis fraterni, secundùm legem Moysi iubentis, vt frater accipiat relictam fratris sine liberis defuncti, ad suscitandū semen defuncto fratri. His modis duo sunt vnius filij patres: Vnus lege coniugij aut Moysi, alius iure generandi. Secundùm hunc postremum modū appellandi filium, soluunt Ambrosius & cæteri patres obscuritates in genealo-

Iudæos frustra expectare carnalem Messiam.

Quomodo Ioseph dicatur filius duorum.

nealogia ista. Sunt alij qui dicunt Matthæum recitare genealogiā Ioseph, qui descendit à Dauid per Salomonem: Lucam verò recitare genealogiam Mariæ quæ descendit à Dauid per Nathan Salomonis fratrem. Ioseph (inquint) fuit filius Iacob generationis natura. Idem autem Ioseph fuit filius Elih, id est, ipsius Ioachim patris Mariæ lege vxoria: secundùm quam consuetudo est filium meum appellare, etiam qui est maritus filiæ meæ. Cùm enim vir & vxor sint vna caro, qui pater est vxoris meæ, is congrua ratione dicitur & pater meus esse. Secundùm hanc ergo sententiam, Ioseph Mariæ vir, de Iacob generatus, appellatur filius Annæ & Ioachim patris mariæ, qui alio nomine vocabatur Elih. Secundùm istam autem legem coniugij sufficienter probatur origo sanguinis vxoris, per generationem mariti apud Iudæos, qui cogebantur vxorem accipere de sanguine cognationis suæ. Sunt alij qui dicunt in Ochosia Salomonis lineam extinctam esse, inter quos est Philo Iudæus. Secundùm hunc dicendi modum, neque Christus, neque Ioseph descendisset secundùm carnem de Dauid per Salomonem, sed per Nathan ipsius Salomonis fratrem. Secundùm modum istum Sorobabel, Salathiel, Ioachim, & Ioachin, non ex linea Salomonis, sed ex Nathan descendissent: quod videtur esse contra textum scripturæ Paralipo. 3. vbi dicitur filius Salomonis Roboam, cuius Abia filius genuit Asa. De hoc natus est Iosaphat pater Ioram, qui Ioram genuit Ochosiam, ex quo ortus est Ioas, eius filius. Amasias genuit Asariam. Porrò Ioathan Asariæ filius, procreauit Acham patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses, qui Manasses genuit Amon patrem Iosiæ. Filij autem Iosiæ fuerunt primogenitus Ioanna, secundus Ioakim, tertius Sedechias, quartus Sellim. De Ioakim natus est Iechonias & Sedechias. Filij Iechoniæ fuerunt Asser, Salathiel, Mechira, Phadaia, & Senneser Iecenna. Hactenus scriptura sacra in qua planè videtur significari non modò in Ochosia non esse extinctam Salomonis lineam, sed & eundem Ochosiam ex Salomonis linea genuisse Ioas, quia dicit de Ochosia ortum esse Ioas, & huius Ioas filium fuisse Amasiam, & Amasiam genuisse Asariam, alio nomine vocatum Osiam, de quo natus est Ioakim pater Ioachin. Amplius autem quarti Regum 11. & 13. Ioas appellatur Ochosiæ filius. Sed hic habent Philo & sequaces illius scripturas alias, quibus significantur omnes fratres Ochosiæ interfecti, & omnes animæ de domo Achab occisi, 4. Regum 10. Deinde significatur Attaliam matrem Ochosiæ, cùm videret vnicum filium suum Ochosiam interfectum, interfecisse omne semen regium. Sororem autem Ochosiæ clàm tulisse & furatam esse Ioas de medio filiorum regis qui interficiebantur, vt dicitur 4. Regum 11. Ibi filij regis appellantur non filij Ochosiæ: neque enim Attalia voluisset interficere filios filij sui, sed filij appellantur propterea, quòd nutricij erāt Ochosiæ, qui ex linea Nathan custodiebantur ad succedendum in regnum, in casu quo deficeret Salomonis linea, & ita Ioas, quàmuis primus (vt inquiunt) fuerit ex linea Nathan, dicitur tamen filius Ochosiæ, & ortus esse de Ochosia, secundùm consuetudinem locutionis scripturæ sacræ, appellantis filios, & ortos seu genitos esse etiam eos, qui vt cognati & nutricij educantur tanquam filij, apti succedere in locum filiorum deficientium. De his in alijs latiùs. Secundùm hunc modum, Elih seu Ioachim beatæ Mariæ pater, & Nathan eiusdem Mariæ auus paternus, Leui & Melchi abauus, & attauus ex linea Nathan, descenderunt à Dauid. Vnde recitat Iohannes Anneus ex dictis Hieronymi se didicisse, quòd Melchi vigintiquinque annorum genuit Leui, qui quadragenarius genuit Nathā. Hic agens annum trigesimum sextum genuit Ioachim, qui & Elih, patrem quidem naturalem Mariæ, & legalem Ioseph. Ioachim autem anno quadragesimo sexto natura sterilis genuit Mariam, quæ & ipsa anno decimoquarto ætatis suæ peperit saluatorem. Ad aliam difficultatem, qua dicitur, Maria fuisse cognata Elizabet

Universidad de Deusto
Biblioteca

de tribu Aaron, dicimus neque esse impossibile, neque absurdum, vnã & eandem A
personam habere ortum ex duobus fratribus vterinis per mulierem, quæ ab al-
tero illorum fratrum descenderit: sic Iohannes Baptista, & mater ipsius Elizabeth
simul de tribu Iuda & de tribu Leui ortum habuerũt. Vnde ex traditione patrum
didicimus Mariam & Elizabeth fuisse filias duarum sororum, videlicet Annæ &
Esmeriæ, quarum vtraque erat Bethleemitica de domo Dauid, quæ erat in tribu
Iuda. Anna verò Ioachim accepit maritum, de tribu Iuda, & de domo Dauid.
Esmeria autem virum accepit Leuiticum, de familia Leui, & ideo Elizabet ratio-
ne patris erat Leuitica: ratione aũt matris, erat de tribu Iuda: virgo autẽ Maria ra-
tione vtriusq; parentis de tribu Iuda extitit. Neq; huic matrimonio Esmeriæ ob-
uiat lex Moysi, de non commiscendis inter seinuicem tribubus per cõiugia. Nam
contra legem non erat, quando eam familiam alteri commixtam, non sequeba- B
tur illius tribus hereditas, sic habet lex Numeri vltimo: Nubant quibus volunt,
tantùm vt suæ tribus hominibus ne cõmisceatur possessio filiorũ Israel de tribu in
tribũ. Sunt autẽ qui sentiunt, Mariam simul fuisse de tribu Iuda & de tribu Leui, &
Lucam scripsisse familiam Christi sacerdotalem, per Nathan sacerdotem atque
prophetam: Matthæum verò familiam Christi regalem, per Salomonem: ex
quibus consequens esset, Christum esse de familia sacerdotali simul & regali.
Huius sententiæ sunt Ambrosius & Beda, sed eis non consentiunt cæteri multis
ex rationibus, neque enim Nathan propheta filius Dauid erat. Iam si dixeris: In
historijs quibusdam legimus, Leui genuisse Melchi, & Melchi genuisse Panther,
hunc autem Barpanther, à quo natus sit Ioachim pater mariæ. Respondet An-
neus, Iudæos quosdam in primitiua ecclesia fingentes se Christianos, ad obscuran-
dum genealogiam Christi, quam & Lucas claram ponit ex linea Mariæ, & Mat- C
thæus itidem claram tradit ex linea Ioseph, transmutatis nominibus dixisse Pan-
ther pro Melchi, & Barpanther pro Leui, & quòd Heli quasi alter à Ioachim, fue-
rit pater Ioseph, legalis per suscitationem seminis fraterni. Contra quos inquit,
scribens beatus Hieronymus de ortu beatæ virginis: Quid (inquit) Pantheris
& Barpantheris, & fraterni seminis suscitatore opus fuit ad genealogiam Ma-
riæ, quæ clara est? nisi quia falsi fratres, sub specie angeli lucis ad eludendum
euangelia, quasi illa expositura hæc finxerunt. Vide & reliqua apud Iohannem
Anneum in commentarijs chronographiæ Philonis. Verùm hic sciendum,
quòd liber iste Hieronymi de ortu beatæ Mariæ virginis, nobis nondum prodijt
in lucem. Quod autem Matthæus dicit Sorobabelem genuisse Abiud, hoc in
Paralip. non sic legitur. Sed hic sciendum, Abiud fuisse filium Sorobabelis bino-
minem. qui dictus est Ananias in Paralipo. is & appellatur Abiud apud Matthæ-
um: sicut primogenitus Sorobabelis Missiolla appellatus est Resa, quod Lucas po- D
suit, & Philo expressit. Sunt rursus alij, qui dicunt alium fuisse Sorobabelem
expressum à Matthæo, alium à Luca. Sorobabel (inquiunt) quem designat Mat-
thæus duabus generationibus, post transmigrationem natus est: is autem quem
commemorat Lucas & Zacharias, ante transmigrationem natus est: quod patet
(inquiunt) ex verbis Domini ad Aggæum prophetam cap. 2. dicentis: Loquere
ad Sorobabelem filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedech, & ad
reliquos populos: Quis est ex vobis derelictus, qui vidit domum istam in gloria
sua prima? Ex quibus videtur Sorobabelem vidisse domum istam. Sed hoc ar-
gumentum nihil concludere manifestum est. Fit enim sermo non solùm ad So-
robabelem, sed ad plures, inter quos poterant alij esse, qui olim viderant do-
mum primam. Vnde à destructione templi vsq; in annum secundum Darij Lon-
gimani, sunt anni centum & sedecim. Longioris autem vitæ poterunt sub illo se-
cundo anno Darij homines inueniri, quemadmodũ & ipse Iosue, filius Iosedech,

Quomodo virgo Maria erat cognata Elizabeth quæ erat de alia tribu.

Hieronymus.

vixit

A vixit annos centum & triginta, vt testatur Philo. De Ioiada pontifice ante capti-
uitatem legitur, quòd fuerit centum & triginta annorum, 2. Paralipo. 24. Quòd
autem fuerit idem Sorobabel, qui in captiuitate genitus, fundauit templum sub
Cyro, qui & sub Dario ipsum consummauit, patet Zachariæ 3. Ex eo item, quòd
apud Lucam plures generationes interponuntur, quàm apud Matthæum, non est
consequens, non esse eundem Sorobabelem ab vtroque designatum. Nam secun-
dùm consuetudinem coniugij, aut legem Moysi pauciores personæ recitatæ in
genealogia Matthæi, potuerunt longæuam vitam transigere, plures autem apud
Lucam immatura ætate decedere.

Sequitur pars vltima huius quinti capitis, pro intellectu scripturarum de rebus & temporibus futuris in nouissimo Christi aduentu.

B EX superioribus recapitulandum est, regnũ Domini nostri Mes-
siæ, id est, Christi, in scripturis propheticis prænunciatum, olim
à patriarchis expectatum, nõ esse accipiendum tanquã durãs eo
solùm tempore, quo Christus secundùm visibilem carnẽ in Iu-
dæa mirabilia operatus erat, nascendo, euãgelizando, in prodi-
gijs, in miraculis, eligendo Apostolos, & mittendo, resurgendo,
& ascendendo, vt tunc intelligatur regnũ etiã extinctum in hoc mũdo, cũ iã eua-
nuit ex corporalibus oculis mũdi huius, & intelligantur tunc omnia esse impleta, Perpetuum es
quæ in prophetis de ipso ac regno eius sunt prophetata: sed accipiendum est re- se regnũ Chri
gnum illud tunc incepisse manifestari, & crescere, & permanere, & secundùm suc- sti in ecclesia
cessionem transire de progenie in progeniẽ, vsq; in consummationem seculi, & i- ipsius.
C psum Christum nõ desijsse regnare vnquam, sed in æuum omnipotentem regem, C
veram vitem, verum caput suæ ecclesiæ, & regnare in hoc suo regno tanquã ducẽ
& bellatorem fortem per spiritum sanctum desuper missum, qui & tandem in re-
surrectione in nouissimo die tradet idipsum suum regnum Deo patri, absorpta
iam prorsus morte, tribulatione & angustia ab omnibus eiusdem regni membris.
Ex hac iam consideratione contra carnales fidei nostræ hostes, qui ex prophetis
suo sensu intellectis, arbitrãtur Christum in terrena Hierusalem regnaturũ secu-
lis multis, habeatur clauis quædam ad aperiendum multa scripturæ claustra in le-
ge & prophetis, de Christo & regno illius vaticinãtibus. Nam & ex ipsis prophe-
tis discimus ipsius Messiæ natiuitatem temporalem, & conuersationem vitæ eius
in paupertate & humilitate, prædicationem & operationẽ miraculorũ eius, mor-
tem eius & ascensionem, & desuper missionem sancti spiritus in Apostolos, qui in
omnem terram erant euangelizaturi. Ex quibus consequens est, ea quæ per pro- D
D phetas prænunciata sunt super regno Christi militante in hac vita, vsque in con-
summationem seculi, ex parte impleta esse in primo aduentu illius, dum in carne
mortali nobiscum vsq; in mortẽ conuersatus est, & tunc completa fuerunt omnia
redemptionis humani generis officia, quæ prænunciata erant per ipsum futura in
carne sua mortali, quemadmodum ipse priusquã in cruce emitteret spiritum ait:
Consummatum est. Deinde ipso fic per mortẽ cõtra diabolũ triumphante, omnia Matth. 27.
quæ de regno eius seu ecclesia futura pronunciãtur, quotidie implentur & imple-
buntur vsque in finẽ seculi, & tunc demũ in secũdo scilicet aduentu, prorsus con-
summabuntur, cùm non erit amplius in vllo regno Christi neque militia, neque
tentatio, neq; bellum, neq; gladius, sed pax sempiterna. Vnde prophetia de regno
illius, secundùm primum aduentum eius, quòd tanquã mons eleuandus super oẽs
colles, id est, super oẽs terræ principes in fortitudine venturus esset, & ꝙ regnatu-
rus esset in Hierusalem, & sederet super sedẽ Dauid patris sui, & in domo Iacob
in æternum, & ꝙ de monte Syon lex illius esset transitura in omnem terram, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd idola essent penitus conterenda, & quòd ad eum fluerent omnes gentes & populi multi, & quòd dominaretur à mari vsque ad mare, & quòd ad illius imperium tacerent insulæ maris. Huiusmodi prophetiæ, siue falsò intelligantur ad literam, quemadmodum accipiunt Iudæi, vanè expectantes Messiam regnaturum in terrena Hierusalem: siue verè intelligantur secundùm spiritualem sensum, quemadmodũ intellexerunt prophetæ & exposuerunt eas Christus & Apostoli, non sunt adimpletæ tempore primi aduentus, intelligendo primi aduentus tempus illud solum, quo Christus cœpit in terra conuersari vsque ad mortem, resurrectionem, & ascensionem solùm. Christus enim dum viueret, & Apostoli ante resurrectionem, non prædicauerunt nisi in Iudæa, & finibus eius. Vnde neq; tunc ad legem eius fluebãt gentes. Postq̃ autẽ morte sua triumphabat super diabolum exoluens Deo patri pœnam debitam pro peccato humani generis, resurgens à mortuis regnare cœpit super gentes, & crescere cœpit regnum eius. Hac ratione & Christus ipse qui erat prænunciatus, quòd esset expectatio gẽtium, qui à Deo patre missus ad hoc venit in mundum, vt esset saluator totius mundi, verè dicit: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Qui dum in mortali carne adhuc viueret, suis discipulis præcepit: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis: sed ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Post resurrectionem verò in carne gloriosa manifestans se suis discipulis & fratribus multis numero, præcepit Apostolis, vt euntes in vniuersum mundum docerent omnes gentes, & prædicarent euãgelium regni sui omni creaturæ. Non oportet igitur ex scripturis concludere, quòd Christus in terrena Iudæa secũdum mortalem carnem visibiliter habitans, & euangelij legem constituens, fuerit mille annis & vltra, aut diebus suis fuerit dominatus à mari vsq; ad mare, & quòd eisdem temporibus confluxerint omnes gẽtes ad obedientiã euangelij eius, & quòd omnia idola fuerint in nationibus gentium contrita: sed quòd tunc incœperit regnum eius sub quo paulatim hæc omnia cõplentur in Christo per mortem, & per resurrectionem contra diabolum triumphante, iuxta Danielis vaticinium, cap. 2. Lapis abscissus de monte sine manibus percussit statuam in pedibus suis ferreis, & conterens quatuor præfatæ statuæ membra, factus est mons magnus, qui impleuit terram vniuersam. Vnde regnũ Christi per fidem euangelij ipsius cœpit crescere in vniuerso mundo, in omni loco & gente. Terrena principũ ac ducũ corda cœperunt transferri in regnum charitatis Christi, cœpit & idololatria paulatim cõminui inter gentes, quæ licet magna ex parte per Apostolorum prædicationem in vniuerso mundo fuerit cõminuta, non tamen penitus fuit cõtrita. Nam vsq; ad Constantini tempora regnabat idololatria sub Romano imperio, cui restiterunt sancti martyres, Sixtus, Laurẽtius, Vincent. cæteriq; vsq; ad mortẽ. Deinde ad hæc vsq; secula putantur in Asia esse quædam regna, quæ colũt idola. Cæterũ prophetarum sermo crebrò cõmiscet duas vniuersales Iudæorum captiuitates lõgis temporum interuallis, videlicet 670. annis à se distantibus, vnam videlicet sub Babylonijs, alteram sub Romanis, Tito & Vespasiano, intermiscens etiam eam, quæ fuit sub Græcis ab Antiocho illustri. ex quibus plerunque transit ad nouissimam persecutionem aduersus populum Dei futuram in regno Antichristi. Et ideo cõsiderare tempora regum, sub quibus vnusquisq; propheta suas prophetias locutus est, multum lucis adfert ad intelligentiam scripturarum, & ad intelligendũ numeros annorum designatos in libris prophetarum. Duodecim sunt prophetæ, quos vocamus minores: quatuor aũt, quos vocamus maiores. Horũ autem prophetarum ordo in lib. Bibl. non texitur secundùm ordinem successionis temporum, quibus prophetauerunt. Nam Abdias, qui post quatuor maiores prophetas, quartus inter minores ponitur, longè ante Isaiã cæterosque omnes prophetauit. Itẽ Osee Iohel,

Matth. 15. c
Matth. 10. a
Matth. vlt.
Adhuc superest idolatras.
Incipit de regno Antichristi.
De vno ordine ac tempore prophetarũ.

hel, Amos, Micheas, quàmuis post Hieremiam, Ezechielem, Danielem inter duodecim minores prophetas sunt collocati, ante illos tamen sunt vaticinati. Abdias Ionas, Amos, Isaias, Osee, Iohel & Micheas prophetauerunt ante captiuitatem populi Israel, & nõ solum ante captiuitatem populi duarum tribuum, Iuda videlicet & Beniamin, sub 11. anno Sedechiæ factam, sed & ante decem tribuum captiuitatem, quæ illam antecessit annis 156. quemadmodum ex superioribus conclusionibus demonstrari potest. Abdias in diebus Achab regis Israel, & in diebus impijssimæ Iesabel prophetasse traditur. Ex regibus qui ponuntur in titulis, cognoscimus tres prophetas, videlicet Isaiam, Osee, Amos incepisse prophetare sub vno atque eodem rege, videlicet sub Osia rege Iuda. Micheam autem incœpisse prophetare sub rege sequenti, videlicet sub Ioathan, nondum 10. tribubus translatis per Assyrios. Nahum verò iam 10. tribubus in captiuitatẽ ductis per Assyrios, ad earundem decem tribuum consolationem prophetare cœpisse aduersus Niniuem, Assyriorum metropolim Ezechiæ temporibus. Isaiam quoque & Osee sub eisdem quatuor regibus, secundùm seriem successionis in regno Hierusalem succedentibus, videlicet sub Osia, Ioathan, Achã, & Ezechia prophetasse. Iohel quoque, quia mox absque titulo vllo regis sequitur Osee prophetam, iuxta regulam Hebræorum prophetasse intelligitur sub eisdem regibus, quibus & Osee prophetauit. Amos verò, quemadmodum & titulus indicat, in diebus solius Osee regis. Micheas verò in diebus Ioathan, Acham, & Ezechiæ regum Iuda. Postea verò Sophonias & Hieremias ante transmigrationem Ioachin prophetare cœperunt in diebus Iosiæ regis Iuda, quemadmodũ & ipsi testantur in suis librorum præfationibus. Finem regni duarum tribuum, quæ vocãtur Iuda & Beniamin, iam instare sub Iosia, ex 4. lib. Regum est manifestum. Illo enim interfecto, filij eius & nepotes, qui postea reguauerunt, vt Ioacham, Ioakim, Sedechias, & Ioachin, non tam regnasse credendi sunt, quàm ludibrio habiti fuisse ab Ægyptio rege, & Chaldæis, & varijs captiuitatibus mortibusq; cruciati, vt patet 4. Reg. 23. 24. & 25. Quia igitur populus poterat se excusare in regibus malis, & dicere nos volumus seruire Deo, sed prohibemur à regibus, iam instante regni fine datur populo Iosias rex iustus: quo zelante zelum Domini, & populum nihilominus in idolorum cultu perseuerante, iusta irę causa profertur à Domino, & incipit Sophonias prophetare de euersione Hierusalem, & victoria Nabuchodonosor: quam & Hieremias passim in suis vaticinijs interserit. Ezechiel autem paulò post, iam scilicet transmigratione Ioachin facta, prophetare cœpit ante desolationem, seu euersionem Hierusalem. Hieremias ergo & Ezechiel, imminente iam euersione Hierusalem & regni Iuda, texuerunt vaticinia: sed Hieremias in terra Iuda, Ezechiel autem in Babylone. Hieremias cùm esset adhuc puer, cœpit prophetare anno 13. Iosiæ, prophetauitq; in imperio eius annis 10. & 9. & postea sub Ioachim filio eius annis 11. vsque ad quintum mensem quando à Babylonijs capta est Hierusalem. Ioakim autem & Ioachin terni menses: quorum alter in Ægyptum, alter cum matre ductus est in Babylonẽ, in supradictis annis computantur, ac per hoc Hieremias ab exordio prophetiæ suæ vsque in captiuitatem Hierusalẽ, in qua & ipse captus est, prophetauit annis 40. & vno, præter illud tempus. quando ductus est in Ægyptum, ibique prophetauit in Taphnis. Patent hæc omnia ex volumine Hieremiæ. Ezechiel autem prophetare cœpit in anno transmigrationis Ioachin 5. qui fuit & quintus imperij Sedechiæ annus, trigesimusque ætatis eiusdem Ezechielis. insuper & trigesimus, supputatione facta ab anno Iosiæ regis 18. sub quo inuentus est liber Deuteronomij in templo, 4. Regum 22. Ex his colligendus est intellectus exordij libri Ezechielis, vbi dicitur: Et factum est in 30. anno &c. Daniel iam cum Ioakim in Hierusalem translatus ante euersionem templi & Hierusalem, prophetare cœpit vsque in 3. annum Cyri.

De Daniele propheta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Computantur autem à transmigratione Ioachim vsque in tertium annum Cyri, anni 84. secundùm conclusiones supradictas supputatione facta. Abacuc autem iam duabus tribubus in captiuitatem deductis prophetauit, vt patet ex Danielis historia. Quemadmodum enim Nahum propheta, quem Abacuc sequitur in consolationem decem tribuum positarum in captiuitate Assyriorum, vaticinium habuit contra Niniuem, metropolim Assyriorum, qui vastauerunt decem tribus, quas scriptura vocat Israel: Ita & Abacuc in consolationem duarum tribuum (quas scriptura vocat Iuda) iam in captiuitate Babylonica existentium prophetiam habuit aduersus regem Babyloniorum, à quibus Iuda, Hierusalem & templum sunt subuersa. Postea verò eisdem tribubus duabus per Cyrum à captiuitate solutis, prophetare cœperunt, Aggæus, Zacharias, & Malachias, quem Hebræi (vt inquit Hieronymus) arbitrantur fuisse Esdram. Ordo igitur prophetarum, si secundùm seriem temporum, quibus prophetauerunt, statuetur: hoc pacto recenserentur prophetarum libri: Abdias, Ionas, Amos, Isaias, Osee, Iohel, Micheas, Nahum, Sophonias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Abacuc, Aggæus, Zacharias, Malachias. Recitant quidem singuli Prophetarum libri reges, sub quibus prophetauerunt, præterquàm Iohel, Abdias, Ionas, Nahum, Abacuc, & Malachias. Verùm hic sciendum, quòd non absque ratione prophetarum ordo, in libro Bibliæ aliter quàm secundùm ordinem temporum designatur. Nam etsi in scripturis sacris non semper gestorum aut temporum ordo, aut successionis series seruetur, in eis tamen non est superuacuum considerare piam quandam ordinis rationem, secundùm quam placuit spiritui sancto vnum alteri præponere, quemadmodum conuenit ex rebus in scriptura sacra, etiam absque temporum ordine recitatis, considerare ordinem diuinæ prouidentiæ, omnia secundùm suam sapientiam in bonum suorum electorum dispensantis. Verbi gratia, in Isaia cùm describuntur bella gesta, & onera, id est, plagæ super ethnicorum regna videlicet, aut super Damascum, aut super Ægyptum, aut super Assyrios, aut Babylonios, Persas, ac Medos, & id genus alias superbas nationes, non est arbitrandum spiritum sanctum pro sola rerum gestarum historia noscenda, hæc nobis legenda proponere: sed ad consolationem aut commonitionem nostram hæc esse descripta, ne confidamus in principibus, neque spem ponamus aut in hominibus aut in vllo temporali rege, sed in Christo rege iustitiæ, vero saluatore, fine quo neque salus vlla est, neque fortitudo. Contra Dei iram Israel speravit in Damasco, diruatur ciuitas, quæ aduersus Dei voluntatem impijs præstat auxilium. Iuda speravit in Ægyptijs, destruatur Ægyptus. Ægyptij confisi sunt in Æthyopibus, Æthyopes quoque vincantur ab Assyrijs. Assyrij superbierunt, non Dei, sed suarum virium arbitrantes esse victoriam, & ipsi vincantur à Babylonijs. Babylon eleuauit contra Deum caput, seq; Dei potentiæ coæquauit, in tantam elata arrogantiam vt auderet dicere: Super sydera cœli ascendam, ipsa quoque à Medis & Persis superetur. Persæ & Medi in sua sunt fortitudine gloriantes, veniant Macedones & conterant illos sub pedibus suis. Macedones supra modum sunt erecti, veniant Romani, & eos sibi subijciant. Et hæc nisi studiosus sacræ scripturæ lector animaduerterit in prophetarum libris, turbabitur super sententiarum contextu, nesciens ad quid pertineant, quorsúmue tendant ea, quæ de oneribus, aut Babylonis, aut Moab, aut Damasci, aut Ægypti, aut Tyri inter prophetias de Christo interseruntur, vt videre licet apud Isaiam à capite 13. vsque in caput 33. Vnde caput 31. spiritus sanctus coarguit eos, qui descendunt in Ægyptum in equis sperantes, & fiduciam habentes super quadrigis & equitibus, quia multi & prævalidi sunt, & non sunt confisi super sanctum Israel, id est, super Christum sanctificantem Israel. Christus enim est scopus & finis, in quem tendit omnium prophetarum spiritus.

Ordo prophetarú iuxta tempora, quibus prophetauerunt

Docent prophetæ in deo, non in homine sperandum.

Isaiæ 14.

Proinde

Proinde & passim interserit ea, quæ ad Christũ & ad regnũ ipsius, & ad principatum, potestatẽ, iustitiam, æquitatẽ, legem, & ad futurum illius iudicium pertinent, cuius regnum est stabile, forte, sempiternũ, & regnum omnium seculorũ. Quotquot aut olim fuerũt, aut in posterũ futuri sunt huius mundi reges, siue Pharaones siue Darij, siue Artaxerxes, siue Alexandri, siue Nabuchodonosor, suos habuerunt regni atque imperij terminos ac fines. Desijt Assyriorum regnum in Sardanapalo per Belochum suum clandestinum hostem, militiæ suæ prætectum, qui Sardanapalo interfecto cum Arbace Medorum principe monarchiam partitus est ea lege vt ipse Mediam & Persas, Belochus verò Babyloniam rẽgeret. Desijt Babyloniorum regnũ in Balthasare interfecto per Cyrum Medum, qui rursus monarchiam Babyloniorum vniuit Persis & Medis. Medorum autem & Persarum imperium tenens Babyloniam sibi vnitam, perijt in Dario per Alexandrum Macedonem victo. Macedonum verò, quod est Græcorum regnum, perijt per Romanum imperium, Sic & cætera huius mundi regna suos habẽt fines ac terminos. Solum autem Christi regnum non concluditur vllo locorũ aut temporum termino, sed est æternum, quod vbique dilatatur, vbique porrigitur Christus, vbique regnat, vbique colitur, & adoratur in omni loco & gente, quæ fidem habet in illum. Proinde omnia illorum ethnicorũ regum & gesta & onera, & bella & prælia sunt nobis posita, tanquàm exempla & specula, quibus & perueniamus & permaneamus in regno Christi, quod est regnũ iustitiæ sempiternæ in consummatione seculi, transferendum in regnum plena pace securum. Quibus præmissis ad intelligendũ scripturas cõmemorantes opera & tempora futura in fine mundi: sciendum est, quòd prophetę & apostoli, insuper & ipse Christus omnium prophetarum & apostolorum Dominus, de nouissimo aduentu, & de nouissimo Christi iudicio sic prophetauerunt, vt mirabilia quoq; opera, signa & prodigia prænunciauerint in vniuerso mundo prius esse ventura. Verùm inter signa diem illum nouissimi iudicij præcedentia, quædã longius diem illum præcedunt, quæ iam oculis nostris cernimus aut impleta, aut quotidie impleri: quędam autem vicinius & proximius, alia verò proximis temporibus, & iam de illo instante sunt præcessura. Primi generis signa, vtpote diem iudicij præcedentia, quæ & iam cernimus aut impleta, aut quotidie impleri, sunt hæc: destructio templi Iudæorum in vrbe Hierusalem, euersio reipublicæ, ablatio sacerdotij & sacrificij à loco sancto secũdùm legem Moysi, ad sacrificandum deputato, electio eorum extra Iudæam, dispersio eorum in omnem terram, excæcatio credentium mendacio. iugiter vsque in finem seculi vana fide expectantium terrenum quendam Messiam, absq; tamen idololatria credentium scilicet in vnum Deum, cœli & terræ conditorem. Deinde in nouissimis temporibus conuersio eorum ad Christum. Insuper & prædicatio euangelij crucifixi in vniuerso mundo, vsque ad insulas maris, fideique in eundem Christum crucifixum incrementum, per omnes gentes prælia, terræmotus, seditiones. Rursusque declinante ad vesperam mundo, atque senescente decrementum eiusdem fidei deficientis & transeuntis de regno in regnum. Hæc & id genus alia prænunciantur esse ventura, priusquàm veniat dies Domini magnus & horribilis. Hæc sunt & per prophetas & per apostolos prænunciata multis in locis, quæ & Christus in euangelio apostolis interrogantibus, quodnam esset signum instantis & appropinquantis aduentus Domini, & consummationis seculi, ipse expressit respondens, præmonens nos ne seduceremur, quasi tunc instaret dies Domini: Oportet enim (inquit) hæc fieri, sed nondũ statim finis. Multi pseudoprophetę surgent, & seducent multos: quoniam abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc euangeliũ regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet cõsummatio, id, est,

Successiuus omnũ regnorum interitus.

Agere incipit de futuro iudicio.

Signa præcessura diem iudicij.

Matth. 24. 8

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lucæ 21.d

id est,finis mundi.Tunc (inquit) veniet. tanquam dicat,non antè veniet,sed quando pòst (inquit Augustꝰ.) veniet incertum est nobis,antè tamen non esse eum venturum dubitare non debemus. Proinde & ipse Christus apud Lucam loquens de tempore post euersionem Hierusalem, per Titum & Vespasianum factam : Cùm videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia propè est desolatio eius. Erit pressura magna super terram,subaudi illam Iudææam,& ira populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes,& Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum. Hæc etsi olim sic futura esse plano sermone prænunciat spiritus propheticus ex ore angeli ad Danielem. Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas,& post finem belli statuta desolatio. Et infrà : In dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Idem spiritus propheticus loquens ad populum Israel Oseę 3. Dies multos expectabis me, non fornicaberis, & non eris viro, sed & ego te expectabo, quia diebus multis sedebunt filij Israel sine rege,& sine principe.& sine sacrificio,& sine altari,& sine Ephod : & post hæc reuertentur filij Israel,& quærent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum,& pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo die. Hæc omnia sic olim prænunciata,cernimus oculis nostris partim esse adimpleta, partimque adimpleri quotidie, partim verò expectamus adimplenda. Augustꝰ. ostendit suo seculo nondum fuisse Christi euangeliũ in toto mundo prædicatum. Sunt enim (inquit) apud nos, id est, in Africa, barbaræ gentes innumerabiles, in quibus euangelium nondum est prædicatum : ex his,quæ ducuntur inde captiui,quotidie nobis addiscere in promptu est. Ambrosius verò innuit hoc signum per apostolos esse adimpletum. Vbi enim (inquit) præsentia hominis prædicantis deficit,sonus tamen & fama peruenit : sicut opinio factorum miraculorum in Ægypto longè ad gentes peruenit,quemadmodum testatur Raab meretrix: Audiuimus (inquit) quòd Dominus Deus vester siccauerit aquas maris ad introitum vestrum, quando egressi estis ex Ægypto, & hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. (Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum.) De hoc & Hieronymus loquitur in Cõmentarijs super Matth.ca.24. Cætera verò signa prædicta de euersione terrenæ Hierusalẽ,& de ablatione altaris & Iudaici sacrificij, sine rege & principe videmus adimpleta esse. Aliud signum aduentus Domini propinquius instantis traditur, dum vtriusq; testamenti scripturis passim prænunciatur, ante nouissimum Dei iudicium impius rex Antichristus esse venturus, non occultus,sed manifestus, Christo & ecclesiæ ipsius aduersarius. Insuper & in eisdem scripturis explicatur qualitas & conditio regni ipsius, quibus videlicet modis, quibus officijs, quibus legibus & viribus sit regnũ suum instituturus. Deinde & locus in quo regnaturus est,postremũ & quantitas durationis regni ipsius,& finis eius.De qualitate & conditione Antichristi regis & regni ipsius expressa est sententia prophetarum, insuper & doctrina Domini nostri Iesu Christi, quam & Paulus plano sermone explicat pręmonens eos,ne leuiter & facilè recipiant opinionem quamlibet de hoc nouissimo iudicij die, tanquàm iam propè imminente ac instante, néue terreantur: Rogamus vos fratres (inquit) per aduentũ Domini nostri Christi, & nostræ congregationis in ipsum, vt non citò moueamini à sensu vestro, & non terreamini, neq; per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquàm per nos missam,quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo, quia non veniet dies Domini, nisi venerit apostasia seu discessio & defectio primùm, & reuelatus seu manifestatus fuerit homo peccati,filiꝰ perditionis,qui aduersatur & extollitur supra

Augustꝰ. epist. ad Hesitium.

Ambro. in cõmentarijs ad Rom.10.

Hieronymus.

2.Thess.2.

supra omne,quod dicitur Deus,& supra omne quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat,ostendens se tanquàm sit Deus,Et paucis interpositis : Eius aduentus est secundùm operationem sathanę in omni virtute,in signis & prodigijs mendacibus, in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, quem Dominus Deus interficiet spiritu oris sui, destruens ipsum illustratione aduentus sui De regno Antichristi, quale nam sit futurum, ostendit Daniel capite 7. in visione prophetica, qua vidit quatuor regnorum monarchias de terra ortas, id est, terrena cupiditate imperantes, sibiinuicẽ succedentes, designatas in quatuor bestijs magnis, inter quas quarta erit fortis & terribilis nimis, habens cornua decem, & vltra hæc aliud paruulum cornu,ortum de medio eorum,in quo (vt inquiũt sancti doctores) designatur Antichristus,ignobili & obscuro loco nasciturus,qui crescet,& potentior erit prioribus,& sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi cõteret,& putabit quòd possit mutare tempora & leges, & tradentur in manum eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. De hoc quoque eodem rege loquitur in finẽ capitis sequentis: Post regnum (inquit) eorum cùm creuerint iniquitates,cõsurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius,sed nõ in viribus suis, & supra quàm credi potest, vniuersa vastabit, & interficiet robustos & populum sanctorum secundũ voluntatẽ suam,& dirigetur dolus in manu eius,& magnificabit cor suum,& in copia rerum omnium occidet plurimos,& contra principem principum consurgent,& sine manu conteretur. Quod tractans Hieronymus: Antichristus (inquit) per insidias & fraudulentiam obtinebit principatũ, & expugnabit brachia regnantis populi Romani,qui & conterentur ab eo. Et hoc faciet,quia simulabit se ducem fœderis legis & testamenti : multa quoque per se deceptis largietur munera, & terram diuidet gratis, & quos terrore vincere non poterit,subiugabit auaritia.Hęc omnia sceleratissimi regis opera,insuper & mortem eius absq; contritione manuum sermone plano expressit & apostolus Paulus,vt suprà iam patuit. Ex his ergo scripturis patet qualitas & conditio futuri regni Antichristi, quòd videlicet impium eius regnũ non erit occultum, sed manifestissimum secundùm operationem sathanæ in omni virtute, id est, in omni potestate, in signis & prodigijs, & mendacijs supra omnem huius mundi potentiam, etiam supra ipsum Romanum imperium : quemadmodum sancti intelligunt ex supradicta Pauli doctrina, ante nouissimum Dei iudicium futurum esse discessionem seu defectionem imperij Romani. Non veniet Dominus,nisi venerit (inquit Paulus) defectio primùm. siue vt alia litera habet,discessio ; vbi originalis lingua,quę Græca est,habet apostasia,per quã Lactantius,Origenes,Chrysost. Hierony. Ambrosius,Augustꝰ. cæterique patres tradunt Romani imperij abolitionem esse intelligendam. Nam apostasia est,cùm quis descisit à suo duce. Significatur ergo Christus non esse ad iudiciũ venturus, nisi Romanũ imperiũ fuerit antè desolatum. De hoc habes Ambrosium & Theophylactum in commentarijs,Augustꝰ.2.de Ciuitate Dei,cap.19.Vnde Hierony.in epist.ad Algasiam,in solutione quæstionis 11. Non vult Apostꝰ.apertè (inquit) dicere, Romanum imperium esse destruendũ,quod ipsi æternum putant,sed adumbratè (vt inquit Theophyl.) dicit: non enim temerè voluit sibi Romanorum inimicitias vendicare. Locum,in quo futurum est regnum ipsius,explicat scriptura vniuersum mundum. Nam sub temporibus Antichristi prænunciatur futura tribulatio,& persecutio sanctorum in vniuerso orbe, quemadmodum explicat Daniel propheta cap.11. de Antiocho illustri, id est, insigni & impio tyranno transiens ad antichristum futurũ omnium tyrannorum principem. Ipse (inquit) faciet iuxta voluntatem suam,eleuabitur & magnificabitur aduersus omnium Deum, aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur,donec impleatur iracundia. Deum patrum suorũ non reputabit,

Daniel.7. de Antichristo.

Dan.8.e

2 Theff.2. Quale erit Antichristi regnũ

Roma. imperium defituꝝ

Universidad de Deusto
Biblioteca

putabit, nec Deorum quenquam curabit: & erit in concupiscentijs fœminarum A
& aduersus vniuersa consurget. Et pauciś interpositis, capite sequenti: Veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, vsq; in tempus illud. Quantitatem durationis tyrannidis eius, qua regnaturus est, explicat scriptura triphariam: Primò per tempus, & tempora, & dimidium temporis: secũdò, per menses: tertiò, per dies. Per tempus quidem & tempora, & dimidium temporis Danielis 7. Tradentur in manu eius vsque ad tempus, & ad tempora, & ad dimidium temporis. Per tempus, & tempora, & dimidium temporis, secundùm omnium doctorum interpretationem, tam Hebræorum, quàm catholicorũ, intelliguntur vnus annus, duo anni, & dimidius, hoc est, tres anni & semis, in quibus diabolus est soluendus, id est, permittendus sæuire totis viribus suis per ipsum Antichristum & satellites eius, vt reprobi, qui in sordibus erũt, sordescant adhuc: quibus, eò quòd B
charitatẽ non receperũt vt salui fierent (vt inquit Apostolus Paulus) mittet tunc Deus spiritum erroris, vt credant mendacio. Secundò, scriptura eandem temporis quantitatem explicat per menses 42. Apoca. 13. de Antichristo loquens: Quis similis bestiæ huic, & quis poterit pugnare cum illa? Datum est ei os loquens magna & blasphemia, & data est ei potestas facere bellum menses 42. Menses autem 42. constituunt præcise annos 3. cum dimidio. Tertiò, hanc quantitatem temporis, qua regnaturus est Antichristus, explicat scriptura per dies mille ducentos & nonaginta, supputando à tempore, quo ablatum erit iuge Christi sacrificium, & abominatio cultus Antichristi posita fuerit in desolationem ecclesię, vsq; ad mortem Antichristi vt patet Danie. 12. Idem patet per dies mille, ducentos & sexaginta, quibus prophetabunt Enoch & Helias contra Antichristum, vt patet Apocal. 11. Aliud signum proximius imminentis aduentus Christi, est Enoch & Helias sub- C
lati ab hominum oculis, qui adhuc viui seruantur in corpore, ante nouissimum Dei iudicium venient prædicaturi, Dominum nostrum Christum fuisse verum Messiam, regnumque eius in scripturis prophetatum, esse non carnaliter, sed spiritualiter intelligendum, secundùm sanctificationem spiritus in vitam cœlestem & immortalem. Quòd autẽ hi prophetæ adhuc viui seruentur in corpore patet, nam de Enoch est scriptura Geneseos: Facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulauitq; cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus. Et ne quis hanc scripturam aliorsum interpretetur, sciendũ, quòd secundùm hunc sensum exponit eam nobis Apostolus. Fide (inquit) Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia tulit eum Dominus. Ob quem autem finem sit trãslatus ne videret mortem, significauit spiritus Ecclesiastici 44. Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus sapientiam. De Helia D
scriptura est Malachię 4. Ecce ego mittam Heliam Thesbitem prophetam, ante quam veniat dies Domini magnus & horribilis. Hæc est & omnium catholicorum sententia, quòd Helias Thesbites curru igneo raptus de rebus humanis, venturus sit in nouissimis diebus, qui conuertet Iudæorum corda ad apostolos, facient vt Iudæi & Christiani, qui nunc inter se discrepant, pari religione consentiant. De hoc est Hierony. libro primo aduersus Iouinianum. Augustinus libro primo de mirabilibus sacræ scripturæ: libro item primo contra aduersarium legis & prophetarum. Vnde & postquàm transfiguratus est Christus, apparentibus Moyse & Helia, discipuli hac opinione de Helia ante Christum venturo fussulti interrogauerunt: Quid ergo scribæ dicunt, quòd Heliam oportet venire primùm. Helias cùm venerit, restituet omnia iuxta sententiam Christi apud Malachiam dicentis: Ecce mittam vobis Heliam, qui conuertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum, ne fortè veniens percutiam terram penitus. Vnde & in hodiernum vsque diem Hebræorum traditiones habent, prius quàm veniat Messias, Heliam esse

Quàm diu Antichristus sit regnaturus.

Enoch & Heliam extremum iudicium præcessuros immediatè.

Gene 5.

Heb. 11. a

Augustinus. Hieronymus.

Matth. 17. b

esse venturum, qui restituat eis omnia temporalia, præparetque corda ad Messiam suscipiendum. Vnde & Dominus, vt Christus, apud Iohannem in Apocalyp. cap. 11. de his duobus testimonijs suis loquitur: Dabo (inquit) duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis, & sexaginta, amicti saccis, & cùm finierint (inquit) testimonium, bestia quæ ascendet de abysso faciet aduersus eos bellum, & vincet eos, & occidet illos. per bestiam intelligens Antichristum. De qua sanè bestia alio in loco commemorans: Vidi (inquit) bestiam ascendentem de mari, habentem capita 7. & cornua 10. & super caput eius nomen blasphemiæ: & dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam, & admirata est vniuersa terra post bestiam, & adorauerunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ huic, & quis potuit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens blasphemias, & data est ei potestas facere menses quadraginta duos, qui faciunt annos tres cum dimi-
B dio. Hæc bestia est cornu paruulum, quod in quarta bestia vidit Daniel oriri de
medio decem cornuum, vt patet Danielis 7. Pro cuius prophetiæ intellectu Tractat de 4. bestijs Dani. 7
sciendum est, quòd ipse Daniel per bestias quatuor significauit (sicut & ipse in textu interpretatur) quatuor monarchias, siue quatuor regna. Primum est Assyriorum, quòd possumus protendere vsque ad Sardanapalum, quemadmodum suprà dictum est: vel potius conformiter visioni Danielis vsque ad Cyrum, qui regnans super persas & Medos vniuit sibi Babylonios, Balthasare Babyloniorum rege interfecto, Daniel. 5. Secundum est regnum Persarum & Medorũ, in quo regno Cyrus (vt iam patuit) Babyloniam sibi vniuit. Tertium est Græcorum, ab Alexandro ortum. Quartum est Romanorum, ex quo sunt cornua decem orta, & in medio eorum cornu paruulum, quod quemadmodum Hieronymus, cæteriq; ecclesiastici scriptores tradiderunt, intelligitur Antichristus homo ignobi-
C lis, in quo totus satanas corporaliter est habitaturus, quia sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit quòd possit mutare tempora & leges. Regnum autem quintum in fine regnorum illorum suscitatum, De Christi & beatorũ regno
est Christi regnum, de quo cõmemoratis quatuor regnis supradictis Daniel subiunxit: Suscipient autem sancti regnum Dei altissimi, regnum sempiternum, cui seruient omnes reges, & id quidẽ in nouissimo die cùm throni ponentur, & antiquus dierum sederit, & libri aperti fuerint ei, cui assistent decies centena milia, vt traditur in præfato capite Danielis 7. Vnde & regna ista quatuor designantur in Daniel. 2.
statua, cuius caput aureum, pectus argenteum, vẽter æreus, tibiæ ferreæ. Regnum Christi æternum ibidem in fine quatuor regnorum suscitatũ, designatur per lapidẽ abscissum de monte sine manibus, qui in fine mundi percutiet, conteret, atque comminuet regna hæc omnia de terris orta. Danielis ergo prophetia cap. 7. ma-
D nifesta est de Antichristi regno futuro ante diem iudicij nouissimum, in quo & aperti sunt conscientiarum libri. Vnde secundùm omnes doctores catholicos, diabolus in Antichristo suisq; satellitibus, tres annos & sex menses totis suis viribus est sæuiturus in ecclesiam Christi, quemadmodum demonstrant Augustinus & Hieronymus. Augustinus quidem 20. de ciuitate Dei validissimis scripturæ testimonijs probat in diebus nouissimis sæuissimum ac crudelissimum regnum Antichristi esse futurum aduersus ecclesiam Christi, sed breui tempore sustinendum. Præmissa signa in scripturis sacris designata, suis temporibus tam manifestè videbuntur adimpleri, vt ex ipsis, iustus quisque & fidelis Christianus poterit intelligere, tum illud nouissimum Dei iudicium instare, & prope esse. Increduli aut reprobi, & quotquot impiè viuunt secundùm desiderium seculi huius, hoc neq; intelligent, neq; aduertent, nimirum non habẽtes fidem, neq; de vllo hoc iudicij die, Cõcordat scripturas de vltimo iudicio loquentes.
neq; de illius euangelio, aut cœlesti regno. Patet hæc sententia Danielis cap. duodecimo. Et ex hac sententia iam intelliguntur scripturæ, quæ de fine huius mun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

di loquentes, videntur inter se pugnare, quibusdam docentibus, in temporibus illis tribulationes prope finem mundi esse futuras, easque tam grandes, vt nisi breuiati essent illarum persecutionum dies, nemo permaneret saluus. Vnde apud Matth. 24.b Matthæum inquit Christus: Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque nunc, neque fiet: & nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fuisset salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Et ne quis arbitretur post tribulationes illas futurum esse tempus quietis & pacis, paucis interpositis adiecit, tandem post tribulationem illorum dierum: Sol obscurabitur, & luna nõ dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur, & apparebunt signa filij hominis in cœlo, & plangent omnes tribus terræ. Item apud Lucam cùm dixisset Christus: Erunt signa in sole & luna, & in stellis. continuò adiecit: Et in terris pressura gentium præ confusione sonitus montium & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Alijs verò scripturis econtrario docentibus in temporibus prope finem mundi pacem & securitatem, omnium rerum copiam esse futurum. 1. Thess. 5.a Vnde Apostolus Paulus. De temporibus autem & momentis fratres, non indigetis vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quoniam dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint: Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus: sicut dolor in vtero habentis non effugient. Quibus verbis significatur diuini iudicij interitus super impios venturus inopinatè, & ex improuiso. Cui & consonare videtur verbum Christi apud Matth. similitudinem Matth. 24.b adijcientis: Sicut erant (inquit) in diebus Noe, edentes & bibentes, & nuptui tradentes, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit aduentus filij hominis. Sed hæc inter se non pugnare demonstrat Augustinus, docens quòd tribulatio, quæ ventura est vniuerso orbi in fine mũdi, futura est super eos, qui ad ecclesiã Christi pertinẽt: non super eos, qui pertinent ad ecclesiã Antichristi, & satellitum eius: qui interfectis Enoch & Helia dicẽt, Pax & securitas, & mittent inuicem munera, quibus dum putabuntur omnia esse in tuto interfectis sanctis, superueniet repentinus interitus: quemadmodum deducunt Hieronymus, Ambrosius, & Augustinus, ex 11. capite libri Apocalyp. Vnde Augustinus in epistola ad Hesitium: Tribulatio, quæ ventura est in fine seculi orbi vniuerso, ad ecclesiam pertinet, quæ in orbe vniuerso turbabitur, non ad eos qui tribulant, qui dicent: Pax & securitas, edentes & bibentes, quibus repentinus superueniet interitus. Item Ambrosius tractans illud verbum Apostoli: Quoniã dies Domini in nocte sicut fur veniet. Subitò (inquit) & ex insperato apparebit Christus iudicaturus, habens militiam Dei patris ad perditionem Antichristi & satellitum eius. Cũ enim illi perfidi fuerint securi de regno diaboli, interfectis sanctis Enoch & Helia, læti de victoria inuicem sibi mittentes munera, sicut dicit Apocalypsis, tum repentinus illis veniet interitus. Hæc ille. Nobis ergo expectantibus beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, fit conclusio libri huius ea, quam Christus Lucæ 21. prænuncians omnia mala hæc futura, tradidit dicẽs: Vigilate omni tempore, orantes vt digni habeamini fugere omnia mala ista quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Ex supradictis epilogum seu conclusionem compendiosam facientes, possumus colligere multis ex causis, scripturas sacras studioso lectori sacræ theologiæ esse difficiles seu obscuras: primũ quòd in eis sunt æquiuocationes multæ dictionum, propriorum, locorum, aut personarum, aut communium rerum, & variæ vnius & eiusdem propositionis aut coniunctionis acceptiones: quæ sane æquiuocationes, sunt etiam in vocabulis originalis linguæ, quibus ædita seu composita est scriptura sacra. Secundò, quòd in eis sunt multæ locutiones ambiguæ, tum propter casuum, numerorum, aut temporum, aut modorum,

Augustconciliat scripturã de vltimo iudicio.

Ambrosius.

Epilogus causarum vnde in scripturis oritur difficultas.

dorum, aut suppositorum incertitudinem, tum propter multiplicem distinctionem aut pronunciationem. Tertiò, quòd in eis sunt multæ locutiones vniuersales aut secundùm certum numerum expressæ, hyperbolicè, ironicè, & inabsolutè atque præposterè, aut secundùm recapitulationem pronunciatæ. Quartò, quòd in eis varij sunt sermones tropologici, id est, per metaphoram accipiendi, multaq; religionis Christianæ dogmata parabolis designata. Quintò, quòd in eis est frequens mutatio temporum, Personarum, & numerorum, sub eodem sententiarum contextu, frequens insuper affectionum varietas. Sextò, quòd in eis sunt res fidei sublimes, & de trinitate personarum in vnitate deitatis, & de filij dei incarnatione, secundùm quam duæ naturæ vniuntur in vnitate personæ: quibus fit, vt vnus Deus sit tres personæ, & vnus filius Dei, fit immortalis Deus simul, & mortalis homo. Septimò, quòd in eis occultus fit transitus de litera ad spiritum, de historia ad mysticum sensum, & quòd in eis Christus & ecclesia intimantur vt vna persona, sub qua occultus fit transitus nunc de Christo ad corpus eius, quod est ecclesia, nũc de ecclesia ad Christum, cùm tamen scriptura videatur sermonem facere secundùm vnam & eandem personam. Deinde quòd in eis diabolus & satellites eius intimantur, plerunque vt vna & eadem res, sub qua occultus fit transitus, nunc de diabolo ad mẽbra eius, nunc de membris ad diabolum. Octauò, quòd in eis promiscuè seu mixtim sunt posita ea, quæ ad primum Christi aduentum, cum eis, quæ ad secundum aduentum illius pertinent. Et ea item, quæ fiunt in ecclesia militante, cum his, quæ fiunt in ecclesia ipsius regnante in plena pace. Nonò, quòd in eis sunt apparentes contrarietates multæ in sententijs, præceptis, & prohibitionibus, quæ tamen propter tacitam diuersitatem causarum, rationum, locorum, aut temporum inter se non pugnant, & quòd istæ contrarietates apparentes inde oriũtur quòd plerunque contraria tribuantur ei, q̃ vel habet diuersas in se partes seu naturas, vel intimatur vt vna quædã res, quæ tamẽ nõ est vna, sed res multæ, quæ propter vnionẽ quandã intimantur vt res vna. Decimò, multę nascuntur ex scripturis difficultates ex numero temporum & annorum, ex supputatione mensium, hebdomadarum, atque dierum.

Eorum, quæ in nouissimo capite superioris libri de numero annorum, à principio mundi vsque ad dominum nostrum Iesum dicta sunt, ocularis demonstratio.

Prima ætas à principio mundi vsque ad diluuium, continens annos 1656.

Adam	130.	genuit Seth.
Seth	105.	genuit Enos.
Enos	90.	genuit Caynan
Caynan	70.	genuit Malalehel.
Malalehel	65.	genuit Iareth.
Iareth	162.	genuit Enoch.
Enoch	65.	genuit Matusalem.
Matusalem	187.	genuit Lamech.
Lamech	182.	genuit Noe.
Noe	600.	vsque diluuium.

Summa omnium 1656. quæ demonstratur ex cap. 5. libri Geneseos.

Secunda ætas, á diluuio vsque ad ortum Abrahæ, continens annos 292.

Sem post diluuium	2.	genuit Arphaxat.
Arphaxat	35.	genuit Sale.
Sale	30.	genuit Heber.
Heber	34.	genuit Phalech.
Phalech	30.	genuit Reu.
Reu	32.	genuit Saruch.
Saruch	30.	genuit Nachor.
Nachor	29.	genuit Thare.
Thare	70.	genuit Abraham.

Supradictus annorum numerus secũdæ ætatis 292. annorum demonstratur ex scriptura Geneseos 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Potest & numerus iste annorum ætatis secundæ per scriptores ethnicos, Berosum, Metasthenem, & Manethonem demonstrari, vt infrà patebit.

Tertia ætas, ab ortu Abrahæ vsque in regnum Dauid continens annos 942.

Abraham	100.	genuit Isaac.
Isaac	60.	genuit Iacob.
Iacob	90.	genuit Ioseph.
Ioseph	110.	vixit, & mortuus est.
A morte Ioseph	65.	vsque ad natiuitatem Moysi.
Moyses	80.	vsque ad exitum Israel de Ægypto.
Moyses	40.	dux fuit in deserto.
Iosue	26.	dux fuit.
Othoniel	40.	iudex in Israel
Aioth	80.	Iudex in Israel
Delbora & Baruch	40.	duces.
Gedeon	40.	iudex in Israel.
Abimelech	3.	iudex in Israel.
Thola	23.	iudex in Israel.
Iair	22.	iudex in Israel.
Iepte	6.	iudex in Israel.
Abesan	7.	iudex in Israel.
Archilaon	10.	iudex in Israel.
Labdon	8.	iudex in Israel.
Sampson	20.	iudex in Israel.
Heli	40.	sacerdos in Israel.
Samuel & Saul	32.	præfuerunt in Israel.

Collige annos simul omnes in ætate hac tertia, & habebis annos nongentos, quadraginta duos. Supradictus numerus annorum in hac ætate tertia, demõstratur partim ex libro Geneseos, partim ex lib. Exodi, partim ex libro Iosue, Iudicum, & primi regum: sicut & in superioribus per diuersos sacræ scripturæ locos ostensum est.

Quarta ætas à principio regni Dauid vsque in subuersionem templi & vrbis Hierusalem per Babylonios, cõtinens annos 484.

Dauid regnauit	40.	3. Regum 2.
Salomon	40.	3. Regum 11.
Roboan	17.	3. Regum 14.
Abias	3.	3. Regum 15.
Asa	41	ibidem.
Iosaphat	25.	3. Regum vltimo.
Ioram	8.	4 Regum 8.
Ochosias	1.	4. Regum 10.
Attalia	7.	4. Regum 11.
Ioas	40.	4. Regum 12.
Amasias	29.	4. Regum 14.
Osias seu Asarias	52.	4. Regum 15.
Ioathan	16.	ibidem.
Acham	16.	4. Regum 16.
Ezechias	29.	4. Regum 18.
Manasses	55.	4. Regum 21.
Amon	12.	ibidem.
Iosias	31	4. Regum 22.
Ioacham tribus mensibus.		
Ioakim	11	4. Regum 24.
Ioachin mẽsibus tribus, & facta est transmigratio		4. Regum 25.
Sedechias	11.	4. Regum 25.

Hic facta est euersio templi & vrbis Hierusalem in anno decimonono regni Nabuchodonosor regis Babyloniæ, 4. Regum 25. Demonstratur igitur numerus annorum ætatis quartæ ex scripturis sacris esse 484. annorum à principio regni Dauid vsque ad euersionem Hierusalem. Huc vsque Hebræorum diuinæ scripturæ annales temporũ continent. Ea verò quæ post hæc apud illos sunt gesta, partim in Hieremia, partim in libris Esdræ, vsque ad trigesimumsecũdum annum regni Artaxerxis, in quo muri Hierusalem sunt reædificati, continentur. Quæ autem post Alexãdri imperium sunt facta, in libris Machabæorum recitantur, sed neque protenduntur vsque ad Christum, neq; ex illis potest sic colligi certus annorum numerus secundùm seriem successionis.

Quinta ætas ab euersione Hierusalem vsque ad Christũ, continet annos 596.

Hic autem annorum numerus, quanq; vt iam patuit ex scripturis sacris demonstrari non possit, vtique tamen probari potest

CAP. V.

A potest tam per ethnicos, quàm per catholicos probatæ fidei chronographos, collatione facta cum scripturis sacris: & id quidem triplici via: Primùm per duces: deinde per pontifices qui præfuerunt populo Iudæorum: tertiò per tempora regum Persarum, Græcorũ & Romanorum ab euersione Hierusalem vsque ad christum.

Sequitur tabula per duces Iudæorum.

Ab euersione vrbis vsq; in soluti.	70.	Hierem. 25. & 29. & Dani. 9. 1. Esd. 1.
onẽ captiuitatis		

B

Sorobabel primus dux post captiuitatis solutionem, præfuit annis	58.
Resa qui & Misciola	66.
Ioanna præfuit	53.
Iudas Hircanus	14.

Post hunc incepit monarchia Alexandri. A solutione igitur captiuitatis vsq; ad Alexandrũ per duces, quorum tempora Philo recensẽt, sunt anni 191.

Iudæ Hircano succedit Iosephus prim.	
Iosephus primus	7.
Abner Semei	11.
Elich Matathias	12.
Asar Maat	9.
Nagit Artaxat	10.
Agai hellus	8.
Masloth Nahum	7.
Amos Scyrach	14.
Matathias Siloa	10.
Iosephus iunior Arses honoratus à Ptolemæo	60.
Ianeus Hircanus secundus	16.
Per fratres Hircani turbatur principatus annis.	10.

C

D

Summa annorum à Iosepho duce prim. vsq; in principatum Machabæorũ 174.

Sequitur principatus Machabæorum i. pugnantium, Iudas Machabæus, qui simul cum pontificatu etiam ducatum (vt inquit Philo) à domo Dauid surripuit, correptis armis contra Antiochũ illustrem, & filium eius Eupatorem atq; Demetrium, præfuit annis quinque.

Iudas Machabæus quinq;. Eusebius autẽ ponens solùm annos tres, prætermittit annos duos, quibus pugnauit cum Antiocho illustri.

Ionathas frater eius, de quo 1. 9. & 10. & 12. Machabæorum 19.

Simon frater ab Antiocho Sedete immunitatem accipiens, de quo 1. Machab. 15. Ad finem vsque principatus huius protenditur Machabæorum liber. Nam de fratribus istis tribus: Iuda, Ionatha, Simone, qui secundùm successionis seriem fuerũt duces & pontifices annis 32. est historia 1. lib. Machabæ. Inter Ionathan & Simonem Egesippus ponit Iohannem seniorem fratrẽ natu, & eleazarum iuniorem cæteris pro religione in mortem vsque certasse.

Iohannes Hircanus Priscus	26.
Aristobolus, qui Antigonum fratrẽ interfecit, vt tradit Egesippus	1.
Alexander	27.
Alexandra vxor eius	9.
Hircanus vltimus	34.

Iste Hircanus & Aristobolus frater eius, filij Alexandræ contra se de imperio dimicantes, occasionem præbuerunt Romanis, vt Iudæam inuaderent. Dum esset Hircanus à Parthis captus, relicta vxore ac filia, & eius fratre Aristobolo, mox Herodes iubente senatu Romano, inuitis Hebræis, regnum tyrannicum iniit, sumpta vxore Hircani filia, declarato Aristobolo pontifice. Herodes iste alienigena regnauit tyrannico principatu annis. 31.

Idem Herodes principatu legitimo, vt loquitur Philo, id est, Iudæis in eum consentientibus & adiurantibus regnauit annis 6. In primo legitimi principatus sui anno, qui est trigesimus secundus regni eius, natus est Christus.

Summa annorum à Iuda Machabæo, vsq; ad Christum est 161. annorum.

Collige simul annos omnes ab euersione Hierusalem vsq; ad Christum, & habes annos 596. in quinta mũdi ætate, per duces Iudæorum supputata.

Eadem quinta mundi ætas supputata per tempora pontificum à Philone, à 70. senioribus & aliis probatæ fidei authoribus designata.

Ab euersione Hierusalem vsque in

Universidad de Deusto
Biblioteca

solutionem captiuitatis, sunt anni 70.
Iosue filius Iosedech, pontifex primus in
solutione captiuitatis, præfuit annis 64.
Ioakim filius illius 48.
Eliasib 21.
Ioada 24.
Ioathan 24.
Iaddua 10.
Post hunc incipit monarchia Alexand.
Imperante Alexandro, Manasses frater
Iadduæ, præfuit annos 20.
Istum prætermisit Philo, incipiens ab
Onia, qui sexto anno à morte Alexandri
pontificatū accepit, vt patet ex Euseb.
Onias Priscus 27.
Simon Priscus 12.
Eleazarus Antiochi Theos inimicus 20.
Manasses Seleuco Gallinico amicus 27.
Simon iustus honoratus à magno An-
tiocho 28.
Onias filius eius per Seleucum templo
spoliatus 39.
Sequitur Iudas Machabæus, qui simul,
vt inquit Philo, cum pontificatu etiam
ducatum à Domo Dauid surripuit.

Sunt autem anni à Iuda Machabæo,
vsque ad tyrannicum principatum He-
rodis, secundùm Philonẽ supputati 129.
A tyrannico autem principatu Herodis
vsque in annum natiuitatis Christi, sunt
anni 32. Collige annos simul omnes ab
euersione Hierusalem, vsq; ad Christum
per pontifices Iudæorum à Philone de-
signatos, & habebis annos 596. Bifariam
ergo ostenditur, numerus annorum hu-
ius ætatis quintæ. Potest & tertiò de-
mõstrari per ethnicos probatæ fidei
scriptores, vt patet pagina sequẽti. Præ-
fatus annorũ numerus à diluuio vsq; ad
Christũ per ethnicos probatæ fidei scri-
ptores, Berosum, Metasthenem.

Ætas secunda.

Ogyges, alio nomine dictus Noam, qui
præfuit inundationi aquarum, imperā-
uit vniuerso orbi annos 131.
Saturnus vocatus Nymbroch, fundata
Babylonia regnauit annos 56.
Belus qui & Iuppiter 62.
Ninus filius eius, qui primus monarchiã
cœpit, regnauit annos 52.
Semiramis vxor Nini 42.
Sameis 38.
Completo 7. anno huius Noe moritur,
viuens 350. annis post diluuium. Gen. 9.
Arius 30.
Anno nono huius succensæ sunt Sodo-
ma & Gomorra.
Aralius 40.
Xerxes 30.
Armatrites 38.
Belochus Priscus 35.
Baleus Iunior 52.
Anno 27. huius, Iacob cum filijs suis in-
greditur Ægyptum, natus annos 130.
Atadas 32.
Mamutus 30.
Mancaleus 30.
Esphereus 20.
Mamelus 30.
Sparetus 40.
Ascades 40.
Amyntes 45.
Belochus iunior 25.
Bellepares 30.
Lamprides 32.
Sosares 20.
Lampares 30.
Pammas 45.
Sosarmus 19.
Mytreus 27.
Tantanos 32.
Teuteus 40.
Tyneus 30.
Dersyllus 40.

In vigesimonono anno huius Dercy
li Dauid regnare cœpit.

Eupales 38.
Laostenes 45.
Pyrithidias 30.
Ophiateus 20.
Ofraganeus 50.
Oescrazapes 42.
Sardanapalus 15.

Huc vsque Berosus de verbo ad ver-
bum de 36. regibus Assyriorum, à Nino
quorum annos & recẽsuit Euseb. nec in
vllo anno defecit. præterq̃ in Sardanapa
lo, quemadmodũ ex superioribus patet.

Collige annos à diluuio, vsque in fi-
nem Sardanapali, & habebis annos 1484.

Quæ

A Quæ hic sequuntur ex Merast. desum-
pta sunt. Post Sardanapa. apud Babylo-
nios regnauit Phul Belochus 48. annos.
Iste Phul venit contra Manahem regem
Israel, 4. Reg. 15. Teglat Phul Assur. 25. Iste
est, qui venit contra Phacee regem Sa-
mariæ, ad quem & Acham misit, vt iuua
ret ipsum cõtra regẽ Samariæ, 4. Re. 15 16
Salman Assur, 17. Iste cepit Oseam
regem Samariæ anno 6. Ezechiæ, 4. Re.
17. qui & transtulit decem tribus in As-
syrios. Sennacherib 7. Iste est qui as-
B cendit ad vniuersas ciuitates Iuda mu-
nitas, & cepit eas, 4. Reg. 18. Assaradon,
10. de quo 1. Esd. 4. & 4. Regum 19. Mo-
rodach 52.
Benmerodach, 21. de quo 4. Regum 10.
Nabuchodonosor primus 35.
Iste regnauit tempore Iosiæ regis, qui ni-
hil mali passus est à Babylonijs.
Magnus Nabuchodonosor 45.
Huius diuersis in locis meminit scriptu-
ra. Euilmerodach 30. de quo Hieremię 5
Regassar filius eius 3.
C Labassardach. 6.
Tertius filius Baltasar, 5. de quo Daniel.
vltimo. Baltasare interfecto, regnaue
runt simul Darius & Cyrus annos duos
Cyrus solus 22.
Priscus Artaxerxes Assuerus 20.
Iste est de quo in libro Iudith.
Darius Longimanus 37. de quo primi Es
dræ quarto & quinto.
Darius Nothus 19.
Magnus Artaxerxes Mnemon 55.
de quo 1. Esd. 7. & 2. Esdræ 2.
D Artaxerxes Ochus. 26.
Arxes 4.
Darius vltimus. quem Magnus Alexan-
der percussit, 6. de quo 1. Machab. 1.

Huc vsque Metasthenes de verbo ad
verbum super numeris annorum. Colli-
ge annos & Phul Belocho, vsque ad Ale-
xandrum, & habebis annos 495.
Quæ sequuntur ab Alexandro, vsque ad
Christum, ex annalibus Græcorũ & La-
tinorũ probatæ fidei authorum desum-
pta sunt.
Magnus Alexãder, de quo Machabæo. 1.
qui transtulit imperium in Græcos, re-

CAP. V.

gnauit annos 12.
A morte Alexandri vsque ad Seleucum
Nichanor, qui successit toti Asiæ & Sy-
riæ, sunt anni 12.
Seleucus Nichanor 32.
Antiochus Soter 19.
Antiochus Theos 15.
Seleucus Gallinicus 20.
Seleucus Ceraneos 3.
Antiochus Magnus 36.
Seleucus Philopater 12.
Antiochus Epiphanes, 11. id est, illu-
stris. Hic est, qui templum expoliauit at-
que prophanauit. Machab. 1.
Antiochus Eupator filius eius 2.
Contra istos duos Antiochos pugnauit
Iudas Machabæus, 1. Machab. 6.
Demetrius Soter Seleuci filius 12.
De quo primi Mach. 7. & 10.
Alexander Antiochi filius, 10. qui præ-
dictum Demetrium interfecit, primi Ma-
chabæorum decimo.
Demetrius præfati Demetrij filius, 3. ca-
ptus ponitur in custodia, 1. Machab. 14.
Antiochus Sedetes, præfati Demetrij fi-
lius 9.
Demetrius 4.
Antiochus Grippus 12.
Antiochus Ciriceus, 18. Hic Antiochus
in Parthos fugiens. Pompeio se dein-
ceps tradidit.
Philippus, 2. Hoc Philippo captiuo,
Syria in Romanorum ditionem cessit
anno primo Olympiadis 172. Ab hoc an
no vsque ad primum annum Iulij Cæsa-
ris, sunt olympiades 11. quæ constituunt
simul annos quadragintaquatuor. A Iu-
lio Cæsare vsque in 42. Octauiani an-
num quo natus est Christus, anni 47. Col
lige summam annorum ab Alexandro
ad Christum vsque, & habebis annos 335
Collige annos simul omnes ab Ogyge,
sub quo fuit diluuium, vsque in annum
natiuitatis Christi exclusiuè, & habe-
bis annos 2315. Ex supradicta chrono-
graphia, partim per Berosum, partim
per Metasthenem descripta, primùm
sequitur à diluuio, vsque ad primum
annum monarchiæ Nini, esse annos 249.
In quo annorum numero cõueniunt Be

 rosus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rosius, Metasthenes, Xenophon, Fabius Pictor, & Cato.

Secundò sequitur à diluuio vsque in 43. annum imperij Nini, esse annos 292. Et quia in superioribus ex scripturis sacris ostensum est à diluuio vsq; ad ortum Abrahæ, tempus secundæ ætatis mundi, esse annorum 297. consequens est Abraham natum esse in 43. anno Nini, & ab illo anno incipere tertiam ætatem.

Tertiò sequitur, à 43. anno Nini, vsque ad 29. annum Dercili, esse annos 942 Et quia in superioribus demonstratum est ex scripturis sacris tempus ætatis tertiæ, ab ortu Abrahæ vsque ad primum annum regni Dauid, esse 942. annorum, consequens est Dauid incepisse regnare 29. anno Dercili, quemadmodũ & Eusebius eruditè notauit.

Quartò sequitur ex supradictorum chronographia, à 29. Dercili vsq; in annum regni magni Nabuchodonosor 19. sub quo iuxta historiam scripturæ sacræ euersa est Hierusalem, defluxisse annos 484. Et quia in superioribus ex scripturis sacris demonstratum est, tempus quartæ ætatis mundi, ab initio regni Dauid, vsq; in euersionem Hierusalem, esse annorũ 484. cõsequens est euersionem illam esse factam 19. anno Nabuchodonosor, quem admodum & sacra testatur historia 4. Regum 25.

Quintò ex supradicta ethnicorũ chronographia sequitur, à 29. anno Nabuchodonosor, in quo Hierusalem est euersa, vsque ad 42. Octauiani Cæsaris annum, quo natus est Dominus noster Iesus, defluxisse annos 596. Et quia in superioribus demonstratum est per probatos Hebraicæ veritatis authores, tempus quintæ ætatis mundi ab euersione Hierusalem vsque ad Christum, esse 596. annorum, consequens est numerum annorum ab ethnicis probatæ fidei scriptoribus designatum, esse cõsonum annorum numeris, quos ex patribus & probatæ fidei authoribus acceptos, collegimus. Vnde secundùm Eusebianum calculum, per olympiades supputando ab euersione Hierusalem, vsque in annum natiuitatis Christi, sunt anni 592. Nam ipse ponit A
euersionem Hierusalem in tertio anno olympiadis 47. natiuitatem autem Christi ponit in tertio anno 194. olympiadis. Vnde cõsequens est secundùm Eusebianam chronographiã, ab euersione Hierusalem vsq; in annum natiuitatis Christi, esse olympiades 148. quæ constituunt annos quingentos nonagintaduos: qui numerus quatuor annis breuior est numero collecto secundùm descriptiones supradictas. Neque enim hic est difficultas ingerenda propter quatuor aut quinque annos. Nam huius differentiæ ratio est in superioribus declarata. Nam & ipse Eusebius in olympiade 149. summam faciens ab Abrahæ ortu, vsque ad Christum, colligit annos 2025. Neque hic Eusebius sibi aduersatur in olympiade 202 dicẽs ab Abraham & regno Nini, & Semiramidis vsque in 30. annum natiuitatis Christi, esse annos bis mille, 44. quia illic non dicit, ab ortu Abrahæ, sed à regno Nini & Semiramidis, hoc est, à fine regni Nini, seu primi regni Semiramidis anno, qui erat nonus ætatis Abrahæ. Cõputando autem ab ortu Abrahæ vsque in 30. annum natiuitatis Christi sunt anni 2055. si recta fuerit computatio per eundem facta, ab ortu Abrahæ vsque in Christum 2025.

Sextò ex supradicta ethnicorũ chronographia potest quisq; deprehendere tempora ethnicorum, quorum sacra meminit historia, omnino inter se consona esse & coaptata sententijs in sacra scriptura designatis.

Septimò patet sacræ theologiæ lectorem, in huiusce modi supputationibus temporum, non debere inniti varijs aliorum sentẽtijs, qui huiusmodi numeros temporum & annorum, & nomina regum mutuauerũt vel à Græcis, vel ab alijs, qui per solas opiniones, & nõ probata & publica fide scripserunt historias; frequenter etiam vsi codicibus mendosis & deprauatis in huiusce modi annorum numeris. Noster Hieronymus in huiusmodi annorum ethnicorum regum numeris & nominib⁹ secutus est Euseb.

Eusebius

A Eusebius autem in monarchia Persarum & Medorum, non Manethonem, nõ Metasthenẽ, qui publica fide annales apud Persas descripserunt, sequutus est: sed Græcos, qui inter sese dissentientes scripserunt de regibus Persarum & Medorum, atque eorum temporibus per solum auditum & per opiniones. Proinde in monarchia hac aliter Iosephus, aliter Egesippus, aliter Eusebius sentit, propterea quòd alius Græcos authores secutus est hic, alios ille. Eusebius à primo anno
B Cyri, vsque in 6. annum Darij Xerxis, in quo regnum Persarum destructum fuit, recenset annos 231. aut circiter, si menses computantur, & ita habet 40. annos plures, quàm designantur in supradicta descriptione, sed 40. annos, quos in hac serie regum Persarum plures habet ipse, quàm habeant Philo & Metasthenes, hos minus habet ab euersione Hierusalem vsque ad Cyrum, ponens illic solùm annos triginta: quo fit, vt summa an
C norum ab euersione Hierusalem vsque in monarchiam Alexandri concordet, quiuis discordet ab euersione Hierusalem vsque ad Cyrum, & à Cyro vsque ad Alexãdrum. Proinde quàmuis numerus annorum ab Eusebio designatus, vel à principio mundi, & à diluuio, & ab ortu Abrahæ vsque ad Christum concordet cum descriptione supradicta, non tamen inde consequens est, numerum annorum ab Eusebio designatum ab euersione Hierusalem vsque ad Cyrum, vel
D vsque ad Darium, vel Artaxerxem, aut alium quemlibet Persarum regem, consonum esse numero secundùm prædictas descriptiones designato. Item Egesippus libro 1. de excidio Hierosolymitano, à solutione captiuitatis vsque ad Aristobolum Ioannis Hircani filium, qui imponens sibi diadema, principatum sacerdotij vertit in potentiam regni, recenset annos 475. cùm tamen secundùm descriptionẽ supradictam sunt anni solum 423. Et vt videas errorem contra scripturam manifestum à tẽpore, quo patres egressi sunt de Ægypto, vsque ad ædificationem templi, quod Salomon cõdidit per 13 principes sacerdotum (si tamen codex mendosus non sit) supputat annos 212. cùm tamen scriptura 3. Regum 6. planè tradat tempus illud fuisse 480. annorum. Idem Egesipp⁹ libro 2. tradit, quòd Cyrus promiserit Iosedech, qui simul abductus fuerat in Babylonẽ, redire in Hierusalem, vt solennitas ritus veteris, per assueti sacerdotis sententiã reformaretur: cùm tamen scriptura non doceat Iosedech, sed Iesum filiũ Iosedech à Cyro remissum in Hierusalem. Iosephus quantum in numeris annorum regum Persarum ab alijs dissentiat, facilè considerari à studiosis lectoribus historiæ ipsius. Vnde in libro 11. Antiquitatum enumerando reges Babylonis ab euersione Hierusalem, vsque ad euersionem regum Chaldæorũ, colligit annos circiter centum. Secundùm descriptionẽ autem supradictam sunt anni solùm 70. ab euersione illa Hierusalem, vsque ad Babyloniorum deuastationem, quemadmodum Hierem. propheta designasse videtur capite 25. Idẽ Iosephus in 7. lib. de bello Iudaico, capite 16. A prima structione templi, quam Salomon inchoauerat, vsque ad excidium, quod euenit 2. anno principis Vespasiani, eodem (inquit) mense & die, quo primum templum à Babyloniis erat incensum, recenset annos 1030. menses 7. & dies 15. Secundùm chronographiam autem in superioribus demonstratam, à prima illa templi constructione, vsque in hanc nouissimam incensionem eius, sunt anni 1108. Insuper idẽ Iosephus à posteriore templi destructione, quam secũdo (inquit) Cyri regis anno Aggæus fecerat, vsque ad excidium, quod Vespasiano imperante sustinuit ciuitas anni (inquit) sunt 639. dies 15. Secundùm descriptionem autem supradictam, ab hac secunda cõstructione templi fundati in anno 2. Cyri vsque in hanc nouissimam euersionem illius sunt anni 597. Item Hieronymus in libro cõmentariorum Aggæi, ab anno 8. post secundum Darij annum, quo Sorobabel & Iesus cœperũt ædificare templũ, vsq; ad Iuliũ Cæsarẽ, supputat annos 464. secut⁹ Eusebiũ.

Secun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundùm ſupradictã aũt deſcriptionem eſt breuior annorũ ſeries annis 38. Proinde,ſi veri ſunt Romanorum annales,quibus eorum Reſp.poſt Tarquiniũ. Superbum à Bruto expulſum deſignatur 464. annos eſſe per conſules adminiſtrata,tum initium Roma. cõſulum, non ſub regno Darij dantis Iudæis facultatem templi ædificandi,ſed ſub Cyri imperio eſt ſtatuendum. Sunt rurſus, qui pro hac ætate 5.vtpote ab euerſione Hieruſalem, vſque ad annum regni Herodis 32. qui eſt 42. Octauiani Cæſaris, in quo natus eſt Chriſtus, cõputant ſolùm annos 500. Sunt qui pauciores. Sed hos deuiare & crebrò etiam non cõſtare ſibimetipſis demonſtrari hoc pacto poteſt. 42. Octauiani annus, in quo iuxta cõmunem omnium ſententiã Chriſtus naſcitur,eſt tertius annus olympiadis cẽteſimæ & 94. vt rectè notauit Euſeb. & tradunt communiter omnes,qui annales Romanorũ regũ deſcripſerunt. Olympiades autem 194. quarũ quælibet complectitur tempus annorum quatuor,cõſtituunt annos 776. Si ergo primus annus olympiadis primæ rectè deſignatur in anno 50.regis Oſiæ, ſicut notauerunt Africa. & Euſeb. conſequens eſt ab euerſione Hieruſalem vſque ad Chriſtum eſſe annos 592 aut circiter,quandoquidẽ numerus annorũ à 50. anno regni Oſiæ,vſque in euerſionẽ Hieruſalem,ex ſcripturis ſacris colligitur eſſe 184. annorũ, quibus detractis à 776.annis, remanent 592. anni. Longè igitur deuiant, qui tradunt ætatem quintam, quæ eſt ab euerſione Hierũſalem, vſq; ad Chriſtũ, eſſe ſolùm annorũ quingentorũ aut pauciorũ. Præterea in centũ annis & ſupra errant neoterici Iudæi, qui dicunt templum ſecundum duraſſe in perfectione ſua ſolũ annos 420.quod ſecundũ deſcriptiones ſupradictas in ſua perfectione ſtetit circiter annos 548.

Octauò ex ſuperioribꝰ patet qꝺ in annorũ numeris à principio mundi vſque ad euerſionẽ Hieruſalẽ per Babylonios factã, non eſt vlla inter magiſtros diuerſitas, niſi ea quam in ſuperioribus diximus contingere, aut propter 70. interpretes,de annis ante diluuiũ, & de annis vſq; ad ortum Abrahæ, aut propter annos Amon, quibus regnauit abiente patre. Deinde ab euerſione Hieruſalẽ vſq; ad Chriſtum, aut nulla, aut admodum modica, eſt inter Euſebiũ & prædictam deſcriptionem varietas in annorum numeris: & ideo in annis ab initio mundi vſq; ad Chriſtum conuenimus cum Euſebio, modò fiat ſupputatio ſecundũ textum Hebraicæ veritatis. Proindè ſi placeat ſtudioſo lectori ab euerſione Hieruſalẽ vſq; ad Alexandrũ, Euſebium ſequi,non immobiliter reluctamur: ſed quod viſum fuit in his probabilius, & textui ſacræ ſcripturæ cõforme,hoc ſtudui aperire. Sufficiat dediſſe ſtudioſo lectori rationes, propter quas eſt tanta magiſtrorum varietas.

Nonò patet, quòd etſi Iudas Machabæus, de genere ſacerdotali ſuſtulerit, vt inquiũt Hebræi, ducatum ſimul cum pontificatu à domo Dauid, exiſtentis de tribu Iuda, non tamen conſequens eſt ſceptrum tum eſſe ablatum à tribu Iuda: nam ſceptrũ erat in collegio ſeu cõſiſtorio Iudæorum, quod dicitur Sanedrim, ad quod pertinebat iudicandi & conſtituendi ducem poteſtas. Quod ſanè collegium,vt & ipſi Iudæi fatentur, Philoq; teſtatur, ſublatum eſt prorſus per Herodem alienigenam Idumæũ, qui primus Iudæis inuitis regnare cœpit. Romanorum auxilio fretus, depellens Antigonũ regem Iudæorum, de genere Machabæorum, occidẽs etiam doctores qui erant in templo, & comburẽs libros de genealogia regum, vt ſic auferret à Iudæis omne medium recuperandi ſceptrũ. Deinde, eo quòd Philo dicit Machabæos de genere ſacerdotali ſurripuiſſe ducatum à domo Dauid,non ab omnibus approbatur. Sunt enim,qui dicunt Machabæos fuiſſe de domo Aaron, ſimulque de domo Dauid,quæ erat de tribu Iuda, quia poterant tribus ſacerdotalis & tribus regalis commiſceri, vt patet de Ioanne Baptiſta,qui de domo Aaron erat cognatus Mariæ, de domo Dauid.

LIB.

LIBER QVARTVS

De dogmatibus extra canonem ſcripturæ ſacræ conſtitutis: & de libris apocryphis, diuiſus in ſex. cap.

IN hoc libro differendũ eſt de dogmatibus & traditionibus eccleſiæ & conciliorum,de canonibus,conſtitutionibus,& decretis pontificum,& de libris ſanctorum, & doctorum patrum doctrinis, extra canonem ſcripturæ ſacræ conſtitutis, quam vim, efficaciam,& authoritatem habeant: an apocryphum ſit, quicquid eſt extra canonem ſcripturæ ſacræ,& vtrùm hæreticum ſit omne tale reijcere,an potius oporteat alijs quibuſdam doctrinis adhibere fidem, tanquam canonicis literis. Sunt his in rebus argumenta, quibus probari videtur, vnumquemque abſque temeritatis vitio, poſſe reijcere omnem fidei & morum doctrinam,quæ ex ſcripturis ſacris ex neceſſitate non conſequitur.

Argumenta qꝺ ſolis ſcripturis in fide & religione intendũ ſit, & ſoluuntur prope finẽ huius libri.

Primùm: Doctrina Chriſti & apoſtolorum in canonicis ſufficiens eſſe videtur ad ſalutem. Neque enim aliud Chriſtus ſuæ iniunxit eccleſiæ in apoſtolorum collegio deſignatæ,quàm vt euangelium prædicarent omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit. Hoc eſt,qui crediderit Chriſti euangelio,& baptizatus in nouitate vitæ perſeuerauerit,ſaluus erit. Si doctrina euangelij ſufficiat cuilibet ad ſalutem, continet ergo omnia dogmata, ad ſalutem hominum neceſſaria: non videntur igitur neceſſaria, vel eccleſiæ, vel conciliorum, vel ſanctorum patrum dogmata. Neque videbitur hæreticum reijcere quicquid ex illis pro fide & moribus adducitur, ſi non in canonicis libris habeatur.

Secundũ argumentum: Apoſtolus Paulus docet non aliud eſſe prædicandum quàm euangelij doctrinam ſemel acceptam. Sed licet nos (inquit) aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis,anathema ſit ſicut prædiximus vobis, & nunc iterum dico: ſi quis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit. Item Deuteronomij decimo ait Deus ad populum per Moyſen: Et nunc Iſrael audi præcepta & iudicia,quæ ego doceo te. Non addetis ad verbum,quod ego vobis loquor,nec auferetis ex eo. Item Deuteronomij duodecimo: Quod ego præcipio tibi,hoc tantũ fac,nec addas quicquàm,nec minuas. Ex quibus conſequens videtur,nullam veritatem canonicã quærendam eſſe in libris ſanctorum patrum extra ſcripturam ſacram conſtitutis. Gal.1.b

Tertium argumentum ſumitur ex eo, quod doctores ſancti etiam in his, quæ ab illis æſtimantur eſſe ad ſalutem neceſſaria,inueniuntur contrarij. Quemadmodum docet Auguſtinus. Duo(inquit)erant eminentiſſimarũ eccleſiarum,Romanę ſcilicet,& Carthaginenſis epiſcopi, Stephanus & Cyprianus,ambo in vnitate catholica conſtituti: quorum alter,Stephanus ſcilicet,non ſolùm non rebaptizabat hæreticos,verùm etiam hoc facientes, vel vt fieret decernentes, excommunicandos eſſe cenſẽbat, docens baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe. Cyprianus autem in hæreſi,vel ſchiſmate baptizatos, tanquàm non habẽtes baptiſmum Chriſti,baptizandos in eccleſia catholica exiſtimabat, multi catholici cum illo, multi cum iſto ſentiebant. Hæc Auguſt. Ex quibus cõſequens eſt doctores ſanctos erraſſe,& inter ſeſe contrarias docuiſſe ſententias,etiam in his,quæ fidei ſunt,vtpote de baptiſmi ſacramento. Nulla igitur videtur authoritas danda doctrinis ſanctorum patrum, ſi in libris patrum reperiatur vlla falſitas, nulla eſt igitur earum authoritas. Sic enim Auguſt. arguit in epiſtola quadam ad Hierony. de ſcripturis ſacris: Si ad illas (inquit) fuerint admiſſa, vel officioſa mendacia, quid in eis permanebit authori- Augu. de vnico baptiſmo: contra Petilianum cap.14. a

Augu.de ſcriptis patrum legendis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. I.

authoritatis? Et vide an non hoc quoque manifestum sit ex sententia eiusdem dicentis: Solis eis scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, vt nullũ eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, vt quantumlibet præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita sentiunt, sed quia mihi vel per illos canonicos authores, vel probabili ratione persuadere potuerunt. Idem docet libro secundo contra Donatistas, & in epistola ad Vincentium, tradens episcoporum scripturas, & Hilarij, Cypriani, atque Africani literas, non sic esse legendas, vt aut contrà sentire non liceat, aut testimonium ex eisdem sit proferendum. Et in epistola ad Fortunatum: Neque quorumlibet disputationes, quàmuis catholicorum vel laudatorum hominum, veluti scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ hominibus illis debetur, aliquid in eorum scripturis improbare. Et tertiò de Trinitate: Noli (inquit) meis literis, quasi canonicis deseruire. Et alibi. In scripturis sacris quicquid est vtile inuenitur, & quicquid est noxiũ damnatur. Ex quibus videtur cõsequens esse, extra scripturas sacras non esse vllam Christianæ fidei veritatem, & in libris sanctorum patrum aut conciliorum non esse vllam canonicam authoritatem. Quod & palam sententia indicat Hieronymi in commentarijs super Matthæum: Quicquid de scripturis sacris authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Item in prologo galeato docet inter apocrypha ponendum esse, quicquid extra canonem scripturæ fuerit.

Roma.3.a Psalm.115.a

Quartum argumentum, quo cõprobari videntur hæc omnia. Nam ecclesia est societas hominum, qui & falli, & fallere possunt, dicente scriptura: Omnis homo mendax, Deus autem verax: ergo quicquid ecclesia docet, potest haberi tanquam incertum, seu suspectum, si non verbo Dei seu scriptura sacra fuerit cõprobatum.

August de general. concilijs

Præterea totius ecclesiæ consensio residet in generali concilio, sed generalia concilia leguntur interdum errasse, dicente Augustino libro 2. cõtra Donatistas: Plenaria (inquit) cõcilia priora sæpe à posterioribus emendantur, dum aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat. Amplius autem, patribus in concilio inter sese differentibus, non potest nobis esse certum, in vtra illarum partium maneat vera Christi ecclesia, præsertim cùm spiritus veritatis fidei Christianæ non semper residet in omnibus, quæ forinsecus habentur vt ecclesiæ membra, nõ semper in clero, non semper in turba, in multitudine, non semper in maiori parte. Vnde oportet nos magis rustico credere, aut mulieri vetulæ scripturam sacram alleganti, quàm toti concilio extra scripturã aliquid definienti, cùm Paulus doceat magis credendum esse euangelio, quàm sibi cæterisque apostolis. etiam angelis de cœlo, licet nos (inquit) aut angelus de cœlo euangelizet vobis præter id, quod accepistis, anathema sit. Vnde & in concilio Niceno vnius Paphnutij sententia prævaluit supra cæterorum patrum sententias. sed pro cõtraria parte videntur scripturæ. Christus ad Apostolos loquitur: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi, quæcunque dixerint vobis seruate, & facite: Item, qui ecclesiam non audit, habendus est tanquàm ethnicus & publicanus. Item Augustinus ad Casulanum: In his rebus, de quibus nil certi statuit diuina ecclesia, mos populi Dei, & institutа maiorum pro lege tenenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum ita transgressores ecclesiarum consuetudinum coercendi sunt. Dicit Gregorius: Sicut sancti euangelij quatuor libros, sic quatuor cõcilia suscipere & venerari me fateor: Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonense. Item Leo, eius nominis Papa quartus, distinctione 20. cap. de libellis: Luculentius & magna voce pronunciare non timeo, quòd qui illa, quæ prædiximus sanctorum patrum instituta, quæ apud nos canonum nomine prætitulantur siue episcopus,

Galat.1.b

Argumẽta in contrariã partem.
Luc.10.c
Matth.23.a
Matth.18.b

Aug de cõsuetudinibus ecclesiæ.

Gregor. de 4 conciliis.

CAP. I.

scopus, siue clericus, siue laicus, non indifferenter recipere conuincitur, nec catholicam, & apostolicam fidem, nec sancta quatuor euangelia vtiliter & ad effectum suum retinere vel credere probatur. In hac materia quinq; per ordinẽ sunt considerandа, secundũ quæ & præsentem librum in sex capitula diuidemus. Primùm de scripturis apocryphis, & de authoritate librorum, quos in ecclesijs legendos ædiderunt ecclesiastici patres. Secundùm de vera Christi ecclesia, quẽadmodum sit vna, & quæ nam sit, & apud quos sit, & qua ratione internosci possit. Tertiùm de ecclesia Petri, apud quam est sedes apostolica. Vtrùm necessarium est eam, quæ est Romana ecclesia, honorare tanquam caput & matrem omniũ ecclesiarũ, & an oporteat oẽs Christianos subiacere Romanæ ecclesiæ episcopo, tanq; pastori vniuersalis ecclesiæ. Quartũ de authoritate & potestate ecclesiæ catholicæ, & vtrùm oporteat nos adhærere definitionibus ecclesiæ, perinde atque canonicis scripturis. Quintùm de multis sententijs propter authoritatem ecclesiæ orthodoxa fide tenendis, quas ex sacris scripturis demonstrare non possumus, & de multis erroribus propter authoritatem ecclesiæ refutandis pro hæresibus, quas neque ex eisdem scripturis possumus efficacibus argumentis refutare. Sextò ad argumenta iam facta respondebitur.

Primùm igitur differendũ est de scripturis apocryphis, & de authoritate librorũ, quos ædiderunt ecclesiastici patres. Sciendum est ergo, quòd omnis liber apocryphus extra canonẽ est, sed nõ econtrariò. Neque enim cõsequens est mox librũ, si sit extra canonem scripturarũ, apocryphum esse. Apocrypha consueuerunt patres appellare, quæ recondita sunt, occulta, & suspecta falsitatibus, non ædita ab his, à quibus ædita designantur. Vnde Origenes homilia prima super Canticũ: Scripturæ (inquit) apocryphæ appellantur eò, quòd multa in eis corrupta sunt, & contra fidem inueniuntur tradita. Idcirco non placuit ecclesijs Dei locum dare illis, nec admittere in authoritatem. Illud tamen est palàm, multa vel ab Apostolis, vel ab euãgelistis extra esse prolata, & nouo testamẽto inscripta, quæ in scripturis canonicis à populo Hebræorum ad nos deuolutis nusquam legimus: in apocryphis tamen inueniuntur, & euidenter ex eis ostenduntur esse assumpta, sed nõ ob id apocryphis dãdus est in canone locus, Neq; enim trãsoundi sunt termini, quos statuerũt patres nostri. Potuit enim fieri, q̃ & Apostoli & Euangelistæ Dei spiritu sumerent quod ex illis sumendũ esset, & refutarent quod refutandum. Nobis autẽ non est absq; periculo aliquid tale præsumendum, quibus non est tãta spiritus abundantia. Hactenus Origenes. Item Hieronymus ad Lætam, postq̃ tradidit ei de studio diuinæ scripturæ, quam canonicam appellamus, saluberrima præcepta tandem de fugiendis apocryphis, & de legendis sanctorum patrũ libris, sic loquitur: Caueat omnia apocrypha, & si quando ea non ad dogmatũ veritatẽ, sed ad signorũ reuerentiã voluerit legere, sciat nõ eorum esse, quorum titulus prænotatur, multaq; his annexa vitiosa, & grandis esse prudẽtiæ aurum in luto quærere. Cypriani opuscula semper in manu habeat. Athanasij epistolas & Hilarij libros inoffenso decurrat pede, illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillat: cæteros sic legat, vt magis iudicet, quàm sequatur. Hic Hieronymus scripturas diuinas separat à scripturis sanctorum patrũ. Scripturas insuper eorundem patrum, diuidit ab apocryphis. Et ideo quod alibi dicit: Quicquid extra hos est, id est, extra canonicos libros, inter apocrypha ponendum est. Hoc accipere oportet secundũ sensum loco illi, vbi dictum est, conuenientem. Proinde in apocryphis (vt inquit Augustinus) etsi inueniatur aliqua veritas, tamen propter multa aut falsa, aut suspecta, nulla est canonica authoritas: quæ idcirco (inquit) apocrypha appellantur,

Quid appelletur apocryphum.

Detestimoniis sumptis ex apocryphis.

Hier. de cauendis apocryp. & amplexandis patrũ scriptis.

Scripta patrũ non esse apocrypha.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. I.

quòd occulta eorum origo non claruit patribus, à quibus variarum scripturarum authoritas ad nos certissima & notissima successione peruenit. Scripsisse nō nulla diuina Enoch illum sextum ab Adam, negare non possumus, cùm hoc in epistola canonica dicat Apostolus Iudas: sed idcirco quæ illius scripta feruntur, non sunt in canone, qui diligentia succedentium sacerdotum seruabatur, quòd ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt: nec reuera hæc vtrum essent, quæ Enoch ille scripserat, poterat inueniri, cùm patres secundùm successionis seriem non reperiantur vllum talem librum Enoch custodijsse. Sic multa sub nominibus prophetarum & Apostolorum scripta sunt, quæ per patres diligenti examinatione præmissa, sunt remota ab authoritate canonica, cuiusmodi sunt euangelia, quæ falsò asscribuntur Apostolis cæteris, vt euangelium Andreæ Apostoli, euangelium Thomæ, euangelium Bartholomæi, libellus de saluatoris infantia, Itinerarium Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis, & id genus alia à sacro canone seperauit ecclesia, quòd nullus antiquorum sanctorum meminerit huiusmodi euangeliorum, nullus scriptorum veterum reperiatur ex eis probasse fidei testimonia, omnibus ecclesijs apostolicis ab initio celebrantibus solùm hæc quatuor quæ habemus euangelia, & alia sacra Apostolorum volumina recepta in canone, & ad hæc vsque tempora per seriem successionis ad nos deuoluta. Apostoli & Apostolorum discipuli missi inter gentes, viua voce magis, quàm scriptis prodesse studuerunt. Ad fundandum enim ecclesias nouas & semina fidei inserendum gentilium & paganorum cordibus, non scripturas, quas nullas habebant sacras, sed viuis spiritus sancti vocibus erat opus. In euangelio legitur Christum misisse discipulos, nō ad scribendum, sed ad prædicādum aut docendū euangelium. Et ita non oportet opinari cæteros Apostolos quædam etiam scripsisse euangelia, & hæc esse deperdita, aut ab hæreticis deprauata. Cæteri Apostoli, si quibus sunt euangelijs scriptis vsi, non alijs extra hæc quatuor sunt vsi. Iacobus Zebedæus duodecim tribubus, quæ erant in dispersione prædicauit euāgelium, gladio ab Herode occisus antequàm vllum scriptum esset euangelium. Simon petrus scripta euangelia secundùm Matthæum, Marcum & Lucam ecclesijs legenda tradidit, affixus cruci priusquam Iohannes suum scripsisset euangelium, nec aliud vllum ipse ædidit euangelium. Sed euangeliū secundùm Marcū, qui & auditor eius & interpres fuit, huius dicitur. Libri autem nomine eius inscripti, quorum vnus (inquit Hierony.) Actorum, vnus euangelij, tertius prædicationis, quartus Apocalypsis, quintus Iudicij inscribitur, inter apocryphas scripturas reputantur. Bartholomæus iuxta Sophronij sententiam, profectus in fortunatam Indiam, euangelium quod est secundùm Matthæum tradidit, vt habetur apud Hierony. in lib. de viris illustribus: sic & cæteri Apostoli atque discipuli ab initio extra hæc quatuor non inueniuntur vsi vllo euangelio, viua voce prædicantes euangelium in prouincijs Dei prouidentia deputatis, Andreas Scythis, Sohendianis & Saccis. Philippus Phrygijs. Thomas Parthis, Medis, Persis, Germanis, Hircanis, Bractis, & Magis. Simon frater Iacobi episcopi, succedens eidem in Episcopatum, in Iudæa prædicauit Euangelium, viuens annos viginti supra centum. Matthias in altera Æthiopia. Crescens ennuchus Candacis reginæ Æthiopiæ in fœlici Arabia & Taprobona prædicauit. Et singuli horum non leguntur vspiam ædidisse aliam vllius euangelij scripturam, nec inueniuntur sancti patres ab exordio vsi fuisse testimonijs ex vllo euangelio sub nomine alterius apostoli inscripto. Proinde quotquot euangelia iam olim fuerint sub nominibus aliorum Apostolorum inscripta, ea habuit ecclesia Christi vt apocrypha, & tanquam ab hæreticis conscripta. Sic argumentatur Augustinus libro primo contra aduersarium legis & prophetarum, cap. 20. Euangelia sub nominibus Apostolorum

Enoch quæda scripsit.

De diuersis euangeliis.

Luc. 10. a

Libri falsò inscriptiad Petro.

Loca in quibus Apostoli prædicauerūt

Aug. De reiectis euāgelijs.

CAP. I.

rum, Andreæ aliorūmue conscripta, si reuera illorum essent, receptæ essent ab ecclesia, quæ ab illorum temporibus, per episcoporum successiones certissimas vsque ad nostra & deinceps tempora perseuerat, & immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis: quæ sanè ecclesia est Israel secundùm spiritum distincta, ab Israele secundùm carnem. Veteres patres orthodoxi sumunt interdum sententias ex ethnicorum libris, nō quòd illos aut comprobent, aut authoritatem habere velint, sed quatenus nos doceant aut arguant super his, quæ etiā ethnici agenda vel omittenda considerant: non tamen leguntur assumpsisse vlla testimonia ex aliorum apostolorum euangelijs, quemadmodum Apostolus Paulus ex Gentiliū scriptis citat testimonia. Sic Ambrosius super Lucam in fine cap. 1. ex cap. 7. quarti libri Esdræ citat testimonia: Reuelatur filius Iesus cum his, qui cum eo iucundabuntur. Etiam morietur filius meus Christus, & seculum cōuertetur. Et tamen diuus Hierony. tertium & quartum libros Esdræ appellat somnia, hortans ne quis delectetur eisdem. Sed in huiusce modi (vt iam diximus) considerandum est, quod dicit Augustinus in apocryphis reperiri aliquam veritatem, sed non esse in eis āliquam canonicam authoritatem. Oportet enim aduertere, quòd aliud significamus dicentes, in apocryphis nō esse vllam canonicam authoritatem: aliud autem dicentes, in ipsis non esse vllam canonicam veritatem. Et ita nec oportet mox aliquid falsum esse, si fuerit aut in apocryphis libris scriptum, aut ex apocryphis desumptum. Ex supradictis primùm liquet, quòd apocrypha & ecclesiasticorum patrum scripta conueniunt, & differunt. Conueniunt quidem quòd neq; in istis, quemadmodum neque in illis est canonica authoritas. Non enim, quia Hieronymus sic vel sic docet: non, quia Augustinus, ac alius quiuis ex patribus sic asserit, idcirco verum est, & tenēdum tanquam orthodoxæ fidei sententia: sed quia Hierony. Augustinus, ac cæterorum patrum quispiam demonstrauit vel ex scripturis canonicis sic esse, vel vniuersalem ecclesiam ab initio Apostolorum sic tenuisse & credidisse, idcirco tenendum est tāquam fidei, & de canonica Christianæ religionis sententia. Ex parte igitur conueniunt sanctorum patrum scripta cum apocryphis, quòd vtraque sunt exclusa ab authoritate canonica: sed differunt, ꝙ in illis (vt inquit Hierony.) comperta est pietas fidei nō vacillare. Et idcirco non solùm sine periculo fidei, sed & cum fidei Christianæ lucro sunt recepta, tanquam digna quæ legantur in ecclesia. In istis autem vel comperta est falsitas, vel suspecta est fidei pietas, & idcirco remota sunt à patrum scriptis, tanquam quæ aut non sine periculo, aut non sine irrisione fidei Christianæ legantur in ecclesijs. Ab hæreticis & infidelibus contemptibilis redderetur ecclesiæ fides, si viderent nos credere falsa quædam, quæ ipsi occultè sub nomine alicuius apostolici viri confinxissent. Et idcirco ecclesia ab initio prouidè gessit curam, ne quid publicè legendum proponeret, quod non certo authore sub fidelium attestatione relatum sciret. Pietas autem fidei intelligitur affectio, Christianæ fidei circunspecta ratione auxiliatrix. Hæc idcirco non vacillat in ecclesiasticis patribus & eorum libris, quia zelatores fuerunt fidei, & in nullo à consortio sanctæ ecclesiæ deuiarunt, vsque ad vltimum vitæ permanentes in ecclesia, omniaque in eorum libris asserendo dicta, videntur ædificare fidem & mores, elucidare scripturas, resonare Dei iustitiam, aut Domini nostri Iesu Christi clementiam seu bonitatem, & aut scripturis, aut rationibus demonstrata, aut aliàs ex coniecturis verisimilia, sub attestatione prædecessorum virorum fide dignorum tradita. Sic enim permanentes in vnitate ecclesiæ, æstimanda sunt tanquam viri fide digni, & tales, qui neque mentiri vnquam, neque fallere voluerunt. Quippe qui feruentes spiritu fidei restiterunt hæreticis, scripturarū ænigmata reserarunt, nodos apparētes & cōtrarietates earundem soluerunt, dilucidarunt obscura, & declararunt ambigua: secus de

Quatenus sit vtendum testimonijs apocryphorum.

Scripturarum differētia à patrum scriptis.

Quamobrem ecclesia semper tantopere vitarit apocry.

Quid sit pietas fidei.

Laus modestiæ patrum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

apocryphis, quæ Christianorum schola ab initio habuit suspecta, vel tanquam ab hæreticis conscripta, vel ab inimicis ecclesiæ, vel ab his, in quibus fidei pietas vacillabat. Proinde quæ scripserunt ecclesiastici patres, sunt recepta ab ecclesia: non quòd omnia quæ ipsi dixerunt sint ex necessitate fidei credenda, & de nullo possit aut dubitari, aut disputari: sed quòd sint aut declarationes scripturæ sacræ, aut vtilia in doctrina religionis Christianæ, facta ex aliqua ratione verisimilia, vel fidelium quorundam attestatione comprobata, sine commixtione falsitatis noxiæ: & idcirco non contemnenda, sed reuerenter tractanda, tanquã omnia sint dicta à viris, qui spiritu sancto adiuti, neq; voluntatem mentiendi habuerunt, neq; hoiẽs fefellerunt, nisi forsitan cùm in recitando res gestas falsi sunt ab hominibus, quos humana infirmitate decepti æstimauerunt veraces. Vnde & in talibus intendunt non suas nobis asserere, sed aliorum referre sententias. Et ita non oportet credere, quòd sancti patres omnia quæ docuerunt, sint ex spiritu sancto docente locuti. Quemadmodum enim prophetæ, tametsi nihil in scripturis sacris asseruerunt, quod non à spiritu sancto dictatum fuerit, non tamen semper potestatẽ habuerũt quodlibet dicendi ex prophetico spiritu, quorum neq; mentes semper prophetico tangebãtur lumine: Ita & mens doctoris sancti, ex spiritu charitatis scripturas sacras interpretantis, non semper tangitur instinctu diuini spiritus erudiẽtis & docentis ad cognoscendum & dicendum veritatem. Vnde & ipse Helizæus ait: Dominus celauit verbum à me. Et Nathan loquens Dauid de ædificando templo, non ex prophetico spiritu, sed, potius sensu suo humano id dixit. Sancti ergo patres referantes scripturarum ænigmata & obscuritates, quàmuis in omnibus quæ dixerint, seruauerint spiritum fidei & charitatis, non oportet tamen inde consequens esse, quòd in omnibus ex eodem spiritu docentes, semper attigerint veras scripturarum, aut aliarum rerum sententias. Verum quidem est, quòd spiritus sanctus, qui & spiritus est non mendacij, sed veritatis, neque mentiatur vnquam, neque doceat falsum: sed nihilominus etiam manet plerumque veritatis iste spiritus in eo, qui quod falsum est, credit verum esse. Spiritum sanctum habens Augustinus, non vult fidem haberi omnibus suis dictis, tanquam prolatis reuelatione & instructione diuini spiritus. Et ita ecclesiastici patres, quæ suis in scriptis docuerunt, tametsi omnia ex spiritu charitatis scripserunt, non tamen consequens est eos omnia, aut ex virtute fidei Christianæ traditisse aut reuelatione diuini spiritus illustrantis mentes earum ad cognoscendum & loquendum veritatem, locutos esse. Sunt quædam (inquit Augustinus) in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi fidei catholicæ defensores, salua fidei compage, & spiritu charitatis dissonant: alius alio melius de aliqua re dicit, in quibus non immobili sententia definiendo locuti sunt. Quemadmodum ex imperio voluntatis quandoque mouentur membra in opus aliquod perficiendum, quod Deus non vult fieri: ita & intellectus plerunque ex imperio charitatis mouetur ad opinandum vera esse, quæ tamen sunt falsa. Exemplum habes scripturæ de Abraham, qui & voluit, & opinabatur offerre filium suum vnigenitum, quem Deus offerri noluit. Doctores igitur sancti, præsertim in his quæ sunt facti, nõnulla ad fouendam fidem & charitatem locuti sunt, aut conijcientes, aut opinantes, aut recitantes pias aliorum sententias magis, quàm immobili atq; inflexibili sentẽtia definientes. Quædã (vt inquit Hierony.) sunt, de quibus satius est piè dubitare, quã temerè definire. Quædam sunt, quæ non tanquam confecta prorsus irridere, contemnere, reprobare, aut reijcere debemus, quibus neq; tã firmiter & immobiliter, quã scripturis sacris debemus adhærere: neq; item tã firmiter & pertinaciter quã oppositis fidei nostræ dissentire: sed in quibus oportet via media incedere, piè sentiendo de veracitate sanctorum virorum, quibus sic visum fuit. Quæ tametsi ec-

Quatenus patrũ scripta sint ab ecclesia recepta.

4. Reg 4. d 2. Reg. 7. a

Lib 3. contra Donatist. ca. 17

Genes. 22. a

In sermone de assumptione Mariæ.

si ecclesia sancta nobis legenda reliquerit, non tamen tanq̃ canonicas scripturas haberi voluit: sed tanquã sententias quasdam fidem promouẽtes, & aut attestationibus hominum, aut rationibus argumentorũ olim per probatas, vel factas probabiles & verisimiles, & idcirco nõ temerè reijciendas. Et ita non oportet consequens esse, si ecclesia non velit aliquid tanquã canonicam scripturam accipi, quòd idcirco quisq; rationabiliter possit aut negare, aut contemnere illud. Neque enim de omnibus, quæ extra scripturam canonicam sunt, licet dubitare. Ecclesia nobis quædam proponit, tanq̃ verissimorum hominum testimonijs sufficienter cõprobata: quædã verò proponit, tãquã semiplenè probata, & tanq̃ verisimilia, aut probabilia: quædam, tanquã nõ contemnenda & reijcienda. Et hic iam aperta est via quædam rectè pièq; sentiendi de canonizatione sanctorum, & de rebus gestis, & de miraculis eorum. Vnde quædam leguntur per vniuersam ecclesiam, cœlitus ex scripturis sacris edoctam, veluti sunt gesta sanctorum in scripturis sacris, quales sunt beati Stephani, Iacobi Apostoli, historiæ. Quædam verò leguntur quidẽm per vniuersam ecclesiam, non sic ex scripturis sacris, sed aliter edoctam, veluti sunt historiæ, quas de gestis, miraculis, & glorioſis triumphis sanctorum scripserunt probatissimi patres: Athanasius, Basilius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & alij probatissimi viri, in quibus fidei veritas non vacillauit. Huius generis sunt sancti, quorum memoriam agimus in canone sacrificij missæ, vt Sixti, Laurentij, Agnetis, Ceciliæ & aliorum post æditum canonem missæ, quorum gloriosæ vitæ conuersatio & exitus sanctus innotuerunt toti mundo, sicuti beati Martini, Nicolai, Benedicti, Bernardi, & aliorum. Quædam autem leguntur non sic generaliter per vniuersam ecclesiam, sed per loca & prouincias, in quibus ipsi sancti miraculis & sanctimonia vitæ claruerunt. Et ne per angelum satanæ, qui sese nonnunquam transfigurat in angelum lucis, populus illuderetur, aut falsis testimonijs, aut confictis miraculis, ecclesiæ censura moderamen canonizationis adhibuit. Et quanquam censura tales canonizandi, non antiqua, sed noua sit obseruatio, cultus tamen & memoria sanctorum, vt infrà videbitur, antiqua res est. Antiquitus ex certissima vitæ sanctitate, præsertim attestantibus plerunque miraculis publicis, incœpit populus colere & venerari sanctos, & celebrare diẽ glorioſi exitus eorum, quemadmodũ patet ex diuersis Cypriani epistolis, & aliorum antiquorum patrum scriptis. Quidam ergo sunt sancti in cœlo, de quibus quòd sint sancti, iam in cœlo regnantes, oportet credere ex fide Christiana reuelatione desuper facta in scripturis sacris. Abel, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, cæterosq; multos patriarchas & prophetas, Iohannem Baptistam, Stephanum, & duodecim Apostolos, latronem in cruce morientem, cui dicit Christus: Hodie mecum eris in paradiso. Paulum & alios multos iam sanctos in cœlo viuere, & regnare credimus eadem fide, qua credimus articulis cæteris in scriptura sacra expressis. Alij autem sancti sunt in cœlo, de quibus quòd sancti sunt oportet credere, sed nõ sic ex reuelatione desuper facta in sacra scriptura, quorum laudabilis vita, & glorioſus exitus illustrauit iam olim totam ecclesiam in vniuerso mundo: idcirco de illis quòd sancti sunt, rationabiliter aut negare, aut dubitare non possumus. Si stupidus & temerarius censeretur, quisquis negare præsumeret res prophanas de regibus, ducibus, principibus, aut philosophis huius seculi, in toto mundo vulgatis: quanto magis temerarius erit, qui vniuersalis ecclesiæ iudicium, iam olim tot episcoporum, tot doctorum, tot hominum, secundùm seriem successionis succedentiũ consensu firmatũ, negare præsumpserit? Alij sunt sancti, qui in diuersis regnis & prouincijs claruerunt mirabili vitę sanctimonia, quorũ vita laudabilis, glorioſus exitus innotuit toti aut regno, aut prouinciæ, super quibus & ecclesia ex fidelium hominum testimonijs alijsue indicijs, censurã suæ canonizationis adhibuit.

De canonizatione sanctorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. 1.

Et hic sunt gradus multi, secundùm quos vitæ sanctitas sub miraculorum attestationibus, in alijs plus, in alijs minus emicuit. Et quàmuis non oporteat nos omnium horum sanctitatem tam firma, tantaque immobili fide credere, quàm credimus sanctitatem eorum, qui in canonicis scripturis describuntur. Super istis enim credere aut dubitare ecclesiam posse fuisse delusam, hæresis est. Nam hoc est dubitare de authoritate scripturæ canonicæ, ne fortè ipsa possit nos fallere. A

Super illis autem credere aut dubitare, ecclesiam potuisse deludi & decipi, non est hæresis. Neque tamen possumus aut contemnere, aut nihili facere obseruationem ecclesiæ, quasi olim ipsa fuisset aut delusa, aut leuitate vsa, instituens celebrandam huius vel illius sancti memoriam. Verum quidem est ecclesiam in his, quæ sunt facti errare posse, & angelum satanæ sese interdum transferre in angelum lucis, aut simulatione sanctitatis, aut miraculis falsis, signisque mendacibus, qualia prænunciat Christus per Antichristum futura. Sed hæc omnia per satellites suos vtpote hæreticos aut hypocritas, iam olim & fecit satanas, & nunc facit, & facturus est per Antichristum, vt populum fidelem fallat, deludat, à fide & à Charitate Christi auertat. Ecclesiæ autem instituenti sanctum aliquem colendum aut ex necessarijs, aut ex verisimilibus argumentis, iam olim persuasum erat, sanctos canonizandos nihil tale fecisse, sed vsque ad exitum permansisse in professione fidei & charitatis, in pace & vnione totius ecclesiæ. Proinde nostri iudicij non est secundùm humanas nostras phantasias contra piam fidem, quam habuit ecclesia de sanctimonia vitæ sanctorum canonizandorum, præsumere quicquam definire, nisi aliquo rerum experimento error qui latebat, nobis fuerit demonstratus, & compertum fuerit, ecclesiam in his quæ facti sunt fuisse delusam: alioquin in huiuscemodi sanctius esset cum ecclesia & fideli populo errare, quàm aut temerariè præsumere, aut quod latenter verum est irridere. Iam olim ecclesiastici patres & pontifices vtique nouerant scripturas, quibus dicitur: B

Eccle.19. Prouerb 14. 1.Iohan.4. 2.Corint.11. Qui citò credit, leuis est corde. Non omni verbo credas. Innocens omni verbo credit. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. Angelus satanæ sese transfigurat in angelum lucis. Verum ecclesiam Christi sic honorare debemus, vt sentiamus eam hactenus neque citò, id est, absque prouida circumspectione, neque omni spiritui credidisse: sed vigilem fuisse cõtra angelum satanæ, transfigurantem se in angelum lucis. Proinde omnibus modis est præsumendum, eosdem patres in celebrãdis quorumlibet sanctorum memorijs, nihil temerè aut instituisse, aut admiscuisse: sed matura deliberatione præhabita & diligenti examinatione, sufficienter præmissa, confisos diuino adiutorio, quod videbatur pro deuotione fidelis populi amplianda, statuisse. Qui hunc in modum de prouidentia & circumspectione ecclesiæ, in qua & habitat spiritus, tam piè sentit, pernicioſè non sinitur errare, etiam si quem forsitan sanctum esse credat, qui non sanctus foret. Nam Deus ad fidem respicit orantis, secundùm quam ipse colens & venerans creaturam cœlitus sanctificatam, & postulans illam apud Deũ habere intercessorem, non in vllam creaturam, sed in Deum suam ponit fiduciã, quemadmodum glossa magistralis docet in supradicto verbo Apostoli: Angelus satanæ transfigurat se. Angelus satanæ (inquit) cùm se fingens bonum, ea vel facit, vel dicit, quæ congruunt bonis angelis: si credatur bonus, non error periculosus ac morbidus, nisi quis satanæ adhæreat, dum ad sua mala & falsa incipit adducere. Sicut & nihil est periculi, si quis vnumquemque viuorum ex cõiecturis fructuum, siue operum externorum, reputet bonum Christianũ, fidelem, iustum, castum, qui forsitan talis non est. Ex fructibus eorum (inquit Saluator) cognoscetis eos. Neq; hoc est citò omni spiritui credere, sed est diligenter secũdùm spiritum charitatis credere omnia, quæ audit bona & laudabilia dici de eo, quem C D

2.Corin.11.c

Matth.7.c

diligit.

CAP. 1.

A diligit. Vnde spiritum charitatis habens, credit omnia, quæ sunt secundùm charitatis spiritum credenda, sicut & charitas sperat omnia, quę sunt ex charitate speranda. Spiritus autem charitatis non est suspicionosus, non cogitat malum de proximo, non temerè iudicat. Qui verax est in omnibus secundùm charitatis spiritum, facilè æstimat & cæteros esse veraces. Quemadmodum autem quis interdum piè & sanctè credit id, quod falsum est, verum esse: interdum autẽ quis impiè & temerariè credit verum esse, quod verum est. ita contingit interdum eos, qui falsis sententijs assentiunt veros esse catholicos: eos autem, qui veris temerè assentiunt esse pertinaces. Hæc quàmuis videantur forsitan huic rei impertinentia esse, diligenter tamen considerata iuuabunt ad dissoluendum improborum quorundam argumenta. Amplius autem hic sciendũ est, quòd etsi oporteat nos credere sanctos reguare in cœlo, non ob id tamen credere oportet, quæ de huiusmodi sanctis &

B apostolis, siue de domina nostra Maria, aliisque publicè in libris quibusdam leguntur conscripta, præsertim in his, quorum ignorantur authores, in quibus neque ecclesia vnquam habuit testes idoneos. Proinde nec illis sedes apostolica, nec sancti patres præbuerunt assensum, eo quòd vel ab hæreticis, vel infidelibus sub nomine apostolorum vel sanctorum suspicantur esse composita. In quibus tametsi vtilia nonnulla inueniantur, & antiquus Christianæ ecclesiæ status dinoscitur: ecclesia tamen semper illa, vt suspecta, & à scripturis sanctorum patrum censuit alie na. Quemadmodum manifestum est ex decretis Gelasij papæ, qui iam olim cum innumera, tam hæreticorum, quàm catholicorum volumina inuenirẽtur promiscua, granum à paleis separauit, recensens opuscula sanctorum patrum, quæ post veteris & noui testamenti scripturas, & concilia à sanctis patribus instituta, in ec-

C clesia catholica recipiuntur. Opuscula (inquit) beati Cypriani martyris Carthaginensis episcopi: opuscula beati Athanasij Alexandrini episcopi, opuscula beati Gregorij Nasianzeni Episcopi, opuscula beati Basilij Cappadocensis Episcopi, opuscula beati Ioannis Constantinopolitani episcopi, opuscula beati Hilarij Pictauiensis episcopi, opuscula Augustini Hipponensis episcopi, opuscula beati Ambrosij Mediolanensis episcopi, opuscula Hieronymi presbiteri, opuscula beati Prosperi religiosissimi viri, epistolam beati Leonis ad Flauianũ episcopum, opuscula insuper omnium patrum orthodoxorum, qui in nullo à sanctæ Romanæ ecclesiæ consortio deuiauerunt, nec ab eius fideli prædicatione seiuncti sunt: sed cõmunionis ipsius gratia vsque ad vltimum diem vitæ suæ participes fuerunt, legenda decernimus. Item decretales epistolæ, quas beatissimi Papæ diuersis tenoribus ab vrbe Romana, pro diuersorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt. Item gesta sanctorum martyrum: qui multiplicibus tormento-

D rum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ita esse catholicorum dubitet, & maiora eos in agonibus esse perpessos, & Dei gratia & adiutorio, non suis viribus vniuersa toleraſſe? Sed ideo secundùm authoritatem vel consuetudinem antiquam, singulari cautela in sancta Romanorũ ecclesia non leguntur, quoniam eorum qui scripsere nomina, penitus ignorantur, & aut ab infidelibus, aut dictis superflua, minusque apta, quàm fuerit rei ordo, scripta esse putantur. Nos tamen cum ecclesia catholica omnes martyres & eorũ glorioſos agones, qui Deo quàm hominibus magis noti sunt, omni deuotione veneramur. Item vitas patrum, Antonij, Pauli, Hilarionis, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus. De Ruffini operibus illa sentimus, quæ beatum Hieronymũ sentire cognoscimus. Origenis quædam opuscula, quæ beatus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum authore suo dicimus esse remouenda. Chronicon Eusebij Cæsarienſis, atque eiusdem historiæ ecclesiasticæ libros, non vsquequaq; dicimus

Distinct.15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. I.

remouendos. Item Orosij eruditissimi, Sedulij, & Vincentij opera insigni laude proferimus. Quæ verò ab Hæreticis conscripta sunt, nullatenus recipit catholica & apostolica Romana ecclesia. Item nouellas quasdam reuelationes, veluti scripta de inuentione sanctæ crucis, & alia de inuentione capitis Iohannis, nonnulli catholici legunt: sed hæc cùm ad catholicorum manus peruenerint, beati Pauli teneatur sententia: Omnia probate, quod bonum est tenete. Hactenus Gelasius primo loco in catalogo ecclesiasticorum scriptorum, statuens Cyprianum, quem præcesserunt quidem multi, qui suis dogmatibus ecclesiam in fide & moribus illustrarunt, vtpote Dionysius Areopagita, cuius etsi non meminerit Hieronymus, ex eius tamen libris citauit ante mille circiter annos sententias beatus Gregorius, Clemens Romanæ ecclesiæ episcopus, Ignatius ecclesiæ Antiochenæ, Irenæus ecclesiæ Lugdunensis, & alij quidam Dionysij, Clemens Alexandriæ episcopus, omnes viri catholici, & martyres glorioſi, quorum opuscula etsi non expressè, tacitè tamen approbat generali sermone, adijciens: Opuscula insuper omniū orthodoxorum patrum, qui in nullo à Romanæ ecclesiæ consortio deuiauerunt. Idcirco autem non expressè forsitan approbat, quòd multa quæ ipsorum dicebantur esse, aut comperta, aut suspecta erant, aut non esse ipsorum, vel esse ab hæreticis deprauata, aut etiam in erroribus quibusdam dictata, nondum planè intellectis ab illis prophetarum scripturis: quemadmodum diuus Hieronymus in cōmentarijs super cap. 36. Ezechielis testatur de libris quibusdam Tertulliani, Lactantij, Victorini, Seueri, Irenæi, & Apollinarij, intelligentium ex scripturis futuram esse rerum omnium felicitatem in terrena Hierusalem, de quo vide & eundem Hieronymum super verbo, Papias, de viris illustribus. Sic & ipse Gelasius testatur de octo libris Clementis Romani episcopi, in quibus (teste Hieronymo) Eunomij dogma asseritur, filium Dei creaturam asserens, quod & interdum reperiri dicit in libris Clementis Alexandrinæ ecclesiæ episcopi. Octo libros recognitionum Clementis, Ruffinus Hieronymo contemporaneus in epistola ad Gaudentium, testatur se simul & epistolam ad Iacobum vertisse è Græco in Latinum. Linum quoque & Cletum fuisse quidem episcopos ante Clementem in vrbe Roma, sed viuente Petro, videlicet vt illi episcopatus curam gererent, ipse apostolatus officium impleret. Deinde ante Cyprianum scripserūt Tertullianus, Origenes, Eusebius, Lactantius. De Tertulliano dicit Hieronymus, quòd post mediam ætatem ab ecclesia defecit, & contra ecclesiam volumina ædiderit. De Origene dicit, in multis eum errasse contra fidem catholicam. De Eusebio autem dicit, eum fuisse virum quidem doctissimum, sed non catholicum in sex libris, quos pro defensione Origenis conscripsit. De historia autem scholastica, quam vocamus tripartitam, sciendum est, quòd olim ante tempora Hieronymi fuit scriptor quidam Græcus, nomine Theodoretus, hic (vt inquit Beda) de ratione temporum scripsit historiam ecclesiasticam, à fine librorum Eusebij, vsque ad Leonis imperium. Scripserunt & eisdem temporibus Græci duo, Sosomenus & Socrates. Ex horum libris Cassiodorus senator, paulò post Gelasij, & ante Gregorij tempora, collegit trium istorum scripta in vnum volumen, quod propterea appellatum est tripartita historia, quia ex tribus authoribus collecta, abbreuiata, & ordinata.

Homilia 34. de 100. ouibus

Libi de viris illustribus.

Canones quos vocamus Apostolorū, quàmuis contineant multa vtilia, quę magna ex parte sunt sub Apostolorum temporibus cōstituta, vt infrà patebit, tamen quia ab hæreticis sub nomine Apostolorum collecti & æditi dinoscuntur, idcirco sunt à canonica (vt inquit Isodorus) authoritate remota. Verùm his quoque addiderim, nonnulla esse de sanctis scripta, quæ apud ecclesias quasdam publicè leguntur, suppressis tamen scriptorum illorum nominibus: quæ fortè ratione iusta videntur habenda tanquàm suspecta, aut ab hæreticis conficta, veluti cùm narrantur

CAP. II.

rantur sancti quidā in agone mortis constituti, aut monuisse, aut exegisse, vt translati ex hoc mundo colerentur, & inuocarentur ab hominibus viuis constitutis in periculis quibuslibet, aut morbis. Neq; enim verisimile est sanctos, aut de curandis corporum morbis fuisse solicitos, aut huiusmodi honores desiderasse, qui orabant cum propheta Dauid: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. & cum Paulo vix audebant dicere: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Verùm vt discamus non mox contemnere quodlibet pro nostra sententia, hoc scire oportet, quòd Paulus qui dixit: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. etiam iam imminente resolutionis tempore fiduciaLiter ait: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in diem illum iustus iudex. Dauid qui in semetipsum spectans, dixit: Non intres in iudicium cum seruo tuo. is & ait: In te Domine speraui, non confundar in æternum. fiduciam iam habens in die iudicij. Proinde non pernicioſè fallitur piè credens, quòd sancti in corpore viui, igne charitatis accensi ad proficiendum ecclesiæ futuræ in doctrina, & suæ vitæ exemplaris, & glorioſi exitus, soliciti non de suis honoribus, post vitam sibi exhibendis: sed de honore & exaltatione nominis illius, ex cuius amore peruenerunt ad palmam martyrij, cogitauerunt de viuis liberandis à periculis, à morbo corporis, vt per illam liberationem sua intercessione per Christum exhibendam, relinquerent posteris exemplum glorificandi, magnificandi nomen Christi operantis mirabilia in sanctis suis, & per illos in laudem gloriæ gratiæ suæ, sicuti ecclesiæ Christi in Paulo Christum prædicante, Deum glorificabant. Item Christus ipse cùm misit Apostolos, dedit illis potestatem lāguores corporis sanandi in nomine suo. Sed de his infrà latius, cùm agetur de inuocatione sanctorum.

Psalm. 142. a
1. Corint. 4. a
2. Tim. 4. b
Psalm. 142. a
Psalm. 30. a

Amplius autem sciendum est, quòd in prædicta Gelasij decretali: Sancta ecclesia Romana, post illas noui & veteris testamenti scripturas, quatuor etiam synodos suscipere mandat, in quibus fidei doctrina in euangelijs descripta plenissimè declaratur, tam de patris, filij, & spiritus sancti diuinitate, quàm de Domini nostri Iesu incarnatione. Prima vniuersalis ecclesię synodus Nicæna, circiter annum à natiuitate Domini 324. sub Imperatore Constantino. in qua damnatur blasphemia negantis Christum esse Deum: contra quam patres definierunt, Christum esse verum Dei filium, patri consubstantialem. Secunda synodus Constantinopolitana, iubente Damaso papa, sub Imperatore Theodosio seniore, circiter annum à natiuitate Christi 383. In hac damnatur blasphemia Macedonij, negantis spiritum sanctum Deum esse: contra quam patres definierunt spiritum sanctum esse verum Deum, patri & filio consubstantialem. Tertia synodus Ephesina, circiter annum Domini 431. iubente Celestino papa sub Theodosio Iuniore, in qua damnatur perfidia Nestorij, asserentis duas esse in Christo personas, virginemque Mariam non Dei sed hominis esse genitricem. Quarta vniuersalis ecclesiæ synodus Chalcedonensis, circiter annum Domini 449. sub Martiano principe, in qua damnatur perfidia Euticis asserentis in Christo verbi & carnis vnam solam esse naturam: contra quam patres definierunt in Christo duas esse naturas, humanam scilicet & diuinam in vnitate personæ. Hæc 4. concilia sicuti quatuor Dei euangelia, sunt veneranda. Item Gelasij seculo, opuscula, quæ inter apocrypha computantur, idem ostendit dicens, Ariminensem synodum à Constantino Cæsare Constantini filio congregatam, extunc & in æternum confitemur esse damnandam. Item Itinerarium nomine Petri Apost. quod appellatur, sancti Clementis libri 8. apocryphi. Actus & euangelia extra scripturas canonicas sub nominibus Apostolorum inscripta, apocryphi: liber de infantia saluatoris, apocryphus: liber qui appellatur, Pastoris, apocryphus: item liber intitulatus de filiabus

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. I.

bus Adæ,vel de pœnitentia Adæ, vel transitu beatæ Mariæ,apocryphus: historia Eusebij Pamphili, & liber qui appellatur Canones Apostolorum, opuscula Tertulliani,opuscula Cassiani presbyteri Galliarum,& Faustini,apocrypha. Epistola Iesu ad Abagarium regem, & item Abagarij ad Iesum,apocrypha. Hæc & his similia multa, annos fere centum ante pontificatum beati Gregorij papæ recensèt Gelasius, quæ ecclesia à scripturis sanctorum patrum seperauit circiter annum à natiuitate Domini nonagesimum supra quadringentesimum. Deinde quia in primo libro dictum est,euangelium secundùm Matthæum esse Hebraicè scriptum,& vsque in Hieronymi tempora fuisse custoditum in Cæsarienfi bibliotheca, sciendum est in Cæsarienfi bibliotheca sub Hieronymi seculis fuisse custoditum euangelium quoddam Hebraicis literis scriptum aliud, quàm est illud quod apud ecclesiam iuxta Matthæum inscribitur, vt manifestè patet ex doctrina Hieronymi libro tertio aduersus Pelagianos, citantis euangeliũ quoddam Chaldaico Syroq; sermone,sed Hebraicis literis scriptum,& in Cæsarienfi bibliotheca custoditum, ex quo citat ibidem testimonia, quæ in euangelio nostro non habentur: quo etsi Hieronymus ibidem doceat non esse vtendum ad authoritatem, concedit tamen eo vti saltem ad ostendendũ antiquitatem, quid omnes ecclesiastici viri senserint. Vnde consequens est euangelium illud, quo & vtendi data fuit Hieronymo copia fuisse aliud quàm est illud, quod apud ecclesiam iuxta Matthæum inscribitur: sed non inde consequens est, verum Matthæi euangelium, quo semper vniuersalis vsa est ecclesia, non fuisse primum Hebraicæ à Matthæo scriptum, præsertim cùm id testentur veteres, & ipse quoque Hieronymus in prologo super quatuor euangelia: sed de hoc in primo libro dicta sufficiant. Cæterùm & hoc sciendum, quod etsi librorum apocryphorum authoritas non sit tanta, quanta sanctorum patrum, qui nunquam à sancta Romanæ ecclesiæ vnione se seperauerunt: vtiliter tamen libri quidam apocryphi ab antiquis conscripti, in ecclesia leguntur secundùm spiritum directionis à viris studiosis, considerantibus ex eisdem antiquum ecclesiæ statum, veteres ecclesiæ mores,ritus,& consuetudines,& bonas, & rectas quasdam sanctarum scripturarum explanationes. Beatus Cyprianus Tertulliano magistro vtitur, eiusque tanquàm ardentis, & eruditi viri delectatur ingenio: sed tamen non sequitur in libris illis Montanum,Maximillamque hæreticos, authores hæresis Cathaphrigarum, damnantium secundas nuptias, & sese ab ecclesia Romana seperantium. Hieronymus, cæterique patres Origenem legerunt, eiusque laudauerunt ingenium in elucidandis scripturis, sed in libris eius neque probant, neque imitantur errores de spiritu sancto, de carnis resurrectione, de animabus ab initio conditis, aut de liberatione illarum ab inferno. Sic legitur & Lactantius, sed non probantur ob id errores illius, & præsertim quos scripsit in epistola ad Demetrianum, spiritus sancti negans substantiam. Vide super his omnibus Hieronymi censuram in epistola ad Pammachium & Oceanum. Item in epistola aduersus Vigilantium: Origenes hæreticus: quid (inquit) ad me, qui illum in plerisque hæreticum non nego? Errauit de resurrectione corporis, errauit de animarum statu, de diaboli pœnitentia, & quod his maius est, filium Dei & spiritum sanctum in commentarijs Isaiæ, seraphin esse testatus est. Et paucis interpositis: At idem scripturas in multis bene interpretatus est, & prophetarum obscura disseruit, & tam noui, quàm veteris testamenti reuelauit maxima sacramenta. Item Cassianus monachus, qui multa vtilia scripsit de collationibus patrum,de gratia Christi, contra quem & beatus Prosper librum ædidit ante Gelasij tempora. Amplius autem post Gelasij tempora, non defuerũt ecclesiæ eruditissimi sacræ theologiæ interpretes: Cassiodorus, Fulgentius, Boetius, Gregorius magnus papa, Isidorus, Theodorus. Beda, Alcuinus,

Euãgeliũ Matthæi Hebraicè scriptum.

Circa principiũ primi libri

In præfatione homil. Cãt. & prologo libri Hebraicorum nominum.

CAP. I.

A nus,Remigius,Anselmus. Bernardus qui sudoribus multis,& laboribus sacrosanctam theologiam reddiderunt illustrem. Sed omnium horum dogmata sunt distinguenda ab authoritate sacrarũ literarum. Non enim sic scripta sunt, tanquam ex eis testimonium proferatur, vt aut dissentire, aut suspicari, aut dubitare non liceat: nec idcirco vera sunt ea,quia ipsi authores ita sentiunt, aut quia in eorum libris leguntur. Nam & ipsi tradiderunt quædam non tanquam sententias,quas ipsi firma fide crederent, sed tanquam pias opiniones, aut probabiles, aut verisimiles, aut non contumaciter reijciendas, quàmuis necessitati fidei impertinentes, aliquid tamen si vera supponantur ad intellectum sacrarum literarum facientes. Id genus multa sancti patres exponentes scripturas, ex gentilium historijs sunt mutuati. Deinde & ipsi nonnulla suis in libris & scripserunt & crediderunt secundùm humanum sensum, innixi opinionibus hominum, præsertim in describendis historijs, rebusq; gestis hominum,siue bonorum, siue malorum, in quibus cognoscendis collegerunt rumores aut opiniones, secundùm humanæ infirmitatis conditionem, mutuantes ab alijs res gestas,quas in scripturis inuenerunt eorum, qui solo auditu forsitan & per opiniones scripserunt. Sic & antiquissimus Irenæus, per solum auditum scripsit Christum post quadragesimum suæ ætatis annum esse passum,inductus etiam argumentis,quæ id efficaciter non probant. Ait enim,& euangelium,& omnes seniores,qui in Asia apud Iohannem conuenerant, id testari, & Iohannem id ipsum tradidisse illis. At verò testimonium illorum seniorum in Asia, quibus innixus est venerabilis Irenæus,non esse verum, ex eo possumus cõsiderare, quòd beatus Ignatius ipse in Asia eiusdem Iohannis discipulus, de ætate Domini non illam, sed communem tenet ecclesiæ sententiam in epistola ad Trallianos, dicens quòd Christus triginta annos habens est baptizatus, tribus annis prædicauit euangelium, faciens coram Iudæis signa & prodigia, die parasceue hora tertia accepit sententiam à Pilato, sexta verò hora crucifixus est, nona autem emisit spiritum, ante solis occasum depositus est de cruce, sepultus in monumento, sabbato mansit sub terra in sepulchro, descendit ad inferna solus, ex inferno autem ascendit cum multitudine, dirumpens maceriem, quæ erat à seculo, dominica autem die resurrexit à mortuis. Hæc Ignatius. Non est igitur hac in re standum sententiæ Irenæi,innixi testimonio non verisimili. Cæterùm ethnici scriptores Græci, ex opinione & per auditum, vt libuit de temporibus & genealogijs multa tradiderunt, nihil certi affirmantes, & vt cuique visum est diuersas proferentes sententias, vt author est Iosephus contra Appionem Grammaticum, & Eusebius de temporibus in prima olympiade, quemadmodum & in superioribus est declaratum, vt non iniuria dixit Iuuenalis: Quicquid Græcia mendax audet in historia. Et ideo ecclesiastici tractatores in huiusmodi historijs, quas à Græcis acceperunt, non sunt vsquequaquam recipiendi. Proinde Euseb.qui in supputationibus temporum regumq; Persarum, & item Orosius, qui in supputationibus Assyriorum secuti sunt Græcorum historias, non vsquequaque recipiuntur: quemadmodum patuit in regulis interpretandi scripturas, in capitulo de supputationibus temporum. Vnde nec in eodem ordine cum Augustino & Hieronymo statuũtur in decretali præfata Gelasij. Sed hæc in eorum historijs aut sunt fidei impertinentia, aut secundùm historiam scripturæ sacræ sunt corrigenda. In cæteris autem, quæ ad necessitatem fidei & morum spectant religionis Christianæ, pro generali regula in omnibus sanctorum patrum libris obseruandum est studioso lectori, quòd huiusmodi patres in ecclesia catholica, tam ante, quàm post Gelasium differentes, quia vsque ad mortem in vnitate fidei ecclesiæ in qua est cathedra Petri, permanserunt, non se aliter intelligi voluerunt, quàm catholica intelligit ecclesia. Et idcirco hæresibus nondum exortis, securius dixerunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. I.

runt multa, quæ postmodum hæreticis ad sensum alienum torquentibus, ciuili A
interpretatione indigent, accipienda tum ex his quæ præmittuntur, vel sequuntur, tum ex alijs ipsorum scriptis. Exempli causa: Sancti patres, antequàm hæresis exorta esset Pelagiana, pro libero arbitrio contra Manichæos dixerunt multa, quæ fauere videntur hæresi Pelagianæ, quæ & ipse Pelagius pro sua hæresi corroboranda citauit, veluti quòd Iohannes Chrysost. dicit infantes non habere peccata, quod ipse & alij dicunt: nostrum est incipere, nostrum est credere, nostrum est pulsare, orare & petere: Dei autem est perficere, aperire, & dare postulata. Hæc & id genus alia, Pelagius ad suam prauam intellexit sententiam. Contra quem mox Augustinus ex scripturis suam posuit doctrinam, pro gratia contra ipsum stabilienda, multa dicens, quæ posterioribus seculis rursus ad sensum à mente Augustini alienum deprauari cœperunt, vt videretur liberũ tollere arbitrium. Istud B
non intelligentes præsumptuosi huius temporis hæretici, calumniantur patribus, Chrysostomo videlicet & alijs, ante Pelagium contra Manichæos pro libero arbitrio scribentibus, arbitrantes illos nimium libero arbitrio tribuisse, & ita gratiam Domini nostri Iesu Christi redemptoris non bene intellexisse. Sed frustra id putãt, non cõsiderantes etiam nostra liberi arbitrij opera esse, quę nos facimus ex illius gratia, non diceretur in scripturis Deus nos adiuuare, nisi etiam nos censeremus verè aliquid agere, tanquàm Deo cooperantes. Huius generis multa sunt apud patres. Consilio igitur diuini spiritus prodierunt nouissimi doctores, qui appellantur scholastici, vt Guilelmus Altisiodorensis, Alexander de Hales, Thomas, Bonauentura, & similes, qui sepositio omni verborum ornatu, per quæstiones & argumenta, per propositiones, corollaria, per præcisas verborum formas in rebus fidei procedentes, tutissimam nobis contra hæreticos reddiderũt Theo- C
logiam: qui & auferentes hæreticis occasionem prauè interpretandi doctrinas patrum, licentiam quodlibet dicendi coercuerunt: qui & quantum attinet ad intellectus eruditionem, sunt (inquit Gerson) compendiosiores, commodiosiores & vtiliores, tametsi veteres sint ad inflammandum affectus vehementiores. Hæreticis per quæstiones captiosas, variaque argumenta perturbantibus simplicem Christianorum fidem, absque omnis secularis eloquentiæ fuco, spiritu sancto in sacris literis nobis propositam, opus fuit pro defensione fidei, in ædificationem ecclesiæ, rationes contra eandem fidem soluere, & ex scripturis doctrinisque ecclesiæ multa dicere, quæ videbantur simplicitati Christianæ fidei impertinentia, quæ tamen reuera impertinentia non sunt, cuiusmodi sunt sententiæ de futuris contingentibus, de diuinarum personarum processionibus, emanationibus, notionibus, & distinctionibus, & vnitate essentiæ, & de proprietati- D
bus locutionum in arte Grammatica super dictionibus exclusiuis, & differentijs in modo significandi inter masculinum & fœmininum genus. Hæc & id genus alia multa, quibusdam visa sunt aut superflua, aut friuola, aut sacratissima theologia indigna, de quibus tamen tractare in sacris literis intelligendis est necessarium. Nam quo pacto poterimus defendere, cum Dei prescientia & prouidentia stare, Deum multa quæ non facit, posse facere, nisi de futuris contingentibus, an possint non esse futura disseramus, & gentilium ac hæreticorum perplexitates & nodos dissoluamus? Qua via intelligemus sententias sermonum, quibus dicimus, quòd non solus pater est Deus altissimus, sed etiam Christus Iesus est altissimus, tamen nihil aliud à patre est Deus altissimus, solus filius, & non pater est factus Deus altissimus, & tamen nihil aliud à patre est Deus altissimus. Solus filius & non pater, est factus homo, cùm tamen pater non sit alius Deus à filio? Huiusmodi sententias non poterimus ostendere, nisi ex fide credentes distinctionem personarum in vnitate essentiæ, nouerimus proprietatẽ sermonis grammaticalis, intelligen-

CAP. I.

A telligentes dictionem exclusiuam, solus, nunc excludere personam, nunc autem non personam, sed essentiam, veluti cùm dicimus, Solus pater Domini nostri Iesu Christi, est creator cœli & terræ, excluditur non alia persona, sed alia natura: quia nihil aliud à Deo patre est creator cœli & terræ. Cùm autem dicimus: Solus pater generat filium, solus filius est incarnatus, exclusa intelligitur persona. Quo pacto penetrabimus sententiam qua dicitur, pater esse alius, aut alia persona à filio, sed non esse aliud à filio, nisi concipiamus, quòd alius in masculino genere significat aliam personam, seu aliud suppositum: aliud verò in neutro genere, aliam designat naturam seu substantiam? Neq; est his in rebus inter hæreticos & ecclesiam controuersia solùm de vocabulis & nominibus, sed de rebus ipsis, hoc est, de patre & filio, & spiritu sancto, tribus personis, vno Deo in vna substantia. Arrius hæreticus, secundùm tres personas simul & tres docuit esse substantias, B
seu naturas. Sabellius secundùm vnicam substantiam solùm vnam docuit in diuinis esse personam trinominem. Nequaquam igitur candorẽ sacratissimæ theologiæ polluimus friuolarum rerum sordibus, sed magis illustramus, dum in sacris literis, in sententiarum libris & in scripturis, vbi congruit, exponendis, vtimur huiusmodi rebus & distinctionibus. Contra scripta diui Thomæ, Aquinatis, Bonauenturæ, atque aliorum recentiorum, qui suis in libris per quæstiones, per argumenta in vtramque partem, per conclusiones tractant Christianæ religionis dogmata. Solent aduersarij (quibus sola veterum scripta placent) obijcere calumniantes recentiores theologiæ tractatores, candorem castissimæ theologiæ ethnicorũ philosophorũ sordibus esse pollutũ, multis in eorũ libris sententijs assumptis de Platonis, Aristotelis, cæterorum q; philosophorum huius mundi dogmatibus. Sed quàm friuola sit hæc eorum obiectio, satis iam olim ostendit diuus Hieronymus in epistola ad Magnum oratorem Romanum, recensens C
viros eruditissimos patres q; sanctos ante sua secula, tã Græcè quã Latinè scribentes, quorum libri inueniuntur referti philosophorum sententijs accommodatis ad res ipsas Christianæ religionis. Ex Græcis recenset Quadratum apostolorum discipulum, ecclesiæ Athenensis pontificem, Aristidem philosophum eloquentissimum illi contemporaneum, Iustinum, qui Antonio Pio & filijs eius totiq; senatui librum contra gentes tradidit, defendens ignominiam crucis, & resurrectionem Christi tota prædicans libertate. Item Melitonem Sardensem episcopum, Apollinarium, & Dionysium Corinthiorum episcopum, Tacianum, & Irenæum Photini martyris successorem, Pantænum Stoicæ sectæ philosophum à Demetriano alexandriæ episcopo, missum in indiam, vt Christum apud Brachmanos prædicaret, Clementem Alexandriæ ecclesiæ presbyterum omnium eruditissimum, qui octo scripsit Stromatum libros, & totidem hypotyposeon, & aliũ con- D
tra gentes, quem imitatus est Origenes, comparans inter sese Christianorum sententias, & omnia nostræ religionis dogmata ex Platone, Aristotele, Numenio, Cornutoq; confirmans. Scripsit Milciades contra gentes egregium volumen. Hippolitus quoque & Apollonius Romanæ vrbis senatores, propria opuscula condiderunt. Extant & Iulij Africani libri, qui temporum scripsit historias Theodori, qui postea Gregorius est appellatus, viri apostolicorum signorum atq; virtutum. Extant & opuscula Dionysij Alexandrini episcopi, Anatolij, Pamphili, Pierij, Luciani, Malchionis, Eusebij Cæsarienſis episcopi, Eustachij Antiocheni, & Athanasij Alexandrini. Eusebij quoque Emiseni & Triphillij Cyprij, & Asterij Scythopolitæ, & Seraphionis confessoris. Titi quoque Bostrensis episcopi, Basilij quoque & Gregorij & Amphilochij Cappadocũ, qui omnes in tantum (inquit Hieronymus) Philosophorum doctrinis atque sententijs suos refarciunt libros, vt nescias quid in illis primùm debeas admirari, eruditionem seculi, an

Universidad de Deusto
Biblioteca

scientiam scripturarum. Veniam (inquit) ad Latinos, Quid Tertulliano eruditius? quid acutius? Septem libros aduersus gentes Arnobius ædidit, totidemque discipulus eius Lactantius, qui de ira quoque & opificio Dei duo ædidit volumina, quos si legere volueris, dialogorum in eis Ciceronis epitomen reperies. Victorino martyri in libris suis, licet desit eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas. Cyprianus, quòd idola dij non sint, qua breuitate, qua historiarum omnium scientia, quo verborum & sensuum splendore perstrinxit? Hilarius meorum confessor temporum & episcopus duodecim Quintiliani libros & stylo imitatus est, & numero. Iuuencus presbyter sub Constantino historiam Domini saluatoris versibus explicuit, nec pertinuit euangelij maiestatem sub metri leges mittere. Hactenus Hieronymus, de viris qui ante ipsius tempora, pro defensione Christianæ fidei libros ædiderunt, & assumentibus in eis sententias ex philosophorum libris, quia omnes pene omnium philosophorum libri, exceptis his, qui cum Epicuro literas didicerunt, eruditionis doctrinæq; plenissimi sunt.

En vides quantam recenseat diuus Hieronymus eruditissimorum virorum pro Christiana religione scribentium cateruam? quorum in suo decretali non meminit Gelasius, qui sanè omnes suis in libris mistuerunt ethnicorum philosophorum sententias. Neque enim naturalis philosophia per lumen rationis internæ adinuenta, est Christianæ religioni contraria, sed assumenda est vt pedissequa & ancilla. Præmissis consideratis rationabilis & manifesta poterit videri distinctio doctorum, sententias tripartiam distinguentium, quasdam esse de necessitate fidei, alias de pietate fidei, alias fidei impertinentes. Item quandam falsitatem esse hæresim, aliam quæ dicatur esse suspecta & sapit haeresim, aliam hæresi impertinentem. Scimus quod huius generis distinctiones oderunt omnes hæretici, quorum omnium vna est intentio, contemnere communem magistrorum doctrinam, & odisse (vt inquit Augustinus) ecclesiam, eamque opprobrijs & maledictis insectari. Nos autem immorantes his, quæ veneranda nobis tradidit antiquitas, credimus omnem veritatem esse de necessitate fidei, quæ vel in scripturis sacris est expressa, vel demonstratur ex necessitate consequi ex his, quæ in eisdem scripturis sunt tradita, vel definita traditione vniuersalis ecclesiæ. Ex necessitate consequitur Christum habuisse pulmonem, cerebrum, neruos, & venas, quæ tamen in scripturis non reperimus expressa. Et quia iam multa sunt ex sacris scripturis elucidata, quæ olim sub ipsis fidei Christianæ rudimentis nondum erant ex illis declarata: idcirco nunc multa reputantur hæretica, de quibus tunc nondum ex scripturis sacris elucidatis, licebat olim aut dubitare, aut in vtramque partem disputare. Ex definitione ecclesiæ apostolicæ credere oportet beatã Mariã permãsisse virginem post partum, quod tamẽ ex scripturis sacris non sequitur necessariõ. Ad pietatem fidei pertinet veritas, ad quam vt non temerè reijciatur, sed credatur, pia affectio fidei Christianæ consulta ratione mouet. Nam pietas fidei, quemadmodũ iam patuit, est affectio pia, qua circumspecta ratione, fides Christiana adiuuatur, id est, nutritur, fouetur, roborátur. Et idcirco ad pietatem fidei attinet, quicquid aptum est fouere fidem, & quòd vnumquenque pio affectum ad Christianam fidem ratione prudenter considerante, verisimilia aut probabilia quædam argumenta, non solùm oportet non contemnere, sed & decet potius credere sic esse aut gestum, aut factum, quàmuis neque scripturis sacris, neq; determinatione aut ecclesiæ, aut generalis concilij sit definitum. Et huius generis sunt sanctorum martyrum & confessorũ ac virginũ vitæ, miracula & gesta, quæ sunt vel per vniuersam ecclesiam celebrata, vel à viris probatissimis conscripta, quæ ecclesia non præcipit, non cogit, nõ definit oportere nos credere tanquam gesta & miracula in euangelijs scripta, sed proponit tanquã probabilia

lia, verisimilia, relatione virorum fide dignorum accepta. Veritas omnino impertinens fidei est, quæ neque ex necessitate, neque ex probabili argumento consequitur ex his, quæ sunt vel in scripturis sacris, vel in vniuersalis ecclesiæ aut Apostolorum definitionibus expressa. Falsitas contraria alicui sententiæ primi generis, est hæresis. Falsitas contraria alicui sententiæ secundi generis, de hæresi suspecta est. Patebunt autem hæc ex sequentibus. Naturalis & moralis philosophiæ documenta sunt fidei impertinentia, quatenus vel à philosophis, vel à gentibus sunt conscripta: multa tamen ex eis sunt de necessitate fidei, quatenus ex scripturis sacris possint vel tacitè vel expressè demonstrari. Naturalis philosophiæ documentum est, causas secundas cooperari primæ causæ operanti, & aliquid etiam agere, & idcirco non primam causam solam omnia facere. Idipsum quoque ex scripturis sacris discimus, docentibus Deum omnium rerum conditorem, ab exordio impressisse creaturis suis vires proprietatesque agendi, vt patet Genes. 1. & 2. capitulis. Deus condidit terram, quæ germinaret, & quæ fructum faceret, & animalia quæ crescerent, generarent, & propagarent. Vnde & Salomon, Deo docente, cognouit rerum causas, animalium naturas, herbarum vires, cursus planetarum, dispositiones syderum, tertij Regum 4. & Sapientiæ 8. Proinde & hæreticus est, quisquis pertinaciter asserere præsumpserit, creaturas in hoc mundo esse ociosas, & nihil ex viribus desuper datis operantes, Deũ solùm omnia facere, creaturis solùm præsentibus & nihil operantibus, & ita hominem per lumen rationis internæ, liberumque suæ voluntatis arbitrium nihil operari, sed in omni suo motu electionis sese habere, vt patiens diuinæ operationis subiectũ. Insuper & hæresis est, asserere pertinaciter Deum super his, quæ fiunt in hoc mundo iam esse ociosum, ita vt solùm sinat seu permittat res quas condidit, proprios agere motus. Sic & in moralibus philosophorum doctrinis demonstrantur furtum, adulterium, mendacium, homicidium, falsum testimonium, & id genus alia, esse mala, de quibus dicit Aristoteles, quòd mox nominata cõuolutam secum malitiam habeant, quæ & sacra theologia docet mala esse. Proinde & hæresis est pertinaciter asserere, aliquod adulterium, vel furtum, aut falsum testimonium non esse peccatum: veluti si quis amator libidinis, defenderet carnalem voluptatem esse fœlicitatem hominis, aut pertinaciter defenderet licitũ esse adulterium, vt alter vitet homicidium, aut licere furari à diuitibus ad largiendum eleemosynas pauperibus. Sic primitiua apostolorum ecclesia hæreticum iudicauit Nicolaum ex septem diaconis vnum, docentem vxores esse communes, & viuendum esse secundùm carnis desideria, prout libido fert animi. Sic & hæreticum iudicauit Simonem Magum, qui negans operationes naturaliter iustas, docebat angelos qui mundum fecerunt per præcepta huiusce modi operum naturalis legis, deduxisse homines in seruitutem, repromittens se sua gratia liberaturum eos ab imperio eorum qui mundũ fecerunt, vt liberati quæcunq; velint agant, sicuti & mystici huius Simonis sacerdotes libidinosè viuunt: quemadmodum docet Irenæus libro 1. aduersus hæreses Valent. cap. 20. Sed non inde consequens est, quòd omnis incorrigibilis fur aut mœchus, aut adulter, aut falsus testis sit hæreticus. Nam & contingit aliquem sic esse pertinaciter criminosum ex sola deprauatione affectus per libidinem & concupiscentiam deducti in consuetudinem, recto permanẽte iudicio ipsius intellectus. Ex superioribus patet, ante Cypriani tempora fuisse quidem multos eruditissimos viros, qui scripserant contra gentes & hæreticos volumina eruditionis & doctrinæ Christianæ plenissima, viri aut apostolis contemporanei, aut ab Apostolis ordinati, eorúmue successores, mox in ipsis Apostolorũ temporibus, Christianorũ ecclesijs crescentibus in omnẽ regionẽ, & prouinciam, per totam Asiã, Africã, & Europam, vbilibet locorum iãsparsa Domini nostri Iesu

 suæq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

suæque doctrinæ fama: neque oportet consequens esse, si Gelasius horum librorum A
nominatim non designauerit cum alijs ecclesiæ doctoribus, quòd propterea censuerit omnium illorum libros habendos vt apocryphos, aut à lectione ecclesiarum prorsus alienos. Sed quia in pluribus eorum libris nonnulli sunt errores respersi, & nonnulli etiam libri falso sub illorum nominibus inscripti, ideo cùm ad catholicorum manus peruenerint, singulari quadam cautela sunt legendi, ne intermixti errores accipiantur tanquam sententiæ salutares, & ne credatur mox esse acceptandum, si quid apud eos legitur, quod deprehenditur esse contra communem vniuersalis ecclesiæ traditionem atque consuetudinem: qui sanè errores annis iam multis satis vniuersis ecclesijs innotuerunt, satis etiam à patribus annotati & designati in eorum libris: qui paucis illis erroribus repurgatis, sunt eruditionis doctrinæque Christianæ plenissimi. Quàmuis ergo nonnulla Irenæi, Papiæ, Tertulliani & Origenis volumina non mereantur habere locum cum Cypriani, Hieronymi, Augustini, aliorumq; doctorum castissimè scribentium opusculis, neque tamen ipsi prorsus merentur priuari suo ordine, neque eorum opera cætera sunt ob id respuenda, quorum authores manserunt vsque ad finem vitæ in vnitate pacis ecclesiæ. Nam & ipse Cyprianus in quibusdam errasse deprehenditur: ipse quoque Gelasius in præfata decretali nonnulla Origenis opuscula suscipienda esse & legenda decernit, reliquis in quibus ipsum notauit beatus Hieronymus cum suo authore repudiatis.

Caput II. in quo demonstratur ecclesia esse vna, aperturq; via internoscendi illam.

IAm operæpretium est considerare, quænam sit vera Christi ecclesia, & apud quos sit. Et partiemur caput istud in duas partes, in quarũ vna ostendemus, quæ & qualis sit Christi ecclesia, & ꝙ C
sit vna ab intio mundi. In secunda demõstrabimus, vbi & apud quos sit huiusmodi ecclesia. Primùm igitur sciendum est, quòd inter hæreticos & veros Christianos vetus est hæc controuersia, vbi nam & apud quos sit vera Christi ecclesia, duabus præsertim ecclesijs inter se differentibus, & vtrisq; asserentibus, se velle in fide saluatoris Iesu permanere, in euangelicis apostolicisq; doctrinis, in vera Christi fide, in religione Christianorum. Nam & ab exordio semper hæretici sunt conati defendere veram Christi ecclesiã apud se permanere. Sub Tertulliani & Irenæi temporibus hæretici, à vera se ecclesia separantes, apud se esse ecclesiam dixerũt. Sic olim
Lib. 4. epist 1. (vt inquit Cyprianus in epist. ad Iubanianũ) Nouatianus simiarũ more, quæ cùm homines non sint, homines imitantur, voluit ecclesiæ catholicæ authoritatẽ vendicare: & cùm ipse in ecclesia non esset, sed cõtra ecclesiã rebellis foret, hoc vnum D
sibi vendicabat, quòd cæteros faciens hæreticos apud se esse ecclesiam defendere præsumeret. Sic & August. contra Donatistas eadem docet suo tempore accidisse,
Contra epist. Petilia. cap. 2. Controuersia (inquit) hęc inter nos est, vbi vera sit Christi ecclesia, vtrùm apud vos, an apud nos. Quatenus ergo valeamus ad huius rei intellectum peruenire facilius: primò de significatione nominis ecclesiæ videamus, ostendentes vnam & eandem esse ecclesiam Dei à principio mundi vsque ad consummationem seculi.
Quid ecclesia. Ecclesia interpretatur cõuentus seu cœtus, à coeundo seu cõueniendo in vnum. per ecclesiæ nomen multorum hominum cõmunitas, vnitas, seu potius vnanimitas designatur. Ecclesia enim generaliter secundùm institutionem accepto vocabulo, est multitudo hominum cõsentientium in vnum, aut conuenientiũ in vnam aliquam societatẽ, veluti cũ dicimus ecclesiã Christi, significamus eos, qui conueniunt in Christo. Et cùm dicimus ecclesiam satanæ, significamus eos, qui conueniunt & consentiũt in satanam, quã & scriptura nominat ecclesiam malignantiũ, & ecclesiam impiorum. Ecclesia aũt sancta, est multitudo quæ sancta vnitate lætatur:
Interpretatio nominis ecclesiæ.

A tatur: vnitate intellecta non secundùm congregationem in vnam patriã aut prouinciam, in vnum corporalem locum, sed secundũ vnionem vnius signaculi fidei, vnius spiritus viuificantis in omni loco & gente, siue se facie nouerint, siue nõ nouerint. Esse in hac ecclesia non exigit certum locum, non tempus, nõ patriam, non gentem, aut cognationem, dicente scriptura: Non est distinctio Iudæi & Græci, non est acceptio personarum apud Deũ, sed in omni gẽte & loco qui timet Deũ, acceptus est illi. Vnde & appellatur ecclesia catholica, id est, vniuersalis, generaliter extendens palmites suos in quælibet loca & tempora, præterita, præsentia, & futura, secundùm seriem successionis nascentiũ & decedentiũ, cõtinuata sub vno duce inuisibili Deo, in vnitate fidei & religionis. Hisce nominum interpretationibus intellectis, operæpretium est declarare vnam esse ecclesiam Christi, quæ secundùm seriem successionis continuata est à principio mundi, vsque in cõsummationem seculi. Quod intelligere facile erit considerantibus fundamenta Christianæ fidei. Adam & Æua cùm ciues essent paradisi, fecerunt se seruos sub potestate diaboli, perijssentq; in æternum & ipsi & eorum posteri, nisi humano generi prouidisset gratia Dei segregantis eam quam prædestinauit ecclesiam Christi sanguine tunc redimendam de potestate diaboli. In Abel & Cain filijs Adæ atque Euæ, cœpit Dei ecclesia esse distincta ab ecclesia satanæ. Ab Adam, Abel iusto, Seth, & Enoch, continuatur ecclesia Dei vsque ad Noe. Sub Noe declaratur manifestissimè, dum ipsa ab ecclesia satanæ diluuio absumpta, in arcam segregata seruatur, inuento Christo gratiæ fundamento, quemadmodum Deus ipse testatur: Noe inuenit gratiam coram me. Vbi cùm adhuc parua & modica esset post diluuium, rursus ecclesiæ diaboli in filijs Noe, in Cam videlicet & Chanaan resuscitatæ, corporaliter permiscetur. Inde secundùm successionem deuoluta vsq; ad domum Abrahæ, sub quo per datum sensibile fidei signaculum iterum manifestatur, & ab ecclesia satanæ secernitur, tam per Noe arcã, quàm per Abrahæ domũ figurata, qualis futura esset in posterum. Abraham cùm septuagintaquinque esset annorum, diuino dignus habetur eloquio: Et quemadmodum dicitur Genes. 12. iubetur egredi de terra sua in terram Chanaan, accipiens promissionem benedictionis futuræ in vniuersas terræ cognationes. Ab hoc anno septuagesimoquinto Abrahæ, vsque ad egressum Moysi, gentisque Hebrææ ex Ægipto, supputantur anni 430. de quibus Exodi 12. & ad Galat. 5. De Abraham per traducem successionis non tam secundùm carnalem propagationem & circuncisionis signaculum, quàm secũdùm imitationem fidei ecclesia deriuatur in Isaac, Iacob, cæterosq; patriarchas, qui pauci numero, vtpote in animabus septuagintaduabus, descenderunt in Ægyptum, vbi & eiusdem ecclesiæ membra honorabantur sub Ioseph
D super Ægyptum principe constituto. Ibidem multiplicati sunt valde eiusdem ecclesiæ filij: inter Ægyptios quidem corporaliter conuersantes, fide tamen & religione ab Ægyptijs segregati. Vnde & tandem sub dura seruitute Pharaonis, molientis hanc ecclesiam Dei extinguere, persequutionem passi profitebantur sese conuenire cum illa fide, cũ illa religione & ecclesia, quæ olim ante se fuerat, id est, cum Abraham, Isaac, & Iacob, Deum suum vocantes, Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob. Huiusmodi ergo ecclesia sic in vnitate fidei eiusdem secundùm successionis seriem, ab Abel continuata vsque ad ingressum filiorum Israel in Ægyptum, & exinde in vnam quandam rempublicam diuinitus congregata, rursus ab impijs segregatur, deducitúrque ex Ægypto per mare rubrum sub Moyse duce, cui loquebatur Deus facie ad faciem, sicut homo ad amicum suum loqui cõsueuerat, vbi & institutis ministrorum Dei, sacerdotũ, pontificũ, Leuitici generis ordinibus, acceptis à Deo iudicijs, ceremonijs, & sacramentis Christi nascituri, per signa & prodigia declaratur eiusdem Moysi cathedra esse
Membra ecclesię nõ loco cõueniũt, sed spiritu & fide.
Act. 10.e
Interpretatio nominis catholicæ ecclesiæ.
Genes. 6. b.
Cathedra Moysi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

veri Dei cathedra, sub qua & tanta & tam ampla fuit respublica, vt numerus filiorum ecclesiæ potentium ad bella procedere, à 20. anno & supra, ascenderet ad tria & sexcenta milia virorum, quingentos & quinquaginta, exceptis viris de Leuitica tribu, quorum officium erat non bellare, sed esse in ministerio Dei, in tabernaculo fœderis, quemadmodum docet scriptura in lib. Numer. cap. 1. numeratione facta sub Moyse, Aaron, & 12. principibus filiorum Israel. Ex Ægypto igitur translata Dei ecclesia, & deducta per desertum, trãsplantatatur tãquam vinea electa in terram promissam Abrahæ, vbi in vnam rempublicam congregata, cœpit crescere sub ducibus, iudicibus & regibus: sed & illic incrassata, impinguata, dilatata, oblita est Dei creatoris sui, & derelinquens illum conuersa ad gentium idola, attritionibus, persecutionibus, bellis & captiuitatibus diuinitus exercetur, varijsque beneficijs expectata & prouocata vt faceret vuas, fecit labruscas. contemnens prophetas & iustos ad se missos: in tantum demum venit odium veritatis & abominationem iusticiæ, vt occideret iusticiæ authorem Christum ad se missum, reprobans verum angularem lapidem verumque fundamentum: facta est eadem Iudæorum synagoga absque fundamento & schismatica, & abscindens se à vero suo capite, repudians verum suum ducem, non amplius habet veræ spiritum vitæ, neque inhabitat veram Dei ciuitatem, neque tenet veram Moysi cathedram, neque verum altare, neque vera sacrificia, neque verum sacerdotium, quemadmodũ diuinitus inspirati prophetæ de illa iam olim prædixerũt, quo fit, vt Deus iam odio habeat calendas, solennitates, victimas & sacrificia plebis Iudaicæ, quæ sanè plebs iã olim sicut Sodoma & Gomorra perijsset, nisi Dominus Sabaoth reliquisset semen, conseruãs ex illa aliquod iustorũ genus, in quibus permaneret vera Dei ecclesia, cui coagularentur gentes, in qua & conseruatũ intelligeretur semẽ Israel, & spiritualis ciuitas sancta Hierusalem, cui & Deus in prophetis loquutus est: Non te deseram, neque derelinquam. Nunquid mulier potest obliuisci infantem? &c. Etsi illa oblita fuerit, ego nõ obliuiscar tui. Hoc autẽ iustorũ genus est ecclesia apostolorum cæterorũq; Iudæorum credẽtium in Christũ, per quos ab Hierusalẽ cœpit vera Christi ecclesia crescere in omnes gẽtes, per vnum semen Christũ Iesum copulantem vtrumque populum in vnum, vt non amplius veri sacrificij locus sit constitutus in sola Hierusalẽ Iudæorum terra, sed in omni loco & gente, iuxta Zachariæ vaticinium: Ponam Hierusalẽ in omnibus gentibus. Ex his infero aliquot conclusiones. Prima est: Ecclesia, quæ cœpit in Adam, Æua, & Abel hæc vsq; tempora manet, neque desijt vnquam, neque transijt in aliam ecclesiam, suã deserens: sed ecclesiæ cæteræ, ab ipso Deo alienæ, transeunt inristam, dum gentes, quæ erant in ecclesia satanæ, illãm deseruerunt, iungentes sese Deo Abraham & apostolicis viris, patriarchis & prophetis. Et ita ecclesia spiritualis Iudæorum ab ecclesia carnali Iudæorum expulsa, creuit in gentem magnam. Secunda conclusio: Hæc diligenter considerata, multùm per omnem modum conferũt ad intellectũ scripturarum, quæ inter sese pugnare uidentur, quibusdam dicentibus domum Israel & domum Iacob deserendam, & fore sterilem: alijs verò dicentibus, domum Iacob neque relinquendam, neque fore vnquam in obliuione apud Deum, sed futurum vt germinet quasi lilium, & extendat palmites suos à mari vsq; ad mare, & in omnes fines terræ: Deserta est carnalis domus Iacob, persistens in legis litera: creuit domus spiritualis Iacob in gentem magnam. Tertia conclusio: Vna & eadem ecclesia idcirco dicitur catholica, quia vniuersalis est, extendens palmites suos in tempora quælibet & loca, vt non sit affixa aut determinata vlli loco, vlli regioni, vlli genti, aut familiæ. Quocunque fueris loco constitutus, secundùm regulam nostri saluatoris, in vno patris, filij & spiritus sancti nomine baptizatus, per spiritum charitatis membrum es ecclesiæ. Quarta conclusio: Quemadmodum humanum

A

B

C

D

Iudæorum synagoga facta schismatica, exuta est omnibus spiritualibus donis.

Cui ecclesiæ facta sint promissiones.

Isaiæ 49.d

Quomodo domus Iacob, & quomõ perpetuò permãsura

num corpus suas habet temporum ætates, vicissitudines, suaq; augmenta, tam secundùm membrorum quantitatem, quàm secundùm sensuum & discretionis incrementa, suis insuper vescitur cibis, nunc istis, nunc alijs, nunc lacte, nunc solido cibo: ita & ecclesia, quæ tanquam vnum est corpus, vna ciuitas, sua habet tempora, suas ætates, & ætatum accessus, suaque incrementa & status. Ante legem modica erat & parvula, sub lege autem aucta, sub euangelio autem tanquam arena maris in omnes gentes multiplicata, varijs tamen zizanijs permixta, tandem tota sub gloria, in cœlo coronata, absque macula & ruga. De ecclesia sub hoc statu gloriæ intelliguntur scripturæ, quæ loquuntur de ecclesia exhibenda sine macula & ruga, & de tollendis omnibus scandalis de regno Dei, & de Hierusalem futura, vt non vltrà pertranseat per illam incircuncisus, & quòd non erit amplius in ea luctus & fletus, aut timor & metus. Ecclesia autem sub hac peregrinatione constituta, nondũ est sine fletu & luctu, nondum sine paleis & zizanijs, nondum sine macula & ruga, etiam in membris viuis. Item secundùm sua incrementa suas habet leges, suos pædagogos, sua alimenta. Proinde & modus quidam viuendi congruebat primitiuæ ecclesiæ Christi, qui nunc ecclesiæ non conueniret, & econtrario: congregato nunc populo Christiano in vnam rempublicam, modus quidam expedit hoc tempore, qui tunc non conueniebat. Et idcirco non oportet ritus in ecclesia Christi primitiua obseruatos à nobis seruari. Inter initia fidei omnes docebant. Omnes de clero (inquit Ambrosius in commentarijs, epist. ad Ephe.) baptizabant, quibuscunque diebus & locis & temporibus fuisset occasio. Neque enim Philippus tempus quæsiuit aut diem, quo eunuchum baptizaret, neque ieiunium interposuit. Adhuc præter septem diaconos, nullus fuerat ordinatus. Vt ergo crescceret atque multiplicaretur ecclesia, omnibus de clero inter initia concessum est & euangelizare, & baptizare, & scripturas in ecclesia explanare. At vbi omnia loca circumplexa est ecclesia, ex tunc constituta sunt conuenticula & rectores, & officia in ecclesia sunt ordinata, vt nullus de clero, qui ordinatus non esset, auderet præsumere officium, quod sciret sibi non esse creditum vel concessum. Et ita cœpit alio ordine & prudentia gubernari ecclesia, quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res, vilissimaque videretur. Hinc est, vt nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici, neque laici baptizant. Hactenus Ambrosij sententiæ. Sic & inter ipsa fidei initia, omnes qui ex Iudæis credebant, viri & mulieres erant pariter, & omnia habebant communia, possessiones & substantias vendebant, & illa omnibus diuidebant, prout cuique opus erat. Sub initijs Christianæ fidei, omnes quidem Christiani spiritu sancto pleni sic faciebant, iungentes se in congregationem Apostolorum: sed non inde consequens est, omnes credentes sic oportuisse facere. Nam in illis primitijs credentium secundùm traditionem sanctorum patrum, docebatur status perfectionis religiosorum. Qui primùm inter Iudæos crediderunt, ex quibus facta est prima ecclesia Hierosolymitana, tam capaces (inquit August.) extiterunt spiritus sancti, vt omnia sua venderent, eorumque precium indigentibus ante Apostolorum pedes distribuendum ponerent, seq; totos dedicarent Deo, tanquam templum nouum, cuius terrenæ imagini, hoc est, templo veteri seruiebant, quòd nullas gentium ecclesias fecisse scriptum est, quia non tam propè inuenti erant, quæ simulachra manu facta habebant Deos. Hæc ille. Bonum erat quod siue Iudæi, siue gentes faciebant, quòd de sua substantia Christo & discipulis necessaria ministrabant: sed melius erat quod faciebant, qui omnem substantiam dimiserunt, vt expeditiores eundem Dominum sequerentur. Proinde Martha & Lazarus, Maria, Zachæus, Ioseph ab Arimathæa, Simon leprosus, cæterique de sua substantia ministrantes Christo, non fuerunt in abrenunciatione temporalium rerum pares Apostolis,

A

B

C

D

CAP. II.

Ecclesia sua habet incremẽta & ætates, quo corpus humanum.

Omnes credẽtes ex Iudæis omnia in initio habebant communia.

Lib 1. de doct. Christ. cap. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS I.

Actuum 10. Act. 9. Act. 10. Actuum 11.

qui non solùm animi affectu, sed & abdicatione proprietatis & dominij reliquerunt omnia. Vnde & ex eisdem apostolorum actis patet Christianos habuisse proprias possessiones & domos. Simon coriarius, apud quem multos dies morabatur Petrus. Item discipula nomine Tabitha, plena operibus bonis & eleemosynis. Cornelius centurio religiosus ac timens Deum. Philippus euangelista, qui erat vnus de septem. Ecclesiæ quoque per loca & ciuitates constitutæ, non ponebant pretia ante pedes apostolorum, omnibus quæ habebant venditis. Neque ipsi apostoli imponebant baptizandis, vt possessiones & domos venderent, sed tantùm vt pœniterent, crederent euangelio, & baptizarentur. Zachæus iustus, non totum, sed dimidium largiens pauperibus, commendatur, & dicitur ei: Iam salus huic domui facta est. Paulus quoque ad discipulum suum loquens Timotheum: Præcipe (inquit) diuitibus huius seculi non alta sapere. non dixit: Præcipe diuitibus huius seculi omnes possessiones & domos vendere & dare pauperibus. In ecclesia dum Christus visibiliter viueret, non opus erat vicarium generalem cæteris apostolis prælatum constituere. Cùm autem iam secundùm corporalem conuersationem abcessurus esset ex hoc mundo ad patrem, vt scismatis tolleretur occasio, expediebat eidem ecclesiæ visibilem habere vicarium toti ecclesiæ præfectum. Sic alias leges aliosque ritus lex olim vetus habuit, alias nunc lex noua. Ecclesia illius legis indigebat sacramentis significantibus seu promittentibus, nunc verò opus habet sacramentis, quæ sunt rerum significatarum & exhibitarum testimonia. Ante legem in gradibus consanguinitatis & affinitatis nonnulla coniugia erant licita, quæ adueniente lege Moysi amplius non licebant. Rursus in lege Moysi multa in gradibus quibusdam fuerunt coniugia licita, quæ aduenientibus legibus humanis facta sunt illicita: quemadmodum probat Augustinus.

Lucæ 19. 2. Timot. 6.

August. 15. de Ciuit. cap. 16.

Item in veteri lege nascebantur sacerdotes ex genere Aaron Leuitæ, neque poterant ex alia tribu consecrari pontifices: nunc autem omnes ex genere sunt sacerdotali, dicente Petro apostolo: Quia estis (inquit) genus electum, & regale sacerdotium. Ideoque ex populo (inquit Ambro.) potest fieri sacerdos. Habes igitur secundùm alium & alium ecclesiæ statum, esse alias & alias leges ac consuetudines. Alius erat Ecclesiæ Romanæ status sub Petro, quando astiterunt reges terræ & imperatores Romanorum, sequentes aduersus Dominum & aduersus Christum eius: alius nunc, cùm reges terræ eruditi suscipiunt, intelligunt, venerantur Dominum, & Iesum Christum eius. Proinde & aliæ humanæ leges illis, aliæ istis (inquit Augustinus) conueniunt temporibus. Quemadmodum iam post lapsum, humana natura est facta mutabilis, & respublica instabilis & variabilis: ita & lex humana, quæ pro loco, tempore, causa, ratione, & personarum qualitate est iusta & æqua, pro alio loco, tempore, causa, & ratione est iniqua. Sunt quæ secundùm locum & tempus fieri pro ecclesia debent, quæ secundùm alia loca & tempora nequaquam licent. Quinta conclusio: Ex scripturis constat duas esse ecclesias, vnam Dei, alteram Diaboli: quæ vocantur duæ ciuitates magnæ, figuratę in duabus ciuitatibus quarum vnam ædificauit Abel, alteram Caim, de quibus August. scripsit grande volumen intitulatum, De ciuitate Dei: quarum vtraque tanquam corpus quoddam crescit vsq; in consummationem seculi. Et quàmuis multæ sint ecclesiæ diaboli inter se fide falsa, deorum cultu & religione dissidentes, omnes tamē sunt voluntati satanæ & desiderijs seruientes. Et idcirco quantūuis videantur inter se contrariæ, omnes sunt vna ecclesia satanæ, quæ tamen semper aduersatur vni ecclesiæ Christianæ. Nullā siquidē condidit Deus ecclesiarū distinctionē, cū omnia fuerint cōdita à Deo bona. Sexta conclusio: Ab initio mundi nondū existentibus prophetis & Apostolis, fuit ecclesia tanquam domus quædam, seu ciuitas fundata super fundamentum prophetarum & apostolorū, hoc est, super Christum, seu (vt ait Ambro-

1. Pet. 2. b

Lib. de correctione Donatistarum, cap 1.

Ambrosius) super doctrinam veteris & noui testamēti. Quòd enim apostoli prædicauerunt, prophetæ futurum dixerunt. Quamobrem & Christus quidem vtriusque testamenti finis est, vtriusq; populi fundamentum, quemadmodum demonstrat Hieron. in commentarijs epist. ad Gala. 4. Ex his ergo manifestum est, veteris & noui testamenti vnam esse ecclesiam catholicam, vtrisque populis habentibus idem fundamentum, idem caput, connexis eodem angulari lapide, redemptis ex eadem captiuitate per eundem saluatorem, viuificatis per eundem fidei spiritum. Vnde & legitur agnus occisus ab origine mundi, propterea quòd virtus passionis sanguinis, & mortis agni huius, fuerit liberationem & æternam salutem operata in cordibus iustorum ab initio mundi credentium & expectantium illum. Et quemadmodum ex euangelijs apostolicisque doctrinis discimus Deum non esse acceptorem personarum vnius gentis, sed eundem diffundere suam gratiam non solùm in vnam religionem & familiam: ita ex veteris paginæ scripturis intelligimus, etiam sub illis seculis gratiam esse dispersam in alias gentes, quàm in populum Israel. Siquidem beatus Iob neque fuit indigena, neque aduena populi Israel, sed vel ex Idumæa gente ducens genus, quintus (vt inquit Origenes) ab Abraham, & tertia generatione (si Augustino credimus) posterior, quàm Israel, ex Idumæa ortus, & ibidem mortuus: vel (vt Hierony. placet) non ex Edom seu Esau, sed ex genere fratris Abrahæ, quem & Philo Iudæus dicit accepisse vxorem Dinam filiam Iacob, qui & secundùm carnem incircuncisus Deo placuit, & secundùm spiritum verus fuit ciuis societatis Israel. Quod diuina (inquit Augustinus) prouidentia factum creditur, vt ex hoc vno sciremus, etiam alias gentes esse potuisse, quæ secundùm Deum viuentes, pertinerent ad societatem spiritualem Israel, & ad semen Abrahæ: non carnaliter, sed quemadmodū Apostolus ait, spiritualiter intellectū: ad quod pertinent omnes, qui aut habent, aut habuerunt fidem Abrahæ in vnum saluatorem, etiam quàmuis secundùm faciem populum Israel non nouerant, quos Deus vocare & illustrare dignabatur, non solùm coagulando eos Iudæorum populo per circuncisionis signaculum, quod nondum quemadmodum nunc baptismus, erat vniuersale sacramentum omni nationi præceptum: sed & inserendo illos ecclesiæ Iudæorum per fidem vbi placuit, quod facere etiam absque visibili sacramento potuit. Itaque sub tempore legis datæ, etiam potuit populus de aliena gente, non subiectus eiusdem legis ceremonijs, absque circuncisionis signo saluus fieri: sed non absque virtute, in eisdem ceremonijs adumbrata. Et ita populus ille circuncisus, quàmuis non complecteretur totam Dei ecclesiam, sic tamen suis ceremonijs cœlitus datis, figurabat illam Christi sanguine redimendam, vt quisquis extra fidem & spem illi populo promissam vitam ageret, membrum nō esset ecclesiæ. Septima conclusio: Quàmuis ante legem & ante circuncisionem datam, nondum fuerit ecclesia Dei per visibile sacramentum ab ecclesia satanæ neque separata, & in vnam rem publicam congregata, neque illis adhuc visibilibus distinctionum signis & ceremonijs figuraliter significata, semper tamen ipsa fuit ab ecclesia satanæ fide & religione distincta. Vtrùm autem ante Abraham & ante diluuium fuerit contra originale peccatū, vllum corporale seu visibile signum quo homines coagulabantur ecclesiæ, sicut circuncisio postmodum erat Abrahæ imperata, & sicut nunc per baptismum homines adgenerantur ecclesiæ, sacra tacet scriptura, sacrificasse tamen illos, & inuocasse nomē Domini, id est, Iesum non tacet. Sunt qui dicunt cum beato Gregorio: Quod valet apud nos aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides parentū, vel pro maiorib? virtus sacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circuncisionis. Sunt alij, qui dicunt solam fidem non suffecisse vnquam sine sensibili signo per intentionem directam & applicatam paruulo. Et hæc videtur Augustini senten-

Communicatio populorū no. & vet. test.

Apoca. 13. b

Rom. 2. b

18. de Ciu. dei cap. 47. To. 4 in quæst. super Gen.

Loco iam citato.

Rom. 9. b

Vtrū ante diluuiū fuerit corporale signum contra peccatum originale

4. moralium cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auguſt. lib. 19 cap 11. contra Fauſtum.

ſententia, dicentis, in nullum nomen religionis ſiue verum, ſiue falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, ſeu viſibilium ſacramẽtorum conſortio colligentur. Sed nec hæc Auguſtini ſententia forſitan conuincit, ante circuncisionem oportuiſſe pro ſpirituali paruulorum regeneratione adhiberi ſenſibile ſignum. Nam aliud eſt, in nomine Chriſtianæ religionis coagulari: quod fieri non poteſt ſine ſenſibili ſigno, quo vt talis appareat nominetur: aliud eſt ex terreſtri vita in cœleſtẽ regenerari, quod fieri poteſt Deo intus inuiſibiliter operãte. Vtrùm ergo in veteri lege pro his, quàmuis circunciſio præcepta non erat, ſolus fidei motus à parente in ſalutem paruuli directus ſuffecerit, quemadmodum ſentire videtur Bernardus, an potius neceſſaria fuerit ſenſibilis quædam proteſtatio fidei paruulo applicata, quia ſacra tacet hiſtoria, non temerè conuenit definire, nec oportet vnam aut alteram ſententiam contemnere, cùm ſcire ſufficiat, neq; paruulum neque adultum potuiſſe vnquam ex eccleſia ſatanæ fieri viuum membrum, niſi per gratiam Dei miſerentis in fide tacita vel expreſſa Chriſti redimentis, & hanc fidem nullo vnquam tempore defuiſſe eccleſiæ, quemadmodũ docet Paulus nos habere eundem fidei ſpiritum, quem & illi. Sed & hic ſciendum, quemadmodum eccleſia Chriſti ſua habet incrementa, ita & fides. Sic docuerunt venerabiles patres, Auguſtinus, Gregorius & Bernardus, docentes ſecundùm incrementa temporum creuiſſe fidem atque ſcientiam ſpiritualium patrum: qui quanto viciniores aduentui Domini extiterunt, tanto myſterium redemptionis plenius perceperunt: quod facilè poterit perſuaſum eſſe nobis conſiderantibus diuerſos eccleſiæ ſtatus. Primus poſt diluuium eccleſiæ ſtatus fuit à diluuio vſque ad Abraham, cui repromiſſionem accipienti aliquid plus de Chriſto eſt reuelatum. Secundus fuit ab ortu Abrahæ vſque ad Moyſen ſub patribus & patriarchis: Abel, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, de quibus dicit ad Moyſen Deus: Nomen meum adonai non indicaui illis. Significans de nomine Dei tetragramaton, quod eſt Ieſus, aliquid plus indicatum eſſe Moyſi, quàm patribus prædeceſſoribus, quàmuis & ipſe Abraham fuerat habitus dignus diuino eloquio, quo nouit ex ſe futurum ſemen, in quo benedicerentur omnes gentes. Tertius eccleſiæ ſtatus fuit in eremo & in terra promiſſionis ſub Moyſe & Ioſue alijsq; iudicibus, vſque ad Saul regem primum Iudæorum. Quartus eccleſiæ ſtatus fuit ſub regibus vſq; ad regni Hebræi diuiſionem. Quintus eccleſiæ ſtatus fuit deinde poſt mortem Salomonis, ſub regni Hebræi diuiſione in duo regna, in regnum ſcilicet Iuda, continens duas tribus Iudę, videlicet & Beniamin, in regnum Iſrael, vel Samariæ, quod erat reliquarum decem tribuum. Sub hoc ſtatu viguerunt prophetæ, fuit quoque tranſlatio regni Iſrael in Medorum & in Perſarum montes ſub Salmanaſar & Sennacherib Aſſyriorum regibus. Iſte ſtatus deſcribitur in 3. & 4. libro Regum, & in ſecundo Paralip. Sextus eccleſiæ ſtatus fuit ſub reditu filiorum Iſrael ex Babylone, ſub ducibus & pontificibus, qui deſcribitur in libris Eſdræ, Neemiæ, Heſter, Iudith & Machabæ. Septimus eccleſiæ ſtatus fuit ſub regibus alienigenis, ablato ſceptro de Iuda, appropinquante aduentu Meſſiæ, in quem pendebant omnia prophetarum vota, qui & ſub hoc ſtatu natus fuit eiuſdem fundator eccleſiæ, in qua natus eſt, iuxta Prophetam: Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. De quo & idem Propheta: Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus. Hic eſt altiſſimi filius, altiſſimo Deo patri æqualis & conſubſtantialis, ab initio vna cum illo iuſtitiæ gratiam operans in omnibus veteris legis hominibus expectantibus ſe, loquens tunc in patribus & prophetis nouiſſimè ex alto deſcendens, ſerui induit formam propria perſona viſitans eandem eccleſiam ſuam, loquens ore proprio, apparens in carne mortali, in qua exoluit debita peccatorum veteris Adæ, & omnium filiorum eius, aperiens ianuam cœleſtis regni, olim clauſam omnibus expectantibus illum

2. Cor. 4. c

Greg. hom 10 ſuper Ezechielem. Bernard. 77.

Octo ſtatus eccleſiæ.

Exod. 6. a

Pſalmo 86. a
Pſalmo 45. a

Hebr. 1. a
Philip. 2. b

illum, completis redemptionis noſtræ officijs remeans in altum, captiuamque ſecum ducens captiuitatem ex inferno liberatam, relicto eccleſiæ in terris vicario, cui claues tradidit regni cœlorum, poteſtatemq; ligandi & ſoluendi in terris, quæ ſoluta & ligata eſſent in cœlis: largiens eidem eccleſiæ in apoſtolis poteſtatem remittendi & retinendi peccata. Octauus eccleſiæ ſtatus incœpit poſt aſcenſionem, dum ipſe eandem eccleſiam in terra Iudæorum adhuc modicam & paruulam à ſe fundatam, induit fortitudine ex alto, faciens eandem ex apoſtolis paucisq; Iudæis credentibus creſcere in gentem magnam, inſerens & coagulans populum gentium eccleſię iuſtorum Iudęorum. Proinde iuſta ratione ſub hoc ſtatu eccleſia dicitur noua Chriſti eccleſia, & primitiua eccleſia, apoſtolica eccleſia, initium ſumens ab Hieruſalem, ſuper petram fundata, eo quòd ſub eadem eccleſia in hoc ſtatu verum iam fundamentum eſt datum, verus angularis lapis olim prouiſſus, iam eſt poſitus, connectens gentium eccleſiam cum eccleſia apoſtolica. Diſpenſata ſunt omnia linguarum dona pro omnibus gentibus in vnitatem fidei congregandis, declarata fuit, adimpleti eſſe omnia prophetarum oracula, & reſerata omnia olim in umbris ac figuris abſcondita atque velata, lex ſpiritus vitæ in cordibus & viſcẽbus eſt ſcripta, repudiata vſque in finem incredula Iudæorum ſynagoga. Vnde congrua ratione tempora huius ſtatus appellantur finis ſeculorum & nouiſſimum tempus, ſiue dies nouiſſimi, propterea quòd hic eſt finis atque interitus rei publicæ Iudæorum, & templi atque ſceptri eorum, in quo fine omne ipſorum bonum euanuit, & venit ſuper eos horribilis nox tenebrarum, poſtquàm repudiauerunt Chriſtum veram lucem, quæ irradiat totum mundum. Vna eſt igitur ſancta Dei eccleſia, quæ ſucceſſione naſcentium & decedentium continuatur à principio vſque in conſummationem ſeculi, ſecundùm quod diuinitus inſpirati prophetæ olim de illa prædixerant: cuius eccleſiæ vnio, ſeu conuentus accipitur non ſecundùm concurſum in vnitatem loci, ſed ſecundùm cõcurſum in vnitatem fidei, ſub vno Deo, ſub vno humani generis redemptore. Sed videbuntur forſitan ſupradictis obuiare argumẽta. Primùm: Chriſtus eſt eccleſiæ caput & angulare fundamentum, non ſecundùm diuinam, ſed ſecundùm humanam naturam: cùm ergo eccleſia non potuit vnquàm eſſe ſine capite & ſine fundamento, conſequens videtur non fuiſſe vnam & eandem eccleſiam Chriſti, antequam naſceretur Chriſtus. Vnde & ipſe factus homo in fine temporum, promiſit ſe ædificaturum eccleſiam ſuam ſupra petram, ſubindicans tunc eccleſiam nondum inchoatam. Secundùm: contra epiſtolam Petiliani demonſtrat Aug. ſcripturæ teſtimonijs eccleſiam ab Hieruſalem incipere, & illinc creſcere in omnes gentes: non potuit igitur eccleſia eſſe priuſquàm eſſet Hieruſalem ciuitas terrena. Tertiùm: Iudæorum ſynagoga, quæ olim fuit ante Chriſtum, prænunciatur in ſcripturis deſerenda & repudianda, Iſaiæ 1. & Matth. 23. ait Chriſtus ad eccleſiam Iudæorum: Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Deinde & Chriſtus in hunc mundum veniens, dicitur feciſſe omnia noua, deiectis lapidibus, fundamentis, & ædificijs veteris ciuitatis, legiturque feciſſe nouum ædificium, nouos lapides, nouos parietes, legem nouam, mandatum nouum, vt noua quoque ſint cantica: Legitur & eccleſia noua eſſe ciuitas, de cœlo deſcendens. Quarta obiectio: Illius veteris legis eccleſiæ nulla eſt vnio ſeu identitas cum ea, quæ nunc eſt, neq; ſecundùm materiam neque ſecundum formam. Non ſecundùm materiam quidem, quia tunc fuerunt alia eccleſiæ membra, quàm nunc ſunt: neque ſecundùm formam, quia tunc aliud ſpiritus, quàm nunc: tunc ſpiritus ſeruitutis in timore, nunc ſpiritus adoptionis filiorum: alia lex, alia præcepta, alia ſacramenta, aliud ſacerdotium, alia viuendi & regendi forma, alij ritus, aliud præmium, quàm nunc. Secundùm doctrinam Pauli apoſtoli, tunc erat lex mortis, miniſtratio damnationis, lex iram operans, lex decidens

Pſal. 67. d & Epheſi. 4. b
Matth. 16. c
Iohan. 20. f
Matth. 18. c

Eccleſia poſt Chriſto dicitur noua & apoſtolica.

Arg. quæ videntur facere contra vnitatem eccleſiæ.

Rom. 8. a
2. Cor. 3. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS I.

cidens, virtus seu fortitudo peccati, lex posita non iusto, sed impijs & adulteris. Lex autem euangelij, dicitur lex pacis & gaudij, intus scripta in visceribus cordis, Præcepta illius ecclesiæ dicuntur esse non bona præcepta, sacramenta in illa ecclesia fuerunt vmbræ & figuræ, fuit & illic graue iugum, vile ac temporale præmium. Huius autem ecclesiæ dicuntur sacramenta gratiæ & veritatis, numero paucissima, iugum suaue, onus leue, magnum insuper & inenarrabile præmium, vtpote regnum cœlorũ. Videtur igitur in veteri lege ecclesia, non posse eadẽ esse cum ista.

Rom. 4. & 7. 2. Cor. 3. a

Christus est & fuit semp fundamentum secũdùm fidem in cordib⁹ credentium, non secundùm ordinem corporalis positionis partium.

Ad primam obiectionem dicimus ipsam non concludere, procedit namque tanquàm fundamentum, caput, & angularis lapis, acciperentur quemadmodum accipiuntur in corporalibus secundùm situm partium, ordinemq; positionis corporalis, cùm tamen omnis ista constructio, & membrorum ecclesiæ compago, fundamentique positio, metaphoricæ intelligantur secundùm fidem in credentium cordibus. Christus cùm nondum factus esset homo, fundamentum erat in cordibus iustorum per spiritum fidei in Iesum, tunc futurum liberatorem. Et huius virtute, quia tunc aderat, sustinens spiritualis ædificij onus, defluebant sensus & motus spiritualis vitæ in viua ecclesiæ membra, idcirco ratione congrua fundamentum appellatur. Nec sequitur: Christus homo fundamentum erat spiritualis vitæ in corde iusti, ergo Christus erat homo. Quàmuis enim Christus nondum fuerat cum suis membris eiusdem naturæ consors, carne nondum assumpta, & idcirco nondum vera vitis eiusdem naturæ cum palmitibus, per ipsum tamen erat eadem in membris ecclesiæ vita, eadem fides, idem spiritus viuificans, eadem diuina virtus secundùm diuinitatem præsens intus baptizans, & purificans in virtute sanguinis Christi tunc futuri, quàmuis nondum fuerit omnium horum donorum æqualis cognitio, nondum luce euangelicæ veritatis demonstrata. Christus ergo non, quia nondum erat filius hominis, idcirco gratiam suam & misericordiam influere in corda suorũ electorum minus potuit. Coram Deo patre iam erant omnia futura redemptionis nostræ opera, languores, quos ipse filius portaturus erat, vulnera, quibus erat vulnerandus, orationes & lachrymæ, iam merita omnia erant illi præsentia, quàmuis nondum exhibita. Ipse filius iam ab æterno pro sua bonitate loquutus erat: Pœnitentiam ego agam pro homine misero, futurus obediens patri vsque ad mortem crucis. Eiusdem igitur Christi & virtute & meritis præuisis, segregata est ab impijs veterum iustorum ecclesia. Proinde & ipse agnus occisus

Apocal. 13. b

legitur ab origine mundi. Quòd autem Christus iam factus homo per verbà futuri temporis dixit: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, significat non quòd ecclesia sua antè non fuerit, sed quòd alterius status & conditionis erat futura, quàm fuerat, dum repudiandis legalibus vmbris, & figuris, & signis, ipsa veritas olim promissa manifestaretur non tam Iudæis, quàm omnibus gentibus. Et huius

Matth. 16. c

consideratione inuenies patres aliquot docentes, ecclesiam Christi initium habuisse ab Hierusalem, intelligentes ecclesiam Christi secundùm alterum quendam incœpisse statum, sub quo impletur promissio facta patriarchis & prophetis, sub quo iam manifestata luce veritatis, euanescebant legales vmbræ & figuræ. Ex eadem radice soluitur obiectio secunda. Ecclesia nempe ab apostolis in Hierusalem cœpta, continuata erat ecclesiæ iustorum Iudæorum credentium, vtpote Simonis iusti, Annæ viduæ, Zachariæ, Elizabet, Nathanael, qui expectãtes Christum, erant iustificati antequàm nasceretur Christus. Gentium autem ecclesia cõtinuata erat Iudæorum ecclesiæ, vtpote apostolorum, & aliorum, qui in Christũ crediderunt. Et ita priusquàm esset terrena Hierusalem, fuerat ecclesia Christi, quàmuis non sub eo statu, sub eaq; perfectione, qua cœpit ab Hierusalem. Ecclesia Christi fuit ab initio mundi in hominibus à peccatis liberatis, in Adam videlicet & Eua, in Abel, Seth, Noe alijsque iustis, non tamen à Christo sortiebatur nomen, quo vocaretur

CAP. I.

retur ecclesia Christiana, priusquam filius Dei æternus fieret Christus, id est, vnctus, & in carne manifestatus. Religio Christiana antiqua res est (inquit Augustinus) sortita est nomen nouum, siquidem in Antiochia primùm vocati sunt discipuli Christiani. Ad tertiam obiectionem dicimus, non totam synagogam Iudæorum esse repudiatam, crediderunt enim Iudæi multi in Christum, vtpote Apostoli & alij, ex quorum fide & doctrina Dei virtus crescere fecit palmites multos, supra arenam maris innumerabiles, & ita Deus non aliam plantauit, sed eam quæ erat, perfecit in eadem vite, qui dicit: Ego sum vitis vera, vos palmites. Quòd autem ecclesia per Christum & Apostolos in Hierusalem cœpta, dicitur noua ecclesia, significat nõ quòd sit ecclesia alia, id est, quæ habeat aliud caput, alium vitæ spiritum, aut quod aliũde hoc habeat, q̃ habuerit prior iustorum ecclesia, sed q̃ impletis iam veteris legis vmbris ac figuris, & luce veritatis olim promissæ iam manifestata nouo quodam ac mirabili modo cœpit apparere in Hierusalem, vt fructum plus afferat, abundè accipiens eundem fidei spiritũ, qui subitò corda adhuc timida & carnalia prorsus transformauit, induens illa virtute ex alto, noua quædam mirabiliaq̃ operans in linguis nouis, in nouis sacramentis, in signis & prodigijs nouis, in doctrina noua, quæ dicitur Euãgelium, tanquam bonum ac magni gaudij nuncium, docens gratiam & veritatem per Iesum Christum esse & adimpletam, & spargendam non modò per Iudæam, sed per vniuersum orbem, donec in omnibus gentibus fuerit manifestata, quemadmodum & olim promissa erat in lege & prophetis, proinde & psallenda esse noua gratiarum actionum contica de tam copiosa redemptione nobis impensa. Est ergo quodam modo eadem ecclesia, & quodã modo altera: quemadmodũ est vnus & idem vitæ iustificandæ spiritus, sed nouos effectus operans, nouas plantationes inserens, nouos palmites germinare faciens, dum gentes, quæ non erant in ecclesia iam sunt ecclesiæ mẽbra: Iudæorum synagoga, quæ olim in ecclesia erat, iam ex parte repudiata, ex parte autem per gentes in omnem terrã ampliata: atq; ita non inde consequens est, non vnam & eandẽ manere ecclesiam, sed eandem esse potius, quæ olim fuit per Christum apparentem in carne ampliata. Vnde & prophetæ hæc in spiritu præuidentes futura, ad ecclesiam loquuntur Iudæorum: Dilata locum tentorij tui, pelles tabernaculorum tuorum extende, semẽ tuum gentes hæreditabit: ecce accola veniet, & aduena adiungetur tibi. Quemadmodum non ideo est alia arbor, quòd in ea noui prodeunt rami: nec idcirco alia est vitis, quòd in ea noui generantur palmites, dum manet identitas arboris, & vitis in virtute trunci & radicis: ita non alia fit ecclesia, supra numerum multiplicatis viuis in illa membris, resecatis palmitibus aridis, qui non vuas sed labruscas faciebant. Vnde & sensus iste ex scripturis manifestus est, quibus conſmonstratur Christus non aliam plantasse vineam, quæ aliam habeat radicem, alium vitæ spiritum: sed ipsam, quæ erat, auxisse, perfecisse, & in melius commutasse: & malis agricolis, perditis, id est, Iudæorum scribis & pontificibus, locasse eandem alijs agricolis, episcopis videlicet ecclesiæ & apostolicis viris, quemadmodum in euangelio legitur: Malos malè perdet, & vineam suam locabit agricolis alijs: non aliam (inquit) vineam plantabit, sed suam (inquit) scilicet olim plantatam alijs locabit. Confirmat sententiam hanc Apostolus Paulus, & propheta. Paulus quidẽ ad Romanos, 11. docens Deũ nõ repulisse plebem suam Israel, quã præsciuit, & gentilem populum oleastrum insertum esse illi plebi tanquam bonæ oliuæ, & ita factum esse socium pinguedinis atq; radicis. Propheta autem dicens: Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentem, & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, propheticos videlicet & sanctos viros, & impleuit terram patribus promissam, extendit palmites suos à mari vsque ad mare: sed vin-

1. Retract. cap. 13.

Ecclesia semper vna & eadem manet.

Iohan. 15. a

Act. 1. b

Matth. 21. d

Psalm 79. b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

demiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Et exterminauit eam aper de sylua, & singularis fera depastus est eam. Verùm ne vinea ista arbitraretur prorsus deserenda, orat in spiritu prophetico, vineam istam visitari, & perfici in virtute filij hominis, id est, Christi ad hoc prædestinati, vt quicunq; inuocauerit nomen eius viuificetur, nõ pereat, & nõ discedat ab eo. Deus virtutũ (inquit) conuertere & respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam, & perfice. Perfice (inquit) eam, non aliam institue, perfice dico super filium hominis, id est, Christum, quem confirmasti tibi tanquam verũ & immobile fundamentũ. Vides igitur vnã & eandem vineam, vbi eædem radices, sub eadem vite & radice Christo, vnum fundamentum, idem spiritus viuificans, vnus Deus & pater omnium per sanguinẽ filij liberatoris omnium iustorum, ex eadem fide in eundem Christum. Vnde & Iudæa (vt inquit Chrysostomus) secundùm Deum mater est gentium. Sic enim dicit ad eam Deus per Isaiam prophetam: Tunc vocaberis ciuitas iustitiæ, & mater ciuitatum, id est, ecclesiarum. Quòd autem dicit saluator: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. significat non quòd hoc in antiqua lege præceptum non sit: Diliges proximum tuum sicut teipsum, non quòd antiqui sancti non sic dilexerunt se inuicem, sed quòd dilectio ista quæ præcipitur, de veteri homine faciat hominem nouum, & ita mandatum hoc dicitur nouum, non tanquam tunc prius non fuerit datum, non quòd apud veteris legis iustos non fuerit charitatis donum, in cordibus eorum diffusum per spiritum sanctum: sed quòd ad impletionem huius mandati, homines expurgato fermento malitiæ & nequitiæ veteris vitæ, quæ est secundùm desideria terrestris seu carnalis Adæ, in nouitatem vitæ spiritualis transformentur, inducentes nouum hominẽ Iesum Christum, vt iam illi viuant. Vnde & ecclesia credentium in veteri lege dicebatur etiam noua, propterea quòd omnia carnalis sanguinis iura, veterisque Adæ desideria exuta, transierãt in nouam quandam cœlestem vitam. Ecclesia verò, quam Iohannes Apocal. 21. describit Hierusalem nouam ciuitatem descendentem de cœlo, dicitur ecclesia in ipso iam iudicio nouissimo constituta, in qua est innouatio perfecta charitate, claraque visione consummata, quæ in hac peregrinatione adhuc sub lachrymis & persecutionibus est constituta, fide, spe, & charitate quadam inchoata, donec fides transeat in visionem, spes in adoptionem eius quod speratur, & charitas secura & æterna pace fruatur. Ad quartam obiectionem dicimus identitatem ecclesiarum particularium considerari secundùm identitatem formarum, vtpote propter eandem fidem, eundẽ spiritum inhabitantem, propter eandem legem intus docentem & adiuuantem, propter eandem spem vocationis ad eandem cœlestem beatitudinem, per eundem redemptorem Christum testificatum in lege & prophetis, & iam datum nobis. Vnde & quæ olim fuerunt ecclesiæ membra, in hodiernum vsque Diem manent mẽbra ecclesiæ Christi: quæ tãetsi transierint ex ecclesia hic peregrinante, non tamen desierunt esse membra in ecclesia Christi: neque enim perierunt, sed secundùm animam mutata sunt in melius secundùm carnem reseruata, corpori claritatis Christi configuranda. Et quis illius ecclesiæ fuerit forinsecus alia viuendi atque regendi forma, alij ritus, aliaque sacramenta, omnia tamen hæc tendebant ad eundem beatitudinis finem obtinendum per eundem Christum redemptorem, secundũ eundem spiritum intus viuificantem & adiuuantem. Quòd autẽ dicitur illa lex esse mortis, lex occidens, iram inferens, ac fortitudo peccati, intelligitur quòd lex illa fuerit Iudæis carnalibus horum malorum occasio. Quemadmodum scientia sine charitate inflat, non efficiendo, sed hominibus elatis corde, inde occasionem sumentibus superbiendi: ita lex illa sine spiritu occidebat, non efficiendo, suggerendo, aut inuitando Iudæos ad peccata, quibus merentur mortem, sed eisdem Iudæis carnalibus occasionem peccandi

Isaiæ. 19 Iohan. 13. d

Declaratur qua ratione mãdatum de dilectione dicatur nouum.

peccandi ex lege illa bona sumentibus. Ad eundem quoque sensum præcepta illa erant non bona hominibus illius ecclesiæ absque spiritu fidei & charitatis viuentibus, ex illa lege non transeuntibus in Christum. Vnde etiam lex decalogi est non bona homini viuenti absque spiritu fidei. Ipsa etiam (vt Aug. docet) est litera occidens homines absque fide carnales, sub eadem lege coactos. Ex lege autem illa tanquam de pædagogo transeuntibus in Christum, lex illa sancta est & bona. Proinde & duorum testamentorum distinctio, quæ in vnitate fidei concordant sub vno duce Christo, non distinctas facit ecclesias, sed vnam: non quòd ille populus veteris legis fuerit iste, qui est nouæ legis populus, sed quòd populi duo fuerint vnus, secundùm fidei spiritum vnus in Christo capite, secundùm cor vnum & animam vnam in Domino.

Aug. de spiritu & lit. c. 14.

Sequitur pars secunda huius capituli secundi.

ACtenus de ecclesia, quænam & qualis sit, & quòd vna & eadem sit ab initio mundi vsque ad consummationem seculi: Iam considerare conuenit, vbi & apud quos huiusmodi ecclesia sit, & qui nam in eadem ecclesia sint, & qui non sint. Quatenus autem hæc fiant manifesta, duodecim præmittemus sententias, ad fidẽ rectã catholicã pertinentes. Prima est: In ecclesia vnumquẽque esse dicimus eo ineffendi modo, secundùm quẽ dicimus partẽ in toto esse, & membrũ in corpore suo. Vnde dicitur ecclesia vnũ corpus, vna ciuitas, vrbs beata Hierusalẽ constructa viuis ex lapidibus, vnus panis, vnũ corpus multi sumus. Et quemadmodũ in corpore vno multa habemus membra, nõ omnia verò eundẽ habẽt actũ: sic & iuxta Pauli Apostoli doctrinã, multi vnũ corpus sumus in Christo Iesu, singuli autẽ alter alterius membra, habentes dona iuxta gratiam nobis datam differentia. Proinde schismaticus est, qui recusat, vt pars seu membrum ecclesiæ viuere & operari. Secunda. Quemadmodum humano corpori plerumq; adhærẽt mẽbra aut mortua, aut arida, aut putrida, aut languida, quæ interdum sunt resecãda, ne alia membra horum putredine inficiantur: interdum verò tolerãda, ne fortè si abscindantur, totũ corpus pereat: quæ etsi non cõmunicent cum mẽbris cæteris in spiritu vitæ, tamẽ colligantia quadam vinis adhærent, & idcirco adhuc etiã dicũtur membra, & esse in corpore partes: sic & suo modo sentiẽdum est de corpore Christi, quod est ecclesia. Firmissimè (inquit August.) credas & nullatenus dubites, aream Dei esse ecclesiam catholicã, & intra eã vsq; in finẽ seculi bonos malis sacramentorũ cõmunione misceri, & in omni professione, siue clericorum, siue monachorũ, siue laicorum bonos simul esse & malos. Ex quo consequens est (inquit) quoldã ita esse in ecclesia Dei, seu in ciuitate Dei, vt & ipsi etiam sint domus Dei, seu templũ spiritus sancti: alios verò esse in domo Dei per colligantiam quandam sacramentorũ, sicut palea est in frumento. Malos esse in ecclesia secundũ quendam ineffendi modum aliũ, q̃ gentes, corporaliter inter membra ecclesiæ habitantes, & ciuiliter cum eisdẽ conuersantes, negare non possumus, docentibus id scripturis apertissimè. Paulus Apostolus Corinthiũ quendam fornicarium iubet tolli, segregari & foras mitti, donec resipiscat. Non iuberet autem tolli illũ & segregari, nisi eum Corinthij intus tolerassent. Proinde & ibidem docet paganos foris esse, & eos non pertinere ad suum iudicium. Deinde & alibi, in magna domo Dei esse vasa, non aurea solũ & argẽtea, sed & lignea atq; fictilia, & quædã in honorẽ, quædã in contumeliã. Quod tractãs August. cõtra Donatistas ex Doctrina Cypriani, interpretatur Apostolũ Paulum, per magnam domũ non aliud intellexisse q̃ ecclesiam, vbi sunt & boni & mali, donec in fine mũdi sicut area ventilata purgentur. Itẽ saluator regnũ cœlorũ. i. ecclesiã in hoc mundo dicit esse similẽ 10. virginibus, & quinque ex eis fatuas esse, quinque prudentes. Rursus regnũ cœlorũ simile est saginæ missæ in mare, cõgreganti

Ecclesia apud quos sit, & qui sint in eadem.

1. Cor. 12 b
Apocal. 21. c
Roman 12. a

Qui recusat vinere vt pars ecclesiæ, est schismaticus.

De fide ad Petrum, cap. 43.

1. Corint. 5. d
Probatur malos esse partẽ & membra ecclesiæ.
2. Timo. 2 c
Aug. de baptismo, lib. 3. cap. 19. d

Matth. 25 a
Matth. 13. f

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex omni genere piſcium, id eſt, bonos piſces & malos. Item docet eccleſiam Chriſti eſſe aream quandam ſeu horreum, in quod colligitur frumentum vnà cũ paleis A
Matth.3.c in die iudicij ſegregandis in ignem inextinguibilem. Item eccleſiam eſſe vineam,
Luc.20.b in qua palmites ſunt, non ſolùm facientes vuas, ſed etiam labruſcas. Manifeſtum
Iſaiæ 5.a autem eſt in præfatis parabolis, neq; collegium decem virginum, neq; ſagenam,
Matth.13.d neq; aream, neque vineam ſignificare totius mundi populum, ſed communitatem quandam à populo toto ſegregatam. Verum quidem eſt, quòd ager, quemadmodum interpretatur ſaluator, intelligitur totus hic mundus, per quem eccleſia dominica fuerat ſeminanda, ſicut & per totum mundum ſuperſeminanda erant zizania, tamen ſeges ipſa intelligitur eccleſia. Ex ſcripturis igitur manifeſtiſſimis diſcimus ſecundùm quendam ineſſendi modum, etiam ſceleratos peccatores eſſe in eccleſia Chriſti. Hic iam ſi roges, cur illi peccatores magis dicantur eſſe ec- B
cleſiæ membra, q̃ hæretici & pagani ac ſchiſmatici, cùm ſint vacui charitate, &
1.Corint.12.d nullum exerceant ſpiritualis vitæ opus, ſecundùm doctrinam Apoſtoli Pauli: Si gaudet vnum membrum, cõgaudent omnia membra: ſi patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Videtur ergo non eſſe membrum in corpore Chriſti, quod eſt mortuum & vacuum charitate, nullum habens ſpiritualis vitæ officium. Deinde Apoſtolus multis in locis iuſſit non conuerſari, nec etiam co-
1 Corint.5.c medere & bibere cum auaris, ebrioſis, & fornicarijs: quomodo ergo poſſunt eſſe
2. Corint. 6 c vnius ſocietatis membra, qui non poſſunt vllum ſimul habere commercium? quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ coniunctio Chriſti ad Belial? Tertio, omnis talis cùm non habeat ſpiritum Chriſti, ſpiritum habet diaboli, eſt ergo membrum in corpore diaboli, non in corpore Chriſti. Vos ex patre diabolo eſtis, in-
Iohan.8.f quit ſaluator. Quarto, quomodo poſſunt in eccleſia eſſe, qui non habent C
Chriſtum tanquam caput & fundamentum? Non exiſtimo quenquã (inquit Auguſtinus) ita deſipere, vt credat ad eccleſiæ vnitatem pertinere eum, qui non ha-
Augu. contra Crecomũ lib, 1.cap.19.b bet charitatem. Sed hic cõſideranda eſt doctrina Pauli Apoſtoli. Viſibilia pieta-
2.Timot 1.a tis ſacramenta ineſſe etiam poſſunt impijs, de quibus dicitur: Habentes formam
Actuum.8.e pietatis, virtutem autem eius abnegãtes. ſicut ſanctum Baptiſma habuiſſe legimus
Matth.15.a Simonem Magum. Pro ſolutione igitur horum conſideranda eſt doctrina ſaluatoris, vbi ſuprà docentis in regno cœlorum, quod eſt eccleſia, etiã ſatuas eſſe virgines, & in area eſſe zizania, & in ſagena piſces interdum mortuos. Vnde & huius
Auguſt.lib.4. cõtrà Donatiſtas,cap.12. conſideratione Auguſt. docet eſſe in domo Dei, ſeu eſſe in eccleſia, bifariam dici: vno modo eſſe in ea tanquã membrũ in cõpage iuſtitiæ, particeps videlicet ſpiritualis vitæ, hoc eſt, cohærens cæteris membris in ſpiritu charitatis: alio modo eſſe in domo Dei, ſiue eccleſia, eſt adherere membris eccleſiæ, ſicut palea tritico.
Quomõ mali In eccleſia ſunt & quãm diu in ea manent. Sic omnes qui habẽtur tanquã ſacramẽto fidei viſibiliter aſſcripti eccleſiæ, ſecun- D
dùm pacem quandam corporaliter cum Chriſtiano populo conuerſantes, dicuntur eſſe in eccleſia, donec vel iudicio eccleſiæ ſeparentur, vel ſua ſponte exeant, ipſam eccleſiam contemnentes & perſequentes. Et ita pagani cùm eccleſiã Dei vel contemnant, vel non cognoſcant, & nõ ſint ſecũdùm eandem viſibilem religionis Chriſtianæ & ſacramenti formam, eccleſiæ coagulati, dicuntur nec eſſe in eccleſia, nec vnquã fuiſſe. Hæretici autẽ & ſchiſmatici ſua ſpõte eccleſiã deſerunt, & ita exeuntes ab eccleſia ſunt ſeparati. Cæteri autẽ Chriſtiani peccatores, auari, fornicarij, qui in eccleſia carnaliter viuũt, licet intus ſeparati ſint, non colligati vnitati ſpiritus & vinculo charitatis, corporaliter tamen manẽt coniuncti, cohærẽtes cæteris membris ſecundùm viſibilem quandã Chriſtianæ fidei formam. Tales non occultos ſolũ, ſed & manifeſtos peccatores eſſe in eccleſia negare nõ poſſumus, ſupradictis ſcripturis ſacris manifeſtiſſimè obuiantibus. Proinde & dicere in eccleſia poſſe eſſe peccatores occultos, nõ aũt manifeſtos, eſt hæreſis Donatiſtarũ, olim ſub

A ſub Auguſtini ſeculo damnata à patribus. Docet id Auguſtinus in epiſtola ad Donatiſtas poſt collationem per totam epiſtolam, addens hanc doctrinam, non eſſe ab humano ſenſu confictam, ſed apoſtolicam, & ſcripturis ſacris fundatam & manifeſtam ex euangelio & doctrina Apoſtoli pauli. Ex euangelio quidem per claues eccleſiæ ttaditas, quas ad ligandum & ſoluendum ſuſcepit eccleſia.
Vnde frater peccans in nos, non ob id mox foris eſſe legitur, ſed toleratur donec Matth.18.b primùm monitus inter nos & ipſum ſolum, poſtea denunciatus contempſerit iudicium eccleſiæ. Iam vbi contempſerit, habendus eſt tanquam ethnicus & publicanus, id eſt, habendus eſt tanquam foris, & à conſortio Chriſtianæ eccleſiæ prorſus alienus. Sequitur ergo fratrem peccantem eſſe in eccleſia, donec iudicium ec-
cleſiæ contemnens ſeparetur. Item Paulus obiurgat illos, qui fornicarium quen- 1.Cor,5.a
dam publicum in eccleſia tolerabant, iubens illum tolli ſeu auferri, & extra eccle-
B ſiam fieri. Paganos autẽ & infideles foris eſſe, & ita non pertinere illos ad eccleſiæ iudicium. In 2. verò ad Corinth. ſubindicat eundem fornicariũ pœnitentia peracta rurſus receptum ad eccleſiæ gremium. Eccleſia igitur gladio cenſuræ ſuæ ſeu clauium ſuarum poteſtate eiecit ac ſeparat à ſe quædam ſua membra, nõ quòd illa adhuc viua, faciat aut mortua, aut arida, aut eſſe à ſpiritu vitæ ſeparata, ſed ꝓ corporis ſui communionem ſubtrahit illis, iam intus mortuis, intus ſeparatis, & in ſua contumacia perſiſtentibus. Huiuſmodi enim ſeparatio, eiectio, ſeu excom- Quid operatur excommunicatio.
municatio non lætifera, non mortalis, ſed medicinalis eſt, vel ei qui eiicitur, vel cæteris membris. Et cùm in argumento aſſumitur: Non poteſt eſſe eccleſiæ membrum, quod nulla fungitur ſpiritualis vitæ officio. Reſpondeo, quòd in eccleſia per membra ſic intus ſeparata, aguntur forinſecus multa eccleſiæ myſteria,
C quæ ſiue per membra intus mortua, ſiue per membra viua fiant, proſunt per illos dignè ſumentibus ſeu vtentibus. Inter Apoſtolos Iudas, & inter diſcipulos alij quidam non ex zelo, ſed per inuidiam & contentionem euangelizantes & baptizantes, profuerunt populo in eccleſia tolerati: Ita non eſt inconueniens eũ qui intus eſt membrum in corpore ſeu in eccleſia diaboli, forinſecus eſſe in eccleſia Dei, dum neque contemnens eſt Chriſtianæ religionis eccleſiam aut fidem, neque adhuc ab eccleſia contemptus eſt atque reiectus. Ad teſtimonia ſcripturæ dicimus, quòd iuſſiones & prohibitiones Pauli iubentis, vt abſtrahamus nos ab 1.Corint.5.b
omni fratre carnaliter viuente, vt neque cibum cum eo ſumamus, neq; potũ: cauſas habent videlicet lucrum & cuſtodiam charitatis. Lucrum quidem, vt eũ quem vitamus lucrifaciamus, vt confuſus tandem reſipiſcat, & ſpiritus ſaluus ſiat: cuſtodiam verò charitatis in nobis, & in cæteris, ne interficiamur ex praua alterius ſocietate. His ſimilibusque cauſis ceſſantibus, ceſſant (inquit Auguſtinus) & prohi-
D bitiones ipſæ. Nam & ſaluator cum publicanis & peccatoribus manducabat, vt Matth.11.d
eos lucrifaceret. Iuſſit etiam tolerare vſque ad tempus zizania, ne conculcaretur 2.Cor.6.e
triticum. Scripturæ autem, quæ loquuntur de communione, conuentione & ſocietate lucis cum tenebris, intelliguntur de communione & ſocietate non corporaliter, ſed ſpiritualiter intellecta, id eſt, de cõmunione, quæ eſt non ſecundùm corporalem, ſed ſecundũ ſpiritualem ſocietatem, qualis eſt ea, qua aut fouetur impietas, aut fauetur eidem, tacendo, approbando, correctionem negligendo. Deinde & hoc ſciendum, quòd Apoſtolus Paulus iubens non ſumere cibum cũ peccatore, ſed abſtrahere, loquitur toti eccleſiæ aut Corinthiorũ, aut aliorũ, quorum officium eſt, vt per cenſurã eccleſiaſticã coerceant malos & contumaces, quemad-
modum cùm ait: Auferte malum à vobiſmetipſis. Verbum apoſtoli dicentis: Si 1.Corinth.5.e
gaudet vnum membrum, congaudeant omnia mẽbra. planè intelligitur de membris, quæ habent ſenſum, & motum ſpiritualis vitæ, qualia ſunt membra viua. Manifeſta eſt itaque veritas ſententiæ primæ & ſecundæ. Tertia ſententia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS. II.

Quemadmodum Dominus noster Iesus honorauit suum sacerdotium, & suam ecclesiam apud Iudæos, in cuius cathedra sedebant sacerdotes impij, scribæ & pharisæi, præcipiens leprosis: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Quæ dicunt facite. ita & nunc ecclesia Christi honoranda est, & non ob id deserenda, quòd in illius cathedra videamus interdum sceleratos præsidere pontifices. Proinde quemadmodum in veteri lege iuxta saluatoris doctrinam, non erat recedendum à cathedra Moysi propter malitiam sedentium in illa: ita nec nunc recedendum est ab ecclesia apostolica, quàmuis in ea secundùm visibilem sacramentorũ faciem, corporalemque conuersationem commixta esse videamus zizania, sicut in arca Noe animalia munda simul erant cum immundis: quod & saluator, quemadmodum iam diximus, in euangelijs demonstrauit, corporalibus exemplis docens, in area frumentum esse simul cum palea, & in vinea palmites aridos adhærere viti, & in sagena cõgregari pisces bonos & malos, & inter virgines euntes obuiã sponso & sponsæ, quinque esse fatuas, & quinque prudentes. Ex quibus parabolis discimus, in ecclesia Dei secundùm quẽdam inesiendi modum, etiam membra esse praua, vitiata, arida, & mortua. Verùm in omnibus (inquit Augustinus) tenenda est beatissimi Cypriani plenissima charitatis pietatisque sententia, dicentis: Quanquam in ecclesia videamus esse zizania, non tamen deber perturbari aut fides aut charitas nostra, neque de ecclesia ipsi recedere debemus ob id, quòd zizania in ecclesia esse cernimus, quemadmodum ad suos discipulos ait saluator: Nolite eradicare zizania, ne simul conculcetis & triticum. Sinite vtraque crescere vsq; ad messem, id est, vsque ad consummationem seculi. Quarta sententia:

Quemadmodum constat apud veteris legis populum omnes ecclesias post Moysen professione fidei & religionis, per tempora sibi inuicem succedentes inter se conuenisse, & cum illa ecclesia mansisse, in qua permanebat Moysi cathedra, sicut & Moyses in illa ecclesia manebat, in qua fides & doctrina erat suorum antecessorum, Noe, Abraham, Isaac, ita iam omnes post Christum ecclesias oportet conspirare cum ecclesia, quæ erat in Christo apostolica, quæ erat & ecclesia Petri, Iesu christi vicarij, cui Christus ex hoc mundo abcessurus delegauit eiusdem suæ ecclesiæ curam, dicẽs illi: Petre pasce oues meas. Idcirco ecclesia nunc Christiana est inter illos, apud quos est fides, doctrina, & cathedra apostolica. Et quemadmodum tunc non poterat esse vlla Christi ecclesia à cathedra Petri segregata, ab ecclesia apostolorum aliena: ita nec nunc potest esse vera Christi ecclesia, quæ se separat & seiungit ab ea, apud quam est Petri cathedra. Nam & spiritus sanctus remittens peccata, non alibi residet, quam apud ecclesiam apostolicam, cui dixit Iesus: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hic spiritus copulat & sociat omnia ecclesiæ membra, non secundùm corporalem congregationem in vnam patriam, prouinciam, aut regionẽ, sed secundùm spiritualem copulam in vno fidei sacramento, in vna professione, in vno grege, in vno ouili, sub vno pastore, sub vna cathedra, quæ est & cathedra illius, cui dixit Christus: Tibi dabo claues regni cœlorum, &c, Petre pasce oues meas. Quæ verba, si Cypriano cæterisque ecclesiæ patribus credimus, dixit ad omnes futuros tũc præpositos, qui Petro vicaria ordinatione succedunt. Non potest igitur vera esse Christi ecclesia, quæ separat se à Petri cathedra. Quinta sententia: Quàmuis non omnes pontifices, etiam rita ordinatione sedentes in apostolorum cathedra, habeant spiritum, quo ipsi sunt sanctificati & iusti, omnes tamen, quandiu ab ecclesia intus tolerantur, habent spiritum sanctum per eorum ministeria, in ecclesia remittentem peccata. Omnia sacramenta cùm obsunt (inquit Augustinus) indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus. Christus, cùm circuncidendus, & offerendum esset pro illo legale sacrificium, non spernebat sacramen-

ta

Luc. 17. d
Matth. 23. a
Genesis 7. a
Lib. 4. contra Donatist. c. 12.
Matth 13 d
Non potest vera Christi esse ecclesia, quę se separat à cathedra Petri.
Iohannis 20. e
Matth 16 c Iohan. 21. e
Lib. 7 contra Donatist. cap vlt. & lib de vnico baptismo contra Petilianum.

sacramenta Iudæorum sacerdotum, non deuitabat Iudęorum templum, quod vocabatur ab illo spelunca latronum, in quod boni & mali intrabant. Vnde & ipse cum suo traditore vsque ad vltimum vixit osculum. Cyprianus cum auaris & rapacibus, non solùm laicis & clericis, sed & episcopis (inquit August.) atque pontificibus panem Domini manducabat, & calicem bibebat: nec tamen terrebatur verbo Apostoli iubentis non commisceri illis, nec cibum sumere: sufficiebat enim illi à talibus corde seiungi, vita & moribus distingui, qui non poterat ab eis corporaliter separari, non poterat communionem eorum in sacramentis dandis & accipiendis vitare. Aliud est currere cum fure ad furandum: aliud est currere cum fure in templum ad orandum, & accipiẽdum sacrum: aliud est cum adulteris portionem ponere in fauorem vel promotionem adulterij: aliud cum adultero manducare, bibere, & accipere ab eo sanctum. Augustinus: Si ad hominem (inquit) baptizandum, & sanctificandum sacramentum, quod accipitur tanto melius est, quanto est melior per quem traditur: tanta erit in accipientibus baptismorum varietas, quanta in ministris meritorum diuersitas. Meliorem igitur baptismum dedit Paulus, quàm Apollo, qui meritis inferior erat Paulo. Hoc autem falsum est & contrarium doctrinæ eiusdem Pauli, qui huiuscemodi errorem describens in epistola. 1. ad Corinth. aduersus eos clamat, qui iam schismata cœperant facere in ecclesia, arbitrantes sacramenta esse inæqualia, propter diuersa ministrorum merita. Cùm sit (inquit) inter vos zelus & contentio, nónne homines estis? nonne carnales estis? Et subijciens quænam fuerit huiusmodi contentio: Cur (inquit) dicit quis, ego sum Pauli, ego Apollo, nónne secundùm hominem ambulatis? Gratias ago, quòd neminem vestrum baptizaui, ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati estis. Non est ponenda in homine spes, sed in eo de quo dicitur: Hic est qui baptizat. Et idcirco non est melius sacramẽtum, quod per meliorẽ datur: nec deterius, quod per deteriorem datur. Neque enim qui plantat aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Maledictus qui spem ponit in homine, Sacerdos immundus si baptizat, mundatur baptizatus, non ab immundo, sed à Christo, qui intus baptizat in homine. Quid est Paulus, quid Apollo, quid alius quiuis sacerdos, nisi ministri eius, qui intus lauat, intus incrementum donat? Dicemus autem de his latius in libro de libertate Christiana. Sexta sententia.

Non idcirco apud hæreticos & scismaticos, aut alios quoslibet sese ab ecclesia Petri separantes, arbitrandum est veram esse ecclesiam, quòd vera habeant sacramenta, vera quatuor euangelia, vnius veri Dei cultum, verum Christiani signaculum, vera altaris sacrificia. Nam & in his qui sunt extra ecclesiam, possunt omnia illa esse vera, ipsa tamen nequaquam prodesse possunt vllis extra ecclesiam permanentibus. Extra ecclesiam nulli prodest etiam verum sacrificium. Olim prohibuit Deus fieri sacrificium extra tabernaculum, cui postea templum successit in Hierusalem, & in vtroque ecclesia Christi intelligitur figurata: vt sciamus extra societatem ecclesiæ non esse locum veri sacrificij. Verùm nunc sicut in omni loco & gente potest sancta esse ecclesia, ita & in omni loco possumus vera habere altaria, verumque offerre sacrificium in societate ecclesiæ permanentes. Cùm factus est Emanuel Dei filius, huius templum simul omnes, & singuli templa (vt inquit Apost.) sumus sancti spiritus. Cùm habemus ad illum corda sursum, eius altaria sunt corda nostra, ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne feruidæ charitatis, quàmuis sit rationabili lege ab ecclesia constitutum vnicum illud magnum sacrificium, Christum per vniuersum orbem quotidie in ecclesia pro viuis & mortuis sacramentaliter celebratũ, non debere fieri, nisi in locis Deo dedicatis, & à ministris ad officium id celebrandum consecratis: quemadmodum olim in veteri lege Dathan & Abyron sua authoritate arripientes thuribula, Deo

August. 3 lib. contra Cresconium cap. 6.
1. Corinth. 3 a
Non oportet ibi esse ecclesiã vbi est vnius Dei veri cultus, vbi sunt sacramenta, vbi quatuor euangelia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vero obtulerunt sacrificia, sed non ob id rectè sacrificauerunt: ita & extra Petri cathedram & apostolicam ecclesiam quàmuis interdum à quibusdam verus colatur Deus, habeantur & nonnunquam vera sacramenta, vera altaris sacrificia, extra tamen hanc ecclesiam, neque salubriter, neque vtiliter hæc habentur. Baptisma (inquit August.) apud hæreticos & scismaticos manet ratum, & ab ipsis ministratum, suum operatur effectum in eo, qui aut ignoranter, aut ex necessitate quadam ab illis recepit, si illam retineat ecclesiam, quam Cyprianus non deseruit, qui errore quodam deceptus, hæreticorum & scismaticorum sacramenta esse irrita & inania non pertinaciter censuit. Vera igitur catholica ecclesia est, non extra quam non colitur verus Deus, non extra quam non habentur vera Dei euangelia, vera sacramenta, vera altaris sacrificia, sed extra quam neq; salubriter colitur vnus verus Deus, neq; salubriter & vtiliter habentur vera euangelia & sacramenta. Et ita quemadmodum non omnes fiunt salui, qui secundùm visibilem quandam sacramentorum formam in ecclesia colligati, præstant se cæteris secundùm conuersationem corporalem similes in ritibus & ceremonijs, veluti qui sunt palmites arescentes, putridi, non adhærentes viti & capiti suo Christo, non manentes socij pinguedinis oliuæ: ita extra hanc ecclesiam nemo (quantumlibet laudabiliter se viuere existimet) saluus fieri potest. Septima sententia:

In epist. 48 ad Vincentium & in lib. contra Donatist. & Permenianū.

Quàmuis in his, qui sunt extra ecclesiam, vera sunt quę ministrantur sacramẽta, & vera est apud eos Eucharistia, verum chrisma, verum baptisma: tamen non est apud eos super membra ecclesiæ potestas vlla ecclesiastica, non ius vtendi sacramento. Errauit hac in re iam olim diuus Cyprianus: qui etsi rectè sensit, tradens baptismum à prauis ministris exhibitum, quàm diu in ecclesia tolerantur esse ratum: tamen non rectè sensit, tradens sacramentum ab his qui sunt extra ecclesiam vtpote hæreticis, & scismaticis administratum, esse nullum. Et quia hanc suam sententiam erroneam nondum ecclesiæ definitione lucidatam, non pertinaciter, sed sub iudicio eiusdem tenuit ecclesiæ, idcirco in vnione mansit & pace.

Quàmuis extra ecclesiã sint sacramẽta, nõ tamen iurisdictio.

Octaua sententia: Quemadmodum ecclesia à Iesu Christo corporali præsentia ædificata, secundùm iustitiam in lege & prophetis olim promissam, & pollicitam in vnitate fidei, & fraternę societatis colligata fuit ecclesiæ, quæ sub Moyse erat, propter quod & ipse Christus in scripturis lapis angularis vocatur, vtpote cõnectens vtriusq; testamenti patres: ita & ecclesia vera, quæ nunc est in terris nobiscum, secundùm corporalem præsentiam continuatur ecclesiæ à Christo Iesu in apostolis cœptę. Vnde & Christus in monte coram vtriusq; patribus testamenti cœlitus transfigurauit semetipsum, loquens cum Moyse, Helia & Apostolis, vt significaret se esse vnum & eundem, qui olim multifariè multisque modis loquutus in Moyse & Helia, cæterisq; prophetis, nouissimè loquutus est in suis apostolis & discipulis. Nona sententia: Ea quæ nunc est ecclesia ex scripturis sacris inuenitur & certò cognoscitur, & idcirco hæreticis rogantibus nos vbi nam sit ecclesia, & apud quos, vbi nam incœperit, respondendum est, quemadmodũ & olim tradiderunt patres, ecclesia quæ nunc est, ex scripturis sacris quærenda est. Omnes prophetæ loquuti sunt de Christo & ecclesia eius: sed obscurius (inquit Augustinus) dixerunt de Christo, quàm de ecclesia Christi: in spiritu præuidentes contra Christi ecclesiam homines facturos esse scismata, de Christo autem non tantam litem habituros, qui tamen de ecclesia magnas contentiones essent excitaturi. Idcirco illud, vnde maiores lites erant futuræ, planius prædictũ, & apertiùs esse prophetatum, vt ad iudicium illis valeat, qui viderunt intusque fuerunt, & fugerunt foras. Ecclesia prænunciatur futura non solùm in spiritu, occulta, mathematica, inuisibilis, sed ciuitas magna, ciuitas supra montem posita, quæ abscondi non potest, ciuitas ad quam fluant omnes gentes, ciuitas cui & denunciare oportet fratrem

Ephe. 2 g. & Isa. 8 2. & Psal. 117. c

Matth 17. a. & Marc 9. a

Ecclesiam non esse inuisibilẽ scripturis declaratur.

CAP. II.

fratrem peccantem, quam & audire oportet in prælatis loquentem & præcipientem. Dic ecclesiæ, inquit saluator, si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Istam ecclesiam Dominus noster prænunciauit ab Hierusalem incipientem crescere, donec perueniat in omnes gentes. Prædicabitur, inquit, euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio, id est, finis seculi. Et alibi: Oportebat Christum pati, & in nomine eius prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma, vt impleretur vaticinium Isaiæ: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Sic & Christus suis præcepit apostolis: Eritis mihi testes in Hierusalem, in Iudæa & Samaria vsque ad vltimum terræ. Omnes gentes venient, inquit propheta, & adorabunt coram te Domine, à solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini, Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. In his sacris literis didicerunt, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus ecclesiam Christi esse quæ ramos suos & palmites per vniuersam terram extendit. Sunt qui putant prophetiam hanc saluatoris docentis euangelium regni in toto orbe esse prædicandum, longo pòst tempore completam, aut fore adhuc complendam. Sunt alij, qui arbitrantur eam per ipsos apostolos esse cõpletam: sicut Ambrosius sentire videtur super capite decimo in epistola ad Romanos. Sed huic posteriori sententiæ non consentiunt patres, Origenes & Augustinus, existimantes suis seculis nõnullas fuisse nationes, quæ tunc nondum audierant euangelium regni seu Christianitatis verbum prædicari. Vnde Augustinus ad Hesitium: Non ita dictum est apostolis, Eritis mihi testes vsque ad extremum terræ, tanquàm ipsi soli apostoli, quibus tunc loquebatur, totum mundum fuerint impleturi: sed sicut eis solùm videtur dixisse, Ego vobiscum sum vsque in consummationem seculi. quod tamen ecclesiæ promisit: ita hæc scriptura est accipienda. Hierony. pro suo seculo sic loquitur: *Signum dominici aduentus est, euangelium in toto orbe prædicari credimus, quod aut iam completum, aut in breui complendum esse vt nullus sit excusabilis.* Non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ ignoret Christi nomen. Et quanquàm non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare. Hæc autem sententia quibusdã videtur posse probari ex doctrina Pauli apostoli, qui planè videtur tradere hanc prophetiam suo tempore fuisse completam, ad Romanos scribens: Fides, inquit, vestra annunciatur in vniuerso mundo. & ad Coloss. primo: *Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe euangelij, quod audistis, quod prędicatum est, vniuersæ creaturæ, quæ sub cœlo est.* Sed hoc discutere nihil confert ad intellectum præsentis negotij, quoniam euangelium Christi, si nondum sit prædicatum per omnes gentes, oportet ante finem mundi prædicatum esse. Decima sententia: Quemadmodum qui de ecclesiæ capite, quod est Christus, à scripturis sacris dissentiunt, non sunt in ecclesia, etiam si in locis inueniantur vbi est ecclesia: ita quicunque De Christi corpore quod est ecclesia, à scripturis sacris dissentiunt, etiam si de diuinitate & humanitate Christi rectè sentiant, non sunt in ecclesia. De Christi corpore quod est ecclesia, malè sentiũt, qui arbitrantur ecclesiam Christi aut esse vbi non est, aut non esse vbi est, veluti sunt, primùm, qui dicunt ecclesiam Christi non posse esse vbi zizania permittuntur crescere cum tritico, vbi scelerati homines permittuntur viuere in communione iustorum. Deinde qui dicunt non esse ecclesiam cui pręsident pastores, & pontifices, superbi, auari, aut aliter perditis moribus Deum stimulantes. Tertiò qui dicunt ecclesiam Christi non esse, cuius membra, & præsertim pastores & pontifices habent temporalium rerum proprietatem, aut villas, aut temporales possessiones, & sic de alijs erroribus, quorum doctrinæ contrariæ fuerunt

Matth. 18. c

Matth. 24. b
Marc. 14. a

Luc. 24. d

Esa. 2. a
Act. 1. b
Psal 85. b
Psal. 106. a
Psal. 71. b

An euãgelium tempore apostolorum fuerit in toto orbe prædicatũ.

Act. 1. b

Rom. 1. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt iam olim per vniuersam ecclesiam à sanctis patribus creditæ & obseruatæ, omni dubitatione semota. Contra primum errorem dicit saluator: Nolite eradicare zizania, nec simul conculcetis & triticum, finite vtraque crescere. Contra secundum dicit: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Quæ dicunt facite, secundùm opera eorum nolite facere. Contra tertium Paulus loquitur ad Timotheũ: Præcipe diuitibus huius seculi non alta sapere & cætera. Item: Oportet episcopũ Domui suæ bene esse præpositum, hospitalem. Vnde & Christus loculos habuit, in quibus collectã reportaret pecuniam. Paulus laborabat manibus, vt haberet propria quibus viueret. Si nihil reponendum est in crastinum, inquit Augustinus, cur apostoli sic indigentes sanctorum necessaria procurabant ne quid deesset in posterum. Ex hac sententia discimus, aliud esse de his qui Christum offendunt per malam vitam, non deserentes tamen fidem: aliud de his, qui Christum offendunt apostatantes à fide, vtpote malè sentientes de Christo, aut de illius ecclesia: vtrumque est fidei, & credere in Iesum Christum Dominum nostrum, & credere sanctam ecclesiam catholicam. Ex supradictis opponet fortassis quispiam & dicet: Huius temporis ecclesiam Romano pontifici subiectam, non esse veram Christi ecclesiam, cùm sit localis, & diuisa in vnum angulum Europæ:

Ecclesia autem Christi secundùm supradictam sententiam, oportet esse catholicam, id est, vniuersalem, & per totum mundum dilatatam: quam & Augustinus contra Parmenianum, aliisque in locis plurimis probat oportere crescere vsq; ad consummationem seculi. Discipulis interrogantibus de consummatione seculi, respondebat Christus: Oportet euangelium in vniuerso orbe prædicari, & tunc erit consummatio. Quòd si dixeris iam olim prophetias similes esse completas, & per totum mundum euangelium aliquando esse prædicatum, sed nunc de cætero mũdo ecclesiam perisse, & in parte Romanæ ecclesiæ sola Europa remansisse, iam videris incidere in errorem Petiliani Donatistæ, interpretãtis scripturas, quæ docent ecclesiam per totum orbem diffundi, iam olim esse completas, & orbem terrarũ iam apostatasse, & remansisse in parte Donati, in sola Africa. Quam Petiliani interpretationem arguens Augustinus, ex scripturis, docet vtrumque genus, tam triticum scilicet quàm zizania, id est, tam genus iustorum, quàm generationem impiorum, per totum mundum vsq; in consummationem seculi, permansurum. Regnum Messiæ, quod est ecclesia Christi, in scripturis prænunciatur futurum esse tale, quod complecteretur omnes filios Israel, & ad quod venirent omnes gentes in montẽ sanctũ Hierusalem, dicente Isaia propheta: Fluent ad eum omnes gentes. & alibi: In Domino laudabitur & iustificabitur omne semen Israel. Item Michea: Congregatione congregabo Iacob totum, & in vnum cõducam reliquias Israel. Cùm igitur non videmus præsentem Christi ecclesiam complecti. neque omnes gentes, neq; omne semen Israel, consequens videtur falsam esse sententiam, quæ docet ecclesiam Christi manifestissimis scripturarum testimonijs designari & cognosci. Deinde & contra sententiam decimam videtur posse argumentari: Vera Christi ecclesia apud eos est, qui quantumlibet sint numero pauci, conueniunt in nomine Iesu, dicente saluatore, vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego sum in medio eorum. Præterea vera Christi ecclesia apud eos, qui ex Deo sunt: ex Deo autem sunt omnes qui confitentur Christum venisse in carne. Dicit enim Iohannes: Omnis spiritus qui confitetur Christum in carne venisse ex Deo est. Et Paulus: Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & corde credideris quòd Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris, sed omnis humanus spiritus, qui ex Deo est, & qui saluus est, membrum est ecclesiæ: videtur ergo quis esse membrum ecclesiæ, quàmuis de corpore Christi, quod est ecclesia, non rectè sentiat, modo rectè de Christo capite sentiat.

Respondeo.

Matth.23.d — Matth.23.a 1.Timoth.6.d 1.Timoth.3.a — Lib.2,c2.38. — Isaiæ 2.a Isaiæ 45.d Mich.2.e — Matth.18.e — 1.Iohan.4.a Rom.10.b

A Respondeo. Neque saluator in euangelio, neque scriptura aliqua, neque Augustinus ex doctrina scripturæ docet ecclesiam indies super hanc terram magis ac magis dilatari, vsq; in consummationem seculi. Ex scripturis sacris simul & doctrina Augustini consequens est ecclesiam crescere, & fidem per omnes terræ nationes dilatari, donec ipsum salutis verbum omnes nationes audierint. Sicut & Apostolus ait ad quosdam: Verbum (inquit) euangelij peruenit ad vos, sicut in omni mundo est fructificans & crescens. Verbum salutis apostoli temporibus erat fructificans & crescens in omni mundo: sed non inde oportet cõsequens esse, quòd ergo tunc fuerit ecclesia in toto mundo. Deinde non oportet si sub illis temporibus fuerit quotidie crescens in omni mundo, quòd ergo adhuc sub temporibus nostris sit sic in omni mundo crescens. Nam ex scripturis quàmuis sit consequens, non esse futuram consummationem seculi priusquàm & ecclesia creuerit per vniuersas gentes, & euangelium regni fuerit prædicatum per vniuersum mundum, & tunc, id est, in tempore post huiusce modi prædicationem, venturam esse consummationem: non tamen inde consequens est, quòd tunc mox futura sit consummatio seculi, cùm fuerit euangelium per vniuersum orbem prædicatum, quia non vnum solum, sed plura sunt signa futuri aduentus. Et cùm videritis hæc fieri, inquit saluator, scitote quia prope est. &c. Ad cõplementum igitur veritatis prophetiæ saluatoris, neque oportet per apostolos, & sub apostolorum seculis, euangelium esse in toto mundo prædicatum, neque oportet in ipsa cõsummatione seculi euangelium & ecclesiam Christi per vniuersum orbem spargi ac dilatari, & euangelium in omnes gentes prædicari, neque oportet quòd vsque in finem seculi sint in omnibus nationibus per vniuersum orbem homines qui credant in Christum: sed oportet ante consummationem seculi euangeliũ per vniuersum orbem C prædicatum esse. Scriptura voluit hanc prophetiam ante consummationem seculi impleri, non simul, sed paulatim. Et ita non oportet, quòd pro aliquo seculo prædicetur euangelium in omnibus gentibus, sed satis est quòd paulatim dilatetur, donec verificatum fuerit in omnibus gentibus prædicatum esse euangelium. Quemadmodum si dicerem, oportet fidei gratiam super omnem spargi electum, & tunc veniet finis seculi. In quibus ergo gentibus, inquit Augustinus, nondum est ecclesia, neque euangelium prædicatum, oportet esse futuram ecclesiam: non quòd omnes qui ibi futuri sunt credant, sed vt sint qui credant. Alioquin quomodo implebitur eiusdem saluatoris verbum, Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. nisi in omnibus gentibus sint & homines qui oderũt, & Christiani quos oderunt. Ad id autem quòd dixit Apostolus, In omnem terram exiuit sonus eorum, dicimus Paulum quidem loquutum esse verbis præteriti temporis, D sed quia prophetia erat ex psalmo desumpta, non quòd iam prorsus completum esset, sed quòd futurum erat dixit, sic tamẽ vt & simul insinuet sui seculi populum in Iudæa tunc audiuisse euangelium, tum ob id quòd sonus ille apostolorum in omnem terram exiens, à Iudæa inceperit, totamq; Iudæam repleuerit, tum & ob id quòd apud illos, de hoc, doctrina legis & prophetarum ab antiquo tẽpore, à Mosi videlicet seculo, publicata fuerit. Ex huiusce modi ergo scripturis discimus ecclesiã crescere, simul & discimus vsquequo, & ad quos terminos seu fines ipsa crescendo erat futura, & tunc fore finem seculi, cùm omnis gens audierit prædicationem Christi. Ecclesia olim videtur dispersa per totum mundum tunc cognitum: per hæreticos autem, Arrium, Nestorium, Eunomium, Mahumetam, maior pars veram ecclesiam Christi deseruit, ad dogmata à traditione sanctorum patrum aliena, transiens. Veruntamen & hic sciendum est, quòd hanc prophetiam etiam iam nondum completam esse forsitan necessarium putabitur, quandoquidem & non multis effluxis annis sub Ferdinando & Emanuele Hispanorum regibus inuentæ sunt

In libro 2, contra epistolam Petiliani, cap. 14. d & c. 84. a Colossi. 1. a — Matth.24.e — Matth 10 e Rom.10 d Psal.18.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt insulæ quatuor maximæ, pristinis seculis prorsus incognitæ: in quibus an vnquam fuerit Christi fides prædicata, certum nobis non est. Patres autem dicentes id olim in omnibus gentibus esse completum, loquuti sunt de nationibus terræ tunc cognitis sibi, aut inuentis. Sed de his hactenus; nunc sufficiat scire neque ex scripturis sacris, neque ex doctrina Augustini aut aliorum patrum consequens esse in hac vita, ecclesiam vsque consummationem seculi ita crescere, vt numerus credentium in hoc seculo peregrinantium indies maior fiat, quàmuis sit consequens ecclesiam Christi esse tanquam vineam, cui quotidie accrescunt noui palmites ex gentibus, vsque in finem seculi, & hunc finem seculi non esse futurum, donec euangelium salutis in omnibus gentibus prædicatum fuerit, & præsentem ecclesiam esse spiritualem Hierusalem, & spirituale Sion, de cuius semine & filijs in scripturis legitur, nunc quòd pauci sint, nunc autem quòd multi sint: neq; hæc inter se pugnant, nam idem numerus in relatione ad diuersa paucus est & multus. Pauci quidem intelliguntur fideles facta comparatione ad vniuersum genus hominum infidelium per vniuersum orbem, quemadmodum ait saluator: Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ambulant in ea. Plures sunt qui pereunt, quàm qui salui fiunt, quia multi ambulant in perditionis via, quæ est lata & spaciosa. Rursus ijdem fideles multi sunt in comparatione Iudæorum, quia plures vt inquit Isaias, filij desertæ, quàm eius quæ habet virum. Vbi Isaias prænunciat multitudinem filiorum ecclesiæ gentium, futuram esse maiorem, quàm tunc erat multitudo synagogæ Iudæorum. Neque obstat huic responsioni doctrina Augustini contra Petilianum Donatistam, siquidem Donatistæ ecclesiam esse localem sic intellexerunt, vt non sustinerent ecclesiæ membra esse in congregatione, vbi zizania commixta sunt. Item Petilianus dicebat fidem in cęteris gentibus perijsse, & in sola Aphrica à parte Donati remansuram esse vsq; in finem mundi. Et hanc sententiam destruit Augustinus, demonstrans ecclesiam non apud Donatistas, sed apud eos esse quorum fides ex gentibus crescit in vniuerso mundo. Sunt, inquit Augustinus, nonnullæ gentes, in quibus euangelium nondum est prædicatum. Et cùm necesse sit omnia prænunciata per Christum & prophetas adimpleri, necesse est illis gentibus etiam euangelium prædicari, quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis. Propositiones vniuersales, quibus dicitur, Omnes gentes seruient ei. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Omnes gentes quascunq; fecisti venient & adorabunt coram te. dicimus huiuscemodi sermones vniuersales significare non quòd singulæ gentium sint creditуrę (alioquin quomodo stabit sententia saluatoris, Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum) sed quòd omnes gentes, id est, nationes gentium secundùm aliquam sui partem & credent in Christum, & adorabunt eum, tanquam significare volens, palmites habebit ecclesia in omnibus gentibus, & in omni loco, in omni regno, & ita omnia regna terræ secundùm aliquam sui partem sunt adoraturi Christum, quemadmodum de vniuersa terra prænunciatur quòd ipsa adorabit Christũ. Sic & alia dicit prophetia: Adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium, quibus significatur, quòd ramos suos extenderet ecclesia per vniuersum orbem. Et hunc esse intellectum ex scripturis planissimè discimus, significantibus in omni gente futuros esse, qui sunt credituri. Et rursum in omni gente futuros esse, qui non sunt credituri. Vnde & saluator ad apostolos: Ite, & docete omnes gentes, qui non crediderit, condemnabitur. Orat quidem propheta: Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ. sed non illic dicit, Omnes reges terræ adorabunt eum. Quod si vspiam diceret, ita interpretandum esset, vt alijs scripturis non contradicat de adoratione subiectionis. Vnde & in nouissimo die omnes homines erunt Christo subiecti, siue voluntarij in iustitia & gloria, siue coacti in pœna. Ex huiuscemodi ergo scripturis planè demonstratur

A

B

C

D

Quid ex scripturis de hoc sit tenendum, quòd ecclesia semper crescit.

Ecclesiæ filij multi sunt & pauci. Matth.7.b

Isaiæ 54.a

Declaratur ex alijs scripturis propositiones vniuersales nõ tam generaliter intelligendas quã tonãt secundùm superficiẽ literę.

Psal.21.f

Mar.16.d
Psal.137.b

tur nobis quæ sit ecclesia Christi. Quoniam scismata futura erant, quæ inuiderẽt ecclesiæ catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Idcirco diuina, inquit Augustinus sunt nobis tradita eloquia, quibus ecclesia catholica non sicut quælibet scismata in angulo aliquo terræ, sed in vniuerso mundo fructificando, & crescendo vsque ad ipsos Æthiopes extremos, videlicet & teterrimos hominum nũciatur peruentura. Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Coram eo procident Æthiopes, & adorabunt eum omnes reges terræ. Ad scripturas quibus significatur omnis homo fieri saluus, & esse in ecclesia, qui aut crediderit, aut cõfessus fuerit Iesum Christum in carne veniſſe, dicimus huiusmodi scripturas sic interpretandas, vt non aduersentur alijs scripturis, quibus significatur solam fidem ac confessionem fidei non prodesse, nisi fidẽ comitentur opera. Oportet sic ore confiteri, vt opera eius non dissentiant à confessione oris. De quibusdam dicit scriptura: Confitentur se ore nosse Deum, factis autem negant. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. Nemo verè credit Iesum Christum in carne veniſſe, qui non credit eum verũ Deum, & hominem saluatorem, in carnem veniſſe propter nos homines, & propter salutem nostram, & mortuum esse ad tollendum peccata nostra. Peccatum si tam magnum est malum, vt pro illo tollendo mortuus sit Christus, consequens profecto est, nos oportere odisse peccata, credentes promissionibus, comminationibus, & omnibus verbis, quæ loquutus est, tum per semetipsum, tum per Apostolos suos. Patet igitur supradictarum sententiarum veritas. Ex supradictis igitur manifestum est, veram Christi ecclesiam apud eos esse, qui permanent in illa ecclesia, quæ ab Apostolis fundata cœpit crescere ab Hierusalem in omnes gentes vsque in diem hanc durans. Illa autem ecclesia est ab Apostolis fundata, cuius fides & cathedra seu doctrina & potestas ecclesiastica, id est, ius seu potestas dimittendi seu retinendi peccata, ligandi & soluendi, baptizandi & docendi, & interpretandi scripturas, deriuantur à Christo in Apostolos, quibus & sensus aperuit, vt easdem scripturas intelligerent, & ab illis per traducem succedentium sibi inuicem ecclesiarum & episcoporum durans ad tempus vsque præsens. Sunt hæretici qui libenter audiunt ecclesiam Christi illic esse, vbi est fides & verbum Christi: sed de legitima episcoporum successione, & ecclesiastica potestate retinendi & remittendi peccatum, quæ à Christo in Apostolos, & ab Apostolis in solos episcopos & sacerdotes, secundùm seriem successionis descendit, audire contemnunt, nescientes secundùm scripturam, veram Christi ecclesiam non posse esse in societate eorum, apud quos non est vera Christi cathedra, quæ & Petri & Apostolica cathedra appellatur, hæc autem non esse apud eos, quorum cathedræ & episcopatus ab Apostolica cathedra non trahunt originem. Et quia omnium hæreticorum ac schismaticorum vnus ille mos est, vt iactent sese Christianum habere nomen, & quatuor dei euangelia, vera Christi sacramenta, & ita ecclesiam ac cathedram Christi apud se permanere, videamus quam intelligentiã super vera Christi cathedra atque ecclesia cognoscenda habuerunt ab initio sancti & ecclesiastici patres. Hi certè vno animo & vno ore, omni ambiguitate semota tradiderunt veram Christi ecclesiam esse eorum, apud quos est Apostolorum fides & doctrina, & hanc esse apud eos qui custodiunt professionem omnium sanctorum patrum, secundùm suorum temporum successiones in his quæ sunt fidei, concorditer reddentium testimonium, concorditerque scripturas sacras intelligẽtium.

Sunt huius doctrinæ antiquissimorum patrum testimonia. Irenæus vetustissimus aduersus hæreses Valentini libro quarto, capite quadragesimotertio. Item capite sexagesimotertio: Agnitio vera, est Apostolorum doctrina, & antiquus ecclesiæ status in vniuerso mundo, & in charactere corporis Christi, secundùm

A

B

C

D

Auguſt. super psalmum 71. Psalm.71.b

Roman.10.b
1.Iohan.4.a

Tit.1.d
Matth.17.e

Quæ sit vera Christi ecclesia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

successionem episcoporum, quibus illi eam quæ in vnoquoque loco est, ecclesiam A
tradiderunt quæ peruenit ad nos. Item Tertullianus non longè posterior illo in
libro de præscriptionibus hæreticorum, docens apud quos debeamus quærere
ecclesiam Christi. Apostoli primò, inquit, per Iudæam contestata fide in Iesum
& ecclesijs institutis, dehinc in orbem profecti eiusdem fidei doctrinam natio-
nibus promulgarunt, & ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à
quibus traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt,
& quotidie mutuantur vt ecclesiæ fiant, & per hoc & ipsæ apostolicæ deputa-
buntur, vt soboles Apostolicarum ecclesiarum, vt omne genus ad originem suam
censeatur. Necesse est itaque inter tot ac tantas ecclesias vnam esse illam ab Apo-
stolis primam, ex qua omnes, sic omnes primæ & omnes Apostolicæ, dum omnes
simul vnam probant vnitatem, quæ est communicatio pacis, & appellatio frater- B
nitatis, contestatio hospitalitatis. Hæc ille. Hæretici autem (vt inquit Am-
brosius) sunt qui discordant ab ecclesia catholica, diuersa sentientes, aut de Chri-
sto, aut de sensu legis in traditione ecclesiæ, siue Cataphryxæ, siue Nouatiani, si-
ue Donatiani, aut cæteri hæretici. Hactenus de vnitate ecclesiæ, & vbi, & apud
quos sit, & qui sint intus, qui autem extra ecclesiam.

Sequitur caput tertium huius libri, in quo tractatur de Ecclesia & cathedra Petri, & vtrùm oporteat omnes particulares ecclesias cõuenire cum illa, eiq; subesse. Diuiditur autem caput istud in tres partes. In prima demonstrabitur omnes particulares ecclesias, omnemq; Christianum populũ oportere conuenire atque subesse vni catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ. In secunda demonstrabitur omnes ecclesias particulares, omnesq; aliorum episcoporũ cathedras, subesse cathedræ & ecclesiæ Petri. In tertia, cathedram & ecclesiam Petri non posse deficere à fide.

C

IN superioribus demõstratum est ecclesiam esse vnam, quæ post manifestam iustitiam in lege & prophetis testificatã atque pro-
missam, à Christo per Apostolos fundata, incœpit creiscere in omnem terram, & ita omnes particulares ecclesias habere origi
nem ab ecclesia apostolica. Verùm quia calumniantes hæretici forsitàre spõderent ex huiusmodi testimonijs consequẽs quidem esse oportere omnes ecclesias conuenire in vna fide, in vna spe vocationis, in charitate, in scripturis, in euangelijs, in doctrina, in pace, cum catholica ecclesia ab Apostolis in gentibus fundata, & cum omnibus Christi fidelibus: sed cũ aliud sit vinculum spei, fidei & charitatis habere cum aliqua ecclesia, aliud habere origi-
nem, ordinationem, & potestatẽ ab illa, non inde videtur consequens esse om-
nes ecclesias habere aut sacerdotalem, aut episcopalẽ potestatem ab ecclesia apo- D
stolica, quin potius sufficiens videtur, omnes ecclesias habere eandem fidem, idem
fidei symbolum, eundem Deum patrem, & filium, & sanctum spiritum, eadem
Cyprianus. euangelia. Et hæc videtur plana fuisse doctrina Cypriani passim docentis, eccle-
siam esse vnam, & episcopatum vnum esse. In epistola ad Antonianũ, docet vnum
esse episcopatum à Christo multorum episcoporum, concordi numerositate dif-
fusum, sicut à Christo vna est ecclesia in multa membra, per totum mundum dif-
fusa. Et in libro de simplicitate prælatorum: Quãmuis post resurrectionem suam
Iohan.20.f Christus Apostolis suis omnibus, parem tribuit potestatem, dicens: Sicut misit me
pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,
& cæt. tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipi-
entem, sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit
Petrus, pari consortio prædití & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate
proficiscitur, vt ecclesia vna esse monstretur. Episcopatus vnus est, cuius à singu-
lis pars in solidum tenetur. Vna est ecclesia per vniuersum orbem luce radiorum
suorum

A suorum perfusa, & qui ab huiusmodi ecclesia, ab huiuscemodi episcopatu se sepa-
rat, scismaticus est, hæreticus est. Sed ex his nihil aliud cõsequẽs esse videtur, quàm
quòd sit multorum episcoporum concordia, in vnitate fidei, charitatis, & pacis,
sicut & ecclesia est vna. Vnde & hoc indicant verba, vnus episcopatus concordi
numerositate multorum episcoporum diffusus, sed non inde consequens esse vi-
detur, quòd populus alicuius prouinciæ, aut regni, aut familiæ, non possit sibi &
constituere, & eligere, & ordinare episcopum, modò sic conueniat cum cæteris
Christi fidelibus in nomine Iesu, id est, in fide & charitate, credens eundem Deum
Christum, verum illius filium & paracletum, habens eandem symboli legem,
eadem euangelia, eadem Apostolorum scripturas, præsertim cùm dicat Saluator,
Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego sum in medio eorum. Matth.18.e.
Pro istius igitur dilucidatione, operæpretium est aliqua præmittere. Primùm
B Potestas sacerdotalis ac pontificalis, neque est per adinuentionem humanam fa- Potestas sacer
cta, neque per solum consensum communitatis hominum suborta, sed per Chri- dotalis nõ est
stum spiritu sancto instituta, & ecclesiæ in Apostolis data. Huiuscemodi nempe per cõmunita
potestatis officia, sunt spiritus sancti opera, & supra humanæ naturæ vires, cuiu- tis consensum
scemodi sunt remittere, & retinere peccata, dare spiritũ sanctũ, claudere & ape- vel ab homini
rire regnum cœlorum, conficere panem & vinum in corpus & sanguinem Chri- bus instituta
sti, & id genus alia, quæ non humanæ, sed cœlestis potestatis sunt opera. Proinde sicut seculares.
& Christus hanc potestatem largiens, præmisit: Accipite spiritum sanctum. Quo- Iohan.20.f.
rũ remiseritis peccata, &c. planè insinuãs hoc esse opus spiritus sancti per ipsorum
ministeria operantis remissionem peccatorum. Potestates autem seculares sunt
ad officia secundùm humanæ naturæ vires, vt regere & dirigere rempublicam
C in pace & tranquillitate secundùm vniuscuiusque reipublicæ leges, aut factas, aut
faciendas, paci & tranquillitati accommodatas. Proinde possunt huiuscemodi
potestates institui, vel ab illo qui illius communitatis dominium habet, qualis est
rex aut imperator: vel si communitas dominum superiorem non habet, potest
institui potestas secularis ex consensu ipsius communitatis, eligentis principem
in quem transferat supra se potestatem. Secundò præmittendum est, quòd aliud
est eligere ac nominare hominem, qui incipiat esse aut pastor, aut pontifex, aut
papa: aliud instituere potestatem pontificalem ac sacerdotalem: Aliud constitue-
re sacerdotes, aliud instituere sacerdotalem potestatem. Constituerunt Apostoli
diaconos, presbyteros, ac episcopos per loca & ciuitates, sed non instituerunt po-
testatem sacerdotalem, ac pontificalem, quam solus Christus instituit, largiens
desuper spiritum sanctum, donansque illam ecclesiæ in Petro cæterisque Apo-
stolis, vsque ad consummationem seculi, eandem tribuens his qui ordinati sunt
D ab Apostolis, vel ab illorum successoribus. Quemadmodum autem sacerdotes
baptizantes non faciunt gratiam & remissionem peccatorum in paruulis, sed fa-
ciunt aliquid ad quod consequens est Deum dare gratiam & peccatorum remis-
sionem baptizatis, ita episcopi ordinantes clerum & diaconos & presbyteros non
efficiunt in illis potestatem remittendi ac retinendi peccata, ac consecrandi pa-
nem & vinum, sed faciunt aliquid, ad quod consequens est Deum dare potestatem
illam ordinatis. Sic confessus, clerusque Romanus, sede vacante eligit quidem pa-
pam, sed non creat pontificalem potestatem, quam promisit Dominus Petro, &
in Petro successoribus, dicens: Tibi dabo claues regni cœlorum. Tertiò præ- Matth.16.e
mittendum est, non omnes qui aut dicunt, aut arbitrantur se conuenire in nomi- Matth.7.e
ne Iesu, reuera sic conueniunt, dicente saluatore: Non omnis qui dicit mihi Do-
mine Domine &c. De quibus Cyprian. in tractatu de simplicitate prælat. Serpens
dũ apertis persequutionibus hostes à Christo non potest auertere, nouã excogitat
fraudem constituens hæreticos & schismaticos, qui sub prætextu Christiani no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS. II.

minis Christianam fidem sic se habere iactantes, nec cum Christo, nec cum illius ecclesia sunt. His præmissis ostendendum est ex supradictis testimonijs consequens esse, omnem ecclesiam seu communitatem oportere non solùm conuenire sic in vnitate quadam pacis secundùm sententias, in mentibus eorum qui conueniunt, sed & habere originem sui episcopatus secundùm successionis seriem ab ecclesia apostolica. Petrus & apostoli cæteri fuerunt à Christo sacerdotes ordinati, & ab illis ad nos vsque descendit omne sacerdotium in huius temporis sacerdotes non regeneratione fidei, sed ordinatione sacramenti superuenientis homini iam baptizato, & per episcopum aliquem visibilem ordinato, misso, vncto, & consecrato. Et hæc sententia quam ex apostolica eruditione habemus, quam & contra cathedræ Petri aduersarios nunc probare intendimus, videlicet, non omnem hominem Christianum esse sacerdotem, & idoneum ad consecrandum corpus Christi & sanguinem, & ad remittendum peccata: neque rursum omnem sacerdotem esse episcopum, sed oportere donationem spiritus sancti accedere, visibili ordinatione & vnctione per pontifices, descendentes ab apostolorum successoribus. Vnde neque crederetur vlli homini dicenti se inuisibiliter missum & inuisibiliter vnctum à Deo patre, nisi & ipse, quemadmodum Paulus apostolus & Barnabas segregaretur authoritate apostolica ad ecclesiastica ministeria. Nam & talem intellectum de ecclesia Christi habuerunt patres ab initio, credentes ecclesiam Christi veram apud eos esse quærendam, vbi episcopi legitima ordinatione sibi succedunt, à Christo per apostolos in successores, & ab illis in cæteros ad hæc vsque tempora. Irenæus aduersus hæreses, Valentinus libro quarto, capite 63. Postquam præmiserat: Vera agnitio est apostolorum doctrina: continuò adiecit: & antiquus ecclesiæ status in vniuerso mundo, & charactere corporis Christi secundùm successionem episcoporum, quibus apostoli eam quæ in vnoquoque loco est, ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos. Et ne putaretur solius fidei successio sufficere, & vnumquenque sibi posse cathedram constituere, libro 4. capite 43. dicit presbyteris obediendum esse, qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundùm placitum patris acceperunt. Reliquas autem congregationes absistentes ab huiusmodi successione habendas vt suspectas & tanquam hæreticas & schismaticas. Sic & Tertullianus libro de præscriptionibus hæreticorũ, docet episcopum primum, in vnaquaque ecclesia habuisse authorem vel apostolum aliquem, vel apostolicum virum, qui tamen cum apostolis perseuerauerit, quemadmodum Polycarpus primus Smyrneorum episcopus, à sancto Iohanne est collocatus, & sic de reliquis. Episcopus primus Rom. Clemens, à S. Petro est ordinatus. Est ergo huiusmodi ab apostolica ecclesia successio & derivatio accipienda non solùm secundùm eandem fidem, & secundùm easdem canonicas scripturas, sed & secundùm seriem episcoporum accipientium legitima ordinatione ius & potestatem. Et idcirco eum, qui semetipsum constituerit episcopum, nemini succedens, nemine legitima ordinatione episcopatum dante, non posse esse membrum ecclesiæ, quantumlibet sub se congreget multitudinem aliquam populi, & dicat se seruare atque docere quatuor Dei euãgelia, apostolicam scripturam, & fidem & charitatem, cũ cæteris ecclesijs. Ab initio patres secũdùm seriem successionis edocti ab apostolis ipsis, vt Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, tradiderunt non posse esse episcopum eũ, qui semetipsum cõstituerit episcopum nemini succedens. Irenæus quidẽ & Tertull. Docentes seriem successionis pontificum in Romana ecclesia Petro succedentium, quemadmodum in superioribus patuit. Cyprianus multis in locis, & signanter in epistola ad Antonianum in superioribus allegata docens etiam Romanæ ecclesiæ episcopum esse in loco Petri, eumque

Omnis ecclesia habet origi nẽ episcopatus sui ab ecclesia apostolica.

Irenæus.

eumque sede vacante, eligi & fieri episcopum ab alijs in vrbe Roma episcopis. Et in tractatu de singularitate clericorum, eos docet esse schismaticos, qui se præpositos constituunt sine vlla ordinationis lege, qui nemine episcopatum dante episcopi sibi nomen assumunt. De quo Hieronymus aduersus Luciferianos, pro suo seculo loquitur: Iam nullus est episcopus, nisi quem Nicena synodus ordinauit. Nicena verò synodus fuit ecclesiæ Apostolicæ, id est proficiscẽtis ab Apostolis, & ita ecclesia, quæ nunc est per successionem episcoporum, proficiscitur ab ecclesia sub Nicena synodo, vt soboles quædam, sicuti & illa profecta erat ab ecclesia Apostolorum. In illa igitur ecclesia permanendum est, quæ ab Apostolis fundata secundùm successionis seriem vsq; in hanc diem durat, in qua & claues regni cœlorum, potestas ecclesiastica, ius baptizandi ac remittendi peccata, & cætera id genus ecclesiasticorum sacramentorum officia, ab apostolica descendunt ordinatione. Sine chrismate & episcopi iussione, inquit idẽ Hierony. neque presbyter, neq; diaconus ius habent baptizandi. Omnis ergo episcopus si secundùm ordinem successionis ab institutione apostolica descendit, consequens est, & ius baptizandi ex missione Apostolorum secundùm seriem successionis episcoporum descẽdere. Clara & aperta voce hanc sentẽtiam tradidit August. Extra ecclesiam, inquit sunt, qui relicto episcopo Dei ordinatione succedanea præcedẽte, aut sibimetipsis, aut semetipsos constituunt præpositos, primates, & episcopos. Habemus igitur traditionẽ antiquorum patrũ Irenæi, Tertulliani, Cypria. Hieron. August. ex scripturis sacris intelligentium veram Christi fidem, veram euangeliorũ doctrinam, & indubitatam sanctam ecclesiã catholicam quærendam esse, vbi agnitio est Apostolorum, & antiquus ecclesiæ status, id est, vnitas corporis Christi. Hãc autem vnitatẽ, vt inquit Cypria. illic esse, vbi episcopatus est vnus. Ibi autẽ vnus episcopatus est, vbi ab vnitate proficiscitur. Ibi episcopatus ab vnitate proficiscitur, vbi episcopi legitima sibi ordinatione succedunt à Christo per Apostolos, & ab apostolis ad successores vsque ad nos. Hæc est sola religionis Christianæ machina, quæ cunctas hæreses semel aboleuit, ipsa inquam concors omnium patrum sanctorum, secundum suorum temporum successiones concorditer reddentium testimonium verbis Christi in euangelijs scriptis, & consuetudini primitiuæ ecclesiæ. In hac machina, iam olim ante mille & trecentos annos pugnauit Irenæus aduersus Valentinum cæterosque sui seculi hæreticos, libro 3. capite 3. docens primam Christianam esse fidem eam quam ab apostolis præceptam, suis filijs distribuit, deinde eam fidem esse ab apostolis præceptam, quam per successiones presbyterorum, & episcoporum tenemus in ecclesia custoditam peruenientem vsque ad nos, postremò in ecclesijs ab apostolis institutos esse episcopos, & ab illis successores eorum vsque ad nos. Idem quoque venerabilis pater recensens ibidem ecclesiasticorum & episcoporum successores, vtitur supradicta machina. Eos inquit, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem & malã sententiam, fidem præterquam oportet colligunt cõfundimus, indicantes eis fidem traditionemq; maximæ & antiquissimæ ecclesiæ omnibus cognitæ, Romæ à glorioſissimis duobus apostolis Petro & Paulo fundatæ & constitutæ: quam fidem & traditionem ipsa habet ab apostolis annunciatam & peruenientẽ vsque ad nos. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorẽ principalitatem, si quãdo de aliqua quæstione disputatio est, necesse est omnes conuenire ecclesias, hoc est eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, cõseruata est traditio ea, quæ est ab apostolis, qui fundantes seu instituentes ecclesiã, episcopatũ administrandæ ecclesiæ tradiderũt Lino, cuius Paulus meminit in epistola ad Timotheum. Succedit aũt ei Anacletus. Post eũ tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos apostolos, & contulit cum eis,

Hieronymus.

Irenæus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eis, sub quo & facta dissensione inter Corinthios, Romana ecclesia scripsit potentissimas literas ad pacem congregans illos: huic Clementi succedit Euaristus, cui Alexander. Et deinde sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus. Et ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissimè martyrium fecit. Post quem deinceps Higinius, deinde Pius, post quem Anicetus, cui successit Soter, & nunc duodecimo loco ab Apostolis, episcopatum habet Eleutherius. Hac ordinatione, episcoporumq; successione, traditio, præconiūq; veritatis peruenit ab Apost. vsque ad nos. Hactenus Irenæus. Addens, & hæc (inquit) est ostensio plenissima, demonstrans vnã & eandem fidem esse, quæ in ecclesia ab Apostolis vsque nunc est conseruata ac tradita in veritate. Polycarpus non solùm ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis eorum qui Dominum nostrum Iesum viderunt, sed etiam ab apostolis cõstitutus in Smyrnis Asiæ episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate, valde enim senex glorioſissimè & nobilissimè martyrium faciens, exiuit de hac vita. B
Hic Docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quibus rebus testimonium perhibent omnes, qui sunt in Asia ecclesiæ & episcopi, qui vsque nunc successerunt eidem Polycarpo, qui & ad Philippenses scripsit epistolam perfectissimam, ex qua curam suæ salutis habentes, possunt veritatem fidei discere. Deinde & ecclesia in Epheso à Paulo fundata, apud quam & Iohannes permansit vsque ad Traiani tempora, testis est verus traditionis Apostolorum. Si ergo de aliqua quæstione dubitatio est, oportet ad antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus conuersati sunt apostoli, & ab eis de proposita quæstione sumere quod certum est.
Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis? nonne oportebat ordinem sequi traditionis quam tradiderunt ipsi his, quibus committebant ecclesias, cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, credentes in Christum, sine charactere & atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & diligenter custodientes veterem traditionem, credentes in Deum C
patrem omnium fabricatorem, per Christum verum Deum, & Dei filium ex virgine natum, passum & mortuum propter hominum reconciliationem, qui resurgens à mortuis, & ascendens in cœlum, iudex venturus est, mittēs in ignē æternū, quotquot fuerint contemptores patris sui, & aduentus eius: hanc fidem sine literis crediderunt barbari. Hæc ille. Ex his igitur sententijs Irenæi patet ecclesiam Christi apud eos esse, quorum episcopatus est ab ordinatione apostolica. Qui autem ordinatione contempta, semetipsos constituunt episcopos aut pastores, q̃tumlibet videantur sibi habere fidem in Iesu, & tenere sancta quatuor euangelia, apostolicasq; scripturas, etiam si in confessione nominis Iesu fuerint occisi (inquit Cyprianus de simplicitate prælatorum) macula huius discordiæ nec abluitur D
sanguine, nec purgatur confessione: quia separantes se à communione illius ecclesiæ, vbi episcopi legitima ordinatione sibi succedunt, in ecclesia Christi (extra quam non est salus) esse non possunt. Neque suffragatur illis verbum Christi, dicentis: Vbicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego sum in
Matth. 18. c medio eorum. Nam hæc scriptura ex his quæ præmittuntur & sequuntur, inquit Cyprianus, est interpretãda. Præmiserat autem Christus: Si duo ex vobis cõsenserint, & cæt. Ex vobis, inquam, qui iam estis discipuli, & membra in corpore Christi. Non possunt duo vel tres in nomine Iesu congregari, qui discordes sunt à corpore Christi, seu à fraternitate Christi. Ab hac autem discordant, qui à communione illius ecclesiæ se separant, vbi episcopi legitima ordinatione succedunt. Vana ergo sese, inquit interpretatione decipiunt, ex eo quòd saluator dixerit: Vbicunq; sunt duo vel tres congregati in nomine meo, cũ illis sum. Corruptores euangelij atq; interpretes falsi extrema ponunt & superiora prætereũt. Dominus de ecclesia sua loquitur ad eos qui sunt in ecclesia, Si duo, inquit, ex vobis,

bis. Ex horũ numero esse non possunt, qui se vltrò apud temerarios conuenas, sine A
dispositione diuina præficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomẽ assumunt. Hactenus ille de simplicitate prælatorum. Et idem in epistola ad Magnum: Ecclesia vna est apud Cornelium Romanæ ecclesiæ pontificem, qui episcopo Fabiano legitima ordinatione successit. Apud Nouatianum ecclesia esse non potest, qui apostolica traditione contempta, nemini succedens, à semetipso est ordinatus. Neq; sibi blandiantur, inquit Hieronymus, si de scripturarum capitulis videantur sibi affirmare quod dicunt? Nam & diabolus de scripturis nõnulla est loquutus, & scripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistunt, alioquin si literam sequimur, possumus & nos quoque nouum vobis dogma componere, vt asseramus non esse in ecclesia recipiendos, qui & calciati sunt, & duas tunicas habent, Lucæ nono. Scriptu-
B ra insuper, quæ dicit: Omnis spiritus qui confitetur Christum in carne venisse ex 1. Iohan. 4. d
Deo est, interpretationem recipit, alioquin & ex Deo esset ipse malignus spiritus, qui confitebatur Christum in carne venisse, dicens: Scio quòd tu es Christus filius Luc. 4. f
Dei. Proinde si quis opponens, inquit Cyprianus, dicat se tenere eandem euangelij legem, eodem symbolo quo & nos baptizare, nosse eundem Deum patrẽ, eundem filium Iesum, eundem spiritum sanctum, & idcirco se posse vsurpare potestatem & baptizandi, & offerendi sacrificium, quod videatur in interrogatione baptismi, à nobis non discrepare, sciat quisquis hoc opponendũ putat, primùm non esse vnam nobis & schismaticis symboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cùm dicunt, Credis remissionẽ peccatorum & vitam æternam per sanctam ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, cùm non habeant ecclesiam. Quòd vero dicunt se nosse eundem Deum patrem, eundem filium, eundem spiritum san-
C ctum, nec hoc eis suffragari potest, nam & Chore, Dathan atque Abiron, cum sa- Num. 16. a
cerdote Aaron & Moyse eundem Deum nouerant, pari quoque lege & religione viuentes, vnum verum Deum, qui colendus fuerat, inuocabant, tamen quia loci sui ministerium transgressi, contra Aaron sacrificandi licentiam vendicauerunt, diuinitus sunt percussi. Schismaticos ergo iuuare non potest, quòd aut superbia quadam inflati, aut mirabili cæcitate decepti, dicunt se tenere scripturas, & rectè sentire de domino nostro Iesu, & credere sancta Dei quatuor euangelia. Nam iste mos est omnium hæreticorum, in hoc ab apostatis dissidentiũ, quòd iactant Christianum se habere nomen, & apud se esse Christi sacramenta, scripturas & professionem. Deinde & ipsi hæretici atque schismatici omnes, aut mentiuntur aut falluntur, dicentes se tenere scripturas. Nam, vt inquit Cyprianus, scripturas si seruarent, ecclesiam Christi cognoscerent, & in ea permanerent. Ecclesia Christi, inquit
D Augustinus, quærenda est in scripturis sacris, vbi manifestè cognoscitur, quibus In epist. 48 ad Vincẽtium, & in cõmentarijs psal. 21
designatur ipsa, ab Hierusalem incipiens crescere, & inde per apostolos diffundi in omnes gentes secundùm seriem successionis, durans ad hæc vsque tempora. Quisquis ab hac ecclesia catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi vnitate sciunctus est, non habebit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia communio malorũ non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Sic Augustinus, cæteriq́ue patres in concilio Carthaginen. definierunt, ex scripturis sacris. Vnde & Christus præuidens futuros reprobos, qui propter zizania, & malam præpositorum vitam huius ecclesiæ vnitatem rumpere conarentur, suos præmonuit discipulos, eosdemq́ue cautos esse voluit, ne propter malos præpositos, aut putrida ecclesiæ membra salutaris doctrinæ cathedram desererent, in qua coguntur etiam mali bona docere. Neque enim sua, sed Dei sunt quæ docent. Quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicunt, inquit, facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Inter primitiuæ eccleſiæ A
Matth 23 a ſchiſmata, hoc vnum erat præcipuum, quod Paulus apoſtolus in prima ad Corinthios reſellit, eorum videlicet, qui arbitrabantur propter diuerſitatem vitæ miniſtrorum eccleſiæ, variari vim & efficaciam donorum, aut ſacramẽtorum Chriſti. Quid eſt Paulus, inquit, quid Apollo, niſi miniſtri eius cui credidiſtis? Vnde
1.Cor.3.b Chryſoſtomus tractans id Ioannis vigeſimo: Quorum remiſeritis peccata. Magna (inquit) eſt ſacerdotalis dignitas, quantauis igitur reuerentia colamus illos. Obe-
Hebr.13.c dite, inquit Paulus, præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis. Ipſi enim peruigilant tanquàm rationem reddituri pro animabus veſtris, id eſt, officium peruigilandi habent, tanquàm propter hoc officium & miniſterium ſunt honorandi, neque propter hoc à ſubditis iudicandi, etiam ſi malè & vitioſè viuant. Non hæc dico quòd indignos ad ſacerdotium aſſumi probem, ſed miſereſcens dico, quia non ſolùm B
pro proprijs actionibus, ſed pro noſtris quoq; iudicandi ſunt, & ideo magis illos
Num 22.c venerari oportet. Per aſinam loquutus eſt Deus, & per linguam immundam Balaam, benedictiones ſpirituales largitus eſt: multò magis per ſacerdotes malos ſedentes in cathedra Chriſti, ipſe operatur bona. Deinde etiam hoc cõſiderandum quòd bifariam quis ſeparatur ab eccleſia. Vno modo dum propter contumaciam aliquam, aut inobedientiam ab eccleſiæ communione reijcitur, de quo ſaluator:
Matth.18.c Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. De quo & Paulus primæ ad Corinthios quinto, iubens fornicarium de medio fratrum tolli.

Secundò, dum proprio ſuo iudicio eccleſiam Chriſti derelinquit, reputans eam non eſſe veram Chriſti eccleſiam. ſecundùm hunc modum ſe ab eccleſia Chriſti ſeparant, qui apoſtolica poteſtate, ſeu ordinatione contempta, ſuas ſibi conſti-
tuunt cathedras. aut ſuperba animoſitate inflati, aut vana cæcitate decepti, arbi- C
trantes non eſſe eccleſiam, vbi zizania ſeu palea cõmixta eſt cum tritico, vbi pontifices praui præſident, vbi ſacerdotes habent temporalium rerum poſſeſſiones. Si quis ob huiuſcemodi cauſas ab eccleſia Romana ſe ſeparat, aliã ſibi conſtituens congregationem & alios prælatos, membrum eſt non corporis Chriſti, ſed diaboli. Et ita non oportet eſſe conſequens mox aliquem eſſe membrũ in eccleſia Chriſti, ſi de Chriſti diuinitate & humanitate recte ſentiens, arbitratur ſe laudabiliter in fide & charitate viuere. Sic & Auguſtinus, quemadmodum ex ſuperioribus patet, iam olim docuit duplici ex cauſa contingere aliquẽ non eſſe membrum eccleſiæ. Vno modo, ſi de capite eccleſiæ, quod eſt Chriſtus, à literis ſacris diſſentiat, etiam ſi in locis reperiatur, vbi eſt eccleſia. Secundo modo, ſi de corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, à ſcripturis ſacris diſſentiat, etiam ſi de capite Chriſti rectè ſentiens, laudabiliter viuere videatur. Poſſunt quidem apud Indos & Babylonios, & D
in vltimis mundi partibus eſſe vera membra Chriſtianæ eccleſiæ, colligata non ſecundùm locorum ſpatia, ſed ſecundùm animorum vincula, quę ſunt fides & charitas chriſtiana: ſed fides hæc & charitas chriſtiana eſſe non poſſunt apud eos qui aut ſibimetipſis, aut ſemetipſos conſtituunt epiſcopos, contemnentes eccleſiam illam in qua eſt ſacerdotium Chriſti, hoc autem eſt, vbi epiſcopi legitima ſibi ordinatione ſuccedunt, ſerie tracta à Chriſto in apoſtolos, ab apoſtolis in ſucceſſores à ſe conſtitutos epiſcopos, & per illos in alios, ad hæc vſque tempora.

Sequitur pars ſecunda.

Actenus de eccleſia, & quibus vijs vera Chriſti eccleſia ab adulteris eccleſijs internoſci valeat, in eo quòd omnẽ eccleſiam oportet deriuari ab eccleſia apoſtolica. Iam de Romana eccleſia diſſerendum eſt, vtrùm oporteat tenere, ipſam habere vigorẽ & poteſtatem ſuper omnes eccleſias. Quàmuis ex ſupradictis ſit demonſtratum omnem Chriſtianum populum, & omnem particularem eccleſiam debere cõuenire, at-

CAP. III.

A reatque ſubeſſe vni catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, & eos ſchiſmaticos eſſe qui nemine ſecundùm ſeriem ſucceſſionis epiſcopatum dante, aut ſemetipſos, aut ſibimetipſis conſtituunt epiſcopos: non tamen inde cõſequens eſt Petri cathedram in qua ſecundùm ordinem ſucceſſionis hactenus conſident Romanæ eccleſiæ pontifices, eſſe cæteris eccleſijs in poteſtate ſuperiorem, cæterisque propterea eccleſijs prælatam, vt ab ea deriuari & originem habere debeant cæteri epiſcopi & pontifices. Et neque id, ſed contrarium potius videtur comprobatum ex ſcripturis, ex quib⁹ cõſequens apparet, quòd omnes apoſtoli fuerint inter ſeſe æquales, & quòd parem omnes acceperint à Chriſto poteſtatem remittendi & retinendi peccata, parem facultatem ligandi & ſoluendi, parem poteſtatem docendi & teſtificandi ſalutis euangelium, ius baptizandi. Æqualiter & indiſtinctè Chriſtus dixit omnibus: Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata. &c. Euntes in mun- Iohan.20.f
B dum vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Æqualiter omnibus dixit: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. Et ita videtur ex iure diuino quilibet epiſcopus in ſua diœceſi eſſe ſupremus, & non eſſe alterum in poteſtate ſuperiorem altero: ſingulis dedit poteſtatem ſuper mundum vniuerſum, omnibus æqualiter dicens: Euntes in mundum vniuerſum, vt per eos impleatur prophetia, Pro Pſal.44.d
patribus tuis nati ſunt tibi filii, Conſtitues eos principes ſuper omnẽ terram. Eos, intelligens apoſtolos, tunc futuros principes ſuper omnem terram. Quod & Cyprianus planè docere videtur, Apoſtolis omnibus Chriſtus parem (inquit) poteſtatem tribuit, dicens: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Accipite ſpiritũ ſanctum. Ex his & ſimilibus ſcripturis inueniunt ſchiſmatici occaſionem, vt dicant, Iohan.20.f
C inter ſacerdotes, paſtores & epiſcopos, non eſſe alterum altero ſuperiorem. His igitur & id genus alijs malicioſis dogmatibus obuiantes, primùm dicimus quòd omnes apoſtoli acceperint à Chriſto poſt reſurrectionem parem cum Petro poteſtatem docendi euangelium, facultatem æqualem baptizandi & remittendi peccata. Ipſe tamen Chriſtus poſtea ex hoc mundo tranſiturus, vt vnitatem eccleſiæ (inquit Hieronymus) ſignificaret, & obuiaret occaſioni ſchiſmatis, præfecit Petrum vniuerſalis eccleſiæ paſtorẽ, Iohannis vigeſimo primo, volens vt cæteri apoſtoli hac poteſtate vterentur tanquã membra manentia in vnione corporis Chriſti, & totius fraternitatis eccleſiæ, tanquàm filij & oues ſub cathedra Petri. Dum Chriſtus omnibus diceret: Ecce ego mitto vos ſicut miſit me pater, & inſufflans dixiſſet: Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, nondum videtur Petrus toti eccleſiæ cæterisque apoſtolis prælatus, neque plus cæteris aliquid accepiſſe, Iohannis vigeſimo. Cùm autem poſt dies octo, rurſus Chriſtus apparuiſ-
D ſet Petro, cæterisque quibuſdam diſcipulis, & diceret Petro præ cæteris: Petre amas me, paſce oues meas. Ipſe iam Petrus conſtituitur vniuerſalis eccleſiæ paſtor, cæterisq; apoſtolis prælatus eſt, Iohãnis vigeſimo primo, & tunc ei Chriſtus dedit claues, quas ante reſurrectionem ipſi promiſerat, dicens: Tibi dabo claues regni cœlorum. Quibus conſideratis, clara erit ſententia patrum docentium, Chriſtum Matth 16.d
omnibus apoſtolis primùm dediſſe parem poteſtatem, deinde prefeciſſe Petrum cæteris, vt ſchiſmatis tolleretur occaſio. Vnde & Petrum accepiſſe à Chriſto primatum ſuper omnes oues, & eſſe epiſcopum catholicæ, id eſt, vniuerſalis eccleſiæ, ex ſcripturis ſacris intellexerunt omnes eccleſiæ patres ab exordio primitiuæ eccleſiæ, ad hæc vſque tempora, honorantes cathedram Petri, vt matricem & caput vniuerſalis eccleſiæ. In exordio naſcentis eccleſiæ vniuerſi Aphricæ epiſcopi ſu- Epiſcopi Aphricæ ſedem apoſtolicam conſulunt.
per rebus quibuſdam dubijs ſedem conſuluerunt apoſtolicam, Petri cathedram, quibus & Euariſtus, à Petro quartus Romanæ eccleſiæ epiſcopus reſpondet, ſimul & commendat illos, quòd prudenter fecerint ad apoſtolicam ſedem tanquàm ad caput

Universidad de Deusto
BibliotecA

PARS II.

caput confugientes. Scripturæ autem sacræ ex quibus præcipuè sancti patres ab initio semper intellexerunt Petrum à Christo ordinatum fuisse pontificem vniuersalis ecclesiæ, cæterisque apostolis prælatum, sunt huiusmodi. Primùm Matthæus euangelista capite decimo, numerum apostolorum describens, sic loquitur, Duodecim autem apostolorum nomina hæc sunt: Primus Simon, qui dicitur Petrus. Hoc autè non potest intelligi, quòd Petrus fuerit primus tempore aut vocationis ordine, quoniam Andreas prius sequutus est Christum quàm Petrus, Iohannis primo. Dicitur ergo Petrus esse primus apostolorum, dignitate, & prælationis potestate. Hæc est planè Ambrosij sententia. Prius inquit sequutus est Andreas saluatorem quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus. Et quàmuis Apostolus ad Galatas nominando præponat Iacobum Petro, non tamen similiter hinc consequens est Iacobum esse Petro superiorē potestate. Non enim argumentati sumus, Petrum apost. habuisse primatum propterea, quòd inter apostolos primo loco fuerit nominatus, sed quòd primus apostolorum fuerit nuncupatus. Deinde, Christus alijs apostolis præsentibus peculiariter dixit Petro Beatus es Simon &c. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi nou præualebunt aduersus eam. Tibi dabo claues regni cœlorum. Quòdcunque ligaueris super terram &c. In hac scriptura, quemadmodum mox sumus ostensuri, semper ab initio intellexerunt patres Petro promissum esse primatum super ecclesiam, per petram intelligentes Petrū apostolum, super quem Christus sua authoritate fundauit ecclesiam. Amplius autem manifestus est & alius scripturę locus, docens Petrum à Christo habuisse primatum seu præsidentiam super vniuersalem ecclesiam. Dominus noster Christus post resurrectionem suam transiturus ex hoc mundo, presentibus Iohanne, Iacobo, Thoma, Nathanaele & alijs duobus discipulis dixit soli Petro: Petre pasce oues meas, nihil de hoc dixit Iohanni, nihil Thomæ, quibus tamen postea commissi sunt particulares greges: soli autem Petro, generali verbo & absque distinctione, oues & claues regni cœlorum committuntur. Scripturis igitur sacris demonstratur Petrus fuisse vniuersalis ecclesiæ pastor, cæteris omnibus prelatus. Hic iam si dixeris huiusmodi scripturas posse interpretari aliorsum, atq; in alios sensus, ex quibus non erit consequens Petrum accepisse primatum super apostolos cæteros, & ita non videtur necessarium huic sententiæ, tanquam doctrinæ fidei inhęrere. Respondeo id consequens non esse: nam & ille mos est omnium hæreticorum, qui cùm eisdem habeant scripturas, aliter quàm habet traditio ecclesiastica interpretantur. Verum quidem est quòd huiusmodi verba Christi, sicut & multa alia in scripturis sacris, hæretici exponant secundùm sensum, quem sibi vnusquisq; præsumpserit: sed in omnibus obijcienda est illis Christianæ religionis machina inuincibilis, quæ (vt ait Augustinus) cunctas hæreses semel aboleuit. Hæc autem, quemadmodum iam diximus crebrò, est traditio seu definitio ecclesiæ, hoc est, ipsa professio concors omnium sanctorum patrum secundùm suorum temporum successiones concorditer reddentium testimonium scripturis sacris, sententijs Christi, & consuetudini primitiuæ ecclesiæ. Cùm igitur in verbis Christi dicentis, Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Et, Quodcunque ligaueris super terram, &c. Item, Petre amas me, pasce oues meas. concors sit patrum professio secundùm suorum temporum successiones ab initio ecclesiæ, ad hæc vsque tempora definientium in Petro fuisse primatum vniuersalis ecclesiæ, consequens est, omnem arrogantem, his pertinaciter reluctantem, contemnere ecclesiam catholicam, & scindere inconsutilem Domini tunicam. Hic iam si rursus obieceris quibusdam patribus sanctis placuisse per petram, super quam fundatur ecclesia, non Petrum, sed Christum intelligere. Respondeo, Nemo est qui asserit hoc non posse aliter interpretari, & per petram non posse

Scripturæ ex quibus patres intellexerunt primatum Petri.
Matth.10.a
Amb. super 2. Cor. cap.12. iuxta finem.
Matth.16.c
Matth.16.e Ioan.21.
Ioan.21.f

CAP. III.

posse intelligi Petrum. Deinde etiam si per petram velis intelligere Christum, nihilominus probatur illic apud Matthæum Petri primatus. Nam & alia verba quibus in eadem sententiarum cohærentia vsus est Christus, dicens: Tibi dabo claues regni cœlorum. Quodcunque ligaueris super terram, &c. sufficienter docent Petro promissam fuisse præsidentiam super vniuersalem ecclesiam, patribus talem intellectum colligentibus ex eisdem verbis. Deinde Petrum fuisse petram, super quam Christus ædificauit ecclesiam, admittunt Origenes, Cyprianus, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Bernardus. Quis est tam maligni sensus, qui calūmietur patres istos ignorasse solum Christum esse fundamentum & caput. Fundamentum dico & caput, quòd propria sua ipsius virtute, ædificium & compagem membrorum ecclesiæ contineat, quòd ex se ecclesiam firmam, stabilem, & immoblem faciat. Caput quòd ecclesiæ membris robur vitæ incrementum seu augmentum præstet. Tale enim caput & fundamentum aliud præter Dominum Iesum nemo potest ponere. Sed huic non obuiat, quin & Petrus constitutus Christi vicarius fuerit fundamentum, quòd ex virtute pascendi à Christo accepta ecclesiam vniuersalem tenuerit stabilem & immobilem, per ipsum ligandi & soluendi potestate in totum terrarum orbem deuoluta. Sic enim Cyprian. Chrysost. Hieronym. & cæteri patres ex scripturis docuerunt Christum verum ecclesiæ pastorem, & firmam petram, & substantiale fundamentum sua authoritate dispositisse originem vnitatis ecclesiæ, ab vno incipiente Petro. Ecclesiastici ergo patres cùm ex scripturis Petrum faciunt petram seu fundamentum, & caput ecclesiæ, dicentes, Christum ædificasse suam ecclesiam super ipsum Petrum, & eundem Petrum positum esse caput & pastorem super eandem ecclesiam, non tam stupidi sunt intellectu, vt Petrum intelligant talem fuisse pastorem, tale caput, & tale fundamentum quale est Christus, qui sua virtute continens ædificij onus, intus operans robur & incrementum, facit ecclesiam inter blandimenta & irritamenta huius seculi esse stabilem ac immobilem. Quis nescit huiusmodi esse solius Christi officia? qui solus est mediator, qui intus pascit, intus sustentat, de quo Paulus. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Proinde patres sancti exactissimè discutientes sacras literas considerarunt ex eisdem esse manifestissimum, huiusmodi officia, quæ sunt potestate propria Christo, participatione quadam communia esse Petro cæterisq; Apostolis, quasi diis quibusdam in terra, & attributa Petro, quasi horum Deorum principi. Sic ait Chrysostomus: Vide qualiter Christus reducit Petrum ad excelsam de ipso intelligentiam, promittens se hoc ipsi daturum, quæ sunt propria solius Dei, scilicet peccata soluere, & ecclesiam immutabilem facere, inter tot persequutionum & tentationum procellas. Sicut legitur Christo data omnis potestas in cœlo & in terra, qui solus aperit & nemo claudit, qui & vnus Deus, cum patre & spiritu sancto, solus peccata remittit, à quo & fluunt charismatum dona in omnia ecclesiæ membra: ita & Petro legitur data potestas claudendi & aperiendi, continendi, & consolidandi, pascendi & illuminandi, & remittendi peccata, dicente ad illum Christo: Tibi dabo claues regni cœlorum, quodcunque ligaueris super terram & cæt. Tu autem conuersus, confirma fratres tuos, Pasce oues meas. Et ad omnes discipulos: Vos estis lux mundi, Vos estis sal terræ. Vnde & Paulus ipse testatur se posuisse fundamentum: Vt sapiens (inquit) architectus fundamentum posui. His similibusque scripturis consideratis, ecclesiastici patres intellexerunt non derogare diuinæ potestati, nec iniuriam fieri Christo, vero ecclesiæ fundamento, soli vero pastori & capiti, si dicamus ipsum ædificasse ecclesiam suam super Petrum, dum à se deriuata potestate in Petrum, voluit suam nouam incipere ecclesiam. Nec obstat quòd Christus non dixit, Tu es Pe-

Aliter intellexerunt patres, Christum esse fundamentum & caput ecclesiæ, aliter Petrum.

1 Corinth 3.b
In commentarijs cap 16. in Matthæ.
Matth 28.d
Apoc 3.b
Matth.16.e
Matth.5.b
1.Cor 3.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

es Petrus, & ſuper te petram ædificabo eccleſiam meam. Nam & hoc ponderandum quòd ipſe non dixit, ſuper me petram ædificabo eccleſiam meam, neque petram, ſed ſe dixit ædificaturũ eſſe eccleſiam ſuper petram. Ego, inquit, ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, ſecundùm ſenſum magis germanum, volens ſignificare alium eſſe qui ædificat, aliud ſuper quod ædificat, & ita ſe eſſe fundatorem, Petrum autem fundamentum, portas inferi appellans hæreſes, ſchiſmata, tyrannorum perſequutiones & blandimenta, quibus abſtracti homines qui ad inferos vadunt, aduerſus eam non prævalebunt. Aduerſus eam, intellige non petram, ſed eccleſiam, quam huiuſcemodi vires non potuerunt vincere ſeu expugnare, nec à ſoliditate fidei, quam confeſſus eſt Petrus, ſeparare. Chriſtus itaque ædificauit eccleſiam ſuam & ſuper ſe, & ſuper Petrum. Super ſe quidem, quia ipſe eſt cuius virtute & merito, eccleſia iuſtorum inter tot & tantas perſequutiones manet immobilis: ſuper Petrum autem, dum ipſe ex hoc mundo tranſiturus, vt ſciſmatis vitaretur occaſio, præfecit illum vniuerſali eccleſiæ, conſtituens illum generalem ſuum vicarium, per cuius miniſterium deriuarentur ſeu diſpenſarentur ſua gratiarum munera in cæteros eccleſiæ paſtores. Quemadmodum Anacletus poſt ſanctum Clementem, eccleſiæ Romanæ pontifex, adhuc viuentibus apoſtolis Thoma & Simone, in nouo teſtamento, inquit, poſt Chriſtum Dominum ſacerdotalis ordo à Petro cœpit, quia ipſi primũ à Chriſto põtificatus in eccleſia Chriſti eſt datus, dum factus eſt vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus, per quem Chriſtus communicatis illi clauibus, aperiendi & claudendi regnum cœlorum, in totam plebem Chriſtianam diuina ſua munera ita voluit diſpenſari, vt exortem, id eſt, extra ſortem eccleſiæ intelligat ſe eſſe, qui à ſocietate cathedræ Petri, auſus fuerit recedere, vt ſit vnum ouile, & vnus inuiſibilis paſtor Chriſtus, & vnus totius Chriſtiani ouilis paſtor viſibilis Chriſti vicarius. Et ſic eccleſiaſtici patres ab initio ad hæc vſque tempora intellexerunt non eſſe abſurdum, ſi per petram intelligatur Petrus, ſuper quem ipſe Chriſtus ædificauit eccleſiam: tametſi nõ fuerit abſonus intellectus etiam per Petram intelligere Chriſtum, vt accipiantur verba Chriſti ſub hoc ſenſu: Tu es petrus, à me petra, & ſuper hanc petram, id eſt, ſuper memetipſum ædificabo eccleſiam meam. ſecundùm quem ſenſum, conſequens eſt, eundem eſſe fundatorem & fundamentũ. Sed nihil refert, modò intelligamus ꝙ Deus pater fundauerit eccleſiam ſuam ſuper Chriſtum hominem, quem mittens in hunc mundum viſibilem, conſtituit fundamentum & caput ſuper omnem eccleſiam, & quòd Chriſtus ex hoc mundo tranſiturus, futurus iam eccleſiæ inuiſibilis, fundauerit eccleſiam ſuper fundamentum viſibile, conſtituens Petrum viſibilem ſuæ eccleſiæ vicarium, qui acceptis ab illo clauibus regni cœlorum, ſecundùm poteſtatem ſibi datam, aperiret, clauderet, ligaret & ſolueret. Vnde & huius cõſideratione, Auguſtinus irrefragabilis ſacræ theologiæ interpres: Cùm in nonnullis meis, inquit, opuſculis per petram intellexerim Chriſtum, de qua dicitur, Petra autem erat Chriſtus. tamen & in quodam loco, inquit, dixi de Apoſtolo Petro, quòd in illo tanquam in petra ædificata eſt eccleſia. Addit: harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior, eligat lector. Vides Auguſtinum neutram interpretationem reijcere, tanquam ſcripturis contrariam. Ex quo poteſt Chriſtianus quiſque facile conijcere iactantiam, temeritatem & arrogantiam cuiuſdam, dicentis: Quòd ſi Auguſtinus & omnes patres in verbo ſaluatoris per petram intellexerunt Petrum, reſiſtam ego eis vnùs authoritate Apoſtoli, dicentis: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere & cæt. Simili ratione dicerentur Apoſtoli non habere poteſtatem remittendi peccata, aperiendi & claudendi, quia ſolus Deus remittit peccata, ſolus Deus aperit, & nemo claudit, & tamen in ſcripturis hæc omnia legimus etiam apoſtolis attributa. Vtrumque ergo in ſuo ſenſu eſt verum,

A B C D

Aug. 1. lib. retract. c. 21. b
1. Cor. 10 b

A Verum, & quòd ſolus Deus remittit peccata, & quòd ſacerdotes etiam nihilominus peccata remittunt, & id quidem vt miniſtri operantes in virtute Dei: ſic & ſolus Chriſtus eſt eccleſiæ fundamentum, & Petrus per virtutẽ Chriſti. Verum quidem eſt, non eſſe quempiam hac in re damnandũ, eò quòd dixerit ſaluatorem per Petram, ſuper quã ædificanda erat eccleſia ſignificaſſe Chriſtũ. Sic etenim interpretati ſunt probatiſſimi viri. Nec mirum, nam & Petrus nõ poteſt eſſe petra aut fundamentum niſi per Chriſtum, qui non ſolùm eſt eccleſiæ fundamẽtum, ſed & fundator, ædificator, & inhabitator, lapis angularis, ianua ſeu oſtium in imo & in ſummo, paſtor bonus, & lux mundi: ſed damnandus eſt quiſquis de eo, quòd ab antiquitate doctrinæ eccleſiæ ſeparans ſe, cæteros omnes eccleſiaſticos patres, quæ ſunt columnæ & fundamenta doctrinæ eiuſdem eccleſiæ, damnat, ab eccleſia ſeparat, iugulat, iudicans illos tanquam docentes falſam doctrinam, & ſcripturis ſacris contrariam; cùm tamen ex eiſdem ſcripturis ſacris fuerit illis eccleſiæ patribus manifeſtiſſimum, ea quæ ſoli Deo ſunt propria, etiam ſacerdotibus Chriſti, participatione accepti ſpiritus ſancti, eſſe communia. Qualia ſunt, habere claues regni cœlorum, aperire & claudere, remittere peccata & retinere, eſſe lumen mũdi, petram & fundamentum. Nemo vnquam fuit ex catholicis, qui non intellexit quòd aliter Chriſtus eſt petra & fundamentum, aliter Petrus: aliter Chriſtus eccleſiæ fundator, aliter eccleſiarum fundatores Apoſtoli, qui authoritatem & poteſtatem docendi & diſpenſandi miniſteria, & myſteria Dei à Chriſto acceperunt. Aliter Chriſtus lux mundi, aliter Apoſtoli de quibus dicitur: Vos eſtis lux mundi. Occurrunt ſæpenumero in eundem ſcripturæ locum diuerſæ ſanctorum patrum interpretantium ſententiæ, ſed conueniunt in vnitate pacis & in fide catholica, vbi alter alterius ſententiam non damnat, non ab eccleſia ſe ſeparat.

B Propria Chriſti participatione ſpiritus ſancti communia facta ſunt Apoſtolis.

Matth 5.b

C Et ne videamur pro affectionibus noſtris velle ſententiam hanc defendere, operæpretium'eſt oſtendere vniuerſam eccleſiam catholicam ex ſupradictis ſcripturis & alijs ſimilibus erga Petrum tam geſtis quàm dictis, ſemper intellexiſſe, quòd Petrus pro ſe & ſuis ſucceſſoribus acceperit à Chriſto vniuerſalis eccleſiæ primatum, & quòd verba quibus claues regni cœlorum Chriſtus promiſit Petro, dicẽs Tibi dabo claues regni cœlorum. Verba item quibus fecit illum vniuerſalis eccleſiæ paſtorem, dicens: Paſce oues meas, dicta ſunt nõ ſoli perſonæ Petri, ſed omnibus qui Petro legitima ordinatione ſuccedunt. Et quòd Petrus eſt Petra, ſuper quam Chriſtus fundauit eccleſiam, & ita eundem fuiſſe paſtorem, quem præfecit vniuerſali eccleſiæ. Erit autem hoc manifeſtiſſimum, ſi conſideremus quòd omnes ab initio eccleſiaſtici pontifices, patres, martyres, & vniuerſalis eccleſiæ concilia, honorauerunt Romanæ eccleſiæ pontificem, tanquam ſupremum & vniuerſalis eccleſiæ epiſcopum, ad quem ſuper anxijs rebus, quoties ratio fidei ventilatur, debeat haberi recurſus. Quemadmodum beatus Innocentius docuit ante annos mille & centum, ad Auguſtinum cæteroſque Aphricanos ſcribens ſecundùm antiquæ ſedis regulam, toto ſemper ab orbe ſeruatam, cauſam fidei ad Petri ſedem debere referri. Cùm audis beatum virum Innocentium ante mille annos teſtificantem antiquum eccleſiæ ſtatum, & antiquam regulam, in toto orbe ſeruatam, cauſas fidei debere referri ad ſedem Petri, quid adhuc dubitas? Et quòd ille fuerit antiquus eccleſiæ ſtatus, teſtantur eccleſiaſtica geſta, & ſcripta ſanctorum patrum, ante Innocentium ab exordio Chriſtianæ eccleſiæ, quibus manifeſtum eſt epiſcopũ Romanæ eccleſiæ vſum fuiſſe ſui primatus poteſtate ſuper vniuerſum orbem. Ab initio poſtquam conſtitutis diœceſibus Petrus cathedram ſuã Deo iubente fixerat Romæ, omnes epiſcopi vbiuis gentium conſtituti fuerant in toto mundo, tam in Aphrica q̃ in Aſia, & in Europa, etiam nonnullis Apoſtolis adhuc viuentibus honorauerũt Romanæ eccleſiæ cathedram, vt primam, ad quam in re-

Matth. 16. c
Iohan. 21. f

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus fidei dubijs,alijsque arduis vniuersalis ecclesiæ negotijs habebatur recursus, A
ad quam & omnibus semper episcopis grauatis licuit appellare. Euaristus quin-
tus à Petro, Romanæ ecclesiæ episcopus,sub cuius pontificatus anno secundo mo-
ritur euangelista Iohannes, præcepit episcopis in Aphrica, vt septem apud epi-
scopum sint diaconi,qui quasi sint oculi ipsius episcopi.In Aphrica Cyprianus &
Augustinus residentes,honorauerunt Romanæ ecclesiæ pōtificē,vt sibi & cæteris
omnibus præpositum.Ante mille & ducentos circiter annos sub suis temporibus,
ipse Cyprianus & cæteri episcopi acta in synodis referebant ad apostolicam se-
dem. Hæretici insuper & schismatici ab Aphricana ecclesia reiecti, Romā,si cre-
dimus Cypriano, nauigabant,appellaturi Romanæ ecclesiæ pontificem, succes-
sorem Petri. Basilides post crimina sua detecta,& conscientiam etiā propria con-
Episcopi depo sti cōfugerūt ad sedē Petri appellando. fessione nudatam, Romam,inquit Cyprianus,pergens,apud Stephanum Romanæ B
ecclesiæ episcopum ambiuit sese iniustè reponi in episcopatum, de quo fuerat
iustè depositus. Deinde Augustini seculis Cecilianus Carthaginensis episcopus
ab hæreticis reiectus, causa sua iam agitata, fuit restitutus per Melchiadem Ro-
manæ ecclesiæ pontificem. Testis est Augustinus in epistola ad Glorium & Feli-
cem. Deinde & in Asia,in Ægypto,in Græcia,episcopos fuisse sub Romano pon-
tifice, patet ex antiquissimis historijs atque decretis, ex quibus luce clara depre-
hendimus Antiochenos, Athenienses, alexandrinos, Constantinopolitanos,
Dardanios, Corinthios,semper honorasse episcopum Romanæ ecclesiæ, vt præ-
positum, primum & maximum episcoporum. Flauianus Constantinopolitanus
episcopus,appellauit ad Leonem Magnum, per quem & ipse in sedem suam est
restitutus:sic & Athanasius suæ sedi in Asia restituitur per Romanæ ecclesiæ epi-
scopum,quem & multis in locis appellat vniuersalis ecclesiæ episcopum, in epi- C
stola ad Marcum Romanæ ecclesiæ episcopum sic scribens: Domino sancto &
apostolici culminis venerando,Marco sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis, at-
que vniuersalis ecclesiæ papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum episcopi.
Item Chrysostomus Constantinopolitanus episcopus appellauit ad Innocentium
papam,& restitutus est per eundem. Episcopum Romanæ ecclesiæ in rebus fi-
dei consuluit Hieronymus scribens ex Asia ad Damasum papam. Item beatus
Ambrosius. Ambrosius, quemadmodum & cæteri episcopi in Italia, cognouerunt Romanæ
ecclesiæ episcopum, vt sibi præpositum, & vniuersalis ecclesię primatem, tra-
ctans illud ad Galatas primo: Post annos tres ascendi Hierosolymam videre Pe-
trum,dignum,inquit,est vt cuperet videre Petrum, quia primus erat Apostolo-
rum,cui delegauerat Dominus curam ecclesiarum, Idem in sermone de fide &
pœnitentia Petri. Et quemadmodum ex superioribus patet secundū eundē Am- D
Incap 11. po- ster. epistō. ad Corinth. brosium, Petrus appellatur Apostolorum primus, quia cęteris omnibus fuit
prelatus. Prior secutus est Andreas Saluatorem quàm Petrus, tamen prima-
tum,inquit, Ambrosius non accepit Andreas, sed Petrus. Quòd etiam ipse Pe-
Ostenditur ex scripturis & historijs Petrum & successores eius exercuisse primatum. trus, & post illum primi successores exercuerunt primatus potestatem super cæ-
teros episcopos, patet primùm ex scripturarum gestis, deinde ex historijs san-
ctorum ab initio primitiuæ ecclesiæ ad hæc vsque tēpora. Ipse Petrus post ascen-
sionem pręsentibus alijs Apostolis,& Maria matre Iesu, exurrexit in medio fra-
Hiero in epist ad Aug. quæ est 11. in epistolis Augustini, dicit Petrū fuisse authorem Decreti, quòd post euāgelio lex nō sit seruā trum, & quasi præsidentię suę actum exercens, proposuit de nouo Apostolo eli-
gendo in locum Iudę substituendo. Similiter & in die Pentecostes exurgens in
medio fratrum loquutus est Iudæis, & primum fecit miraculum sanans clau-
dum,& tanquam caput, os & vertex Apostolorum, alijs Apostolis pręsentibus,
ipse solus respondit Iudęis. In Ananiam & Saphyram sententiam mortis dedit,
vide capitulum primum, tertium, & quartum in actis Apostolorum. In Hieru-
salem dubitatione habita super legalium obseruantijs, ipse surgens soluit quę-
stionem

stionem, declarans salutem fieri per gratiam Iesu Christi ex fide,& iugum legaliū A
præceptorum non esse imponendum credentibus. Iacobus quidem secūdum Pe-
tri doctrinam, sententiam pronunciauit, sed hoc(si Hieronymo credimus)fuit
Petro deferente Iacobo in propria ecclesia residenti. Vnde & idem Iacobus fra-
ter Domini à Petro coassumptis Iohanne & Iacobo Zebedæi ordinatus est pri-
mus episcopus Hierosolymorum. Cuius rei testes sunt Anacletus martyr, Hie-
ronymus,& Chrysostomus homilia octogesima septima super Iohannem. Dein-
de & beatus Clemens planè testatur petrum per orbem instituisse episcopos, &
Paulum segregatum authoritate ecclesiæ ad episcopale ministerium, indicat scri-
ptura Actuum decimotertio capite. Beatus Anacletus martyr in epistola quam
scripsit omnibus ecclesijs,docet in maioribus causis ad sedem apostolicam appel-
lari posse, quoniam hoc apostoli, inquit, statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores
B causæ & difficiliores, omnes semper ad sedem referantur apostolicam,super quam
Christus vniuersam construxit ecclesiam, dicente ipso ad beatum principem à-
postolorum Petrum: Tu es Petrus,& super hanc petram, & cæt. Sacrosancta Matth.16.c
igitur Romana & apostolica ecclesia, inquit, non ab Apostolis, sed ab ipso Do-
mino saluatore nostro primatum obtinuit, ficut beato Petro Apostolo dixit: Tu Distinct. 22. e sacrosanctam decretis. es Petrus,& super hanc petram & cæt. Deinde Anacleti successor Euaristus, in
epistola quam scripsit ad fratres vniuersos Aphricæ regionis, sic loquitur:Dile-
ctissimis fratribus vniuersis Aphricæ regionis episcopis, Euaristus. Consulenti-
bus vobis fratres charissimi, quid super his,quæ in vestris cōtinebantur scriptis,
visum nobis esset, vel quid docibilis ratio persuaderet, aut quid à beatis Apo-
stolis nobis traditum aut custoditum remaneret, optantes, vt retulistis, nostris
instrui documentis: siquidem dilectio vestra normam sequuta prudentium, ad
C sedem Apostolicam reddere maluit quasi ad caput, quid deberet de rebus du-
bijs custodire potiùs q̄ vsurpare & præsumere. Rursus in altera epistola scribens
ad fratres in Ægypto tradit authoritate huius sanctæ sedis apostolicæ terminan-
dum esse, si populus aduersus episcopos vllam habeat querelam. Deinde Ale-
xander martyr successor Euaristi in epistola decretali ad omnes patres ortho-
doxos, planè affirmat sanctæ Romanæ sedis apicem esse caput, cui summarum
causarum dispensationes, & omnium ecclesiarum negotia ab ipso Domino sunt
tradita. Item beatus Marcellus iam olim ante annos mille & trecentos, quar-
tus ante Siluestrum Romanæ ecclesiæ pontifex Antiochenis, & vniuersis in Dar Ex decretis 14 quęst 1.ca. Rogamus. dania constitutis: Beatus Petrus caput, inquit, est totius ecclesiæ, cui Dominus
ait:Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo, & cæt. Huius sedes primitus
apud vos fuit, quæ postea iubente Deo, Romam translata est. Rursus in conci-
D lio Chalcedonensi declaratur ecclesiæ Romanæ pontifex esse petra refugij, ad
quam & cæteri episcopi liberam habent potestatem appellandi, cui soli ius est
decernendi episcoporum infamiam secundùm claues sibi à Deo datas. Item Cy-
prianus ante annos mille & ducentos super hac re pro suo tempore vniuersalis
ecclesiæ statum diuersis suis scripturis manifestat. Et primò ex tractatu de simpli-
citate prelatorum, quædam illius dogmata ad cognoscendum veros articuli hu-
ius occasione hæreticos videamus. Illic docet, quòd plus metuendus & cauendus
est inimicus cùm latenter obrepit, & cùm sub prætextu Christianæ fidei & pa-
cis, occultis accessibus serpit, vnde & nomen serpentis accepit, quàm dum aper-
tis persequutionibus per tyrannos,apostatas, & persequutores Christiani nomi-
nis grassatur. Quid astutius,quidue subtilius, quàm vt ipse iam per Christi ad-
uentum deiectus & prostratus, videns per nimiam credentium multitudinem se-
des suas ac templa deserta, excogitauerit nouam fraudem, vt sub ipso Christiani
nominis titulo, fallat incautos, inueniens hæreses & schismata, quibus subuertat

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidei veritatem, & corrumpat corporis Christi vnitatem, vt quos detinere non A
poteſt in veteris viæ cæcitate, circunſcribat & decipiat noui itineris errore, rapiēs
de Christi eccleſia homines, etiam eos qui ſibi videntur non deſerere eccleſiam
Christi, & dum ſibi videntur iam appropinquaſſe lumini, lucemq; ortam, ſeq; te-
nebras & regionem vmbræ mortis euaſiſſe, alias neſcientibus tenebras rurſus in-
fundant, vt nec cum Christo, nec cum illis lege, nec euangelio reuera conſiſtant,
exiſtimantes tamen ſeſe habere Christi doctrinam, veramque euangeliorum fi-
dem, & apud ſe eſſe ſanctam & apoſtolicam eccleſiam, cùm ſint cæci & in tene-
bris. Sic ergo per hæreticos & ſchiſmaticos transfigurat ſeſe ſatanas in angelum
lucis, ſubornans ſuos quoſdam miniſtros, veluti miniſtros Chriſtianæ fidei, velu-
ti miniſtros iuſtitiæ, qui propinent noctem pro die, & perfidiam ſub prætextu fi-
dei, Antichriſtum ſub vocabulo Christi odium ac diuiſionem contra Christum B
illiusque eccleſiam, ſub titulo fidei & charitatis Chriſtianæ, vt dum veriſimilia
mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur, aperiens ibidem huius fallaciæ
cauſam, docet eos idcirco falli, quia ad veritatis originem non redeunt, nec ca-
put quærunt, nec cœleſtis euangelij doctrinam ſeruant, quæ ſi quis conſideret &
examinet, non eſt opus, inquit, tractatu longo & argumentis. Probatio eſt ad fidem
Matt.16.e facilis compendio veritatis: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit
quia tu es petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ infe-
Iohan 21.f rorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris ſuper
Iohan.20.f terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta
& in cœlis. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Et quāuis
Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat
Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Accipite ſpiritum ſanctum, Si cui remiſe- C
ritis peccata, remittuntur eis, cui tenueritis, tenebuntur eis: tamen vt manifeſta-
ret vnitatis eiuſdem originē ab vno incipientē ſua authoritate diſpoſuit, hoc erant
vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus pari conſortio præditi & honoris, &
poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt eccleſia vna eſſe monſtretur:
Cant.6.e quam vnam eccleſiam etiam in Cantico canticorum ſpiritus ſanctus in perſona
Christi loquens deſignat: Vna eſt columba mea, vna eſt matri ſuæ electa genitri-
cis ſuæ. Hanc eccleſiæ vnitatem, qui non tenet, quomodo tenere ſe fidem credit?
quomodo ſe in eccleſia eſſe confidit? Quando & beatus Paulus hoc doceat, & ſa-
Epheſ.4.a cramentum vnitatis oſtendat, dicens vnum corpus, vnus & ſpiritus, vna ſpes vo-
cationis, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, quam vnitatē fir-
miter tenere obligamur, maximè epiſcopi, qui in eccleſia præſidemus, vt epiſco-
patum quoq; vnum probemus eſſe atq; indiuiſum, cuius à ſingulis pars tenetur in
ſolidum, quomodo ſolis radij multi, ſed lumen vnum, rami arboris multi, ſed ro- D
bur vnum tenaci radice fundatum, fons vnus, ſed riui plurimi. In his omnibus nu-
meroſitas diffuſa eſt exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur integra in
origine, à qua ſi præcidatur, aut ramus, aut radius, aut riuus, perit aut areſcit: ſic &
eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum, radios ſuos porrigit, vnum tamen
lumen eſt, quod vbiq; diffunditur, vnum caput eſt, & origo vna, & vna mater fœ-
cunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius ſpiritu animamur, illius
lacte nutrimur, hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno, quos generauit, aſſignat. Ha-
bere nō poteſt Deū patrē, qui eccleſiā nō habet matrē. Hoc vnitatis ſacramētum,
hoc vinculum concordiæ de diuina firmitate veniēs, ſacramētisq; cœleſtibus co-
hærens, ſcindi non poſſe oſtenditur, quando in euāgelio tunica Domini non diui-
Iohan 19 e ditur omnino, nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte quis Christum potius indue-
Iohan.10.e ret, integra veſtis accipitur. Ipſe Deus in euangelio: Erit vnus grex, & vnus paſtor.
nō poſſunt igitur eſſe aut multi greges in vno loco, aut multi paſtores. Hæc & alia
multa

A multa de vnitate eccleſiæ ibidem contexuit Cyprianus. Verùm quæ hactenus
ex ſcripturis deduxit, cùm ad hoc videantur tendere, vt oſtēdatur vnitas hæc per
cohærentiam membrorum in vnione fidei & charitatis ſacramentorum & euan-
geliorum ſub vno paſtore Christo, dicent oſores cathedræ Petri, non inde conſe-
quens eſſe epiſcopos & paſtores omnes aut inſtituendos, aut ſubiectos eſſe cathe-
dræ Petri: Reſpondeo ex doctrina eiuſdem ibidem, verum quidem eſſe vnionem
per fidem & charitatem ſufficere, ſed talem vnionem non ſeruant hæretici, quan-
tumuis arbitrentur ſe & congregari in nomine Christi, & habere eandem ſym-
boli legem, eadem euangelia, eadem Christi ſacramenta. Et quia cæcitate percuſ-
ſi, ſe hæreticos eſſe fateri nō volunt, ſimul & aperit, quinam ſint huiuſcemodi hæ-
retici: Tales, inquit, ſunt, qui ſe vltrò apud temerarios conuenas ſine diuina diſpo-
ſitione præficiunt, qui ſedes alias, & conuenticula ſibi diuerſa condunt, veritatis
B caput atque originem relinquentes, qui ſibi præpoſitos abſq; vlla ordinationis le-
ge conſtituunt, qui nemine epiſcopatum dante, epiſcopi nomen ſibi aſſumunt,
qui non apoſtolicæ eccleſiæ epiſcopis in vnitate pacis cohærent, Hæc & alia mul-
ta Cypriani dogmata, in tractatu de ſimplicitate prælatorum. Ex quibus planè pa
tet eccleſiæ vnitatem ex ſcripturis ſacris eſſe quærendam, in quibus legitur Chri-
ſtus ſua authoritate diſpoſuiſſe originem vnitatis ſuæ eccleſiæ ab vno incipere Pe-
tro, cui ipſe tradidit claues regni cœlorum. Et q̄uis omnibus Apoſtolis parē dedit
poteſtatem priuſquam Petrum præficeret, poſtea tamen originem vnitatis & pa-
ritatis huius poteſtatis ab vno incipientem diſpoſuit, dum inter duodecim pri-
mùm pari poteſtate præditos, poſtea vnus eligitur, & præficitur ab ipſo Chriſto.
Quāmuis ergo parem à Chriſto acceperint poteſtatem, Chriſtus tamen ſua au-
thoritate diſpoſuit vnitatem ab vno incipere, ſcilicet Petro. Hæc eſt manifeſta
C ſententia venerabilis Hieronymi contra Iouinianum. Et eandem hanc eſſe Cy-
priani ſententiam planè intelligere poſſumus ex alijs diuerſis epiſtolis, in quibus
ipſe planè docet epiſcopalem poteſtatem eſſe eccleſiæ gubernandæ vigorem, ſub-
limem & diuinam poteſtatem, hortans cęteros, quatenus & cognoſcant & teneant
eccleſiam Romanam, vt catholicæ matricē atque radicem & eccleſiam principa-
lem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, & illius eccleſiæ fidem apoſtolico ore eſſe
laudatam, & ad illam nō poſſe perfidiam habere acceſſum, & eccleſiā catholicam
tunc fuiſſe apud Cornelium Romanæ eccleſiæ pontificem, qui Fabiano legitima
ordinatione ſucceſſit, & eccleſiam non poſſe eſſe apud Nouatianū, qui apoſtolica
traditione contempta, nemini ſuccedens, ſemetipſum ordinauit, & Romanæ ec-
cleſię epiſcopum eſſe catholicæ eccleſiæ, id eſt, vniuerſalis eccleſiæ pontificē, qui
canones tradit vniuerſales, id eſt, ab omnibus coepiſcopis obſeruādos, & ſchiſma-
D ticos ad eccleſiam redeuntes, tunc eſſe confeſſos Cornelium eſſe epiſcopum ſan-
ctiſſimæ catholicę eccleſię, & vnum epiſcopum in catholica eccleſia eſſe debe-
re, & eos qui exiſtimabant ſe grauari ex Aphrica, ad Romanam eccleſiam appel-
laſſe. Et Petrum Romanę eccleſiæ pontificem fuiſſe ſuper quem a Chriſto funda-
tur eccleſia, & eiuſdem Romanæ eccleſię epiſcopum eſſe qui ſecundùm ſucceſ-
ſionem Petro vicaria ordinatione ſuccedit, & eum eſſe primum epiſcopum, & eos
non ſeruare vnitatem eccleſiæ, qui ſe contra illum erigunt. Hactenus Cypriani
dogmata. Ex quibus manifeſtum eſt Christum poſt ſuam reſurrectionem omni-
bus Apoſtolis parem poteſtatem tribuiſſe, & tamen vnitatis originem ab vno in-
cipientem, ſua authoritate diſpoſuiſſe, dum vni dixit: Paſce oues meas. vbi inter Iohan.21.g
duodecim, vnus à Christo eligitur præfectus, vt ſublata occaſione ſchiſmatis, vni-
tas eccleſiæ ſeruaretur. Et ne quiſquam arbitretur nos confingere ex cerebris
noſtris, videamus an ne ſit plana Hieronymi ſententia contra Iouinianum: Su-
per Petrum, inquit, fundatur eccleſia, licet id ipſum in alio loco ſuper Apoſto-

Universidad de Deusto
Biblioteca

los fiat, & cuncti claues cœlorum accipiant, & ex æquo fortitudo ecclesiæ super eos solidetur, sed propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. Intelligit autem inter duodecim vnum electum, non ab Apostolis, sed à Christo. Nam & ibidem dissoluens quæstionem cur nō Iohannes electus est, qui virgo erat, & supra cęteros magis dilectus: Ætati, inquit, delatū est, quia Petrus senior erat. Ne igitur adhuc adolescens & penè puer præferretur progressæ ætatis hominibus, & ne magister bonus, qui discipulis occasionem iurgij auferre debuit, in adolescentem quem dilexerat causam videretur præbere inuidiæ, Petrus est electus. Item beatus Gregorius nō dubitauit hac in re quicquam, passim insuis scriptis supponens Petrum fuisse vniuersalis ecclesiæ pōtificem cæteris omnibus prælatum, etiam authore Deo. Vnde vigesimosexto moralium sic habet: Petrus authore Deo, ecclesiæ principatum tenens, & cæt. Eidem sententiæ firmiter assentit venerabilis ipse Bernardus, vt mox patebit, & cæteri quotquot sunt posteriores. Ex supradictis igitur primùm patet, secundùm doctrinam sanctorum Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & cæterorum omniū, Apostolum Petrum esse à Christo electum, vt caput esset Apostolorum. Deinde patet ex eisdem patribus Romanæ ecclesiæ episcopum ab initio vsum esse huiuscemodi primatus potestate, & Hieronymum, Cyprianum, Augustinum, & cæteros omnes etiam Aphricanos episcopos suas sententias subiecisse iudicio episcopi Romanæ ecclesiæ. Ex horum proculdubio consideratione, Bernardus in libro de consideratione ad Eugenium, planè docet, quòd episcopus ecclesiæ Romanæ est summus pontifex, primus episcoporum, potestate Petrus, vnctione Christus, vnus omnium pastorum pastor, cui claues traditæ sunt, cui oues creditæ sunt. Alij pastores habent greges sibi assignatos, singuli singulos, ecclesiæ autem Romanæ pontifici vniuersi greges sunt crediti, non modò oues, sed & pastores. Proinde vnus ipse omnium pastor, qui locum Petri tenet, inquit, peremptoriam potest dare sententiam. Ad depositionem episcoporum solius Romani pontificis authoritas noscitur pertinere, quòd etsi alij multi episcopi sunt vocati in partem solicitudinis, solus ipse plenitudinem habet potestatis. Rursus in epistola ad Mediolanenses, quæ recensetur numero 131. Plenitudo, inquit, potestatis super vniuersas orbis ecclesias singulari prærogatiua apostolicæ sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest si vtile iudicauerit nouos ordinare episcopatus, vbi hactenus non fuerunt. Potest eos qui sunt: alios deprimere, alios sublimare, prout ratio ipsi dictauerit. Potest à finibus terræ sublimes quascunque personas ecclesiasticas euocare & cogere ad suam præsentiam, non semel aut bis, sed quoties expedire videbitur. Porrò in promptu est ei vlcisci omnem inobedientiam, si quis fortè reluctari conatus fuerit. Hæc Bernardi sententia, quam effluxis iam annis quadringentis tenuit, docuit, & prædicauit ecclesia de potestate Romani pontificis. Docuit autem hæc Bernardus suo seculo, non suam solius sententiam imitatus, sed ex ecclesiastica traditione edoctus in huiuscemodi re tenens, docens & prædicans, sicuti inuenerat ecclesiam suo seculo docentem. Ecclesia verò sub seculo Bernardi docuit sicuti inuenerat docuisse & prædicasse ecclesiam supra quingentos annos ante se, temporibus videlicet Augustini & Hieronymi. Rursus didicit ecclesiam temporibus Augustini de huiuscemodi cathedra Romani pontificis docuisse, & prędicauit, sicuti inuenerat ecclesiam ante se ascendendo vsque ad Apostolorum tempora docuisse & prædicasse, vt ex superioribus patet, & præcipuè ex doctrina Cypriani in Aphrica honorantis Romanam ecclesiam, vt caput ecclesiarum: & ex epistola Innocentij, ad beatum Augustinum & cæteros episcopos Aphricanos: In fide igitur errat, quisquis dixerit, quòd fas esset plures esse papas,

Libro sexto circa medium.

Roman. 13.a

In fide errat dicēs plures posse esse summos pontifices.

papas, & quemlibet in sua diœcesi esse papam & pastorem supremum æqualem Romano pontifici. Errat in fide, qui errat super vnitate ecclesiæ contra articulum qua creditur vna sancta ecclesia catholica. Ex quibus patet, quanta suffultus authoritate fuerit Bonifacius octauus Romanæ ecclesiæ episcopus, publico suo docens decreto: Subesse, inquit, romano pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino esse de necessitate salutis. Petro dixit: Pasce oues meas. vbi cùm generaliter dixit, non singulariter has vel illas, intelligitur commisisse vniuersas. Siue ergo Græci, siue alij dicant, se non esse oues à Domino commissas Petro & successoribus eius, fateantur se non esse necesse est de ouibus Christi, dicente Domino, vnum esse ouile. Vnde & beatus Gregorius in registro, libro tertio recitans formam abiurandi schismata, docet abiurantem promittere papæ, se permansurum in vnitate ecclesiæ catholicæ, & communione Romani pontificis, quemadmodum citat Gratianus. Quòd si quis opposuerit nobis, & dixerit Romanum pontificem non esse catholicæ seu vniuersalis ecclesiæ catholicæ pontificem, tum ob id quòd ipse ecclesiam, quæ legitur diffundi in totum terrarū orbem, & in omnes gentes pascere nequeat, non sufficiens copiam præsentiæ suæ toti mundo exhibere, tum quòd gratiarum dona, vt episcopatus & dispensationes ministeriorum Dei à Christo congruentius, citius & facilius in totum orbem Christianum defluant per omnes episcopos pares in potestate, quàm per vnum Romanæ ecclesiæ pontificem, vt singulæ prouinciæ suos habeant episcopos summos, & non sit opus in longinquum recurrere, tum quòd vniuersalia sua ipsius decreta super ordinatione, institutione & consecratione sacerdotum, super contractibus, super censuris, & pœnis excommunicationum & irregularitatum, & super aliis nequeant deduci ad notitiam populi, in singulas orbis terrarum nationes, alioqui quid dicemus, si populus aliquis constitutus in orbis terrarum finibus, constitutionū eiusmodi prorsus inscius, vxores sibi aut consanguineas, aut affines accipiat, an validus erit contractus contra decreta pontificum, an irritus in animarum ignorantium periculum? Hæc & similia qui supradictis obstare putauerit, primùm sciat pontificis ecclesiæ Romanæ officium esse omnem orbem pascere, non per præsentiam corporis, sed per prouidentiam & solicitudinem mentis, solicitè curantis, vt pascantur omnes. Pascere non solùm vtiliter docere, prædicare seu euangelium salutis, sed & obsistere aduersarijs, arcere lupos, peccantes corrigere, oues in viam salutis dirigere, curare vt verba salutis annuncientur in vniuerso mundo, & dilatetur ecclesia. Sic Chrysostomus super verbo, pasce oues meas: Pasce, inquit, id est, loco mei esto præpositus, & caput fratrum. Christus vniuersalis pastor Iudæam non exiuit, in totum orbem apostolos misit. Deinde sciat ecclesiæ membra in debito sibi cohærere ordine, non locorum vicinitate, sed mentium vnione per fidem & Christianam charitatem. Charitas autem Christiana, ius suum vnicuique seruat, omnibus debita reddit, cui honorem honorem, cui timorem timorem, non confundit ordinem, non transgreditur terminos, quos posuerunt patres nostri, non est ambitiosa, non ambulat in magnis & mirabilibus super se. Charitas Christiana est obediens & ordinata, & ita non resistit potestati. Nam vt ait Apostolus: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Insuper sciat constitutiones positiuas Romanæ ecclesiæ non ligare probabiliter ignorantes. Postremùm sciat quòd carnales filij quantumlibet fuerint secundùm spaciorum loca à parentibus suis remotissimi, manent nihilominus filij sub paterna obedientia, & obligati explere præcepta, si quæ ab ipsis parentibus profecta nouerint iusta ratione ad se pertinere: ita & Christiani vbilibet locorum constituti, & qui Romanā ecclesiam secundū faciem seu famā non nouerūt, ecclesiæ Romanæ subsunt etiam ignorantes, quis obedire priusquā nouerint non

in extrauagātibus communibus, de maiorit. & obedientia cap. Vnam ecclesiam

Iohan. 10.c

Quo potest Romanus pōtifex totum orbem pascere.

Rom. 13.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS. II.

Rom.14.a

teneantur: sed talem populum Christianum in vlla regione iam esse nō credimus cùm in primordijs Christianæ fidei, apostolo Paulo prædicante, Romanorū fides fuerit annunciata in vniuerso mundo. Verùm si cogat quispiam tales esse posse is sciat, quòd sicut vera cordis conuersio, & peccatorum remissio potest esse, non suscepto baptismo, contempto autem baptismo esse non posse, quomodo enim posset esse vera cordis conuersio in Deum, vbi contemnitur eius aut præceptum aut sacramentum? ita & animus verè Christianus esse non potest, contempta vel Romana ecclesia, vel Petri cathedra, illiusque decretis, quàmuis forsitan esse possit non habita voluntate obediendi Romanæ ecclesiæ, aut non obseruandi illius decreta, quæ non obligant rationabiliter ignorantes aut impotentes, aut alia pia ratione excusatos. Ex his iam manifestum est primatum cathedræ Petri, non obesse vllis ecclesiæ membris, siquidem vnitas sacerdotalis à Christo per Petrum exorta iam olim extendit palmites suos vsque in fines orbis terrarum. Quòd si statuatur aliquis Christianorum populus in finibus orbis terrarum sine sacerdotio & episcopatu, qui non potest nec per epistolā, nec per aliam viam habere accessum, vel ad Romanæ ecclesiæ pontificem, vel ad episcopum ordinatum ab illo, is pro non baptizatis habet remedium baptismi, quod in necessitate etiam concessum est laicis ministrare. Pro baptizatis verò & relapsis habet sacrificium contriti cordis ex fide in Iesum saluatorem, cum voto & desiderio adimplendi ea, quæ nouerit ex euangelica lege saluti necessaria. Deinde & Deus, qui inspirauit rectam fidem ei, qui iustus fieret pro sua misericordia illuminabit illum, vt & sciat & habeat quod agere debeat, si ex fide vel imperfecta, quam desuper accepit cum Cornelio Centurione, orationibus & eleemosynis ad Deum confugiat. Ex his igitur hanc habemus conclusionem clarè demonstratam, videlicet Romanæ ecclesiæ pontificem esse vniuersalis ecclesiæ episcopum, Iesu Christi in terris vicarium, & Petri apostoli successorem, non vicarium, firmissimè tenendum esse, & nullatenus dubitandum: non quia Bernardus sic docet, nō quia Cyprianus, aut Hieronymus, aut Augustinus, sed quia ecclesia Christi ab initio secundùm successionem serie tracta ad hæc vsque tempora, ex scripturis sic credidit, tenuit, docuit & prædicauit. Proinde etsi nulla scripturæ authoritas super hoc foret expressa, tamen authoritas ecclesiæ, quæ hoc semper tenuit, sufficeret, per quam ante annos mille atque ducentos in Nicena synodo patribus omnibus concorditer approbantibus, est roboratum, non debere absq; Romani pontificis sententia concilia celebrari, & eos qui metropolitanum episcopū, & comprouinciales iudices habuerint suspectos, posse interpellare sanctam Romanam sedem, cui à domino potestas ligandi & soluendi speciali est priuilegio super omnes concessa. Ex quibus patet, falsum esse, impium & temerarium, dicere primatum ecclesiæ Romanæ, aut incœpisse à quadringentis annis & circa, aut post Syluestrum papam, aut probari solū ex frigidis pontificum decretis. Siquidem ab initio ad hæc vsque tempora tota ecclesia, & concorditer omnes ecclesiastici patres intellexerunt huiusmodi ecclesiæ Romanæ primatum ex verbis Christi in euangeliis ad Petrum dictis. Neque ob id vituperanda est cathedra, quòd homo qui sedet in illa, abutatur potestate accepta. Neque enim potest hoc in mundo res vlla esse tam bona, qua non abuti potest peruersitas humana. Quandoquidem & ipsis virtutibus contingit abuti, quibus in vita nihil est vtilius hominibus, quibus & nemo malè vtitur, operans ex illis. Episcopatus bona res est: nam qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat: bene desiderat qui officium desiderat, non honorem: qui cupit prodesse, non præesse. Episcopi nomen non dominium, sed officium sonat. Summus episcopus, summum onus & solicitudo omnium ecclesiarum, vicarius, non Dominus, forma iustitiæ, speculum sanctimoniæ, legum moderator, pro lucro Christianæ fidei, pro custodia

A B C D

1.Tim.3.a

dia charitatis, canonum dispensator. Præfectus, non vt leges nouas, quibus grauia & importabilia onera imponat, sed vt decreta talia potius condat, quibus Dei leges custodiri faciat. Ex supradictis ergo diligenter consideratis, manifestū est omnes Christianos, & ecclesias Christianorum omnes, oportere conuenire, non solùm, quemadmodum hæretici prætendūt, in vna fide, in vna spe vocationis, & eisdem scripturis, sed & in vnitate sub cathedra Petri omnibus ecclesijs prælata.

Sequitur tertia pars.

AM operæpretium est considerare, quemadmodum accipienda sit sententia ex scripturis, docens fidem vsq; in consummationem seculi non deficere vnquàm à Petri cathedra seu ecclesia Petri. Ad intelligendū igitur verba saluatoris dicentis ad ecclesiam in collegio apostolorū designatam: Ego vobiscum sum vsq; in consummationē seculi. Et ad pastores vniuersalis ecclesiæ designatos in Petro: Simon, satanas expetiuit, vt cribraret vos sicut triticū. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Et iterum: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi nō præualebunt aduersus eam. operæpretium est considerare, quòd ex huiuscemodi scripturis firmiter tenendum est, & nullatenus dubitandū, Christum & fidem Petri nunquàm deficere ab ecclesia Petri, ab episcopatu Petri, à cathedra Petri, vsq; in consummationem seculi. Verū hic animaduertendum, aliud esse quod dicimus primatum, fidem, & claues regni cœlorū esse inseparabiles, & non deficere ab ecclesia seu diœcesi romana, aliud q; dicimus ea esse inseparabilia ab ecclesia seu cathedra Petri. Hoc & insuper considerandū est, aliud esse quod dicimus, fidē Petri non deficere ab ecclesia seu à potestate Petri, aliud quod dicimus Petrū & eius successorem, aut populum Romanum nō deficere vnquàm à fide. Et qui huiuscemodi diuersitatem non diligenter obseruat, in sententijs patrum facilè fallitur. Eadem enim est fides Christiana quæ in Petro est & in cæteris credentibus, & idcirco tametsi deficiat fides in persona vel Petri aut successoris, vel Romana diœcesi, non ob hoc consequens est fidem deficere in cathedra, in sede vel ecclesia Petri. Proinde & hoc sciendum quòd verbum Christi patrem rogantis pro Petro, vt non deficiat fides eius, potest concipi sub triplici intellectu: vel primū pro eo, vt fides nunquàm deficiat à corde pontificis vniuersalis ecclesiæ, nec videlicet à persona Petri, nec à persona pontificis, qui Petro vicaria ordinatione succedit: vel secundò, vt fides nunquàm deficiat à generali cathedra, à sede, ab vniuersali ecclesia seu ouibus ipsius Petri vsq; in consummationem seculi: vel tertiò, vt fides non deficiat vnquam à propria sede vel diœcesi, quam Petrus peculiariter pascēdam, dirigendam & gubernandam suscepit. Horum primus intellectus videtur esse extra intentionem saluatoris. Neque enim videtur Saluator huiuscemodi verbis voluisse Petro omnibusq; successoribus eius promittere perseuerantiam fidei vsque in finem. Ex quo consequens esset omnes successores Petri esse ad perseuerantiam fidei prædestinatos. Siquidem & Petrus post illa verba ad tempus defecit à fide, sicut & apostoli cæteri, dicente scriptura: Exprobrauit Iesus incredulitatem eorum quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Vnde & testimonia angelorum sanctarumque mulierum de resurrectione Christi visa sunt apostolis tanquam delyramenta. Verum quidem est quòd Petrus post acceptum spiritum non defecit à fide, sed hoc priuilegium non erat speciale Petro, sed & commune cæteris apostolis, pro quibus & Christus orauit: Pater sancte serua eos quos dedisti mihi, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis. Postremùm, quàmuis propter promissiones saluatoris, sit firma fide credendum, Petrum non defecisse finaliter à fide, hoc tamen non oportet sic credere de successoribus Petri, qui neque in fide sunt confirmati vt Petrus, neque tales habuerunt promis-

A B C D

Matth.28.d
Luc.22.c
Matth.16.a

Triplex intellectus verbi, Ego pro te rogaui.

Marc.16.c

Luc.24.b

Iohan.17.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS III.

promissiones à Christo, qui dixit: Sedebitis super sedes duodecim, &c. Neque videtur vlla esse scriptura qua cogamur credere vniuersalis ecclesiæ pōtificem non fieri vnquàm hæreticum. Non oportet igitur accipere verbum saluatoris secundùm intellectum primum, Secundus autem intellectus est fide tenendus propter verbum saluatoris, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Super hanc &c. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ex quibus consequens est Christum permansurum cum episcopatu & ecclesia, & sede Petri, vsq; in consummationem seculi. Hoc autem non est sic consequens de episcopatibus seu ecclesijs aliorum apostolorum deficientibus iam à fide suis ipsorum gregibus. Verùm & hic sciendum est secundùm hanc interpretationem non oportere consequens esse, quòd Romana diœcesis certis limitibus ab alijs disiuncta, in qua & finaliter Petrus resedit, non deficiet vnquàm à fide. Aliud potest intelligi ecclesia seu cathedra Petri, aliud ecclesia Romana: siquidem ecclesia seu diœcesis Romana potest intelligi esse destructa permanente Petri cathedra, quæ est cathedra vniuersalis ecclesiæ. Vnde & tertium intellectum pertinaciter hæretici refellunt imitati insaniam Iudæorum, qui odientes ecclesiam Rom. expectant finalem illius interitum. Fuerunt iam olim & alij, qui non pertinaciter, sed quasi probabiliter sententiam defendere voluerunt ex scripturis, nobis incertum esse an diœcesis Romana deficiet vnquam à fide, & idcirco esse temerarium asserere alteram partem tanquam fidei articulum, cùm neutra sit ex scripturis necessariò consequens, neque vspiam reuelatum sit quòd omnes Christiani à Mahumeta vel Turca non expellentur vnquam à Rom. diœcesi, aut non transferentur in aliam diœcesim, nunquam amplius reuersuri Romam. Quatenus ergo inuestigando magis appareat veritas, quędam argumenta subijciamus aduersus eos qui ex scripturis conantur demonstrare ecclesiam Rom. ita esse fundatam super firmam petram, vt non possit à fide deficere. Primùm, verba Christi dicentis Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, &c. & rursus: Ego vobiscum sum vsque in consummationem seculi. non possunt intelligi de populo Rom. ecclesiæ, quasi Christus illi populo promissionem fecerit, cum ipso sese permansurum, & quasi fides ab illa diœcesi nunquam sit passura defectum. Nam & dum Christus huiusmodi verba loqueretur, nondū erat Romana ecclesia. Videntur igitur oratio & promissio Christi de fide & præsentia sua permansura cum Petro, & apostolis vsque in consummationem seculi, esse facta non Romanis, qui nondum erant credentes, sed ecclesiæ in Petro & apostolis generaliter intellectæ, à qua non deficiet fides vsque in finem seculi. Videtur ergo non posse ex scripturis demonstrari, primatū ecclesiæ & fidem esse à Romana diœcesi inseparabilem. Præterea verba hæc Christi ad Petrum, sunt dicta Petro non vt priuato homini, sed (secundùm Augu. in Ioannem capite vltimo) vt gerēti figuram ecclesiæ, & idcirco intelliguntur dicta non personæ solius Petri, sed in Petro toti ecclesiæ. Quod vobis dico, inquit saluator, omnibus dico. Vnde & Matthæi 16. Christus non solum Petrum, sed omnes apostolos interrogabat, Quem dicūt homines esse filium hominis? Illis autē respondentibus, Alij dicunt esse Ioannem Baptistam, alij Heliam, &c. Denuò Christus, non Petrum solum, sed omnes interrogat, Vos autem quem me esse dicitis? cui interrogationi vnus pro omnibus, vt inquit Augustinus, respondet Petrus: Tu es Christus filius Dei viui. acsi dicat Petrus, nos omnes dicimus te esse Christum filium Dei viui. Ergo ea quæ Christus sic Petro pro omnibus respondenti dixit atque promisit, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, & reliqua videntur omnibus apostolis dicta atque promissa. Vnde quod Petro singulariter dixit: Ego pro te rogaui Petre, &c. Et quodcunque ligaueris super terram hoc &

Matth. 19. d

Matth. 28. d

An Romana ecclesia vnquā à fide deficiat.

Matth. 16. c
Matth. 28. d

Tract. vlt. d
Marc. 15 d
Matth. 16. c

Matth. 16.
Iohan. 17. b

hoc & postea pro omnibus orauit: Pater sancte serua eos. Insuper & omnib⁹ dixit: Quæcunq; alligaueritis super terrā &c. Videtur igitur ex his non esse consequens, fidem & primatū ecclesiarū ab ecclesia Romana non deficere vnquam. Præterea ab ecclesia Romana ipse pontifex irruentibus hostibus, vel sæuientibus inimicis crucis Christi, potest fugere, & suam cathedram alibi collocare, dicente saluatore: Cùm persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Vnde & Paulus apostolus secundæ ad Thessa. 2. inter signa quæ præcedent futurum Christi aduentum, ponit discessionem seu defectionem, quæ (si Lactantio, Athanasio, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, cæterisque probatissimis scripturæ sacræ interpretibus credimus) intelligitur Romani regni abolitio. Insuper & de ecclesia Romana videtur forsitan intelligenda prophetia Balaam, Numeri xxiiij. dicentis: Venient in triremibus de Italia, qui superabunt Assyrios, vastabuntq; Hebræos, & ad extremum etiam & ipsi peribunt. Cuius prophetiæ prior pars iam esse completa videtur per Titum & Vespasianum, qui venientes de Italia, vastauerunt Hebræos, destruentes Iudæorum regnum. Posterior autem secundùm vanam spem Hebræorum expectatur futura, & id quidem (quemadmodum fingit Rabbi Salomon) per Messiam regem, qui (vt inquiunt) deuastabit ecclesiam Romanam. Postremùm, Romanæ ecclesiæ pontifex potest cathedram suam ob causam transferre ex diœcesi Romana, in aliam diœcesim, præficiendo eidem diœcesi Romanæ alium episcopum, quemadmodum & ipse Petrus cathedram suam ex Antiochia transtulit in vrbem Romanam, instituens episcopum Antiochiæ venerabilem Euodium, & illo mortuo Ignatium. Ecclesia romana quæ nunc fidem Petri & primatum obtinet, non videtur magis priuilegiata in constantia fidei, & primatus, quàm ecclesia Antiochena, quæ cùm esset quondam cathedra Petri, iam à fide & primatu defecit. Hæc & similia sunt, ex quibus & hæretici, & alij quidam nimium pertinaciter arbitrantur stultum & temerarium esse, si quis doceat ecclesiam Romanam super alias ecclesias præsidentem, sic à Christo esse priuilegiatam, vt ab ea non deficiat vnquam, neque fides, neque primatus pontificalis. Ex quibus consequens esse videtur, tertium intellectum non esse à saluatore intentum. Sed his non obstantibus sciendum est, probatissimos sacræ scripturæ interpretes illum tertium intellectum ex verbis saluatoris singulariter ad Petrum dictis habuisse, quales sunt Cypri. Hierony. Augusti. Bernardus, Thomas & Albertus, quemadmodum & verba ipsa saluatoris sonare videntur, quæ præmiserat ad Simonem: Satanas expetiuit, vt cribraret vos sicut triticum. non dixit, vt cribraret te, sed vt cribraret vos, id est, vt totam ecclesiam in collegio vestro designatam extingueret, sed ego peculiariter rogaui pro te, id est, pro ecclesia tua, vt non deficiat in fide & in cathedra tua fides. Et vt ascendamus à nouissimis, audiamus super hoc venerabilis Bernardi sententiam ante quadringentos annos contra errores Petri Abilaiardi, in epistola ad Innocentium papam: Oportet, inquit, ad vestrum apostolatum referri pericula quæq; & scandala in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum nanq; arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum: cui enim alteri sedi aliquando dictum est: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Hæc ille. Ex cuius sententia consequens est verbum saluatoris exponendum esse de fide in sede Petri, tanquàm distincta ab alijs sedibus. & hanc Bernardi sententiam iam longè antè intellexit Cyprianus in epistola ad Cornelium papam, docens Petri cathedram atq; ecclesiam esse principalem, vnde vnitas sacerdotalis est exorta, illamq; esse ecclesiam Romanorum, quorū fides est apostolico ore laudata, ad quos non possit perfidia habere accessum. Hæc ille. Docens perfidiam non posse habere accessum ad cathedram Petri, & nec ad ecclesiam Romanorum, quorum fides est apostolico ore laudata.

Item

Ioan 17. b
Iohan. 20. f

Matth. 10. a

Luc. 22. c

Epist. 19.

Matth. 16. c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item Hieron. aduersus Ruffinum: Romana fides apostolico ore laudata, non recepit contra fidem vllas præstigias, etiam si angelus aliter annúciet quàm semel prædicatum est, Item Romana ecclesia nullam hæresim fouit vnquam. Sancta Romana ecclesia semper immaculata permansit, & Domino prouidente, ac beato apostolo ferente opem, in futuro manebit. Item Aug. in epist. ad Generosum peculiariter recensens ordinem episcoporum Romanæ ecclesiæ: Si ordo (inquit) episcoporum sibi inuicem succedentium considerandus est, quanto certius & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo ecclesiã meam, & portæ inferi non vincent eam. Matth. 16. a Recensentur ab Aug. ibidem sub hoc ordine ecclesiæ Rom. pontifices: Petrus, Linus, Clemẽs, Anacletus, Euaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Iginius, Anicetus, Pius, Soter, Eleutherius, Victor, Sepherinus, Calixtus, Vrbanus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionysius, Felix, Eutycianus, Caius, Marcellinus, Marcellus, Eusebius, Melchiades, Siluester, Marcus, Iulius, Liberius, Damasus, Siricius, Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista reperitur episcopus. In illum ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro, vsque ad Anastasium, qui nunc in eadem cathedra sedet, etiam si quisquã traditor per ista tempora subrepsisset, nihil præiudicaretur ecclesiæ, & innocentibus Matth. 23. a Christianis, quibus Dominus prouidens, ait de præpositis malis: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere. vt certa sit spes fidelis, quæ non in homine, sed in Deo collocata, nunquã tempestate sacrilegi schismatis dissipetur. Hæc est Aug. doctrina, planè docentis portas inferi non præualere vnquam aduersus ecclesiam seu cathedram Petri, Sed quia odientes ecclesiam Romanã forsitan dicent portas inferi non præualere vnquam aduersus ecclesiam Petri vniuersalem, & hoc voluisse Augustinum ex doctrina saluatoris. Nam & ait ibidem Augustinus, Petrum gessisse figurã totius ecclesiæ. Respondeo. Ex doctrina Augustini patet, eundem non id solùm voluisse, sed etiam quòd non deficiet fides ab ecclesia Petri, in sede seu in cathedra sua. Nam & ipse, quemadmodũ cæteri episcopi in cõcilio Aphricano, & Mileuitano, in his quæ sunt fidei consulebant Romanam sedem, tanquam normam à fide non deuiantem, cupientes eiusdem sedis authoritate, vel approbari vel reprobari, quæ sunt seruanda per vniuersum orbem. Sic & antiquissimus ille Irenæus in libro tertio aduersus Valentinum, ordinem episcoporum Romanæ ecclesiæ enumerans, vsque ad sua tempora, id est, vsque Eleutherium, quem dicit duodecimum ab apostolis obtinere locum, planè definit ad hanc ecclesiam, scilicet Romanam, propter potentiorem principalitatem oportere omnem conuenire ecclesiam, & in hac semper ab his, qui sunt vndiq; fideles, conseruatam esse eam traditionem, quæ est ab apostolis, & nos confundere vnumquemq; hæreticorum, indicantes traditionem in ecclesia Romana ab apostolis vsque ad nos peruenientem, & traditionem, fidem atque doctrinam apostolorum esse in hac custoditam vsq; ad nos per successiones presbyterorum, & nos oportere sequi traditiones ecclesiæ, quam fundauerunt apostoli Petrus & Paulus, etiam si apostoli nullas nobis reliquissent scripturas. Non temerè igitur, sed pia fide cum patribus nostris prædecessoribus credimus, quòd fides & primatus ecclesiæ & sedes seu cathedra Petri, claues regni cœlorum, potestas ligandi & soluendi, sunt à diœcesi Romana inseparabiles, & quòd Deo prouidente, & beato Petro opem ferente, Romanus episcopus seu populus sub Romana diœcesi, non deficiet vnquã totus à fide, cùm videamus ab initio ad hæc vsque tempora in tot ac tantis tyrannorum persequutionibus eandem diœcesim Romanam, nec à tramite apostolicæ traditionis vnquam errasse docendo, nec hæreticis nouitatibus succubuisse credendo, sed antiquam fidei regulam secundùm apostolorum traditionem semper tenuisse. Neque

turbari

turbari debet fides nostra, vt separemus nos à cathedra vllius pontificis, si quem videamus forsitan malè viuere, & auarum esse aut ambitiosum, superbum: siquidem tales etiam videbant suis seculis Cyprianus, Hierony. & August. non idcirco tamen separabant se ab vnius aut alterius cathedra. Doctrina Pauli primæ ad Corint. 5. iubentis, vt nec cibum sumamus cum eo, qui frater, id est, Christianus nominatur, si sit fornicator, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, scribitur ad ecclesiam Corint. ecclesia autem quælibet seruata lege euangelij, debet auferre malos contumaces sibi subiectos à sua communione. Bernardus suo seculo videbat Romanum clerum magna ex parte vanum, ambitiosum, moribusq; corruptũ, sed non ideo prætermisit docere veritatem contra sui seculi hæreticos, qui contemnebant apostolicam sedem, seu pastoralem potestatem in vicario Christi, & successore Petri. Aliud est contemnere primatum pastoralis potestatis, aliud contemnere corruptam vitam hominis sedentis in illa, imò non vita, sed spiritus sancti dona & ministeria, per quæ Christus operatur, sunt etiam in malis episcopis honoranda. Si personam vllius pontificis velimus curiosè inspicere, consideremus illum similem nobis filium Adæ, multis repletum miserijs, tentationibus, & tribulationibus carnis, & huius mundi subiectum, esse quidẽ pastorem, non talem qualis est is, qui dicit: Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & vitam æternam do eis. ad cuius bonitatem nemo potest perringere: sed vicarium illius, & vnum ex numero eorum, quales Apostolus ad Hebræos describit, circundatus infirmitate. quem tanquam seniorem, non increpare, sed rogare & venerari oportet vt patrem, illiusque pudenda (si quæ videamus) abscondere, timentes nobismetipsis maledictionem æternam cum filijs Cham, qui verenda patris sui Noe, fratribus suis nudata indicauit. Ortum est nostro infœliciss. seculo impudentissimum hominũ genus, qui non modò huius seculi patres & pontifices, sed & totam venerandam sanctorum patrum antiquitatem defœdare & lacerare conantur, qui iuxta Comici sententiam, nisi quod ipsi dicunt, nihil rectum putant, qui silentio prætereuntes eorundem patrum laudabilis vitæ sanctimoniam, ob oculos adolescentum ponunt totius præteritæ ætatis errata, etiam mendacijs quibusdam & figmentis ampliata atque adaucta, non ad cautelam posterorum, sed in contemptum prædecessorum, in quos tanquam in specula quadam, sanctimoniæ, rectèque viuendi normas, totam posteritatem spectare decuit. Satius igitur est nobis seruata Christianæ pietatis modestia admirari, spectare & imitari venerandorum patrum sanctimoniam, sententias eorum tractare reuerenter, & sicubi errauerint (quod certè in quibusdam pauciss. cõtigit) cum lenitate, eos ostendere humano spiritu esse lapsos, neminem iudicantes, neminem à communione separantes. Vbique tenenda est Cypriani pleniss. charitatis doctrina, vt non turbetur fides nostra, si cernamus in ecclesia Christi esse zizania. Etiam in prauis pontificibus odienda est vita, sed in ipsis honoranda est Petri cathedra, doctrina euangelij, clauis & potestas à Christo data. Neque ob id aut fauet quispiam tyrannidi principum, aut adulatur pontificibus, quòd venerans superiorem potestatem & cathedram Petri, obedientiam, vnionem & pacem inter ecclesiæ membra suggerit, interim sub spe recuperandæ sanitatis, etiam infirma & putrida membra tolerans, sustinens patienter & orationibus adiuuans. Antiquus omnium schismaticorum mos volentium pacem ecclesiæ scindere, est colla erigere contra sacerdotes Dei, & contra cathedram Petri, non semetipsos respicere, sed alios temerè iudicare, seruos Dei contumelijs lacerare, iniurijs, detractationibus & libellis famosis infamare, quibus contemptibiles reddantur, quibus & minuitur apud plebem non solùm eorum fama, sed & sacerdotalis authoritas, & veneranda successoris Petri cathedra & potestas, quemadmo-

Non debet fidelis turbari, vel separare se ab ecclesia propter corruptã vitã pontificis

In malis repisce pis spiritus sancti dona & ministeria sunt honoranda.

Ioan. 10. b

Hebræ. 5. a

Genes. 9. a

Nõ esse tradendos patres propter quosdã suos lapsus

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS III.

Cypria. epist. ad Antonianũ

dum olim de sui seculi schismaticis (inquit Cyprianus) quòd mendacia adùersus sacerdotes Dei, diaboli voce prolata, ad rumpendam catholicæ vnitatis concordiam vbique iactabantur. Sed iam respondeamus ad argumenta.

Solutio primi argumenti. Matth.18.d

Ad primum dicimus, quemadmodum verba Christi dicta ad vndecim Apostolos: Euntes docete omnes gentes, baptizantes in nomine patris, &c. docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis, ecce ego vobiscum sum vsque in consummationem seculi. intelliguntur dicta non solùm collegio Apostolorum, tunc præsentium, sed in illo omnibus collegijs episcoporum & sacerdotum, qui secundùm seriem successionis legitima ordinatione Apostolis succedunt, vnde vsq; in consummationẽ seculi manebit ecclesia cũ suorũ integritate membrorum

Eodem.

Matth.16.c

à Christo immobilis: sic & verba Christi ad Petrum dicta, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. accipienda sunt vt intelligantur dicta non Petro soli vt priuatæ personæ, sed, vt futuro vniuersalis ecclesiæ pastori: & ideo quod Petro promittitur, dignitati cathedræ Petri promittitur. Proinde & intelligitur promissum omnibus qui petro in dignitate pastorali succedunt, cùm in Petro intelligantur & ipse, & omnes successores illius. Rursus intelliguntur de fide permansura, non apud Personam petri & successorum illius, sed apud sedem, dignitatem pastoralem, cathedram, seu ecclesiam Petri, sic sensus erit, vt non deficiat fides tua, id est, vt non prorsus pereat fides à sede tua, à cathedra tua, intelligendo sedem, cathedram seu ecclesiam, non solùm vniuersaliter, sed specialiter futuram ad curam Petri & successorum illius. Quo fit vt verba Christi dicta Petro, ex cõsequenti intelligantur dicta Romanæ sedi, cui præsidet episcopus, qui Petro legitima electione succedit. Non est igitur arbitrandum absurdum, si Christus specialiter videtur orasse pro diœcesi ipsius Petri & successorum suorum, talem siquidem intelligentiam habuerunt Cyprianus, Bernardus, cæteriq; patres, ex eadem doctrina Saluatoris arbitrantes, apud ecclesiam Romanam, fidem non perituram vsque in consummationem seculi. In Romana sede hactenus nullus sedit hæresiarcha, qui docendo definierit aliquid fidei nostræ repugnans. Neq; hæresis vlla sumpsit illinc initium, sed mos ibi seruatur antiquus. Defecit Hierosolymitana ecclesia cui Iacobus præsedit, defecit Achaia, vbi Andreas, Asia, vbi Iohannes, India vbi Thomas, Persis vbi Iudas, Æthiopia vbi Matthæus, Græcia vbi Paulus. Romana sedes hactenus manet in fide Christi erecta. Vnde ex gestis synodi Chalcedonensis patet quòd solius Romani pontificis est synodum congregare, sententiam synodi confirmare, & ad ipsum à synodo appellare.

Solutio secundi argumenti.

Ad aliud argumentum quo dicitur: Verba Christi ad Petrum sunt dicta illi non vt priuato homini, sed vt gerenti figuram ecclesiæ. Respondeo, quæ Augustinus super capitulo vltimo Iohannis dicit, Petrum significasse vniuersam ecclesiam, quando Christus dixit ei: Tu es Petrus, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, & cæt. hæc accipienda sunt, quòd verba illa non sunt dicta Petro pro se solo, aut tanquam priuatæ personæ, sed tanquam futuro pastori vniuersalis ecclesiæ, vt intelligatur promissio facta ipsi ecclesiæ, quæ claues regni cœlorum acceptura erat in Petro, & in omnibus successoribus eius. Vnde & ipse Augustinus ibidem suam explicans sententiam, Petrus primus Apostolus propter apostolatus sui primatum, gerebat figuratiuam personam ecclesiæ. Et infrà tandem concluſit: Ecclesia ergo quæ fundatur, inquit, in Christo, accepit ab eo claues, id est, potestatem ligandi & soluendi in Petro. Vnde sciendũ est, ꝙ quædã dicuntur Petro vt priuatæ personæ. Soli Petro dicitur: Sequere me. neq; Ioanni,

Varie loquitur scriptura de Petro.

CAP. IIII.

anni, neque Iacobo, neq; cæteris, qui simul aderant dicitur, Sequere me. Sic & ibidem soli Petro dicitur: Petre amas me, pasce oues meas, quemadmodum de solo Iohanne dictum est ibi: Sic eum volo manere. Et quàmuis soli Petro dicantur ea, quibus illi ecclesiæ primatus aut datur aut promittitur, cuiusmodi sunt: Tibi dabo claues, quodcunque ligaueris, & cæt. non tamen pro solo Petro dicuntur, sed pro omni ecclesia: siquidem Petrus in vtilitatem omnium membrorum ecclesiæ, claues accepit. Deinde quàmuis soli Petro dicitur: Sequere me. & de solo Iohanne dictum sit: Sic eum volo manere, per vtrumque tamen aliud significatur: per Petrum, ecclesia in actione & militia: per Iohannem ecclesia in finu, super pectus Iesu in quiete & contemplatione. Quædam autem dicuntur Petro, cæterisq; Apostolis tanquam Christianis, & hæc intelliguntur omnibus Christifidelibus dicta, veluti quod dicitur: Vigilate & orate. Quod vobis dico omnibus dico. Sic quòd Christus pro Apostolis orat: Pater sancte serua illos, hoc orat pro illis non tanquam Apostolis solùm, sed tanquam credentibus in eum, & idcirco non pro illis tantùm personis orat, sed pro omnibus Christifidelibus: quemadmodum ipse Christus paucis interpositis subiunxit, Non pro eis tantùm rogo, sed pro omnibus qui crediturí sunt per verbum eorum in me. Non temeraria ergo, sed pia & sancta fide credimus primatum ecclesiæ & fidem Christi à Romana ecclesia esse inseparabilem. Et quãuis huiusce modi intellectus nequeat euidenter ex scripturis demonstrari, non debemus tamen eum tanquam absonum & alienum à fide Christiana reijcere, sed potius ex pietate quadam fidei cũ sanctis patribus auxiliari, credentes Petrum suam cathedrã Deo iubente ex Antiochia Romã transtulisse, Deoq; iubente eandẽ cathedram, eundemq; primatũ apud Romanos reliquisse: & ita Romanã ecclesiã esse omnibus alijs ecclesijs prælatã, & Romanũ pontificem semper esse vniuersalis ecclesiæ pontificẽ, & eundẽ nõ posse suã sedẽ in aliã diœcesim, nisi Deus reuelauerit transferre. Quàmuis igitur donemus nondũ fuisse Romanam ecclesiam cùm Christus diceret petro, Ego pro te rogaui Petre, non tamen oportet inde consequens esse, quòd Christus tũ non rogauit pro Romana ecclesia. Nam & eadem ratione consequens esset Christum non rogasse pro vlla ecclesia: quia cùm Christus hoc diceret, nondum erat vlla Petri ecclesia, neque orasset Christus pro ecclesia post Petrum, in qua residerunt pontifices, martyres sancti, fide stabiles. Ad id autem quod Apostolus ad Thess. docet, discessionem futuram, priusquã veniat Antichristus. Respondeo discessionem illam nõ oportere intelligi apostasiam à fide Christiana, sed defectionem, abolitionem, destructionem imperij à Romanis, quemadmodum sancti interpretantur. Primùm Ambrosius, tractans verbum illud Apostoli in commentarijs, Deinde Hieronymus quæstione 11. ad Algasiam. Item Athanasius (vel si placet) Vulgarius. Vnde videmus iam Mahumetam detraxisse ad se Asiam, Aphricam, & magnam Europæ partem. Ex quo consequens est, Romam à monarchia imperij deficere, & regna gentium iam à Romano regno, cui tempore Pauli, ex Asia ad Cæsarem appellantis omnis etiam Iudæa, subiecta erant, discessisse. Amplius autem si admittamus Apostolum Paulũ per discessionem intellexisse apostasiam à fide, quemadmodum nonnulli interpretantur, nihil obuiat supradictis, quia nõ significatur fides ab omnibus Romanis defectura, sed regna gentiũ credentium, potius defectura à fide catholica Romanæ ecclesiæ. Vtrũque suo sensu quodammodo verum est. Nam defectio ab imperio Romano sub Mahumetarum imperio fuit maxima, & sub ipso Mahumeta vtcunque cœpit à fide Christi esse discessio, quæ tamen ex scripturis sacris maior timetur futura sub Antichristo. Prophetia cùm tempus futurum spectet, non semper tota simul, sed paulatim impletur. Prophetia Balaam de Italia peritura seu Romanorum regno deuastando creditur iam per

Iohan.21.f
Eodem.
Matth.16.c
Iohan.21.f
Marci 13.d
Iohan.17.b
Matth.16.c
1. Thess.2.a
Num.14.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS. III.

Prædicationem euangelij adimpleta, Christo euacuante & subijciente sibi imperium Romanũ, tametsi possint esse & alij huius prophetiæ intellectus catholici. Ex hac prophetia patet quidem, Balaam multis annis ante Romam conditã prophetasse de regno Romanorũ tunc futuro, quòd videlicet ipsum & superaret Assyrios, & vastaret Hebræos, & quòd tãdem etiam ipsum esset periturum: quam sanè prophetiã secundum duas partes ipsius priores cernimus oculis nostris olim esse adimpletam, Assyrijs, Persis, & Medis & Græcis transeuntibus in ditionem Romanorum, qui & Hebræorum regnũ per Titum & Vespasianum vastauerunt. Prophetauit autem Balaam sub moyse in deserto, annis septingentis quinquaginta, & vltrà, ante vrbem Romam conditam à Remo & Romulo gemellis fratribus, imperantibus sub imperio regni Acham, in diebus Isaiæ prophetæ.

Balaã quo tẽpore prophetauerit.

Ex supradictis ergo diligenter consideratis, non erit difficile soluere argumenta, quæ iam olim solent iniuriatores cathedræ Petri obijcere. Primùm ex eo, quòd generaliter iussit Saluator omnibus Apostolis, vt irent in mundum vniuersum, vt baptizarent, & prædicarent euangelium. Deinde ex eo, quòd omnibus Apostolis ex æquo dixit: Quæcunque ligaueritis super terram, & cæt. & iterum: Accipite spiritum sanctum, & cæt. Ex eo quòd prophetia prædixit de eisdẽ Apostolis: Constitues eos principes super omnem terram. Amplius ex eo quòd etiam dicit Paulus: Qui operatus est Petro in apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et ex eo quòd Ambrosius verbum hoc tractans, docet ibidẽ, Sicut Petrus primatum accepit ad fundandum ecclesiam Iudæorum, ita & Paulus primatum accepit ad fundandum ecclesiam gentium. Et ex eo quòd Cyprianus dicit Apostolos omnes parem accepisse potestatem à Christo, & quòd nemo nostrum sese episcopum episcoporum facit. Et ex eo quòd Augustinus dicit, Petrum accipientem claues regni cœlorum significasse ecclesiam. Item ex eo quòd Hieronymus docet super omnes Apostolos ecclesiam fundatam esse ex æquo, & propterea inter duodecim vnum esse electum, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio. Et ex eo quòd idem Hieronymus in commentarijs primi cap. epist. ad Titum docet, episcopos magis consuetudine, quàm dispositione dominicæ veritatis superiores esse presbyteris. Et in epistola ad Eua. Paulum Apostolum perspicuè docere eosdem esse presbyteros & episcopos, & postea vnum esse electum, qui cæteris præponeretur in remedium schismatis. Et ex eo quòd Gregorius docet in registro neminem etiam Romanum pontificem appellari vniuersalem episcopum, aut vniuersalem pastorem. Harum omnium obiectionũ solutio patet ex supradictis scripturis, quibus ostenduntur Apostoli simul accepisse apostolatum ad fundandas ecclesias, simul insuper accepisse spiritum sanctum, & potestatem docendi fidem, & baptizandi, & remittendi ac retinendi peccata. Sed hæc non esse contraria supradictis, hinc patet, quòd hanc potestatem acceperunt à Christo, qui Petrum Apostolum eisdem præfecit, iam abscessurus ab illis in cœlum, illum constituens suum vicarium, & sic nihil contra primatum Petri. Cùm acciperent Apostoli parem potestatem prædicandi euangelium, & baptizandi, remittendi, ac retinendi peccata, nondum erat Petrus cæteris forsitan prælatus. Nihil ergo absurdi sequitur, cùm dicitur omnibus Apostolis pari præditis consortio honoris & potestatis, postea vnum à Christo esse prælatum. Vnde paritas est multiplex, est paritas sanctimoniæ seu meritorum, & de hac non loquuntur sancti. Est paritas apostolatus, secundùm quam omnes Apostoli fuerunt pares, æqualiter à Christo missi ad euangelizandum, docendum, & baptizandum gentes, in omni loco in quem venirent. Rursus est paritas potestatis sacerdotalis. Est & paritas iurisdictionis in iudicando & præsidendo, & in hac eminet Petrus. Proinde quàmuis omnes Apostoli fuerint inter se fratres, vnus tamen cæteris

Solutio argu. 3. & cæt.

Matt. 28. d

Iohan. 20. f

Psalm 44. d

Galat. 2. b

In tractatu de simplicitate prælatorum. Aug. vlt. tractatu super Iohannem.

Apostoli quo modo fuerint inter se pares.

A tẽris est præfectus. Vtrùm autem Christus omnes Apostolos æqualiter ordinauerit episcopos, & consecrauerit eos inuisibili vnctione, cùm dixit insufflans: Accipite spiritum sanctum. vel an postea consecrauerit eos ministrante Petro, nihil refert ad primatum Petri. Omnes Apostoli fuerunt æqualiter apostoli, id est, missi ad prædicandum fidem, & testificandum euangelium, & ad fundandum ecclesias, & ad instituendum episcopos in omni loco, in quem ipsi erant venturi, vt crescceret ecclesia Christiana, & multiplicaretur in omni terra. Deinde omnes fuerunt æqualiter sacerdotes & episcopi, sed in dignitate præsidentiæ & primatus, præpositus est Petrus cæteris apostolis. Paulus autem loquitur de potestate apostolatus, id est, missionis ad prædicandum euangelium omni creaturæ, & ad fundandum ecclesias, & sic accipiendo, Paulus primatum habuit in prædicatione gentium, Petrus in prædicatione Iudæorum, ita tamen vt & Petrus gentibus prædicaret, & Paulus Iudæis, si causa fuisset. Nam vterque, inquit Ambrosius, inuenitur vtrumque fecisse. Primus tamen potestate gubernationis episcopalis & pastoralis fuit Petrus. Neque obuia est illi sententiæ doctrina Cypriani, nam ex superioribus patet eũdem Cyprianum docuisse Romanæ ecclesiæ episcopum, esse vniuersalis ecclesiæ episcopum, & cæteris superiorem. In epistola ad Iubaianum, cuius & Augustinus sæpe meminit, sic loquitur: Manifestum est autem, vbi, & per quos remissio peccatorum dari potest, quæ in baptismo scilicet datur. Nam Dominus primò Petro, super quem ædificauit ecclesiam, & vnde humanitatis originem instituit & ostendit, potestatem istam dedit. Et infrà in eadem epistola: Christus ecclesiam suam quæ vna est, fundauit super vnũ, qui claues eius accepit. Hactenus ille. Studeant igitur Romanæ cathedræ hostes intelligere verum intellectum doctrinæ Cypriani docentis, quòd omnes Apostoli à Christo
C acceperint parem potestatem, & quòd nemo ex nobis dicit se esse episcopum episcoporum, & diligenter attendant & ad ea quæ huiuscemodi sententias Cypriani antecedunt, & ad ea quæ sequuntur, idem seruantes in doctrina Hieronymi & Augustini, & cæterorum patrum. Nam Augustinus cùm dicit, quòd Petrus accipiens claues regni cœlorum, figurã gerebat ecclesiæ, intendebat nõ quòd Christus hanc potestatem immediatè dederit ecclesiæ, & quòd Petrus hãc potestatem acceperit ab ecclesia, sed ꝙ potestas illa fuerit data Petro non pro sua illius persona, sed pro ecclesia, & ita eandem potestatem esse datam ecclesiæ in Petro, & in omnibus qui ipsi Petro vicaria ordinatione succedunt. Ecclesia enim dicitur accipere id quod minister pro vtilitate eius accepit. Claues datæ sunt ecclesiæ, quia datæ sunt Petro, qui datus est pastor ecclesiæ. Sciendum enim est, quòd Petrus
D dona quædã habuit personalia, id est suæ personæ data, videlicet meritũ & sanctimoniam vitæ, constantiã fidei, & charitatẽ, intelligentiam scripturarũ. Habuit & dona quædam ecclesiæ data, id est cathedræ seu sedi, & officio pontificali data, cuiusmodi sunt, habere claues super vniuersam terram, super vniuersum ouile Domini, vnde priuilegium concessum dignitati tranfit in successores. Quemadmodum igitur ecclesiæ Romanæ põtifex succedit Petro, nõ in personalis vitæ sanctimonia, sed in cathedra seu potestate pastorali, ita & succedit in priuilegijs datis sedi, cathedræ & primatui Petri, non in donis personalibus. Sententia Hieronymi dicentis: Inter duodecim vnus eligitur, &c. est manifestè obuia schismaticorũ doctrinę. Nam ad obuiandum schismati, inter duodecim non ab Apostolis, sed ab ipso Christo eligitur vnus, qui cæteris præfertur. Manifestum est igitur vnum Petrum ex electione Christi fuisse cęteris Apostolis superiorem. Et illum intellectum habuerunt ab initio ecclesiastici patres, vt patet ex supradictis. Alia sententia Hieronymi ad Euagrium, & super epistola ad Titum dicentis, eosdẽ esse presbyteros & episcopos, manifesta fiet, si consideres Hieronymum

Ambros super epist. ad Gal. c. 2. tractãs illud Qui enim operatus, &c.

Ioan. 20. f

Augustin. supæ Iohan. tractatu 124. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

attendisse vim nominis episcopi, & voluisse ipsum nomen episcopi, quòd ex ratione significat opus seu officium olim attributum fuisse presbyteris parochianis, qui ex authoritate apostolica ordinati, consensu communi regebant ecclesiam. Postea verò in remedium schismatis singulos pastores per parochias & ciuitates esse deputatos. Dicere episcopum nulla differentia debere discerni à sacerdote, fuit hæresis Arrij, sub Augustini seculo inter hæreses recitata, in libro de hæresibus, cap. 53. Deinde manifestum est doctrinam Gregorij in registro nõ obstare supradictis, cùm & ipse Gregorius ibidem manifestè dicat: Cura totius ecclesiæ & principatus Petro committitur, & tamen vniuersalis pastor nõ appellatur. Ecce vbi Gregorius vetat Romanum pontificem appellari vniuersalem pastorem, vbi & planè asseruit totius ecclesiæ ei curam esse cõmissam. Aliud ergo appellat vniuersalem pastorem, aliud vniuersalis ecclesiæ pastorẽ. Per vniuersalem pastorem seu episcopum intelligens eum, qui solus esset pastor & episcopus, ita vt alij sint duntaxat illius vicarij & ministri, & non veri pastores, nõ veri episcopi, hoc enim manifestè est falsum. Vnde & Romanæ ecclesiæ episcopus vocat se episcopum seruum seruorum Dei, iuxta saluatoris doctrinam: Qui maior est vestrum, erit vester minister. Cæteros episcopos vocat fratres suos, seu coepiscopos, alios autem sacerdotes appellat filios. Ex supradictis igitur est manifestum Romanæ ecclesiæ episcopum esse super totam terram Christi vicarium, & vniuersalis ecclesiæ episcopum, & veram Christi ecclesiam apud eos esse, vbi episcopi apostolica ordinatione sibi succedũt, & id esse tenendum, nõ quia Cyprianus, Irenæus, Tertullianus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & cæteri hoc dicunt, sed quia tota ecclesia ab initio ad hæc vsq; tempora sic tenuit, docuit & prædicauit. Hactenus de ecclesia Christi, quænã sit, & apud quos sit, & apud quos non sit, & quemadmodũ permansit, vna ab origine mundi, crescens vsque in consummationẽ seculi, & quemadmodum oporteat omnem particularem ecclesiam, omnemque episcopatum subesse cathedræ Petri, & quonam pacto sit accipiendum quòd fides nunquã deficiet à Petri cathedra. Hæc generaliter dicta sufficiant.

Matth. 20. d

A

B

C

Caput quartum.

REstat nunc considerare de authoritate & potestate eiusdem ecclesiæ, an maior sit ecclesiæ authoritas, quàm scripturæ sacræ, an econtrario. Et vtrùm scriptura sacra habeat suam vim, efficaciam, seu certitudinem ex authoritate seu testimonio ecclesiæ, & vtrùm in his rebus, quæ ex scripturis sacris efficaciter probari non possunt, oporteat ex authoritate stare definitioni ecclesiæ. Sciendum est igitur quòd sacra scriptura est testimonium ecclesiæ, ex spiritu sancto testificantis, & idcirco ipsa scriptura euangelij posterior est ecclesia. Ex superioribus est manifestum, apud apostolos fuisse ecclesiam Christi cùm nondum esset scriptura euãgelij, apud Abraham, Isaac & Iacob, fuisse veram ecclesiam Dei in fide vnius creatoris & redemptoris tunc futuri, cùm nondum esset super his rebus scriptura Moysi. Moyses primi voluminis sacræ theologiæ hebraicis literis fuit scriptor. Inter illius ortum & seculum nostrum, interceserunt tria millia annorum cẽtum & viginti septem. Nullus est nobis ethnicus scriptor tam vetustus, nullus historiarum scriptor illo antiquior, sicut & nulla lingua est hebræa vetustior. Siquidem Cadmus, Moyse iam defuncto, in diebus Iosue fertur græcos characteres primus adinuenisse, docuisseque populum tunc adhuc rudem & incultum, ipsis vti. Græci gloriantur literas, artes & philosophiam à sese primùm esse profectas sub Cadmo, vel alio quouis authore græculo, sed vanè & mendaciter id iactitãt, cũ sit manifestissimum tũ ex sacris literis, tũ ex vetustissimis probatæ fidei ethnicorum historijs, initiũ philosophiæ atq; literarũ, nõ à Græcis in Phenices & Assyrios

D

A Assyrios, sed ab antiquissimis potius Phœnicibus seu Assyrijs, Chaldæis atq; Ægyptijs profectum esse in Græcos, quemadmodũ & Iosephus docet contra Appionẽ Grammaticum. Vnde & Apostolus S. Iudas, recitat Enoch ante diluuium scripsisse quædam. Item post diluuium Academia olim vetustissima in Phenicia, hoc est, in Assyria, seu terra Chanaan fuit Cariath, Sepher, id est, ciuitas literarum, proxima ciuitati Hebron, ab antiquo etiam ante Iosue & Moysi tempora sic appellata, quòd ibi primùm res gestæ, ac memoriæ Assyriorum, seu Phœnicum, sunt literis mandatæ. Cuius ciuitatis scriptura meminit Iosue 15. & Iudicum 1. Longè autem posteriores sunt Græcorum libri. Nemo enim Græcorum, inquit Origenes, quippiam de rebus ante se gestis tradidisse legitur ante Homerum & Hesiodum, qui quadringentis fermè annis post Moysi tempora extiterunt. Libri autem si qui fuerint ante Moysen à Phœnicibus, & ab Assyrijs æditi vetustate perierunt, B diuina prouidentia conseruatis scripturæ sacræ libris. Cùm ergo nullum habeamus volumen, nullam historiam, nulla literarum monumenta ante Moysen scripta, consequens est, sacram scripturam in quinque libris scriptam, omnibus scripturis nunc extantibus esse antiquiorem: sed tamen hæc scriptura antiquior est Dei ecclesia, quæ ante diluuium incœpit secundùm successionem credentium, durans ad hæc vsque tempora. A principio Adam & Æua, de peccato suo ex fide in futurum Christum pœnitentibus, vsque ad ortum Moysi durauit ecclesia fidelis populi, annos 2373, secundùm editionem ex Hæbraica veritate. Secundùm æditionem autem septuaginta interpretum, à principio mundi, vsque ad ortum Moysi, sunt anni 3610. cuius differentiæ ratio in superiori libro assignata. Longè igitur antiquior est ecclesia, quàm sit scriptura à Moyseædita. Hanc autem esse sacram & veram scripturam Dei loquentis ad Moysen, facie ad faciem, sicut homo solet loqui ad amicum suum, credimus ex testimonio ecclesiæ, quæ ab initio, C quo hęc scripta sunt, sic credidit & docuit. Illam autem ab initio sic credidisse, cognoscimus ex testimonijs posterorum, videlicet Iosue, Samuelis, Dauid, Isaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, cæterorumque prophetarum & pontificum, serie successionis protracta ad Christi vsque tempora, ex quorum scripturis manifestè cognoscimus populum seu ecclesiam Dei post Moysen semper credidisse, prædicasse, & docuisse, sicut Moyses ipse in suo volumine credidit, docuit, & posteris legendum tradidit. Ecclesia igitur fidelis populi innitentis gratiæ Dei miserentis, mox post exordium mundi incipiens, ab antiquo est orta. Quartus annorum mundi millenarius iuxta Eusebij calculum secundùm Hebraicam veritatem supputatum, completur anno Tyberij Cæsaris decimosexto, in quo & Dominus noster Iesus anteà baptizatus, cœpit prædicare euangelium regni, signis & virtutibus demon- D strans suam ecclesiam in se credentem, esse veram Dei ecclesiam, conuenientem cum Moysi cathedra & ecclesia. Hunc quoque annorum numerum à principio mundi vsque in decimum sextum Tyberij annum, Beda in libro de ratione temporum eruditè notauit, sub anno quo Christus baptizatur, dicens Dominum nostrum Iesum post baptismum annunciare mundo regnũ cœlorum, peractis à principio mundi (vt Eusebius in chronicis suis signat) quatuor millibus annorum. Qui sanè numerus quatuor millium annorum à principio mundi vsque in decimumsextum annum Tyberij, colligitur etiam secundùm conclusiones in vltimo capite præcedentis libri designatas. Ex quibus consequens est hoc nostro æuo, quo ab vniuersa ecclesia catholica scribitur à natiuitate Domini trigesimus secundus annus supra millesimum quingentesimum, esse à principio mundi peracta quinque annorum milia cum quingentis: quo fit, vt hoc seculo nostro simus in dimidio sexti millenarij. Ad id autem quòd Augustinus quidam Eugubinus scribit à conditione mundi vsque ad hæc tempora, apud Hebræos nunc numerari solùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

annos 5292. dicimus à Cyro vsque ad Christum, non esse standum Hebræorum Talmudistarum authoritati in annorum supputationibus, quemadmodum in superiori libro demonstrauimus. Si ergo iuxta scripturam Christus verus agnus ab origine mundi sit occisus in cordibus credentis populi, consequens est ecclesiam Christi durasse 5500. annis. Ex his patet primò, quòd querere, an ecclesiæ catholicæ authoritas sit prior aut maior authoritate scripturæ, est idem acsi quæreretur an authoritas personæ testimonium dantis, maior sit suo testimonio. Manifestum est autem nos habere fidem tum scripturis quibuslibet, tum testimonijs propter authoritatem & veracitatem personæ testificantis, quam credimus adeò veracem esse atque probatam, vt non velit fallere, adeoque sapientem, quæ falli non possit. Ex huius consideratione intelligere possumus quàmuis latior, & ad plura sit ecclesiæ catholicæ quàm scripturæ authoritas, eadem tamen & æqualis est eiusdem ecclesiæ catholicæ & scripturæ sacræ veracitas, æqualis vis, par dignitas seu potestas, eodem Dei spiritu loquente vtrobique, & in scripturis sacris, & in ecclesia. Idcirco scriptura sacra, & ecclesia, non possunt inter se esse contraria: quàmuis euangeliorum scriptura non sit neque vera, neque diuinitus reuelata per testimonium aut ecclesiæ, aut euangelistarum. Neque enim idcirco verificata sunt euangelica dogmata, quia ecclesia & euangelistæ sic sunt testificati, sed econtrariò potius, ecclesia & euangelici scriptores, hæc idcirco olim sunt testificati, quia vera erant, & per Christum & apostolos reuera sic facta & adimpleta, eandem tamen euangeliorum scripturam esse ad probandum efficacem & autenticam, declaratum est per authoritatem & testimonium ecclesiæ, in spiritu sancto testificantis hanc scripturam continere ea, quæ docere præcepit Christus, dicens apostolis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Euangelium nondum erat scriptum, nisi in cordibus discipulorum, & præcepit Christus collegio apostolorum prædicare euangelium. Vnde Irenæus vetustissimus, qui Polycarpum discipulum Ioannis facie ad faciem vidit: Plenissima aduersus omnes hæreticos, inquit, contradictio, est traditio quam ecclesia ab apostolis præceptam per successiones presbyterorũ & sacerdotum custodit, peruenientem vsque ad nos, & distribuit filijs suis. Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quàm per eos, per quos euangelium salutis venit vsque ad nos, qui primùm prædicauerunt, postea verò per Dei voluntatem fundamentum & columnam fidei nostræ, in scripturis nobis tradiderunt. Addit: Matthæus Hebræis, inquit, ipsorum lingua scripturam ędidit, cùm Petrus & Paulus Romę euangelizarent, & fundarent ecclesiam. Post horum excessum, Marcus discipulus & interpres Petri, ea quæ à Petro annunciata erant, per scripta nobis tradidit. Postea verò & ipse Ioannes ędidit euangelium, in Asia commorans.

Matth. 28. d

Irenæus lib. 3. cõtra Valent.

Hactenus ille, multa adijciens ibidem libro tertio aduersus Valentinum salutaria dogmata contra hæreticos, videlicet non esse recipienda alia euangelia, præter quatuor ea quæ ecclesia tradidit, & veritatem fidei per successiones presbyterorum in ecclesijs esse custoditam, & quotiescunque super aliqua quæstione disceptatio est, oportere nos recurrere ad ecclesias antiquissimas, in quibus apostoli conuersati sunt, & ab eis de proposita quæstione sumere certitudinem. Nam & si ipsi apostoli nullas scripturas nobis reliquissent, tamen & oportebat, inquit, nos sequi ordinem traditionis ecclesiæ, & veterem fidem ex ecclesia cognoscere. Manifestum est igitur Christi ecclesiam esse antiquiorem scripturis apostolicis atque euangeliorum libris, easdemque scripturas non esse factas nobis authenticas sine authoritate ecclesiæ testificantis. Vnde & huius consideratione venerabilis ait Augustinus: Ego euangelio non crederem, nisi me catholicæ ecclesiæ commoneret authoritas. Amplius autem est ex suprà dictis manifestum, ab ecclesia

Aug. cõtra epist. Manichæi quam fundamentũ vocant c. 5 b

A ecclesia posse esse alicuius catholicæ veritatis verum testimonium, quod nusquam in scriptura sacra est traditum, & posse esse traditiones sanctas ex necessitate credendas, quæ in sacris libris canonicis iam æditis non continentur, sicuti varietates catholicæ erant sub Apostolorum temporibus, cùm nondum essent euangelistarum & Apostolorum codices. Aliquot annos ecclesia vsa est tribus euangelijs scriptis, antequam Iohannes suum scriberet euangelium, & sub eisdem annis multa tenuit, credidit, & docuit Apostolorum ecclesia, quæ nondum erant scripta in vllo euangelio quo vtebatur ecclesia: veluti quòd verbum æternum apud patrem verus Deus, sit factum caro, quòd Christus resuscitauerit Lazarum quatriduanum in monumento, Item de verbis Christi ad Petrum, vt pasceret oues, & alijs multis scriptis in euangelio Ioannis, quæ non habentur in alijs euangelijs. Neque enim Christus vllum scripsit euangelium, neque præcepisse legitur apostolis, aut vllis

B suis discipulis, vt vel euangeliũ conscriberent, vel omnia quæ ipse docuerat atramento depingerent. Sed miunxit, vt euntes in vniuersum mundum docerẽt euangelium & prædicarent. Rursus neque Christus vspiam præcepit ecclesiæ, vt ipsa nihil amplius aut teneret aut crederet, quàm quod in libris euangeliorum tunc aut scribendis, aut scriptis traderetur. Neque apostolus Paulus dixit: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod in quatuor euangelijs scriptum est, anathema sit. Neque rursus ait: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod ego scripsi vobis: sed si quis vobis inquit, euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Vnde & ipse Paulus in secunda epistola ad Thessal. loquitur: Itaque fratres state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram, apertè insinuans se nõnulla tradidisse, quæ scripta nõ erant in sua epistola. Quemadmodum vt ait Ioannes euangelista, concludens librum sui euangelij: Multa quidem & alia fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Præterea manifestum est ex supradictis quædam esse in quibus magis standum est authoritati ecclesiæ, quæ fuit ab initio, quàm scripturæ sacræ demonstrationi, quæ nulla super hoc esse potest. Nam super his quæ ex eisdem scripturis sacris cõprobari non possunt, quæ tamen hactenus semper ab ecclesia sunt credita, tenta & obseruata, non habet ipsa scriptura directè suam vim & efficaciam. Idcirco super huiuscemodi inhærendum est authoritati & testimonio ecclesiæ, quæ sic nunc tenet, credit & prædicat, quemadmodum docuit ecclesia quæ fuit ab initio ad hæc vsq; tempora. Epistolas Pauli, quibus vtitur ecclesia, esse veras epistolas ędditas ab apostolo Paulo, diuinitus ad apostolatum vocato, non aliunde contra hæreticos probare possumus, quàm per testimonium ecclesiæ. Quemadmodum euangelia credimus esse scripturas autenticas, non ex alijs scripturis,

D sed ex testimonio ecclesiæ testificantis, quæ erat ab initio, cùm nondum vllum esset scriptum euangelium, secundùm successionem episcoporũ continuata ad hæc vsque tempora. Neque datur ex his vlli homini occasio, aut dubitandi vbinam sit vera Christi ecclesia, aut suspicandi ecclesiam quæ nunc est posse falli, aut quodlibet in rebus fidei pro libitu suo definire. Neque enim dicimus ecclesiam quæ nũc est, pro libito posse definire quodlibet ad fidem pertinere. Nam doctrinam fidei præsentis ecclesiæ intelligimus esse doctrinam illius ecclesiæ, quæ spiritu fidei cõtinuata est præcedentibus Christi ecclesijs, vsque ad primitiuam apostolorum ecclesiam, quæ in docendis & tradendis Christianæ fidei mysterijs atque doctrinis maioris erat authoritatis, quàm ecclesia quæ nunc est, & id quidem propter apostolos, qui illius ecclesiæ columnæ, testimonium de his quæ viderant, perhibere poterant, qui & ipsum Christum, illiusque miracula & opera, mortem, & resurrectionem viderunt, & doctrinam eius ex ore audierunt, manifestationemque diuini spiritus habuerunt in signis & prodigijs, quibus & post resurrectionem aperuit

Gal. 1. b

Thessa. 2. d

Iohan. vlt.

sensus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sensus, vt intelligerent prophetarum scripturas. Et idcirco quàmuis ecclesia quæ A
nunc est, in remittendis & retinendis peccatis, in sacramentis cæterisq; mysterijs
Christi dispensandis, & in ecclesiastica potestate à Christo semel ecclesiæ data, sit
æqualis authoritatis cum apostolorum ecclesia, habens easdem claues regni cœ-
lorum, quas Christus Petro & omnibus successoribus illius dedit, ecclesia tamen
primitiua propter collegium apostolorum, ad tradendam nouam fidei nostrę do-
ctrinam maioris erat gratiæ, maiorisque authoritatis, quàm ecclesia quæ nunc est.
Nam ecclesia huius temporis innititur antiquæ fidei, & antiquis scripturis atque
traditionibus veteris ecclesiæ apostolicæ, cui hæc ecclesia per eundem fidei spiri-
tum continuatur: & ideo quàmuis hæc ecclesia non possit docere fidem aliam, ta-
men in rebus fidei dubijs, & in locis scripturæ ambiguis suam censuram habet &
Aug. cõtra epist. Manichęi c.5.b authoritatem. Secundùm hunc sensum de ecclesia Augustinus in libro de vtilita- B
De authoritate doctrinę apostolorum. te credendi, contra Manichæos dixit: Palàm, inquit est, quòd in re dubia ad fidem
ac certitudinem valeat authoritas ecclesiæ catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis a-
postolorum sedibus, vsq; in hodiernum diem durans, succedentium sibimet epi-
scoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Super omnibus ergo
quæ ex scripturis sacris sunt manifesta, prior, notior, & vetustior authoritas eius-
dem scripturę, quàm eius ecclesię quę nunc est. Nam & huiuscemodi ecclesia quæ
nunc est, quemadmodum in superioribus diximus, ex scripturis sacris quærenda
est & cognoscenda. Augustinus autem cùm dicit: Ego euangelio non crederem,
nisi me catholicæ ecclesiæ cõmoneret authoritas, intelligit de ecclesia catholica
quæ fuit ab initio Christianæ fidei secundùm seriem successionis episcoporũ cre-
scens ad hæc vsque tempora, quæ sanè ecclesia complectitur collegium apostolo-
rum, qui Christum & miracula eius videntes, doctrinamq; fidei ex ore eius audi- C
entes, scripturas euangelicas tradiderunt, qui & spiritum intelligendi prophetas,
salutisq; nostræ mysteria in visibilibus signis cœlitus acceperunt, corroborantes
doctrinæ suæ veritatem prodigijs & miraculis. Vnde tantæ authoritatis est scri-
ptura semel ab eisdem apostolis tradita seu approbata, vt etiam ipsi apostoli fuis-
sent anathema, neq; mansissent ecclesiæ membra, si sententiam fidei ab ipsis præ-
dicatæ mutantes, incœpissent doctrinam contrariam euangelijs tradere. Verbum
enim semel diuino spiritu enunciatum, manet in æternum. Et hanc ecclesiam
sic semper ab initio secundùm seriem successionis docuisse concludimus ex testi-
monijs & scripturis patrum nostrorum, & antecessorum doctorum, secundùm se-
riem successionis ab initio concorditer de his scribentium. Proinde ecclesiã quæ
nunc est ex scripturis cognoscimus apud eos esse, vbi doctrina est quatuor euan-
geliorum, conueniens in fide & moribus & vnitate pacis sub Petri cathedra, cum D
ecclesijs quæ fuerunt in prioribus seculis. De ecclesia autem quæ nunc est intelli-
gendo eam, vt præcisam seu abstractam seu nudam & absque cohærentia in fide
& moribus cum ecclesijs quæ fuerũt in prioribus seculis, diceret Augustinus: Ego
huius ecclesiæ homines non agnoscerem esse ecclesiam Christi, nisi doceret me
quatuor euangeliorum authoritas, ego ecclesię non crederem si aliud euangelium
nobis euangelizaret, si apostolorum doctrinas non doceret, quemadmodum ait
Gal.1.b Apostoli fuerunt testes rerum quas ipsi viderunt. Paulus, etiam si nos ipsi, aut angelus de cœlo euangelizauerit vobis præter id quod
Act.1.b accepistis, anathema sit. Apostoli fuerunt testes earum rerum, quas & viderunt,
Act.1.c & audiuerunt quos saluator misit dicens: Eritis mihi testes in Hierusalem, in Iudęa
& Samaria vsque ad vltimum terræ. Vnde & ipsis in loco Iudæ traditoris nouum
apostolum electuris ait Petrus: Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congrega-
ti in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à ba
ptismate Ioannis, vsque in diem, in qua assumptus est à nobis, testem resurrectio-
nis nobiscum fieri vnum ex istis. Item quatuor euangelistæ sunt tanquàm notarij
publici,

A publici, ipsa verò euangelia tanquam instrumenta publica sub testimonio primi-
tiuæ ecclesiæ, hactenus inuiolata & absque corruptione conseruata. Marcus Chri-
stum non vidit, Lucas non ab initio sermonibus & factis Christi præsens fuit, & ta-
men eorum euangelia vera esse credimus, recipientes eadem vt assertiones eorum
qui habentes spiritum veritatis fuerint diuinitus per ministeria hominum edo-
cti super rebus, quas scripserunt, sua nobis relinquentes euangelia, vt instrumen-
ta publica & approbata, & multipliciter examinata sub testimonio primitiuæ ec-
clesiæ, id est, apostolorum, qui Christum viderunt & audiuerunt: quemadmodum
& Lucas scripturus euangelium testatur in procœmio, dicens: Sicuti tradiderunt Lucæ 1.a
nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Quod vidimus, 1.Ioan.1.a
inquit Ioannes, quod audiuimus, quod perspeximus oculis nostris, & quod manus
B nostræ cõtractauerunt de verbo vitæ, hoc vobis annunciamus, hoc testamur. Ver- Ioan.1.a
bum caro factum est, & habitauit, inquit, in nobis, huiusq; testimonij causam adij- Ioan.21.g
ciens: Vidimus, inquit, gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Hic est disci- Act.4.d
pulus, qui testimonium perhibet de his, & scimus quia verum est testimoniũ eius;
Non possimus, inquit Petrus, ea quæ vidimus & audiuimus non loqui? Et alibi 2.Petri1.b
Non indoctas, inquit, fabulas secuti, notã fecimus vobis domini nostri Iesu Chri-
sti virtutẽ & præsentiam, sed speculatores facti magnitudinis illius, voce huiusce-
modi à Deo delapsa: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Hanc vocem de
cœlo inquit, allatam audiuimus, dum essemus cum ipso in monte sancto. Et habe-
mus firmiorem propheticum sermonem cui benefacitis, attendentes scripturas, in
quibus hæc legimus esse sacras & autenticas, & esse vera testimonia apostolorum,
qui cum Christo vero Dei filio locuti sunt, in quibus & locutus sit spiritus sanctus,
C credimus ex authoritate ecclesiæ, super huiuscemodi scripturas testificantis.
Hic iam si obieceris: Animus verè Christianus credit euangelio propter vocem
Dei intus loquentis, accipiens verbum euangelij non vt testimonium hominis,
sed vt verbum Dei, & vt reuelationem spiritus sancti, credens euangelio, non ex
persuasione humana, sed ex fide desuper infusa. Fides enim est donum Dei cœli-
tus immissum & inspiratum, dicente Paulo: Gratia saluati estis per fidem, & hoc
non ex vobis, Dei enim donum est, nõ ex operibus. Item saluator ad Petrum: Bea- Eph.2.b
tus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, &c. Et Paulus: Ego Matth.16.b
ab homine non accepi euangelium, sed per reuelationem Iesu Christi. Respõdeo. Gal.1.b
Animus verè Christianus, credens ex vera fide, credit quidem propter vocẽ Dei
intus loquentis accipiens euangelia & verba Dei intus docentis & reuelantis. Sed
sciendum, quòd Deus multifariam, multisque modis reuelat seu loquitur homi-
nibus. Loquitur enim, reuelat, seu docet nunc per prophetas, quemadmodum Psal.44.a
D ait propheta: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Spiritus Domini Hebr.1.a
locutus est per os meum, & sermo Dei per linguam meam: nũc per angelos, nunc
per Iesum filium suum in carne visibilem, nunc per apostolos, seu per ecclesiam
loquitur, & in hodiernum vsq; diem per scripturas. Quæstiones magnæ & per-
plexæ à doctoribus ecclesiæ disputantur, ex quibus & schismata interdum obor-
ta sunt, vtrùm ecclesia Rom. cui præficitur successor apostoli Petri, sit prælata om An papa sub-
nibus aliorum episcoporum ecclesijs: vtrùm vniuersalis ecclesiæ authoritas, sit sit authoritati
maior authoritate seu potestate papæ, an econtrario: vtrùm vniuersale concilium totius eccl. siæ
secluso papa, sit supra papam, id est, vtrùm papa sit subiectus potestati ecclesiæ vel generalis
vniuersalis, sicut subditus duci suo. Et videntur has quæstiones soluere doctrina concilij.
Christi, & determinatio Constantini concilij. Doctrina quidẽ Christi in euãgelio
docentis: Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum, & Matth.18.c
reliqua vsque in eum locum vbi dicitur: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut
ethnicus & publicanus. ibi Christus videtur apud ecclesiam posuisse vltimum &
supremum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſupremum iudiciariæ poteſtatis tribunal. Cùm ergo papa ſit frater & membrum in corpore Chriſti, conſequens videtur, quòd ipſe aut à fide deuians, aut ſcandaloſe viuens, ſubiectus ſit iudicio eccleſiæ, cui & in toto apoſtolorum collegio deſignatæ Chriſtus ibidem inquit: Quæcunque alligaueritis ſuper terram & cætera. Item & definitio concilij Conſtantienſis, ſeſſione quinta, declarauit & definiuit, quòd illa ſancta ſynodus in ſpiritu ſancto legitimè congregata, faciens generale concilium, & repreſentans eccleſiam catholicam, habet immediatè à Chriſto poteſtatem, cui & quilibet cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis extiterit, obedire tenetur in his, quæ pertinèt ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, in reformationem quoque dictę eccleſiæ, in capite & in membris. Pro harum quæſtionum ac rationum diſſolutione conſideranda eſt hæc concluſio in ſuperioribus declarata, Romanam videlicet eccleſiam, in qua eſt generalis Chriſti vicarius, apoſtoli Petri ſucceſſor, eſſe omnium aliarum eccleſiarum magiſtram, quemadmodum & in ſuperioribus oſtenſum eſt ipſum Romanæ eccleſiæ epiſcopum, Chriſti vicarium Petriq; ſucceſſorem, cæteris omnibus epiſcopis eſſe prælatum. Proinde quemadmodum Antiochena eccleſia, quæ olim erat prima propter Petrum in illa reſidentem, ceſſit eccleſiæ Romanę, Petro iuſſu Dei ad eandem eccleſiam Romanam tranſeunte: ſic & eccleſia Romana quæ nunc eſt prima, cedere deberet alteri eccleſiæ, ſi Deo iubente ſucceſſor in cathedra Petri ad aliam eccleſiam ſeſe transferret, alium quendã præficiens Romanę eccleſię epiſcopum: quemadmodum Romana eccleſia in qua reſidet apoſtoli Petri ſucceſſor, eſt omnibus eccleſijs prælata, ad quam ſeu fidei magiſtram ac matrem, omnes maiores totius eccleſiæ cauſæ recurrunt, ſumentes terminum ſeu finem iuxta ſententiam eiuſdem eccleſiæ, cuius vis & poteſtas eccleſiaſtica eſt in pontifice eiuſdem eccleſiæ, ita & Romanæ eccleſiæ ſententia prævalet omnibus ſententijs aliarum eccleſiarum à Romana eccleſia diſcrepantium. Papa in cauſis fidei & ſchiſmatis perſonam ſuam tangentis atque concernentis ſubijcitur iudicio vniuerſalis eccleſiæ, quamobrem ſi ipſe fieret hæreticus aut ſchiſmaticus, aut argumentis probabilibus de his ſuſpectus pertinaciter defendens doctrinam contrariam euangelio Chriſti, ipſe eſſet ab eccleſia monendus, corripiendus, & ſi contumax fuerit, iudicandus tanquàm anathema, & vel deponendus, vel declarandus, propter contumaciam ab eccleſia fuiſſe depoſitus à tempore ex quo talia docere, aut prædicare cœperit. Neque enim tenentur oues ſubeſſe paſtori vlli, qui iam factus eſt aut ex Paſtore lupus, aut ſaluti gregis contrarius, quemadmodum & Apoſtoli fuiſſent à Chriſto anathema, ſi contrariam doctrinam incœpiſſent prædicare, vt docet ad Galathas primo. Paulus qui & alibi ait, hæreticum hominem poſt primam aut ſecundam correptionem deuita. Ioan. apoſtolus in ſecunda ſua canonica, Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis & cætera. Et quàmuis primatus papæ ſuper omnes particulares eccleſias ſit conſtitutus diuino iure, non hinc tamen oportet conſequens eſſe eundem papam in cauſis proprijs, ius diuinum concernentibus, non eſſe ſubiectum poteſtati vniuerſalis eccleſiæ, ſicut Ioſue conſtitutus à Deo dux in Iſrael dum ſorte diuiſiſſet terram ſingulis per tribus ſuas, dederunt filij Iſrael eidem Ioſue poſſeſſionem in medio ſui, iuxta præceptum Domini vrbem quam poſtulauit, Ioſue 19.

Ad Titum.

Intellectus doctrinæ Chriſti & conſtantienſis concilij, ponentis eccleſiam tanquam vltimum iudiciariæ poteſtatis tribunal, patebit in ſequentibus.

Sequitur Caput quintum.

CAP. V.

Caput quintum de multis ſententiis orthodoxa fide tenendis, quæ ex ſcripturis ſacris efficaciter demonſtrari non poſſunt.

IAM ergo ſupereſt oſtendere ſcripturas ſacras non ſufficere ad confutandas hæreſes omnes. Ex ſupradictis eſt manifeſtum multas fuiſſe iam olim, & adhuc eſſe hæreſes, ſuper quibus hæretici pertinaces ex ſcripturis ſacris euidenter conuinci non poſſunt, veluti ſunt errores contra virginitatẽ perpetuã Mariæ, cõtra baptiſmũ paruulorum in remiſſionẽ peccatorum baptizandorum, & alia multa, quæ tametſi ſemper obſeruarit eccleſia, euidenter tamen ex ſcripturis monſtrari non poſſunt, & ideirco ſemper illius generis traditionibus contra hæreticos, aggrediendum eſt alio argumento, quo & ab initio contra eoſdem vſi ſunt ante nos ſecundùm ſeriem ſucceſſionis eccleſiaſtici patres, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & cæteri poſteriores ad hæc vſque tempora. Hoc autem argumentum eſt authoritas eccleſiæ catholicæ, cui pollicitus eſt Chriſtus. Ego vobiſcum ſum vſque in conſummationem ſeculi. Hæc ſola, inquit Auguſtinus, eſt religionis machina, quæ cunctas hæreſes ſemel aboleuit. Ipſa inquam concors omnium ſanctorum patrum doctrina ſecundùm ſuorum temporum ſucceſſiones concorditer ſcribentium, & reddentium teſtimonium verbis Chriſti, & conſuetudo primitiuæ eccleſiæ. Amplius autem Tertullianus: Auctrix, & confirmatrix fidei eſt conſuetudo, quæ fuit ab initio eccleſiæ, etiã in his rebus, ſuper quas nulla prætenditur ſcripturę authoritas, & ideirco hæreticis, qui ad ſingula canonicas exigunt ſcripturas, interrogantibus quo nam ſcripturæ loco monſtremus eccleſiæ ſacramenta, miſſæ officiũ, euchariſtiæ oblationem ac ſacrificium, purgatorium ignem poſt mortem, inuocationes ſanctorum martyrum, orationes viuorum prodeſſe defunctis, & orationes ſanctorum defunctorum prodeſſe viuis, & neceſſarium eſſe infantibus baptiſmum, & id genus alia, quæ iam per vniuerſum orbem catholica ſeruauit eccleſia. Reſpondemus, viciſſim interrogantes, vt & ipſi dicant nobis ex qua nam ſcriptura habeantur euangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Iohannis eſſe vera illorum euangeliſtarum euangelia, & ab eis vt veracibus teſtibus veraciter conſcripta, & cùm non habeant quod reſpondeant niſi teſtimonium eccleſiæ, quæ ab initio ad hæc vſque tempora ſic credidit, docuit, tenuit, fateantur neceſſe eſt authoritatem eiuſdem eccleſiæ ſic à temporibus Apoſtolorum, ſecundùm ſucceſſionis ſeriem continuatæ ad hæc vſque tempora, eſſe ſufficiens robur & argumentum ad ſtabiliendum, corroborandumque ſuper præfatis articulis fidem orthodoxam. & ideirco mirabili cęcitate falluntur, qui morem omnium hęreticorum prædeceſſorũ imitati, neque ęſtimant cõmunem eccleſię traditionẽ, neque recipiunt eccleſiaſticorum patrum venerandam antiquitatẽ ante mille annos & ſupra, ad hæc vſq; tempora obſeruatam per totum orbem Chriſtianũ, qui certè, ſi Auguſtino credimus, inſolentiſſimè inſaniunt, neſcientes, quòd ſi in his quæ ſunt fidei contemnamus veteris eccleſiæ traditionem, quę ad hęc vſque ſecula, ſuũ tenuit vigorem, nõ erit per quod libros euangeliorum valeamus oſtendere eſſe verorum Apoſtolorum euangelia. Nec erit nobis vllum ſcutum, quo doctrinam fidei quę nunc eſt defendere valeamus contra vllum hominem pertinaciter dicentem ſe habere, aut alium quendam ex euangelijs intellectum de perſonarum trinitate, & de Chriſti incarnatione, cęteriſque fidei articulis, aut alia quędam verorum Apoſtolorum euangelia, & adducet quiſque pro ſua voluntate quod volet. Vt ergo hęreſes huius temporis plenius habeantur detectę, omnibuſque manifeſtę, non erit inutilè conſiderare res quaſdam ſecundùm veterem eccleſię ſtatum obſeruatas, quas iam aduerſarij eccleſiaſticarum conſuetudinum nituntur ſubuertere.

Hęreſes multę quę ex ſcripturis cõuinci nequeunt.

Libro de corona militis.

Ad inquiſitiones Ianuarn.

Variæ hæreſes iam olim datæ ab eccleſia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS.III.

Sunt autem huiuscemodi veneratio & inuocatio sanctorum martyrum, solenne ieiunium à carnibus, & cæteris cibis abstinentia, suffragia viuorum pro defunctis, voluntaria vota in castitate, Deoque dicata virginitate, purgatorius ignis post mortem, paruulorum baptismus. Sacramenta confirmationis, confessionis, sacri ordinis vnctionis, matrimonij insolubilitas, corpus Christi sub specie panis & vini, missæ sacrificium, cæteraque officia ecclesiastica, sacerdotum cœlibatus, hæc & similia sunt, quæ aut omnia, aut plura, multi contra venerãdam antiquitatem colla erigentes, impugnare & destruere præsumunt, renouantes iam olim sepultas hæreses, magis autem apparebit illorum insania, si primùm ostenderimus easdem hæreses ante mille annos fuisse ventilatas, tritas & damnatas. Vigilantius iam olim ante mille & centum annos, quemadmodum diuus testatur Hieron. docuit non esse veneranda sanctorum martyrum sepulchra, proclamauit contra sanctorum ieiunia, impugnauit virginitatem, & orationes sanctorum, irrisit Christiani populi deuotionem, accensionem cereorum in honorem martyrum sole splendente. Dum uiuimus mutuo, inquit, pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio est exaudienda oratio, præsertim cùm martyres vltionem sui sanguinis impetrare non quiuerint. Sic & recitat Augustinus, ꝙ suo seculo Arrius quidam, cùm esset presbyter, doluisse fertur, quòd episcopus non potuisset ordinari, & idcirco sua priuata dogmata spargens in ecclesias, docuit nos non oportere nec orare, nec offerre oblationem pro mortuis, nec solenniter celebrare statuta ieiunia, sed cùm quisque voluerit, ieiunandum esse, ne videatur esse sub lege, & presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni. Hactenus Augustinus in libro de hæresibus, capite quinquagesimotertio. Et ibidem capite octogesimosecundo: A louiniano quodam monacho, hæresis quædam, inquit, orta est ætate nostra, cùm adhuc iuuenes essemus, qui dicebat omnia peccata esse paria, nec aliquid prodesse ieiunia, vel à cibis abstinentiam, virginitatem sanctimonialium seu continentiam, coniugum meritis adæquabat, ita vt quædam virgines sacræ, prouectæ iam ætatis, eo audito, nupsisse dicantur. Cito tamen (inquit) ista hæresis extincta est, nec vsque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit peruenire. Hactenus ille. Sed iam prochdolor latius hæc pestis suum sparsit fœtorem, cùm peruenerit nunc ad deceptionem non solùm monialium, sed & monachorum, sacerdotum & pastorum. Erigamus mentes viri Christianissimi, & soliciti simus, vt non sint inter nos super huiuscemodi rebus schismata, vt & vtiliter ecclesiæ commodis consulentes, diuisa inter sese ecclesiæ membra ad vnionem pacis ac concordiæ, quantũ in nobis est studeamus prouehere, & zelum Dei arripientes, non iniurias sanctorum martyrum solùm, sed & damnatam miserarum animarum defunctarum, quæ priuantur viuorum solatijs, atque suffragijs, quàm viuorum, qui discunt contemnere venerandam ecclesiæ antiquitatem, non surdis auribus transeamus. Nihil est quo sataras sic occultè contra Christi ecclesiam insidiatur, quàm ipsa scriptura sacra, qua ipse vtitur, vt sub prætextu Christianę fidei, fallat Christianorum hominum corda, qui dum existimant se tenere euangelicam veritatem, & scripturas canonicas seruare ad vnguem, arbitrantur se verè esse Christianos, cùm tamen cæci sint, ac in tenebris versentur. Et idcirco ipse semel extinctas hæreses iterum atque iterum denuo seminare, & crescere cupit, nec cessat insidiari vnquam ad hæc vsque tempora sub prętextu constantiæ fidei Christianę, tantam suggerens pertinaciam in hominum corda, vt etiam ipsi tradant corpora sua ad mortem, arbitrantes se pro fide Christi mortem pati. Neque recens aut noua est hęc hęreticorum vsque ad mortem pertinacia: nam ante mille annos temporibus Cypriani, Hieronymi & Augustini, legimus hæreticos etiam à persequutoribus Christianę fidei fuisse in con-

A

B

C

D

Nec orandum nec offerendũ pro mortuis, nec statuta ieiunia esse obseruanda, hæresis Arriani. Augustinus.

Est hortatio ad zelum Dei arripiendũ, vt errates ad pacẽ reuocentur.

Per scripturã sacram inlidiatur nobis diabolus.

A in confessione nominis Christi exustos & occisos: sed quia extra ecclesiam, inquit Cyprianus, confitebantur Christum, non potuerunt assequi remissionem peccatorum. Macula enim discordiæ in hæreticis nec abluitur sanguine, nec purgatur igne: quos & in spiritu beatus Paulus præuidens futuros, notauit: Si habuero, inquit, omnem fidem, vt montes transferam, & cæt. Si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Iam olim ante annos fermè quadringentos, præpositus quidam venerandus Stenelden, interrogabat beatum Bernardum: Vellẽ inquit, scire sancte pater si præsens essem, vnde in hæreticis, diaboli membris, tanta fortitudo in sua hæresi, quanta vix reperitur etiam in valde religiosis Christi fidelibus. Sunt, inquit, apud nos hæretici, qui in suffragijs mortuorum, & orationibus sanctorũ, non cõfidunt, ieiunia, cæterasq; afflictiones quæ pro peccatis fiunt, aiunt iustis non esse necessaria, purgatorium ignem post mortem non concedunt, in altari corpus Christi fieri negant, ecclesiã apud se esse dicunt, non habentes agros, neque possessiones. Nouimus etiam ex istis nonnullos esse raptos à populis nimio zelo permotis, & nobis inuitis in ignem positos, & crematos: qui tormentum ignis non solùm in patientia, sed & cum lætitia introierunt: Vellem igitur scire sancte pater, vnde in diaboli membris fortitudo tanta? Hactenus huius præpositi interrogationes. Et quàmuis non inuenerim responsiuam à Bernardo epistolam, attamen tanquam ad hæc respondens Bernar. de huiuscemodi hæreticis sic loquitur: Se dicunt esse successores Apostolorum, & ecclesiam, non habentes neque agros, neque possessiones: ecclesiam autem habentem agros & possessiones, non esse Christi ecclesiam. Irrident nos ꝙ baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd suffragia sanctorũ postulamus. Non credunt ignem purgatorij restare post mortem, sed animam à corpore solutam, statim vel ad requiem, vel ad damnationem transire. Ecclesiã nõ cognoscũt, & idcirco ordinibus ecclesiæ detrahunt, instituta non recipiunt, sacramenta contẽnunt, mandatis episcoporũ non obediũt. Peccatores, inquiunt, sunt apostolici episcopi, archiepiscopi, presbyteri, & per hoc nec dandis sacramẽtis, nec recipiẽdis idonei: multa quidem & alia huic populo stulto & insipiẽti, inquit Bernard. à spiritibus erroris in hypocrisi loquentibus mendacia persuasa sunt, nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt, nec authoritatibus corriguntur, quia nõ recipiunt, nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt: probatum est, mori magis volunt, q̃ conuerti, horum finis interitus, horũ nouissima incendium manet. Mirabantur, inquit, aliqui, quòd non modò patienter, sed & læti, vt videbatur, ducerentur ad mortem: sed non inde mirandum, si aduertatur quanta sit potestas diaboli, non modò in corpora hominum, sed etiam in corda, quæ semel permissus possederit. Nónne plus est hominem sibimet injcere manus, q̃ id libenter ab alio sustinere? hoc autem potuisse diabolum frequenter experti sumus in multis, qui semetipsos aut submerserunt in aquas, aut se dederunt ex sublimi præcipites, aut suspenderunt. Nihil ergo simile habent, constantia martyrum, & pertinacia hæreticorũ: quia in illis pietas, in istis duricia cordis, contemptum mortis operatur. Hactenus Bernardi doctrina. Ex qua patet hæresiarcham huius seculi non fuisse inuentorem nouarum hæresium, sed antiquarum iam damnatarum resuscitatorem ac defensorem improbum. Proinde non est opus, inquit Bernardus, multa aduersus homines stultissimos atque obstinatissimos dicere, sufficit innotuisse illos, vt vitentur. Addit: Melius proculdubio, inquit, foret, quòd coërcerẽtur gladio illius, qui non sine causa gladium portat, q̃ vt multos in suos errores traijcere permittantur. Hactenus Bernardus, ante annos iam quadringentos de hæresibus à tam longo tempore, ad hæc vsque tempora, procurante diabolo, protractis. Inspicientes ergo veteris ecclesiæ traditionem, & antiquissimorum patrum volumina planè

B

C

D

Bernar. hom. 66. in fine super Cant.

2. Corint. 13. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS I.

Eadē dogmata nunc esse in ecclesia, quæ à tempore apostolorum semper fuerunt.

videmus super præfatis articulis veterem ecclesiæ doctrinam prorsus cum doctrina ecclesiæ, quæ nunc est conuenire, & huisce in rebus faciem ac statum ecclesiæ quæ nunc est, esse antiquum ecclesiæ statum, & ecclesiam Christianam per totum orbem nunc credere & obseruare, sicut credidit, tenuit, & prædicauit ecclesia quæ fuit ante quadringentos annos, cùm adhuc venerandus ille doctor Bernardus, & cæteri seculo illo præclarissimi scriptores viuerent, & ecclesiam eam, quę tempore Bernardi erat, super eisdem articulis credere, tenere & docere, sicut ipsa obseruasse inuenit totam ecclesiam Christianam, quæ Bernardum sexcentos annos antecesserat, sicut erat ecclesia temporibus Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosij & Augustini, in quorum seculis vniuersa ecclesia infantes baptizabat, pro defunctis orabat, sanctos martyres inuocabat, & in eorum memoria altaria construebat, in missa eucharistiæ sacrificium offerebat, vota monastica faciebat, aliaq; multa, quæ in hodiernum diem tota seruat ecclesia, quod facilè potest perspici ex scripturis, quas singuli suis seculis posteritati legendas tradiderunt, quemadmodum iam in sequentibus partibus sumus ostensuri. Cæterùm, Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, huiuscemodi res neque è suis cerebris confinxerunt, neque recenter tunc ex scripturis sacris intellexerunt, sed in eisdem articulis crediderunt, tenuerunt, & docuerunt, sicut inuenerant ecclesiam antè se docuisse, ascendendo vsque ad Apostolorū tempora, secūdùm interpretationem ecclesiæ intelligentes, ac concludentes in scripturis, nonnulla esse implicita & præsuppositа, quæ ex eisdem scripturis, euidenter concludi non possunt. Quod planum & manifestum nobis erit, si aduicem conferamus volumina antiquorum patrū, qui per successiones temporū ecclesiastica dogmata & sacrarum scripturarum interpretationes nobis tradiderunt, qui etsi luce clara deprehenderint nonnulla scripturæ loca talia esse, ex quibus non euidenter consequerentur sententiæ, quas ipsi dabant, tamen imitantes ecclesiæ traditionē, ita sunt interpretati, vt ipsorum interpretationes cum ecclesiastica traditione, ac obseruatione conuenirent. Huius rei vnum afferamus exemplum ex verbo Saluatoris, docentis quo dam esse peccati genus, quod nec in hoc seculo, nec in futuro remitteretur. Origenes, Augustinus, Gregorius & Bernardus, ceterique multi probatissimi patres intellexerunt, Saluatorem voluisse insinuare quoddam esse genus peccati remittendum post hanc vitam, & ita purgatorium esse: non q̄ venerabiles isti patres adeò fuerunt ingenio stupido, vt existimarent ex illa negatiua Saluatoris sententia, posse concludi sententiam affirmantem, peccata quædam remitti in futuro seculo, & ita ex necessitate sequi purgatorium esse: sed confiderantes ecclesiam illius temporis secundùm antiquum morem & consuetudinem pro defunctis orare, intellexerunt spiritum sanctum, in huiuscemodi loco voluisse hanc ecclesiæ sententiam insinuare, videlicet peccata quædam remitti post hanc vitam. Huiuscemodi ergo res, etiam quàmuis in eis nulla esset scripturæ authoritas, sufficienter demonstrantur per antiquum ecclesiæ statum, & secundùm vniuersalem ecclesiæ morem ab initio obseruatum, qui ab Apostolorum traditionibus ad nos vsque descendit. Neq; foret opus alia probatione, quàm ostendere, quòd super huiuscemodi rebus seruatis per vniuersam ecclesiam fuerit antiqua concors ecclesiarum sibiinuicem succedentium consuetudo, custodita non longè ab ipsis Christianæ fidei initijs ad hæc vsque tempora.

Matth. 12.c

A B C D

Secunda pars huius capitis, in qua de Christianæ ecclesiæ consuetudinibus & sacramentis, fundamenta quædam atque initia tractantur ex scripturis sacris.

Ne calumnien-

CAP. V.

A

NE calumnientur hæretici nos prorsus sine scripturis velle pugnare, antequam recenseamus patrum sententias secundùm seriem successionis, ab exordio nascentis ecclesiæ, oportet primū declarare, etiam initia huiuscemodi rerum ex ipsis scripturis sacris habere argumēta, & recensere scripturas, ex quibus patres ab initio intellexerunt huiuscemodi rerum institutiones. Considerandum est ergo ex supradictis, quòd vniuersales & verè Deo digni Apostoli, habentes sensum prophetarum & euangeliorum scriptum in cordibus suis, fideliter exequentes præceptū magistri præcipientis, quatenus in mundū vniuersum euntes, testes essent ac prædicarent euangelium, per quorum linguas loquebatur spiritus sanctus, non tā conati sunt euangelium scribere in chartis & pergamenis, quàm in cordibus hominum, scientes viuam vocem habere suam vim & energiam, ac euangelij fidem indigere, non suasorijs argumentis humani spiritus. Vnde ab initio iam latè per omnem locum erat dispersa Christi ecclesia, erantque in obseruantia ecclesiæ ritus & institutа quædam ab Apostolis præcepta, priusquam scripta essent vlla euangelia, Petrus Romæ crucifixus erat, & Paulus capite truncatus sub Nerone, priusq̄ Iohannes suum scriberet euangelium post mortem Domitiani. Iam verò euangelij testificatione longè lateque diffusa, & institutis per orbem Christianis, tunc primùm spiritu Dei prouidente, cœperunt apostolici viri ad eos qui iam credebant tradere in chartis sermones, mysteria, traditiones, sacramenta, gesta & facta Christi. Vnde & omnes Apostolorum epistolæ, non ad paganos, non ad infideles & gentiles, sed ad fratres, id est, ad Christianos sunt scriptæ. Paulus ad Romanos, Omnibus, inquit, qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis: Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Ad Corinthios: Ecclesiæ Dei quæ est, inquit, Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu. & sic in epistolis reliquis sermonē dirigit ecclesijs. Et quāuis qui diuinos sermones diuinitus inspirati scripserunt, breues hos & succinctos esse voluerunt, non sic tamen abbreuiarunt, vt præterirent & intacta prorsus dimitterent vlla Christianæ fidei mysteria & sacramenta, quæ vsque in diē hodiernum vniuersalis seruat ecclesia: quæ tametsi hæretici per successionem temporum ab initio semper impugnare conati sunt, sub prætextu libertatis & defensionis Christianæ fidei, non tamen præualuerunt contra ecclesiam, quæ hactenus manet in antiquo statu secundùm Apostolorum institutionem. Et quàmuis crescente multitudine ac deuotione credentium, solennitates & ritus super huiuscemodi sacramentis celebrandis sint aucti, & id quidem à præpositis ecclesiæ rationabiliter in vtilitatem fidei & charitatis, ne si leuiter peragerentur, vilescerent: origo tamen & vtilitas eorum, & approbatio ex Apostolica doctrina est nobis declarata, & per terram vniuersam credita, habita, retenta, & reputata. Et ideirco non modò hæresis, sed etiam insolentissimæ insaniæ est, dicere huiuscemodi rerum obseruantias in ecclesia Christi esse inutiles, confictas ab humano spiritu, aut abusus, aut falsas doctrinas, aut scripturis sacris contrarias, aut religioni Christianæ impertinentes, quemadmodū nonnulli impudentissimi idiotæ absque literis laici viri, & mulierculæ hoc nostro seculo nimia arrogantia præsumpserunt pertinaciter asserere, & ad vincula vsque defendere, tumultuantes contra omnium doctorum sententiam, & venerandam patrum antiquitatem. Quatuor sacramenta, vtpote baptismum, sacramentum ordinis seu ecclesiasticæ potestatis, eucharistiam & pœnitētiam, ecclesiastici patres ab initio secundùm seriem successionis intellexerunt ex doctrina Saluatoris dantis Apostolis formam baptizandi, potestatem consecrandi panem & vinum in corpus & sanguinem suum, potestatem ligandi & soluendi in terris, quæ ligata & soluta essent in cœlis, po-

Apostolorum officiū erat nō scribere in mēbranis, sed in cordibus hominū, & prædicare euangelium.

Rom. 1.a

De septem sacramentis ecclesiæ.

 testa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

testatem remittendi & retinendi peccata. Apostolis iam spiritum sanctum habentibus, Christus post resurrectionem insufflans, dixit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata. Et iterum: Euntes in mũdum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Insufflatio hæc, seu inspiratio, inquit Augustinus & cæteri sancti, est gratia quædam, quæ per traditionem infunditur baptizatis cùm ordinantur, de qua dicit Apostolus ad Timotheum: Noli negligere gratiam Dei quæ data est tibi per impositionem manuum presbyteri. Ex his scripturis Cyprianus, Ambrosius, Augustinus intellexerunt aliud esse sacramentum baptismi, aliud ordinis, quemadmodum patebit infrà in eorum sententiis. Sacramentum confirmationis intellexit ecclesia ab initio semper aliud esse à sacramento baptismi ex Actis apostolorum, & vtrumque esse sacramentum docuerunt Clemens Petri successor, Irenæus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, cæterique patres. Clemens confirmationem esse à baptismo sacramentum distinctum, à solo episcopo conferendum docet in epistola, quam (teste Merlino) scripsit ad Iulium & Iulianum fratres, Cyprianus in epistola ad Stephanum, quæ est prima ordine in secundo libro epistolarum, docet vtrumque esse sacramentum. Hieronymus aduersus Luciferianos, docet hanc obseruationem ex ea authoritate descendere, qua spiritus sanctus post ascensum Domini ad apostolos descendit, asserens multis in locis idem factitatum reperiri, baptizatum videlicet per manus presbyteri aut diaconi in baptismo accipere spiritum sanctum, & rursus accipere spiritum sanctum per solas manus episcopi, & id quidem ad honorem potius sacerdotij, quàm ad legis necessitatem: alioquin si tantùm ad episcopi imprecationem spiritus sanctus defluit in hominum corda, lugendi sunt, qui in villis & castellis per presbyteros & diaconos baptizati dormierunt, priusquam ab episcopis inuiserentur. Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si nõ exors quædam & ab omnibus eminens detur authoritas, tot in ecclesijs efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit vt sine chrismate & episcopi iussione, neq; presbyter, neque diaconus ius habeat baptizandi, cùm frequenter si tamen necessitas cogit, sciamus etiam licere laicis. Hæc Hieronymus, Ex cuius doctrina consequens est, sacramentum confirmationis à solis episcopis dari, baptismum autem à presbyteris & diaconis, & in necessitate à laicis: & sacramentum confirmationis non esse necessitatis sacramentum. Sacramentum vnctionis intellexerunt ex doctrina Iacobi apostoli: Infirmatur quis ex vobis inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis fuerit, remittentur illi. De antiquitate autem & authoritate huius epistolæ satis diximus in primo libro. Tria esse sacramenta irreiterabilia, videlicet baptismum, ecclesiasticum ordinem, & confirmationem, semper ab initio tenuit & credidit vniuersa ecclesia ex scripturis, & traditione apostolorum edocta. Ex scripturis quidem docentibus spiritum sanctum ter datum apostolis: Primò in baptismo ad iustificationem & remissionem peccatorum accipiendam. Secundò post resurrectionem, ad remissionem alijs dandam: Tertiò post ascensionem ad robur fidei, & charitatis confirmationem: sicut docent Cypria. Hiero. Augustin. ex scripturis. Tria verò sacramenta, vt pœnitentiam, vnctionem, matrimonium, altero coniugum mortuo, posse iterari, scripturis & exemplis docuerunt Christus & apostoli, & vniuersa semper credidit Christi ecclesia, simul eucharistiam tradens esse frequentandam tanquam animæ cibum & viaticum. Sacramentum eucharistiæ planè tradiderunt quatuor euangelistæ ex institutione saluatoris, qui in vltima cœna accipiẽs panẽ benedixit dicẽs: Accipite & comedite, hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur, & repetita benedictiõe accipiẽs cali-

Sacramentum ordinis. 1. Timoth. 4. d

Sacramentum confirmatiõis

Sacramentum confir. quod non est necessitatis à solis datur episcopis. Iacobi 5. d

Sacramentum eucharist. ex scrip. concessũ ob omnibus.

Verum corpus Christi in altari.

Ioan. 20. e Matth. 28. d

calicem dixit: Hic est sanguis meus. Ex hac traditione euangelica ecclesiastici patres, & tota Christianorum schola ab initio semper intellexit, post consecrationem sub visibili figura panis & vini, esse verum corpus & sanguinem Christi. adeoque hoc fuit ab exordio creditum & obseruatum, vt ipse quoque Paulus Apostolus mysterium hoc omnibus fidelibus aperire dignatus sit, planè commonstrans totum corpus & sanguinem Christi participari à singulis fidelibus sub fragmento panis & vini. Calix, cui benedicimus, inquit, nónne communicatio sanguinis Christi est: & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? primæ ad Corint. 10. Item ex eadem Pauli doctrina in capite 11. ecclesia ab initio semper credidit, tenuit, & docuit sub figuris panis & vini, potestate verborum Christi esse verum corpus Christi, & eum qui manducat & bibit indignè, reum esse corporis & sanguinis Domini, & iudicium sibi manducare ac bibere, pro eo quòd non diiudicat corpus Domini. Non igitur sub figura tantùm celebratur mysterium istud, sed sub veritate. Nos, inquit Ambrosius, in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, scilicet carnem & sanguinem honoramus, fideliter confitemur ante consecrationem esse panem & vinum, quod natura formauit, post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Sed quia hæretici malignis suis interpretationibus conantes subuertere antiquam ecclesiæ fidem, detorquent huiusmodi scripturas ad sensum alium, operæprecium est hic paululum immorari, & primùm supradictis obijcientes, proponamus argumenta, ex quorum solutionibus tota hæc materia reddetur illustrior. Primùm Apostolus Paulus docet patres nostros in testamento veteri manducasse eandem escam, bibisseque eundem potum de petra spirituali, & hanc petram fuisse Christum. Patres nostri omnes, inquit, sub nube fuerunt, omnes mare transierunt, in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam manducauerunt, omnes eundem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Ipsi ergo si in sacramentis illis manducauerunt eundem panem viuum, quem & nos manducamus de mensa altaris Domini, videtur consequens esse, vel hunc panem, quem de altari sumimus non esse corpus Domini, sed figuram, vel manna illud quod manducabant patres, etiam fuisse verum corpus Christi, & non solùm figuram: quod & venerabilis pater Augustinus significasse videtur, docens veteris & nouæ legis sacramenta in signis quidem esse diuersa, sed in re, quæ significatur, paria. Item aliud illos, aliud nos sub specie visibili manducasse, quod tamen idem significabat virtute spirituali. Magno, inquit Augustinus, errore deliranti, qui putant signis, sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diuersas. Deinde & alia videtur hoc ratione roborari. nam ex eo, quòd Christus dicit: Ego sum vitis vera, vos palmites: non sequitur Christum esse vitem, nisi metaphoricè accepta vite: Ergo etiam ex eo, quòd Christus dicit de pane: Hoc est corpus meum, Caro mea verus est panis, verus est cibus, non oportet consequens esse, verum corpus Christi & sanguinem esse in sacramento altaris.

Ambro. lib. 4. cap. 4. de sacramentis.

Argumenta.

Exod. 13. d Exod. 14. e Exod. 16. d 1. Cor. 10. a

August. cõtra Fau. li. 19. c. 16.

Aliud argumentum. Ioan. 15. a

Respondeo hæc esse antiqua hæreticorum retia, malignis suis interpretationibus tradentium panem hunc & potum, quem nos in sancto altari consecratum comedimus & bibimus, nihilo magis esse verum corpus & verum sanguinem Christi, quàm fuerat illud manna, quod populus ille manducabat, & aqua illa, quam de petra productam populus & iumenta bibebant. Quæ sanè deliramenta iam olim euentilata sunt, trita & euersa à concilio patrum, qui diuino spiritu ex scripturis didicerunt, nos non solùm fide, sed & ore manducare ac bibere veram carnem & verum sanguinem Christi. Si corporalis nostræ dominicæ mensæ communicatio non esset altior, grandior, sublimior, atque mirabilior,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm fuerat olim illius mannæ manducatio,& vtrobique fide ſola,non etiam ore ſub viſibilibus ſpeciebus Chriſtus ipſe figuratus ſolùm,non præſens,ſed abſens acciperetur,nihil magnum, nihil grande,nihilque nouum & admirandum haberet illa traditio Domini, quam ipſe ore proprio prædocuit,ſub ipſo ſacroſanctæ paſſionis imminentis articulo , nihilque excellens , nihilque viuum ac viuificatum in cruce immolandum dediſſet diſcipulis ex proprijs ſuis manibus , in ipſa dominica cœna dicens : Accipite & comedite,hoc eſt corpus meum,quod pro vobis tradetur.Accipite & bibite,hic eſt ſanguinis mei calix,qui pro vobis effundetur.Niſi addidiſſet Apoſt.quod pro vobis tradetur , potuiſſent hæretici inuenire occaſionem calumniæ , dicendo panem illum eſſe corpus Chriſti myſticũ in ſignificando,quemadmodum præmiſerat: Vnus panis & vnum corpus multi ſumus . Ex his ergo conſequens eſt, quòd panis ille , quem ſuis diſcipulis Chriſtus dedit in cœna eſt verum corpus viuum,traditum pro peccatis noſtris. Non autem ſic viuum fuit illud manna , illaq; aqua de veteris legis petra , quibus homines & iumenta communiter vtebantur.Scriptum eſt enim: Cùm eleuaſſet Moyſes manum,virga percutiens bis ſilicem , egreſſæ ſunt aquæ largiſſimè , ita vt biberent homines & iumenta . De iſto autem pane,& de iſto vino dicit Apoſtolus : Probet autẽ ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat,& de calice bibat . Qui enim manducat indignè,iudicium ſibi manducat & bibit , non dijudicans corpus Domini . Manifeſtum eſt autem Apoſtolum per totum illud caput fuiſſe locutũ, non de ſola ſpirituali manducatione,ſed de illa manducatione,quæ fit ore corporali,ſecundùm quam ſi quis manducauerit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini . Nihil autem tale de manducantibus vetus illud manna dici poteſt , quippe quòd non vera viua caro, ſed figura fuit Chriſti veri panis, tune quidem ſecundùm diuinitatem viui , ſed nondum incarnati, nondum in carne immolati . Panis autem , quem de altari nos ſumimus conſecratũ, Dominus noſter Ieſus docuit eſſe corpus ſuum,tunc pro nobis in cruce immolandum . Aliter ergo Chriſtus dicit hoc eſſe corpus ſuum , aliter Paulus dicit petram fuiſſe Chriſtum. Ad aliud argumentum dicimus,verũ quidem eſſe quod eadem veritas ait : Ego ſum vitis vera , ſed verbum hoc per ſimilitudinem eſſe dictum indicant ſequentia verba, quibus dicitur : vos palmites . Talem ergo Chriſtus ſignificabat ſe vitem eſſe,quales ſignificabat illos eſſe palmites: manifeſtum autem eſt illos non fuiſſe palmites, niſi per metaphoram . Non ſignificabatur ergo Chriſtus eſſe vitis, niſi metaphoricè. Vnde & continuò ſimilitudinem ſubiũgit: Sicut palmes non poteſt facere fructum niſi manſerit in vite,ſic nec vos niſi in me manſeritis.Chriſtus autẽ cùm acceptũ panem conſecratum,dixiſſet Accipite & manducate , hoc eſt corpus meum,continuò vt omnem metaphoram excluderet adiecit,quod pro vobis tradetur.Deinde Chriſtus non dixit: Ego ſum hæc vitis,ſingularem rem aliquam demonſtrando,ſed in genere ait : Ego ſum vitis,volens ſe etiam per quamlibet vitem veram ſignificari: loquens autem de corpore ſuo, certum panem accipiens benedixit, & fregit , dicens hoc eſſe ſuum corpus : planè indicans non alium quemlibet prophanum panem eſſe ſuum corpus, ſed panem illum acceptum & benedictum , & illum eſſe diſcernendum ab alio quolibet pane laico. Sic & quod dicit ſaluator apud Ioan.cap.6. de manducatione carnis ſuæ , & potu ſanguinis ſui , non ſic generaliter ſecundùm omnem manducandi modum accipitur , ſed ſecundùm peculiarem quendam modum , quo quis non carnaliter ſolùm , ſed ſpiritualiter dicitur manducare , dum corde credit ad iuſtitiam in Ieſum redemptorem , non tamen negligens manducationem illam ſacramentalem,quam Chriſtus inſtituit, docens carnem ſuam & ſanguinem , etiam ſub viſibili ſpecie panis & vini , corporali ore pro loco & tempore eſſe accipiendum in ſuæ paſſionis & mortis commemorationem . Vnde in eodem capite manducatio-

Matth.26.c
1.Cor.11.e

1.Cor.10.d

Exod.17.d
Nume.20.b

1.Cor.11.e

Ioan.15.a

Matth.26.a

Ioan.15.a

Modus manducandi eſt, ſe cũdùm quem ſi quis manducauerit ex hoc pane , viuet in æternum, qui deſumptus eſt ab Auguſtino de verbis domini ſecundũ Matthæ ca. 11.

CAP. V.

ducationem illam ſpiritualem, quæ fit corde credendo, præmiſit tanquàm fundamentum, ſine quo non proficit ſacramentalis vlla manducatio , & ex illa ad hanc ſacramẽtalem in hunc modum inſtitutam deſcendit,dum Iudæis interrogantibus & dicentibus: Quomodo hic poteſt nobis dare ſuam carnem ad manducandum ? Reſpondit : Amen,Amen dico vobis,niſi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius ſanguinem,non habebitis vitam in vobis.Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem,in me manet,& ego in eo.tanquã dicat : Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinẽ, eo videlicet modo quo traditurus ſum,corde videlicet credendo ad iuſtitiã, & ex illa fide etiam ore manducando ac bibendo ad ſalutẽ,hic in me manet, & ego in illo, vt iam nõ duo ſint,ſed vna caro. Illum autem modũ,ſic ore proprio manducandi,diſcipulis carnaliter intelligentibus de carne in propria ſpecie munducanda, ſicut caro vitulorũ manducatur, arguit & docet, addens filium hominis in propria ſpecie aſcẽſurum in cœlum, & ita carnem non prodeſſe quicq̃, id eſt,carnem ſine ſpiritu intellectã,hoc eſt ſolam carnalem manducationem nihil prodeſſe,ſed ſpiritum eſſe qui viuificat . Quòd ergo dicit Auguſt. veteris & nouæ legis ſacramenta in ſignis eſſe diuerſa, ſed paria in re ſignificata,vtiq; verum eſt,ſed hinc nõ ſequitur rem ſignificatam ſic eſſe vtrobiq; præſentem, quàmuis vtrobiq; idem ſit ſpiritus fidei in eundem Chriſtũ, qui & iuſtificabat & viuificabat animas veterum patrum , quamobrem & Apoſtolus corporale illud manna appellat ſpirituale, corporalemq; aquam ſpiritualẽ, petramq; illam inanimatam dicit ſpiritualem , quia hæc fuerunt figuræ ſpiritualis rei tunc futuræ,tametſi non omnes ipſi cibum illum potumque illum ſpiritualiter manducarent & biberent. Proinde magis videtur probabile quòd Apoſto.ipſe dicens omnes eſcam eandem ſpiritualem manducaſſe,omnesque potum eundem ſpiritualem bibiſſe,neq; loquatur de manducatione ſpirituali,ſed de corporali, neque intelligat eandem eſcam , eundemq; potum ſecundùm identitatem cõmunem ipſis & nobis, ſed ipſis communem,volens ſignificare illos eandem eſcam, eundemque potum manducaſſe,ipſos inquam tam malos quàm bonos,tãquam dicat : Eandem eſcam,eundemq; potum, manducauerunt & biberunt Dathan & Abyron , quem Moyſes & Aaron. Eandem etiam Choren cum ſuis quam Caleph & Ioſue.Neque tamen propter hanc corporalem cibi & potus, aliorumq; ſpiritualium ſacramentorum communionem , æqualiter Deo placuerunt . Hoc enim intendebat Apoſtolus in ea lectione,vt ſolicitum reddat hominẽ, ne arbitretur propter corporalem eorundem ſacramentorum communionem , ſe iam accepturum promiſſionis præmium. Ex hac igitur Apoſtolica doctrina ſic intellecta, nemini ſuffragatur volenti accipere eandem eſcam , vel eundem potum eſſe dictum vt referatur ad identitatem cibi & potus viuifici , quem in ſacramento altaris ſumimus de manu ſacerdotis , tanquàm panis & vinum quod in menſa ſancti altaris corporaliter accipimus,eſſent ſolùm vmbra & figura Chriſti iam in carne paſſi perinde atq; manna illud in deſerto , potus , & petra fuerant figuræ & vmbræ Chriſti tunc futuri. Si tamen cuiquam placeat interpretari Apoſtolum in hoc loco , quemadmodum & Auguſt.videtur,quòd patres in illo viſibili manna, & in illa viſibili aqua, ſpiritualiter manducauerunt eandem eſcam , quam & nos manducamus in pane & vino conſecratis, non aberrabit à veritate catholica , ſemperque erit inuicta veritas ex Pauli doctrina , docentis hæc omnia in figuris contigiſſe illis , ad ſignificandam gratiam redemptoris Chriſti , qui vera eſt petra , de qua Dominus Deus ſaturauit eccleſiam ſuam melle dulcedinis gratiæ , ſuper quam petram fundatur eccleſiæ, ex qua etiam percuſſa in ligno crucis , fluxerunt nobis aquæ ſalutaris vitæ & ſapientiæ . Proinde non ſolùm ſcripta,ſed & tota vita illorum patrum , & prophetarum geſta in ſcripturis Deo inſpirante , recitata , intelligantur eiuſdem

gratia:

Declaratur textus Ioan.6.

Augu. contra Faul.li.19.c.16

1.Cor.10.a

In libro de vtilitate agendæ pœnitentiæ.

Quid mel de petra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratiæ redemptionis prophetica signa. Non sunt proinde res diuersæ, nam quas prophetarum verba & gesta, pronunciauerunt futuras, has eadem euangelicus sermo annunciauit impleri, ritusque euangelicus exhibet præsentes. Aliter igitur petra illa in deserto erat Christus, aliter panis in altari consecratus est Christus. Illa erat Christus in figura seu in significatione. In altari autem est Christus sub specie panis & vini in veritate. Quòd autem Augustinus in epistola ad Bonifacium, dicit sacramenta plerumque appellari nominibus earum rerum quarum sunt sacramenta, & ita corpus Christi appellari, quod est sacramentum corporis Christi: quòd item Tertullianus dicit, interpretando verbum Christi, Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei, qualiter secundùm mentem istorum doctorum accipienda sint, patebit in sequenti parte capituli. Ante annos iam mille venerabilis Ioannes Damascenus, docuit panem & vinum, per inuocationem, & aduentum sancti spiritus supernaturaliter transmutari in corpus & sanguinem Christi, & panem non esse solùm figuram corporis, sed esse ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente, Hoc est corpus meum, non dixit figuram corporis, sed corpus.

Matth.26.c

Sequitur pars tertia huius capituli, in qua traduntur quædam ex scripturis sacris fundamenta.

SVNT contentiosi quidam ac pertinaces, clamantes semper, euangelium Christi, euangeliũ Christi, de vnaquaq; re hactenus in ecclesijs obseruata, exigentes scripturę testimonium, & quonam scripturæ loco hęc demonstrentur. Homines profecto (quemadmodũ dicit Augustinus) arrogantes, & insanæ mentis, dum contemnunt vniuersalem ecclesiæ obseruationem, ab ipsis fidei initijs custoditam, quæ non aliud est quàm Christi & Apostolorum aut successorum spiritu sancto loquentium, traditio & doctrina. Neque enim alio argumento demonstramus, hæc quæ habemus esse vera sacrosancta euangelia ab ipsis Apostolis descripta, quàm ex traditione ecclesiæ, quæ secundùm seriem successionis, ad hæc vsque secula custodit hæc eadem quatuor euangelia. Demonstrabimus igitur super his rebus antiquum ecclesiæ statum ex sententijs patrum. Verùm ne cõtemptores ecclesiarum & venerandæ antiquitatis existiment patres docuisse & tradidisse hæc, quæ prorsus sunt à scripturis sacris aliena, primùm collegimus paruum epilogum ex eisdem scripturis, demonstrantes quòd harum rerum origo atque fundamenta, in scripturis aut explicentur planè, aut insinuentur tacitè. Primùm ex scripturis discimus, quòd in corpore Christi, quod est ecclesia, sit graduum & potestatũ tam secularium quàm spiritualium distinctio facta ex ordinatione & prouidentia Dei, qui dedit quosdam Apostolos, alios prophetas, alios euãgelistas, alios pastores, alios doctores, alios linguarum interpretes, alios gubernatores, & sublimiores potestates in ędificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei. Item quòd gemina sit potestas, vna secularis, quæ gladium ad vindictam malorum portat, cui oportet vnum quemq; esse subditum, non solùm propter timorem, sed & propter conscientiam, de qua Apostolus ad Rom.13. Altera ecclesiastica quæ est super corpus Christi verũ in sacrificio altaris, super ipsum videlicet panẽ & vinum in corpus & sanguinem Christi benedictio, & super corpus Christi mysticum, quod est ecclesia super membra videlicet, in ligando & soluendo in terris, quæ ligata & soluta sint in cœlis, remittendo & retinendo peccata: de qua potestate Ioan.20. & 21 & Matth.16. & 18. Et quòd hæc potestas episcopalis, aut sacerdotalis, aut diaconalis, non est secundùm institutionem aut adinuentionem humanam, sed diuinitus instituta, ecclesiæ data à Christo, qui dixit: Tibi dabo claues regni cœlorũ. Item:

Epist.11 ad inquisitiones Ianuarij.

1.Cor.12.a Ephe.4.c

Potestas duplex in ecclesia

Quorum

A Quorum remiseritis. &c. Et quòd Christus hoc non ad omnes qui erant credituri locutus est, patet: quia præmisit, Sicut misit me viuens pater, ego mitto vos. non omnes autem tunc futuri credentes intelliguntur in illo verbo missi, sicut apostoli. Vnde & post resurrectionem multi erant credentes ecclesiæ membra, & tamen solus Mathias diuina sorte iunctus est apostolorum collegio. Item ex scripturis discimus, quòd ministri seminantes spiritualia, habent ius & potestatem accipiendi temporalia stipendia vitæ, & Dominum ordinasse eum qui euãgelium annunciat, de euangelio viuere, & operariũ esse dignum mercede sua, & nihilominus ministros oportere gratis dare, ac dispensare diuina munera. Deinde ex scripturis sacris habemus, quòd membra in corpore Christi, debent obedire & subdita esse præpositis, episcopis, & etiam sublimioribus potestatibus secularibus, & vnicuique quod suum est tribuere, cui honorem honorem, cui tributum tributum, cui

B vectigal vectigal. Item quòd officium ecclesiasticę potestatis sit, non solùm docere verbum Dei, orare pro populo, & ministrare sacramenta, sed & criminosos aut suspectos in ius vocare, ab officio destituere, alijsque vijs coërcere contumaces. Est enim secundùm claues ecclesiæ datas, iurisdictio & potestas ecclesiastica: & iudiciaria potestas in ecclesiæ præpositis, qua valeant fermentum seu zizania, id est, facinorosa atq; scelerata membra à corpore ecclesiæ reijcere ac resecare, partim ne illorum communione cæteri aut inficiantur aut foueãtur in malo, partim quo ipsi correcti pudore tandem resipiscant. Et quòd in reijciendis membris à communione fidelium, seruandus sit ordo quidam iudiciarius, vt non criminosus occultus, sed testibus cõuictus eijciatur: & hanc iudiciariam potestatẽ docuit Christus Matth.18. Et eãdem potestatem in se esse insinuabat Paulus cùm ait: Ego cùm venero, in ore duorum aut trium stabit testium verbum. Et quòd iudex à testibus

C possit exigere iuramẽtum, & quòd licitum sit interdum iurare ad subueniendum malo infirmitatis vel necessitatis humanæ, nolentis sine iuramento non sic credere, quemadmodũ credere expedit, & quòd iurauerit apostolus Paulus dicens: Testem inuoco Deum super animam meam. & quòd finis controuersiæ ad confirmationem est iuramentum, & quòd sermo iurantis est, quem dicit idem Apostolus: Quotidie morior per vestram gloriam fratres, & quòd Deus in scripturis iurauerit, secundùm apostolum Paulum ad Hebræos sexto dicentem, Deum interposuisse iusiurandum, & iurasse per semetipsum, cùm non haberet maiorem, per quem iuraret. Item quòd potestas tam secularis quàm ecclesiastica debeat interdũ quosdam sceleratos homines ad tempus tolerare, ne status reipublicæ perturbetur, & ne triticum conculcetur. Et quòd in secularibus controuersijs ecclesia debeat

D constituere iudices, qui causas audiant, & quòd non debeant Christiani inter se habere causas & lites coram ethnicis iudicibus, sed coram iudicibus secularibus ab ecclesia constituendis, qui in causis prophanis, controuersias terminent. Et quòd ecclesiæ præpositi ac principes, vigore huius potestatis vlcisci possunt omnem inobedientiam & contumaciam, & ordinare quædam atque statuere pro ædificatione & custodia ecclesiæ, & quòd inde consequens est, eosdem principes in quibus & reipublicæ consensus residet, vel ad excludendum molestias malè viuentium, vel ad fouendum seu custodiendum in republica pacem & tranquillitatem, posse constituere iura quædam ciuilia, de matrimoniorum & vsurarum contractibus, de iniustè ablatis, de hæreditatum successionibus, alijsque rebus, sine quibus non potest corpus Christi, quod est ecclesia iam in vnam rempublicam congregatam, in hac vita consistere. Et quòd non solùm potestas secularis, sed & ecclesiastica, consideratione habita ad ædificationem ecclesiæ in lucrum, aut custodiam fidei, religionisque Christianæ, potest ordinare iura quædam canonica, seu decreta, obseruanda in matrimoniorum contractibus, in sacramentorum ministerijs

Ioan.20.c

1.Cor.5.a Hebræ.5.c

2.Cor.13.a

2.Cor.1.d Heb.6.c 2.Cor.13.d

1.Cor.6.a

Episcoporum potestas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præpositi possunt quosdam de ecclesia separare. August. Cyprian.

sterijs, diuinisq; officijs. Et, quòd etiam debeat interdum à cõmunione altaris separare homines ecclesiæ molestos,& raptores, rei alienæ detentores, nolentes debita creditoribus soluere, vt vel cæteri timorem habeant, vel ipsi fiant salui, minusque sint ecclesiæ molesti: quemadmodum docet venerabilis pater Augustinus in epistola ad Macedonium. Cyprianus quoque in epistola nona libri primi. Et quòd in omnibus vtraq; potestas tam secularis quàm ecclesiastica, debet non suis, sed reipublicę vtilitatibus intenta esse. Item quòd nõ semper sit illicitum in iudicio, & causam agere, & sese defendere, etiam beneficio appellationis, non sinere sese percuti aut interfici: quemadmodum Paulus non peccauit, neq; in eo quòd inter flagella profitetur se esse ciuẽ Romanũ, neque in eo quòd refutans Iudæorũ tribunal, Cæsarem appellauit. Item quòd cathedra Petri habet primatum super aliorum episcoporum cathedras & ecclesias, & quòd fides à Petri cathedra nunquàm deficiet, quemadmodum in superioribus demonstrauimus. Item quòd sit distinctio ordinum in episcopalem, sacerdotalem & diaconalem, patet primæ ad Timoth. 3. & Act. sexto. Et quòd proinde non omnes Christiani ex æquo sunt sacerdotes, neque sacerdotes ex æquo sunt pontifices, & quòd clerus distinctus est à populo seculari seu laico, & quòd ad imprecationem episcopi seu presbyteri sacramentũ ministrantis, spiritus sanctus datur & remissio peccatorũ. Et quòd ex laicis quisq; assumendus, ad talem ordinem non debeat sese ingerere, sed ordinari, & accipere ecclesiasticam potestatem seu dignitatem, per impositionem manuum. Et quòd ordinator non debeat citò manus imponere alicui, qui accipiens potestatem, audeat vice Domini sacrificium offerre Deo, sed quòd oporteat eum priusquàm constituat quempiam in tali potestate, probare vitam & mores eius, ne ipse ordinator commaculetur vitijs seu delictis eius. Et quòd ordinandus debeat esse irreprehensibilis, vnius vxoris vir: non quòd debeat esse maritus vnius vxoris, sed quòd debeat esse vir, qui secundam nõ habuerit vxorem, sobrius, pudicus, ornatus, hospitalis, & reliqua ab apostolo Paulo descripta. Et quòd episcopus seu sacerdos debet nunc etiam à quibusdam licitis & concessis abstinere propter sublimitatem ipsius ordinis. Item quòd distincta sunt sacramenta, baptismus & ordo ecclesiasticus,& confirmatio:& quòd confirmatio post baptismum per solum episcopum, administratur per impositionem manuum. Act.8. Et quòd sacerdotes acceperunt in sua ordinatione spiritum sanctum, & potestatem remittendi & retinendi peccata. Item quod aliud sit sacramentum, aliud sacramenti effectus. Sacramentum dat minister, qui foris operatur: effectum autem sacramenti, qui est incrementum salutis, intus dat Deus. Item quòd sacerdotum & episcoporum diuersitas, in sanctimonia vitæ, non variat effectum sacramentorũ, ac ministeriorũ Dei quia non hominis sed Dei sunt munera quæ dispensantur. Et quòd infantes nascuntur in ira Dei, & quòd ab hac ira non liberantur, nisi per sanguinem Christi, qui proinde sint baptizandi ad intrandum regnum Dei, & habendum remissionem peccatorum. Et quòd à baptizando exigenda est fides, & pœnitentia veteris vitæ. Et quòd post susceptum baptisma voluntariè peccantibus relinquitur locus pœnitentiæ per claues ecclesiæ datas sacerdotibus, qui accipientes spiritum sanctum in ordinatione sua, simul & acceperunt potestatem remittendi & retinendi peccata. Et quòd pœnitentia hæc est reiterabilis, quemadmodum & eucharistia: baptismus autem irreiterabilis. Item ex scripturis Matth. 26. discimus, quòd frequentandum sit sacramentum manducandi corpus, & bibendi sanguinem Domini. Et quòd manducaturus panem hunc debeat non sumere illum, nec vnà cum cibis prophanis, nec post cibos alios: sed probare, examinare,& iudicare semetipsũ ne non dijudicans corpus Domini, iudicium sibi manducet & bibat, ac reus fiat corporis & sanguinis Domini. Et quòd propter indignam contrectationem illius sacro-

Act.15.d Matth.16.b Iohan.vlt.

1.Timo 4.d 1.Timo.5.d

1.Timoth.3. a

Iohan.20.f

1.Cor.3 b

Rom.15 c Act.2 f Ioan.20.f

1.Cor.11.g

Eodem.

sacrosancti corporis & sanguinis Domini Deus iratus, morbos mittat in populũ, pestes & mortes. Et quòd olim sub apostolorum tẽporibus officium benedicendi panem & calicem Domini, fiebat nõ per quoslibet homines, sed per presbyteros ordinatos. non in domibus prophanis, sed in ecclesiastico conuentu orantium, seu loco sacro deputato, in quem conueniebant populi: non ventris aut gulæ causa, sed vnitatis & pacis, mãducaturi ac bibituri corpus & sanguinem Domini. primæ ad Corint. 11. Et quòd Paulus coarguit Corinthios, quòd sumerent sacrosanctam cœnam dominicam discordes & pransi, illamque suis cœnis prophanis intermiscentes: Audio, inquit, inter vos scissuras esse, & vobis fio, scilicet cum scissuris conuenientibus cum scismate in vnũ, non licet dominicã cœnã manducare. Vnusquisque vestrum præsumit ante cœnam dominicam, manducare suam cœnam prophanam, quã in domibus vestris prophanis deberetis manducare & non in ecclesia, id est in cœtu fidelium, non in loco orationibus & mysticis rebus deputato. Vnde subditur: An ecclesiam Dei cõtemnitis? item ex scripturis quidem discimus, quòd Christus dedit corpus suum & sanguinem discipulis post cœnam, sed non inde consequens est nos oportere sumere post cœnam. Nam & simili argumẽto deberemus agnum paschalem, quemadmodum discipuli mãducare, priusquam corpus Domini sumeremus. Et quia figura præcedit veritatem & gratiam, idcirco Christus qui non venit soluere legem, sed adimplere, congruo ordine cœnam agni paschalis celebrauit, priusquam panem & vinum in corpus suum consecratum discipulis dispensaret. Proinde ne Christiani posthac, tali modo & ordine corpus Christi sumendum putarent, Paulus apostolus, primæ ad Corinth. 11, modum & ordinem manducandi tradit, quem & ecclesia à temporibus apostolorum declarauit, debere stomacho fieri ieiuno. Ex scripturis discimus quòd presbyteri vocandi sunt ad infirmos, qui orẽt super illos, & vngãt illos oleo in nomine Domini, & q; talis oratio fidei saluat infirmum, & peccatorum impetrat remissionem. Et quòd olim in primitiua ecclesia homines confitebantur peccata sua non soli Deo, sed & hominibus. Item quòd matrimonium est indissolubile inter Christianos, vxorem à viro non discedere: aut si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Inter infideles autem matrimonium dissoluitur, si alter conuertatur ad fidem, altero nolente cohabitare sine contumelia creatoris. Et quòd cœlibatus virginalis præferendus est castitati coniugali. Item quòd sub ipsis apostolorum temporibus fuerit inter Christianos distinctio perfectorum à minus perfectis, quibusdam renunciantibus omnibus per abdicationem proprietatis & dominij, ita vt nihil proprium aut suũ esse dicerent: alijs possessiones & diuitias retinentibus. Et quòd melius faciunt, qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur, quàm qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus suarum possessionũ pauperibus diuidunt: quemadmodum ex doctrina Christi probat Hieron. contra Vigilantium. Et quòd fuerunt professiones in statibus perfectionis, per continentiæ, & castitatis, & paupertatis vota. Et quòd fuerit festiuitatũ diei Dominicę post sabbatũ, item paschæ, pentecostes, & aliarum festiuitatum obseruatio, & quòd obseruata fuerint solennia ieiunia, Rursus ex scriptura discimus, quòd angeli in cœlo videntes faciem patris, & gaudentes super vno peccatore pœnitentiam agẽte solliciti sunt pro salute viuorum, & administratorij spiritus sint. Vnde consequẽs est illos esse pro viuis intercessores. Item quòd animæ ex corpore commigrãtes sunt immortales, aut cum latrone in cruce prorsus beatæ in cœlesti paradiso, aut cum diuite epulone sepultæ in inferno, aut ad tẽpus cum Machabæis in loco quodam medio, per ignem quendam purgandi consequuturi Dei misericordiam, & peccatorum quorundam non dimissorum in hac vita remissionem. Et quòd viuorum suffragia atque eleemosynæ illis prosint ad liberationem, & ad huiuscemodi

Matth.16.

Iacob.5.c

1.Corint.7. b

1.Cor 7.b Quod Act.5. dicitur, Cyp. de voto emisso interpretatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatorum remissionem, & quòd beati martyres viui adhuc in corpore soliciti fuerunt pro salute nostra orantes, iam in cœlo beati perfectiore charitate A
expectant nos, & desiderant consummationem electorum: Vnde consequens est illos orare pro viuis. Item quòd mulieres non debeant docere, aut loqui in publico conuentu: quòd si quid quæstionis habent, domi viros suos interrogent, Et quòd mulieres debent esse subditæ viris, & velatæ in ecclesia orare. Et quòd

Vim legis habet vniuersalis ecclesiæ consuetudo. 1. Corint. 11. c

vim legis habeat vniuersalis ecclesiæ consuetudo, quam Apostolus Paulus obijcit contentiosis, docens mulierem debere in ecclesia orare velatam: Si quis, inquit, contentiosus videtur, rixis scilicet & clamoribus impugnans hanc meam sententiam in euangelio non expressam, volens quòd mulier oret non velato capite, is sciat, oportere sibi sufficere, quòd neque nos, neque ecclesiæ Dei talem habemus consuetudinem. Hæc & id genus alia multa, sunt tanquam seminaria quædam & fundamenta in scripturis tradita, nunc quidem planè expressa, nunc B
autem tacitè insinuata, aut à Christo tradita, aut ab Apostolis diuino spiritu edoctis promulgata, custodita & obseruata, Quo autem deinceps ordine, quibus ritibus & solennitatibus essent hæc in ecclesijs frequentanda, spiritus sanctus in

Aug. in epist. ad inquisitiones Ianuarii.

scripturis non expressit: volens Apostolis, episcopis, & successoribus, per quos dispositurus erat ecclesiam, seruare hunc locum, hanc ordinandi potestatem, & id quidem paulatim, non mox simul omnia, nimirum cùm nondum esset ecclesia, sic, vt nunc, in vnam rempublicam congregata: sed adhuc inter incredulos Iudæos, inter gentes, & inter tribunalia infidelium regum & potestatum versaretur. Proinde non omnia quæ in ecclesia primitiua seruabantur, conueniunt ordinationi quæ nunc est. Postquam autem Apostoli & ab illis ordinati constituerunt ecclesias, diuersis in locis atque prouincijs, constituta sunt loca sacris officijs deputata, oratoria, rectores, ritus ac ceremoniæ ecclesiasticorum officiorum, C
ne viderentur esse res prophanæ, aut viles ac indignæ. Antiquum igitur ecclesiæ statum his in rebus volentes conspicere, operæprecium est ex veneranda patrum antiquitate super his rebus sententias quasdam colligere, ex quibus poterit quisque considerare, qualis fuerit antiquus ecclesiæ status, quales ritus in ecclesiasticis officijs, qualis consuetudo: quibus consideratis, videbimus ecclesiam quæ nunc est, antiquæ ecclesiæ statui esse conformem, hoc est, in fundamentis fidei,

Psalm. 67. a

& in substantia sacramentorum, ac officiorum ecclesiasticorum esse vnius moris cum illa, quæ olim fuit, vt impleatur prophetia Dauid: Qui habitare facit vnius moris in domo.

Quarta pars huius capitis in quarta tractantur veteres ecclesiæ mores, ritus, & consuetudines, acceptæ partim ex scriptura, partim ex Apostolorum & antiquissimorum patrum traditione. D

Sub visibilibus Sacramentis Deus operatur inuisibiliter Iohan. 3. a Iohan. 20. f

SVB visibilibus sacramentis Deũ inuisibiliter operari in abdito humani cordis, est concors omnium patrum sententia, intelligẽtium hoc ex scriptura quæ testatur, dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Itẽ: Insufflauit illis manum, & acceperunt spiritum sanctum. Insufflauit, & dixit: Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur. Deus igitur qui omnia inuisibiliter intus operatur, voluit vt etiã visibili signo, sua inuisibilis operatio foris ostendatur. Neque ob id fidelis populus docetur confidere in visibilibus elementis, sed docetur præstare Deo suæ obedientiæ fructum, vt subijciat se corporalibus elementis, & fiduciam ponat, ac salutem quærat à Deo, qui præsens est in sacramentis visibilibus. Hoc est propter quod hæreticorum & infidelium oculi sacramenta venerari contemnunt, quia in illis tantũ id quod foris est cernunt, nõ agnoscentes suæ obedientiæ fructum, neque virtutem intus operantis

A operantis per ministeria sacerdotum, quibus dedit in terris potestatem remittendi & retinendi peccata, ipse qui solus peccata remittit, in cuius potestate est etiam homines sine sacramentis saluos facere. Vnde in symbolo canit ecclesia: Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Ita & generaliter in symbolo canit se credere, esse remissionem peccatorum, cœlitus edocta, intelligens hanc fieri non modò per baptismi gratiam, quæ vnica est, & irreiterabilis, sed & per ecclesiæ claues, quibus subuenitur pœnitentibus post baptismum relapsis per reconciliationis gratiam. Sic sancti patres docuerunt eos, qui post susceptum baptisma perpetrant crimina. de quibus loquitur Apostolus: Qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, pœnitentes & suspirantes ad Deum ex fiducia, in sanguine Christi denuò recipere peccatorum indulgentiam, & sancti spiritus consolationem, per ministerium eorum quibus dictum est: Quorum remiseritis

Galath. 5. d

Iohan. 20 f

B peccata, remittuntur: & quorum retinueritis, retenta sunt eis. Sic docet venerabilis Ambrosius, vtrumque esse sacramentum, baptismi videlicet & pœnitẽtiæ, & vtriusq; sacramenti ministeriũ concessisse apostolis, & ab illis vtriusque sacramenti ministeriũ trãsmissum esse ad sacerdotum officia. Sic docet venerabilis Cyprianus, visibilibus sacramentis inesse æternæ vitæ fructũ, illic esse spiritũ Christi præsentem intus sanctificantem. In epistola ad Magnum. Credentibus largitur indulgentiam, etiam eis qui in necessitate mortis aspergũtur aqua. Æqualis sit baptismi effectus in omnibus qui baptizantur, sicut dies æqualiter omnibus nascitur, cuius æqualitatis sacramentum videmus, inquit in Exodo, esse celebratum, cùm de cœlo manna defluxit. & in epistola secunda & tertia, libro primo de relapsis pœnitentibus: Sub ictu mortis pax danda est, vt in cœlo possint esse soluta, quæ prius hic in terris soluuntur. Et in epistola ad presbyteros & diaconos, quæ
C recensetur 14. numero, & in sequentibus epistolis, lib. 3. docet peccatores etiam in minoribus peccatis iusto tempore pœnitentiam agere, & secundùm disciplinæ ordinẽ ad exomologesin, id est, ad confessionem venire, & per impositionẽ manus episcopi & clerici, ius communicationis accipere, & illis eucharistiam dari non posse, nisi confessione facta, & manu ab episcopo aut clerico imposita. cùm scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit

De cõfessione occulti peccati.

1. Cor. 11. f

corporis & sanguinis Domini. & delictorum genera & quantitates esse inspicienda anteq̃ pax detur. Deinde sermone quinto de lapsis docet sui temporis peccatores, etiam eos qui nullo sacrificij aut libelli facinore cõstricti erant, tamẽ quia de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter cõfiteri. Neq; oportet hic curiosius inquirere, quonam pacto per homines & sacramenta remittantur peccata, si nemo possit peccata remittere q̃ solus Deus: siquidẽ & Christus ore suo proprio hãc nobis quæstionem absoluit. Ne enim videretur
D incredibile, q̃ homines peccata remitterent, diuinam præmisit potestatẽ, qua hoc facerent: Accipite, inquit, spiritum sanctum. vt hinc intelligeremus spiritum sanctum intus inuisibiliter operari per visibile ministerium sacerdotum. Secundùm quem autem modum sacramenta contineant gratiam, & claues ecclesiæ sese extendant ad culpæ remissionem, apud doctores sunt quæstiones, quas in vtramlibet partem disputare non erit hæreticum, modò abfit ab animis pertinacia, & firmiter credatur verbis Christi dantis sacerdotibus potestatem remittendi & retinendi peccata, & ita Christi virtutem intus inuisibiliter operari per sacerdotum ministeria. Non oportet seruum Domini litigare, aut verbis contendendo schisma facere, sed Deo gratias agere, qui talem dedit potestatem hominibus. Et in præsentiarum scire sufficiat, diuinæ prouidentiæ sic placuisse, quòd per hominum ministeria operaretur salutem in hominibus, qui per meritum Christi hominis, & non aliàs decreuit liberare hominũ genus à peccatis, & magis conuenire nos ope-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regula hæreticis obiicienda.

ram impendere, vt quæramus Dei gratiam,& fructum passionis Christi sub ipsis sacramentis ex fide percipiendis, quàm curiosè multa inquirere de ipsis sacramentis. Hæreticis tamen perturbantibus ecclesiam captiosis argumentis, oportet præsides ecclesiæ & peritiores esse solicitos & paratos se præstare reddere rationes fidei nostræ, & dissoluere captiosorum hominum ecclesiam perturbantium argumenta. Verùm ipsis ecclesiam sic perturbantibus, & contemnentibus quicquid in sacris literis non reperitur expressum, obijcienda est semper irrefragabilis regula in superioribus frequentius inculcata,illud videlicet tenendum esse tanq̃ Apostolorum traditionem & doctrinã,quòd sancti patres ab initio secũdùm suorum temporum successiones concorditer in mysterijs fidei, ecclesiasticisque sacramentis custodierunt & obseruauerunt. Hanc regulam obiecerunt Irenæus, Tertullianus,& Hieronymus suorum temporum hæreticis,& pertinaciter super qualibet re scripturam sacram exigentibus. Hac regula vsus est Augustinus contra Donatistas hæreticos, exigentes quonam pacto scripturæ authoritate posset stabiliri baptismum prodesse paruulis, qui nondum possunt corde credere ad iustitiam, cùm scripturæ promittentes his regnum Dei,qui baptizãtur,planè videantur loqui de his, qui iam adulti euangelium & audire, & credere possunt.

Augustin.lib.4. c.23.& 24. cõtra Donatist.

Respondet: Quod vniuersa tenet ecclesia, nec in consilijs constitutum, sed semper retentum,nõ nisi apostolica authoritate traditum,rectissimè creditur.Quemadmodum ergo apostolus Paulus viro contentioso obijcit consuetudinem, tanquam pondus & momentum super his, quæ agenda sunt & seruanda in ecclesia Christi,sic & Paulum imitantes Irenæus, Tertul.Hierony.August. hæreticis suorum temporum obiecerunt veterem ecclesiæ morem, Sic & Tertullianus in libro de corona militis. docet suo tempore consuetudinem, esse idoneam testem traditionis veteris,fideiq; obseruationem, etiam si nullæ scripturæ adsit authoritas. Vnde arbitratur ex apostolica traditione descendere, quòd fiat abrenunciatio satanæ in baptismo, & ℔ terna fiat immersio, & ℔ eucharistiam non de alterius, quàm præsidentis manu quisque accipiat, & ℔ oblationes fiant pro defunctis. & ℔ nefas sit die dominico ieiunare.Has & id genus obseruationes alias consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione apostolorum manauit: nam & scripturam ipsam, quam appellamus sacram nouæ legis,non habemus aliunde, quàm à traditione apostolica: neque aliud est scriptura, quàm apostolorum de Christo Iesu & de doctrina illius testimonium. Mos fuit in ecclesia primitiua baptizatos inungere chrismate, seu oleo in altari sanctificato, de quo habes doctrinam Clementis in recognitionibus,& Dionysij & Cypriani in epistola ad Iubianum, & Origenis super epistolam ad Rom. Item mos fuit canendi antelucanos hymnos in ecclesia primitiua, sub ipsis apostolorum temporibus, patet ex epistola, quam scripsit Plinius secundus imperatori Traiano: Multa hominum milia quotidie obtruncari,in quibus neque omnino sceleris quicquam deprehenderetur admissum,neque aliquid contrarium Romanis legibus, nisi hoc solum, ℔ antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo. Idem manifestum est ex doctrina Philonis, de qua infrà, in hymnis & psalmis non solùm corde, sed & ore & voce canendis. Habemus & prophetarum & apostolorum,& ipsius Domini nostri Christi exempla. Laudabat Dauid Deum in tympano, & corde, & in cymbalis benesonantibus. Ex Actis apostolorum patet quòd Paulus & Silas media nocte cecinerunt laudantes Dominum, ita vt audirentur ab his, qui simul detinebantur in custodia. Pueri Hebræorum, O sanna in excelsis clamantes, laudant Christum, qui dixit: Si tacuerint isti,lapides clamabunt. Flebam(inquit Augusti.) vberrimè in hymnis & canticis suauè sonantibus ecclesiæ vocibus vehementer affectus, voces quidem influebant auribus meis, & veritas eliquebatur in cor-

1.Cor.11.c

Cõsuetudo est idonea fidei Christianę testis & custos.

Baptizati inũgebãtur chrismate,&c.

Hymni à Christianis cãtabãtur tẽporibus Traiani.

Act.16.e

Luc. 19.e.

Aug.lib.9.c.6 Confess.

CAP.V.

A in cor meum. Sancti patres sub ipsis apostolorum temporibus deputabant loca sacra,& oratoria dedicabant, in quibus celebrabant diuina officia, & missæ sacrificium agentes, atque etiam festorum solennitates, in honorem defunctorum martyrum erigentes altaria, in quibus sacrificabant non martyribus, sed vni Deo,& martyrum,& nostro Domino,quemadmodum docet August. 22.de ciuitate Dei, cap.10.& in lib.20.contra Fau. cap.21. tradens ℔ Christianus populus concelebrat memorias martyrum, & ad excitandum imitationem, & vt meritis eorum associetur, atque orationibus adiuuetur. Sed sub imperatoribus, regibus, principibusque Christianæ fidei hostibus, non erat facultas sic hæc publicè faciendi,aut præcipiendi, & curandi solenniter fieri, cùm nondum erat ecclesia in vnam rempublicam congregata. Constantinus autem circiter annum à

Loca sacra & festorũ solẽnitates in honorẽ martyrum dedicabantur.

Quãdo imperabant ethnici, nõ poterãt publice festa celebrari.

B passione Christi nonagesimum supra ducentesimum, fecit facultatem publicè celebrandi festorum solennitates, templorũ dedicationes,canendi hymnos & psalmos, publicè celebrandi atque immolandi sacrificium,publicè prædicandi euangelium Christi in toto suo imperio,diemq; post sabbatum sanciuit esse celebrem, & in illa oportere esse vocationem à iudicijs alijsque causis, & occupari orationibus, diem veneris honorandum in memoriam passionis Christi. Supplicium insuper crucis, quod eo vsque apud Romanos fuerat contra maleficos in vsu,lege data prohibuit, iubens hoc ipsum crucis signum honorari & inscribi tam in figurationibus solidorum, quàm in imaginibus, volens etiam imaginem crucifixi, ceu vexillum quoddam regni Christianorum deferri coram populo in publicis processionibus. Vide historiam tripartitam, cap.9. libri 1. Item mos fuit antiquis ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos videlicet custoditus, seruari

Imaginũ vsus in primitiua ecclesia.

C imaginem Domini nostri Iesu Christi, & certis in locis permanere. Quum videamus etiam nunc,inquit Eusebius,ipsius Saluatoris, Apostolorum & Pauli imagines designari, tabulisque depingi. Illum,inquit Gregorius, in toto corde diligis,cuius imaginem præ oculis habere desideras. Nos quidem ante imaginem, non quasi ante diuinitatem prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut passum, aut natum, & in cœlestis gratiæ throno sedentem recordamur: & dum ipsa pictura, quasi scriptura nobis ad memoriam filium Dei reducit, animum pium de resurrectione lætificat, ac de passione demulcet.

Proinde picturas passionis Domini nostri Iesu, & sanctorum martyrum in templis, in oratorijs, in cubiculis salubriter & cum magna vtilitate custodit populus Christianus, tanquam scripturas quasdam & figuras, quibus, ceu signis quibusdam obiectis sensui corporis, transeunt in cogitationem piarum mentium redemptionis nostræ mysteria, operaque sanctorum martyrum, prophetarum,

D & Apostolorum. Quemadmodum serpens æneus, quem Moyses fecerat propter sancti facti memoriam,seruabatur apud Iudæorum populum,quem tamen pòst, cùm populus errans tanquam idolum colere cœpisset, rex Ezechias religiosa potestate Deo seruiens, contriuit cum magna pietatis laude. 4. Regum 18. Vnde mulier in euangelio sanguinis profluuio liberata, formauit statuam Domini nostri Iesu fusilem, quam postea Iulianus Cæsar apostata apud Cæsaream deiecit, locoque illius, sui ipsius statua collocata, cœlitus à Deo conteritur. Postea verò Christiani partes statuæ Christi colligentes in ecclesiam recondiderũt, vbi hactenus reseruatur, quæ sicut refert Eusebius, omnium passionum & ægritudinum noscitur esse medicamentum. Vide Eusebium libro septimo capite 14. & historiam tripartitam, libro sexto, capite quadragesimoprimo. Secundùm antiquum ecclesiæ morem, vasa & vestimenta deputata ad vsum in officio missæ solent consecrari,patet ex scripturis Sixti papæ & Origenis homilia 11.super Leuiticum, & ex sententia Augustini super psalmum centesimum decimumtertium.

Numer.21.b

Per imaginem crucifixi miraculum fit.

Vasa & vestimenta solent consecrari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sancti patres ab ipsis Apostolorum temporibus, appellauerunt sacrosanctam eucharistiam sacrificium, vsi etiã huiusmodi locutionibus, homines videlicet hunc panem consecratum tangentes & manducantes, & hunc potum bibentes tangere suis manibus, oreque corporali manducare ac bibere sanctum Domini corpus, sacrosanctum sanguinem eius, quemadmodum loquitur Apostolus, reus erit corporis & sanguinis Domini, non diiudicans corpus Domini, id est, non discernens panem hunc, qui est corpus & sanguis Domini, ab alijs prophanis cibis. Vnde Ambrosius ad Theodosium imperatorem, qui propter seditionem in Thessalonica ciuitate (vbi fuerant lapidati iudices ipsius) iusserat innocentes simul cum nocentibus occidi, sic loquitur: Quomodo huiuscemodi manibus tuis suscipies sanctum Domini corpus? qua temeritate ore tuo poculum sanguinis precioſi percipies? Qua correptione Theodosius cõmotus gemẽs & flẽs subtraxit se à sacrosancta communione mensibus octo. Habes de hoc testimoniũ Theodoreti scriptoris veteris in ecclesiastica historia, lib. 5. cap. 30, Verum Christi corpus esse in sacramento altaris crediderunt antiquissimi patres: Dionysius, Tertul. Irenæus, Cyprianus, Augustꝰ & vniuersi posteriores, quorum testimonia in sequentibus trademus. Sacrificium pro defunctorum requie offerre, quia per totum orbem semper à temporibus apostolorum est custoditum, credimus ab ipsis apostolis esse traditum, quemadmodum planè testatur Isidorus primo lib. de origine officiorum. Super hoc autem testimonia patrum in sequenti parte recitabuntur. Mixtionem vini cum aqua nõ esse humanam adinuentionem aut fictionem, sed antiquam ecclesiæ obseruationem ex apostolica traditione descendentem, patet ex antiquissimorum patrum sententijs. Cyprianus in epistola ad Cicilium: Si quis de antecessoribus nostris, aquam vino non miscuerit in calice Domini, quod Christus exemplo & magisterio docuit nos facere, potest simplicitati eius venia concedi, nobis verò iam non potest ignosci, qui nunc à Domino instructi sumus, vt calicem sic mixtim offeramus. Eandem sententiam habemus apud Hieron. Augustꝰ & Damascenum, de quo ritu venerabilis Rabanus ante annos sexcẽtos sic loquitur: Aqua (inquit) cum sanguine miscetur, quia de latere Christi, vbi passio Domini adimpletur, sanguis cum aqua manauit: quod certè mysteriũ Apostoli planè intelligentes faciendum in calice censuerunt, vt nihil deesset nobis in sacramento hoc ad commemorationem passionis, quod tunc extitit in cruce ad consummationem nostræ redemptionis. Hactenus ille. Ex Cypriani ergo & Rabani testimonio consequitur, mixtionem aquæ cum vino in sacrificio missæ, descendere ex apostolica traditione. Sacrificium missæ, & verba quibus sacrificium perficitur, habet ecclesia à Christo, ordinem autem & modum quendam sacrificandi habet ab Apostolis, quem ordinem post Apostolos auxerunt ecclesiæ pontifices ad custodiam & lucrum Christianæ fidei, ad promotionem deuotionis Christiani populi, ad ampliandum ornatum, cultum, & reuerentiam sacrosanctæ eucharistiæ. Ordinem autem sic auctum, custodiuit ecclesia iam mille annos, à seculo videlicet venerabilis Gelasij papæ, viri quidem sanctissimi, ad hæc vsque tempora. Si passim quibuslibet personis absque discretione locorum, temporum, personarum, ætatum & sexuum liceret accipere panem & vinum, ac benedicere, aliaque facere, quæ Christus instituit fieri in sacrosancta eucharistia, videretur ipsa eucharistia esse res indigna, contemptibilis, paruique momẽti. Quadragesimam Christus exemplo suo docuit, & Apostoli nobis tradiderunt esse imitandam, vt quadraginta illi dies ante pascha obseruentur, ecclesiæ roborauit consensio. Obseruationem ieiunij quadraginta dierum ante pascha, ecclesiæ Christi per vniuersum orbem, in Asia, Europa, & Aphrica à temporibus Apostolorum custodierunt: eandemque quadragesimã ab Apostolis esse traditam docet

A

B

C

D

1. Cor. 11. a

Verum Christi corpus est in sacramento.

Mixtio vini cũ aqua antiqua est obseruatio.

Rabanus lib. 1. cap. 13.

Quadragesimam Christus exẽplo docuit, Apostoli tradiderunt.

CAP. V.

docet Hieronymus in epistola aduersus Montanum hæreticum, & alijs in locis diuersis. Ambrosius quoque in sermonibus de quadragesima, & præsertim in sermone ad populum trigesimo sexto, & Origenes supra Leuiticum, homilia 10. Mos fuit antiquis in quadragesima tantùm semel comedere, quia fiebat ieiunium vsque ad vesperam. Proinde Ambrosius tradit eos, qui in quadragesima prandebant, violare ieiunium. Mos etiam fuit antiquis in quadragesima abstinere à carnibus. Sed tamen omnia sancti patres non ita æstimabant obseruanda, vt traderent illa omnino esse immutabilia, veluti ea, quæ sunt diuini iuris. Nam & Spiridion Cyprorum episcopus, neque panem habens, neque aliud præter carnes porcinas, aduenienti ad se peregrino, eas coram peregrino comedit, hortans illum, vt vnà secum comederet: quo refutante & profitente se esse Christianum, propterea magis, inquit, refutare non debes, omnia enim munda mundis. Recitat historia tripartita iam ante annos mille, collecta à Cassiodoro senatore. Ex quibus poteris primùm considerare, tempore illo Christianos non consueuisse carnes comedere in quadragesima, deinde carnem non esse immundam diuino iure, tertiò licere tempore necessitatis vesci carnibus in quadragesima. Ante mille annos fuerunt æstimati & reputati inter hæreticos, qui inter abstinentiam & ciborũ perceptionem cum gratiarum actione, inter castitatem virginalem & statum coniugalem, nullam dixerunt meritorum esse distantiam, confingentes sibi sententias prauas ex scripturis malè intellectis, quemadmodum docet Hieronymus in libro secundo aduersus Iouinianum. Quintuplici intentione contingit aliquem abstinere à tali vel tali genere ciborum, vtpote à carnibus, à vino, ab ouis. Primũ ex superstitione animi opinantis cibum talem vel talem esse in se malum, immundum ac fœdum, tanquam à malo principio conditum: & talem abstinendi modum prohibuisse Apostolum, primę ad Timotheum quarto, intellexerunt orthodoxi patres, semper docentes contra hæreticos, quos præuidit Paulus futuros, præsertim Manichæos, neque cibum vllum sic esse immundum, neque commixtionem carnalis commercij sic esse fœdam. Secundò ex intentione significandi, quemadmodum Iudæi in veteri lege à certis generibus ciborum abstinebant: & talem abstinendi modum prohibuit etiam Apost. Christianis, quos iam lex Moysi non ligat. Tertiò intentione castigandi corpus suum, & carnẽ subiugandi: & talis abstinendi modus est animi verè Christiani, quemadmodum intellexerunt omnes patres ab initio, æstimantes ieiunium esse in remedium peccati, ne committatur, & in vltionem vt videtur. Quartò fit abstinentia à tali vel tali genere cibi ex sancta parcimonia, vt quis subtrahat sibi, quo subueniat indigenti: quod sanè ieiuniũ est Deo gratissimum. Quintò fit ex cupiditatis parcimonia, quemadmodum auari abstinent à certis generibus ciborum, ne thesauros pecuniæ minuant. Mos fuit antiquis ab ipsis apostolorum temporibus, quosdam simpliciter dedicare se Deo per votum perpetuæ castitatis & continentiæ, quemadmodum docent Philo, Cyprian. Hieronymus, Augustinus, Basilius & Chrysostomus, & quod ante votum licebat, post votum non licere, quemadmodum de Anania in Actibus apo. cui nõ licebat possessum agrum semel promissum retinere. Et de viduis apud Apostolum quæ damnationem habebant, volentes nubere, quia primam fidem irritam fecerunt, quod Hieronymus, Ambrosius & Augustinus interpretantur, quia primam fidem, id est, fidelitatem promissionis Deo factæ per votum, violarunt. Hieronymus contra Iouinianum, & Cyprianus de habitu virginum, tractantes verbum Apostoli: Si nupserit virgo, non peccat: non illa (inquiunt) virgo accipienda est, quæ semel se diuino cultui dedicauit: harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ. Sic Augustinus libro primo de

A

B

C

D

Abstinentiam & ciborũ moderatam sumptionem eiusdem esse meriti, hæresis est antiqua.

Quinque modis contingit abstinentia.

Act. 5. a

1. Timoth. 5. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

adulterinis coniugibus capite vigesimo quarto. Quemadmodũ nemo potest vnquam vxorem dimittere, & aliam ducere: ita semel Christo per votũ dedicatus, A
non potest vxorem ducere, etiam si vxor ducenda, promittat se fore Christianam.

A temporibus apostolorum vsque nunc, ecclesia credidit sanctos martyres defunctos esse honorandos, annotandosque esse ac celebrandos dies exitus eorum ex hac vita, eosque esse pro nobis intercessores, & venerandas esse eorum reliquias, quemadmodum infrà ex sententijs patrum demonstrabitur. Vnde & ecclesia reputauit hæreticos contrarium sentientes, vt patet ex epistola Hierony. contra Vigilantium, & ex doctrina Augustini in multis locis contra Faust. Mos fuit antiquis ab ipsis apostolorũ temporibus custoditus, episcopos & sacerdotes oportere seruare cœlibatum, post susceptũ semel ordinẽ sacrum non contrahere matrimonium, quemadmodum docet Hierony. contra Iouinianum, tradens apostolos habuisse quidem vxores, quemadmodum docet & venerabilis Ignatius, sed quas ante apostolatum acceperant, eosque post apostolatum reliquisse coniugale officium, & vixisse semper continenter. De huiusce modi cœlibatu sacerdotis, & de votis perpetuæ castitatis latiùs infrà tractatur, & præcipuè in libro de redẽptione generis humani ex captiuitate. In præsentiarum tamen obiter de sacrificio missæ aliquot statuemus argumenta, quæ supradictis videbuntur fortè obuiare. Primùm, iuxta Pauli apostoli doctrinam sanctificati sumus per oblationem corporis Christi, semel pro nobis in cruce immolati, quæ oblatio sufficiens est ad delendum omnium hominum peccata. Christus igitur aut pro peccatis nostris non amplius immolatur: aut si immolatur, frustrà immolatur: aut si non frusta, non fuit oblatio in cruce pro peccatis nostris sufficientissima. Secundum, Christus ipse non docuit vspiam sese quotidie immolandum à nobis, quin potius loquens de tempore sui aduentus, dicit amplius se nolle sacrificium & oblationem. Dicit & carnem non C
prodesse quicquam, de qua August. sic loquitur: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis: nõ illum sanguinem, quem fundent Iudæi, qui me crucifigent bibituri estis. Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum viuificabit vos, & si necesse sit illud visibiliter celebrari, oportet inuisibiliter intelligi. Tertiò, Christus in cœna vltima neque sacrificium vllum fecit, neq; sacrificare docuit, neque obtulit panem & vinum, neque eleuauit, quod est propriæ oblationis indicium, neque in templo super altare posuit, sed panem & vinum duntaxat consecrauit, gratias egit, & distribuit discipulis ad manducandum, neque vsquam præcepit vel admonuit vt Deo sacrificaretur corpus suum & sanguis, sed vt manducaretur & biberetur in sui commemorationem. Deinde sancti appellant panem & vinum istud consecratum non sacrificium dominicum, sed sacrificij dominici sacramentum, id est, signum rei immolandæ. Quartò, in historijs D
legimus Alexandrum papam, sextum à Petro, instituisse aquam misceri vino in consecratione sanguinis, & eundem officio missæ adiecisse quo dicitur in canone: Qui pridie quàm pateretur, vsque ad eum locum, vbi dicitur: Hoc est corpus meum. Insuper Eusebius & alij tradunt quinquagesimale ieiunium esse institutum à Thelesphoro papa quinto à Petro: malè igitur videtur dictam mixtionem aquæ cum vino, & quadragesimale ieiunium descendere ex apostolorum traditione. Sic & posteriores pontifices adiecerunt in officio missæ fieri commemorationes pro defunctis. Quintò, scriptura docet solum Deum adorandum, & illi soli esse seruiendum, & non esse faciendum aliquod sculptile ad vllam similitudinem Dei: non igitur sunt sancti inuocandi, neque imagines apud populum custodiendæ & venerandæ. Sextum argumentum, Augustinus ad inquisitiones Ianuarij ex verbo Christi, docuit Christum voluisse populum Christianum esse liberum, & inter se colligatum sacramentis numero pauciss-
mis,

Martyres venerandi, similiter & eorum reliquiæ.

Episcopi & sacerdotes debẽt esse cœlibes post susceptũ ordinem.

Ignatius Ephesi. 5.

Argu. quæ cõtra missæ sacrificium obijciuntur. Heb. 9. 10.

II. argumentũ

Augustinus.

III. argumẽt.

4. argument.

V. argument.

VI. argumen.

A mis, obseruatu facillimis, significatione præstantissimis. Non igitur Christianus populus grauandus tam multiplicibus, varijsque ritibus & ceremonijs, sed vnusquisq; in sua deuotione relinquendus videtur, vt faciat quod secundùm fidem piè credit esse faciendum. Ad primum respondeo, consequentiam esse inualidam. Nam & Christus sufficienter pro nobis orauit, non tamen inde consequens est, nos non debere amplius orare pro peccatis nostris diluendis. Si argumentum concluderet, inferre liceret nos nõ debere offerre Deo vllum sacrificium interni cordis. Christus sufficientem egit pœnitentiam pro peccatis totius mundi: sed non inde consequens est pro remissione peccatorũ non esse opus peccatoribus, vt ipsos pœniteat peccatorum suorum. Quemadmodum igitur ex eo, quòd Christus sufficienter orauit pro omnibus, doluit, & solicitus fuit pro salute nostra, non est consequens nos non oportere nec pœnitentiam agere, aut ingemiscere, nec orare, vt
B delicta nostra remittãtur nobis, nec solicitos esse, pro salute nostra: ita ex eo, quòd Christus se obtulit sacrificium sufficientissimum pro peccatis totius mundi, non consequitur, nihil amplius valere neque sacrificium internum, humiliati & contriti spiritus, neque sacrificium externum, oblatum ex fide in virtute sanguinis semel pro nobis immolati. Non aliud sacrificium nunc offerimus, non aliam hostiam, sed idem quod olim semetipsum in ara crucis obtulit in carne passibili, satisfaciens, & soluens pœnam peccatis nostris debitam, hoc nunc impossibile & glorioſum offerimus Deo, in commemorationem grandis illius beneficij in ara crucis pro nobis exhibiti. Dicitur autem immolatio Christi in carne sacrificium sufficiens, meritum sufficiens, satisfactio & propitiatio sufficiens, non quòd proficiat nobis qualitercunque dispositis, & qualitercunque viuere volentibus, sed quòd proficiat nobis credentibus, & obtemperantibus sibi: neque requiritur
C vllum aliud meritum, vlla alia hostia, per quam ex impijs efficiamur iusti & reconciliemur Deo patri. Veruntamen de meritis sanctorum hactenus tenuit & docuit ecclesia, quemadmodum sancti patres ab initio tradiderunt ex apostolicis scripturis, sicuti & clarissimo sermone tradit Augustinus, multa videlicet esse sanctorum merita: sed vt ex impijs iusti fierent, nulla esse merita eorum, sed Christi, ex cuius fide iustificamur gratis, hoc est, absque meritis nostris, non tamen absque nostrarum voluntatum consensibus, quibus Deo vocanti atq; pulsanti incipimus corda nostra aperire, credere, & acquiescere, & credendo remissionem peccatorum implorare, quæ tamen omnia voluntatis nostræ interna opera non potuissemus facere, nisi Deus sua misericordia præueniens nos, dignatus fuisset vocare nos, trahere, & adiuuare. Et ita in iustificatione, qua ex impijs iustificamur, aliquid est nostrum, & est nostræ voluntatis opus, vtpote motus, liberi arbitrij credentis in
D Iesum, & pœnitentis de peccato suo: sed hic motus noster non esset, si non Dei misericordia nos præueniſſet: & ita de nullo bono motu volũtatis possumus gloriari tanquam de nostro solo, id est, tanquam facto à nostra solius voluntate. Vnde Deus pro sua sapientia iudicium suæ misericordiæ atq; iustitiæ ita statuit, vt in operibus siue misericordiæ, siue iustitiæ dispensandis, vtatur voluntarijs hominum ministerijs, quibus & ipsi etiam semetipsos & alios faciant, aut ad participandum fructum passionis Christi aptos, aut reos, aut contemptibiles, quemadmodum ait Apostolus: Reconciliauit nos Deus sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, ponens in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Declarantur hæc latiùs in libro de redemptione generis humani. Ad secundum argumentum respondeo antecedens esse falsum, nam in eo, quòd Christus dedit potestatem accipiendi panem & vinum, benedicendi, & gratias agendi, & consecrandi illa in corpus & sanguinem suum, intellexerunt patres, ab exordio nascentis eccle-

Solutio argumenti pri.

Defusficientia meriti Christi

August. epist. ad Sixtum.

Gratis iustificamur, non tamẽ sine nostra voluntate.

2. Cor. 5. d

ad 2. argumẽ. Christus docuit quotidianã immolationẽ corporis sui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis ecclesiæ,in sacrificium offerendum,& frequentandũ vsq; in consummationem seculi. Quòd autem dicit se nolle sacrificium, intelligit de sacrificio carnis & sanguinis antiqui testamenti, quæ est caro & sanguis hircorum,& vitulorum,& agnorum: non autem de carne & sanguine noui testamenti, de quo ipse loquitur: Hic est calix sanguinis noui testamenti. De quo & propheta Malachias, olim reprobans Iudæorum sacrificia, inquit: Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra:ab ortu enim solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur, & sacrificatur nomini meo oblatio munda. Hæc oblatio munda, quemadmodũ docent venerabiles patres, Irenæus, Cyprianus,& Hieronymus, est esca eucharistiæ,quam dedit nobis ipse Deus: De qua & locutus est Psalmo 110.Redemptionem misit populo suo,mandauit in æternum testamentum suum, memoriã fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se, misericors & miserator Dominus. Christus semel in cruce visibiliter & passibiliter immolatus, iam in pane & vino consecratis datus est nobis inuisibilis & impassibilis, quem quotidie Deo patri offerimus, dum non habemus quod illi dignum offerre valeamus pro omnibus, quæ retribuit nobis, accipimus calicẽ saluatoris,id est,passionem eius,prẽsentantes Deo patri opus nostrę redemptionis,vt illius sacrificij semel in cruce pro nobis immolati participes facti, maneamus & viuamus in ipso per ipsum. Proinde & ipse Cyprianus,quod celebrando quotidie offerimus,dicit esse Christi passionem.Passio Domini est,inquit,sacrificium quod offerimus. Et idcirco (inquit) hæc caro, in qua Christus soluit precium pro peccatis totius mundi,prodest per omnem modum omnibus credentibus. Hæc oblatio sacramentalis in officio missæ, non est vtilis nobis absque oblatione spirituali quæ intus est per fidem animi credentis, & hæc offerentis. Proinde dicit saluator: Caro non prodest quicquam,hoc est, caro Christi non prodest vlli absq; spiritu fidei. Vnde contingit etiam impios omnia visibilia pietatis sacramenta & accipere, & ministrare, sed virtutem eorum habere non possunt, nisi qui pij sunt intus. Nam de quibusdam ait Apostolus: Habentes formam quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.Virtus autem hęc,est ipsa pietas seu charitas,quę intus efficitur sub inuisibili forma. Ideo & præcipuè scriptura commendat sacrificium cordis internum,quod ex spiritu fidei in ara cordis immolatur,sed hoc internum cordis sacrificium nullum esset sine fide carnis Christi pro nobis in cruce immolatæ. Ad tertium argumentũ respondeo, quemadmodum ad præcedens argumentum responsum est. Verùm,an Christus in cœna sacrificauerit,an non sacrificauerit, sed solũ cõsecrauerit,sed sacrificare docuerit, huic rei impertinẽs est. Probabilius tamen est, Christũ in cœna secundũ ordinem Melchisedech seipsum sacramentaliter obtulisse in pane & vino, quàmuis in illa oblatione non sic, vt in cruce satisfecit pro peccatis totius mundi exoluens sui sanguinis precium. Habemus de hoc sentẽtiam Cypriani ad Cecilium,dicentis in sacerdote Melchisedech sacrificij dominici sacramentum esse præfiguratum. Demus tamen ita esse, quòd Christus in cœna non fecit sacrificium,nihil contra sententiã ecclesię.Nam Christus,vt Irenæus inquit,accipiens panem & vinum noui testamenti,nouã docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens, in toto mundo offert, iuxta Malachiæ vaticinium. Eandem sententiam docet Cyprianus in eadem epistola ad Cecilium, tradens sacerdotem celebrare non solùm sacramentum dominici sacrificij,sed & offerre verum sacrificium. *Sacerdos* (inquit) vice Christi fungitur, verumque & plenum offert sacrificium Deo patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse. Et infrà: At CHRISTVS non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit: nos tamen nõ propter hoc post cœnam celebrare debemus. Ecce, testatur sanctus Cyprianus Christum post cœnam obtulisse

A

Malach.1.e

Cyprianus.

Caronõ prodest quicquã sine spiritu fidei.
Ioan.6.g
1.Timoth.3.a

C

Ad 3.argumentum.

D

Epist.3.lib.2.

Malach.1.e

Epist.3.lib.2.

A lisse Deo calicem, sed non ideo nos posse offerre illud post cœnam. Ad quartum argumentum dicimus, quòd pontifices illi non rem aliquam nouam adinuenerunt,sed id quod pridem ab apostolis doctum, traditum & promulgatum erat iusserunt,& fecerunt præceptum.Quemadmodum enim (teste August.) Cyprianus dum correxit eos, qui putabant ante octauum diem infantem non esse baptizandum, non nouam rem instituit, non nouum decretum condidit, sed rem antiquam docuit, & seruandam statuit: ita & putandum est, pontifices volentes apostolicas traditiones obseruare, quædam præcepisse & mandasse, quæ non sic prius decreto publico iussa & mandata fuerant.Et per hanc viam concordari iam poterunt multæ sententiæ patrum, quæ inter se pugnare videntur, alijs dicentibus tale quid, vel tale, descendere ex apostolorum traditione, vel Christi institutione:

B alijs verò dicentibus idem ipsum esse institutũ ac præceptum per hunc vel illum pontificem, Petri apostoli successorem. Ad quintum dicimus, argumentum non concludere: nam aliud est sanctos adorare, aliud est sanctos inuocare, vt pro nobis ad Deum sint intercessores. Quum honoramus sanctos,orãtes vt habeamus eos intercessores pro nobis,solum Deum adoramus,illi soli seruimus latriæ cultu, menteque plerunque magis sub Deo humiliati adoramus & colimus illum, reputantes nos indignos præsentes stare oculis immẽsæ suæ maiestatis,quàm si per nosmetipsos præsumamus accedere,illam rogaturi. Oportet peccatorem iam mortis reum, humiliari sub potenti manu Dei, iudicis sui tremendi, & indignum sese reputare,qui compareat in diuinę maiestatis conspectu.Proinde miserabilis & indignus peccator plerunque maiorem consolationem impetrat, dum peccatorum suorum conscius, ab altitudine maiestatis Christi, quem toties offendit, cuius sanguinem toties pollutum duxerit,resilit in suam paruitatem, tanquàm non audens

C oculos suos leuare in cœlum,aut dicens cum Petro: Exi à me Domine,quia homo peccator ego sum, aut cum muliere Cananæa procurans alios magis, qui Christo sunt amici habere intercessores, vt per illos, quasi aduocatos suos exponat miserias suas,& acceptabilis fiat oratio,si in conspectu diuinę maiestatis erubescens intus cogitet: Domine Iesu,ego non sum dignus orare te, sancta Maria Magdalena ora pro me. Tali quoq; genere orationis magis plerunq; humiliati accedimus ad thronum gratiæ Christi: quemadmodum publicanus dum stans retro longè,non audebat oculos suos leuare in cœlum, sed prostratus in terram percutiebat pectus suum,expectans diuinam propitiationem. Cordis ergo sub Deo multum humiliati oratio est dicentis: Sancta Maria Magdalena pro me miserrimo peccatore ora Dominum Iesum Christum. Neque igitur iniuriam Christo facimus, neque honori illius detrahimus, quin potius honoramus, & colimus, dum in nostris necessitatibus oramus martyres,vt ipsi iam facti amici Dei, & domestici, ac filij,intercedant

D pro nobis peccatoribus,sic pressis peccatorum pondere,sic fœdis & immundis,vt erubescamus ad Deum ipsum accedere,aut comparere coram ipso.Rursus neque constituimus illos mediatores, qualis est vnicus mediator Iesus, qui & vnicus est aduocatus apud Deum patrem, à quo & nos iuuari cupimus,implorantes gratiam & misericordiam eius, & si non meritis nostris, saltem ipsorum intercessionibus sanctorum,qui orantes innituntur Christi meritis, perinde atque nos: quia Deus neminem exaudit, nisi per Iesum Christum: ita & quotquot medij stant aduocati inter Deum & peccatores, innituntur meritis & propiciationi vnius Christi mediatoris: Quemadmodum Aaron inter populum & Deum medius stetit, & Dei ira cessauit. Vnde & Dominus ad Moysen orantem,ait: Dimitte me vt percutiam populum istum. Sic & ipse Deus ad quosdam loquitur, Iob 42. Ite ad seruum meum Iob,& offeret holocaustum pro vobis,orabit pro vobis, faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia. Si sancti adhuc viui orant pro nobis, multo magis

Ad 4.argu.

Aug. ad Hiero. de immortalitate animæ

Ad 5.argumẽ.

Lucæ 5.b
Matth.15.b

Luc.18.c

Num 17.e
Exod.32.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

gis iam in cœlo ardentes charitate, expectantes nos, orant pro nobis. Sic enim argumentantur Hieronymus & Augustin. contra hęreticos, docentes sanctos non orare pro nobis. De quo sic loquitur August. Colimus martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines: ita tamen, vt nulli martyrum, sed ipsi Deo, martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, dicit: Offerimus tibi Petre & Paule? Quòd autem sancti in cœlo pro nobis sint soliciti, & orent pro nobis, satis docet scriptura. De angelis dicit: Angelis suis mãdauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, non obstante, quòd solus Deus est custos & protector noster, scriptura nihilominus docet angelos custodire nos in omnibus vijs nostris. Gaudium est in cœlo coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Item angeli eorum semper vident faciem patris, qui in cœlis est. Omnes, inquit Apostolus ad Hebræos, sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Item ascendit fumus aromatum ex orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. Seniores ceciderunt coram agno, singuli habentes citharas & phialas aureas plenas odoramentorum quæ sunt orationes sanctorum. Angelus Raphael ad Tobiam: Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. In angelo desiderium solicitudoque salutis nostræ, est quædam pro nobis oratio. Sunt quidem angeli soliciti, orantque pro nobis, non vt illum flectant à sempiterno suæ voluntatis decreto, neque enim nos viui sic pro nobis inuicem orare possumus, tanquàm velimus immutare sempiternam Dei voluntatem, sed vt faueat Deus pijs eorum desiderijs, & subueniat humanis nostris miserijs. Si angeli sancti pro nobis soliciti sunt, quanto magis martyres sancti, confessores, & virgines, qui & ipsi experti sunt humanas miserias, & ex his, quæ passi sunt didicerunt compati infirmitati nostræ, de quibus scribitur: Sequuntur agnum quocunque ierit. Ad scripturam, quæ soli Deo seruire iubet, respondeo: Quemadmodum ex scripturis sacris discimus esse genus quoddam seruitutis debitum superioribus dominis, quibus Apostolus Paulus seruos obedire & seruire iubet: ita est & cultus quidam, quo sancti sunt honorandi, & orandi, vt orent pro nobis. Ad id quod de picturis & imaginibus lege prohibitis dicitur, dicimus: Scriptura non simpliciter prohibuit Iudæis, ne facerent sculptile, sed ne facerent tale quid ad colendum & adorandum illud, vel creaturam vllam: aut si simpliciter prohibuit, sicuti Iudæi putant, erat ratio hoc prohibendi Iudæis, quæ non currit nunc pro Christianis, cùm iam Deus sit homo factus. Vnde aliud est picturam adorare, aliud per picturam quid sit adorandum recordari. Ad sextum argumentum, dicimus sacramenta, quibus societas noui populi colligatur, sunt numero pauciſſima, & obseruatione facillima. Verùm quia in diuersis ecclesijs, diuersisque prouincijs sunt diuersæ sacramentorum & cæremoniarum consuetudines, tam in missarum solennijs, quàm in ieiuniorum, aliarumque rerum obseruationibus, vt sciat vnusquisque dum ad diuersas regiones peregrinatur, ad quot, & ad quæ obseruanda constringatur. Sciendum est, quòd venerabilis Augustini libri duo, quorum titulus est, Ad inquisitiones Ianuarij, multa (vt ipse testatur) de sacramentis disputata continent, siue quæ vniuersaliter, siue quæ particulariter, seu non in omnibus locis obseruat ecclesia, nec tamen omnia commemorari potuerunt. In hisce libris ad interrogata ipsius Ianuarij, per sententias tres principales respondet, secundùm triplex genus sacramentorum, rituum, rerum seu obseruationum ecclesiasticarum. Vnum genus est earum rerum, quæ in scripturis continentur. Alterum earum, quæ in vniuersali ecclesia per vniuersum orbem custodiuntur. Tertium earum, quæ per loca regionesque variantur. Dicit igitur: Ad ea quæ me interrogasti, primùm

Augustlib.20 cap.21. contra Faustum.
Psalm.90.b
Lucæ15.b
Matth.18.b
Hebræ.1.d
Apocalyp.8.a
Apocalyp.5.c
Tobiæ12.c
Apocaly.14.a
Ad 6 argumentum.
Lib.1 cap 1.2. 3.4 5.6.7.
Triplex genus rituũ ecclesiasticorum.

mum te scire volo, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in euangelio docet, leui iugo suo nos subdidisse, & sarcinæ leui: nam sacramentis numero pauciſſimis, obseruatione facillimis, significatione præstantiſſimis, societatem noui populi colligauit, sicut est baptismus in nomine trinitatis consecratus, communicatio corporis & sanguinis, & si quid aliud in scripturis canonicis demonstratur: & hoc de genere primo. Secundum genus est eorum, quæ tota per orbem frequentat ecclesia, & in dubium vertere aut disputare, inquit, an hæc sint facienda, insolentiſſimæ insaniæ est, de quibus & mox subiungit in eodem capite: Illa autem (inquit) quæ non in canonicis scripturis sunt scripta vel tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur: datur intelligi, ea vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs concilijs, quorum est in ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd anniuersaria solennitate celebratur dominica passio, resurrectio, ascensio in cœlum, spiritus sancti aduentus de cœlo, & si quid tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersis, vt quòd corpus & sanguinem Christi vnusquisque accipiat ieiunus, obseruatio diei dominicæ post sabbathum, & quadragesima, quam Christus exemplo docuit, & ecclesiæ consensio roborauit. Tertium genus est eorum, quæ per loca regionesq; variantur, sicuti quòd alij ieiunant in sabbatho, alij non ieiunant, alij communicãt quotidie corpori & sanguini Domini, alij certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo nõ offeratur, alibi sabbatho tantum & dominico. De hoc tertio genere ibidem Augustinus dans consilium: Faciat quisque, inquit, quod inuenerit in ecclesia ad quam venit. Quòd enim neque contra fidem, neque cõtra bonos mores iniungit, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur, societate seruandum. Mater mea cùm Mediolanum venit, inuenit ecclesiam sabbatho non ieiunantem, tamen ecclesia Romana vnde venerat, ieiunabat, cœperat perturbari & fluctuare quidnam ageret, tunc ego talia non curabam, sed propter ipsam tunc consului de hac re Ambrosium, qui respondit: Cùm venero Romam, ieiuno in sabbatho: cùm autem hic sum, non ieiuno: sic & tu ad quam ecclesiam fortè veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, neque quenquam tibi. Ego, inquit Augustinus, de hac Ambrosij sententia iterum atque iterum cogitans, ita semper habui eam, tanquam cœlesti oraculo susceperim. Sensi enim sæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum tum contentiosam obseruationem, tum superstitiosam timiditatem. De eucharistia autem, an quotidie sit accipienda, an rarius, recitat ibidem Augustinus pro vtraque parte sententias: Dixerit aliquis, nõ quotidie accipiendam eucharistiam, quoniam eligendi sunt dies, quibus puriùs homo continentiusque viuat, quò ad tantum sacramentum dignus accedat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Alius contrà, Imò (inquit) si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda sunt, authoritate antistitis debet quisque ab altari remoueri, & eadem authoritate reconciliari: hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non vt arbitrio suo quum libet vel auferat se communioni, vel reddat. Cæterùm si peccata tanta non sint, vt excommunicandus quisque iudicetur, non se debet à medicina quotidiana dominici corporis separare. Rectiùs inter eos forsitan quisquam dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Christi pace permaneant, & faciat vnusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum, neuter eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini. Nam hic honorando non audet quotidie sumere, ille verò honorando non audet vllo die prætermittere. Zachæus gaudens susceptit Iesum in domum suam, Centurio dixit: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.

Ad quemcunque locum veneris, eius morẽ serua in ieiuniis.
Diuina Ambrosij sententia.
Aug.lib 1.c.2. ad inquis.Ian.
Lucæ 19 a Matth.8.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

meum.ambo Saluatorem honorantes, diuerso & quasi contrario modo, ambo peccatis miseri,ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem, quòd in primo populo vnicuique manna secundùm propriam voluntatem sapiebat, contemptum solum non vult cibus iste sicut manna fastidium.Inde enim Apostolus dicit indignè acceptum ab eis, qui non discernebant à cæteris cibis veneratione singulariter debita. Cùm enim dixisset: Iudicium sibi manducat & bibit. continuò addit:nõ diiudicans corpus Domini.Qui autem in his quæ per loca, regionesque variantur,consuetudinem suæ patriæ consuetudini alterius patriæ conantur præferre ac præponere,contendentes se secundùm fidẽ,alios autem cõtra fidem, aut contra bonos mores agere,violant sanè quietem & pacẽ,de superflua quæstione rixando:non enim quicquam eorum contra fidem,aut contra bonos mores est,si hinc vel inde sint meliores.His etenim causis, id est, propter fidem, & propter bonos mores, vel emendare oportet quod perperam fiebat,vel instituí quod non fiebat.Ipsa autem consuetudinis mutatio,etiam quadam vtilitate adiuuans,ecclesiam sua nouitate perturbat.De his itaque quæ variè per diuersa loca obseruantur,vt ritus canendi psalmos,hymnos, alleluya, cæteraque id genus alia, non est necessarium scribere, quia vna in his saluberrima regula est retinenda, vt quæ neque sunt contra fidem, neque contra bonos mores,& habẽt aliquid ad exhortationem vitæ melioris vbicunque instituí videmus, vel instituta cognoscimus, non improbamus,sed etiam laudando & imitando sectamur, si tamen non aliquorum infirmitas ita impediat vt amplius detrimentum sit. Manifestum est autem,quando Apostoli primùm acceperunt corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos, non tamen propterea calumniari oportet vniuersam ecclesiam, quòd à ieiunis semper accipiatur, hoc enim placuit spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Domini corpus intraret quàm cæteri cibi. Et idcirco mos iste per totum orbem seruatur.Neque enim quia post cibum dedit Dominus,propterea nos pransi aut cœnati ad sacramentum illud accipiendum conuenire debemus. Nam & eos qui sic faciebant,coarguit Apostolus Paulus,& emendat eos,qui mensis suis huiuscemodi sacramenta miscebãt. Quòd autem Christus post cœnam discipulis dedit,hoc fecit vt huius mysterij altitudinem tanq̃ vltimum memoriale sui testamenti altius infigeret cordibus discipulorum, à quibus iam discessurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur,vt Apostolis,per quos dispositurus erat ecclesiam,seruaret hunc locum. Vnde & de hoc sacramento loquens tantùm subtexuit: Cætera autem cùm venero ordinabo. Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectauit, vt vno certo die per annum,quo cœnam ipsam Deus dedit ad insigniorem commemorationem post cibos & offerri & accipi liceat corpus & sanguinem Domini. Hactenus August. Quæsiuit præterea Ianuarius, quæ causa sit, cùr anniuersarius dies celebrandæ dominicæ passionis, non ad eundem redeat anni diẽ, sicut dies qua traditur natus.Ad quam quæstionem respondẽs:Primùm, inquit, nosse oportet diem natalem Domini nõ in sacramento celebrari,sed tantùm in memoriam reuocari quòd sit natus. In celebratione autem paschæ,ita rei gestæ commemoratio fit, vt aliquid etiam significari intelligatur,consideratione etiam habita ad solis & lunæ cursum.Neq; hoc sic celebrantes obseruamus annos, & menses, & tempora cum eis, contra quos loquitur Apostolus ad Galath. quarto: eos enim inculpat qui dicunt: Non proficiscar, quia luna sic fertur:vel proficiscar, vt prospera cedant, quia ita se habet positio syderum: non plantabo hoc anno vinum,quia bisextus est. Nemo aũt sapiẽs arbitratur obseruatores tẽporum reprehendendos, qui dicunt: non proficiscar, quia adhuc sunt bybernæ reliquiæ, vel quia tẽpestas exorta est: vel si qui fortè alij naturales effectus circa motũ aeris &

A

1.Cor.11.g

B

C

1.Cor.11.g

D

Quare anniuersarius dies dominicæ passionis semper celebratur feria sexta.

A & humoris ad variandas temporum qualitates in syderũ ordinatissima cõuersione notati sunt,de quibus dictum est cùm conderentur:& sint in signis,in diebus,in annis,in temporibus. Quadragesima ieiuniorum habet authoritatẽ in veteribus libris ex ieiunio Moysi & Heliæ, & ex euãgelio,quia totidem diebus Christus ieiunabat, demonstrans euangeliũ non dissentire à lege & prophetis. Vt verò quadraginta illi dies ante paschа obseruentur, ecclesiæ cõsensio roborauit. Quòd autem instituitur præter consuetudinẽ,vt quasi obseruatio sacramenti sit, approbare non possum, etiam si multa huiuscemodi propter nõnullarum personarũ scandala deuitãda liberius improbare nõ audeo.Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis literis saluberrima præcepta sunt, minus curantur. Concludit tandem Augustinus: Omnia itaq; talia,quæ neque sanctarum scripturarum authoritatibus

B continentur, neque in concilijs episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ ecclesiæ roborata sunt,sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur,ita vt vix aut nunquam inueniri possint causæ,quas in eis instituendis homines sequuti sunt,vbi facultas tribuitur sine vlla dubitatione, resecanda sunt. Datur autem facultas, cùm mutatio ipsa consuetudinis nõ perturbat sua nouitate ecclesiam. In singulis verò ecclesijs, quæ pia sunt, quæ religiosa sunt, quæ ad lucrum & custodiã fidei prosunt,iam in consuetudinem posita prorsus sunt obseruanda, nisi quorundam infirmitas ita impediat, vt maius sit detrimentum. Sic olim admonebat beatus Gregorius Augustinum ad instituendam ecclesiam Anglicanam.Ex singulis quibusque ecclesijs,quæ pia sunt, quæ religiosa sunt,elige,& hæc quasi in fasciculũ collecta apud Anglorum gentes in consuetudinem depone. Missæ officium à Christo institutionem & originẽ habet,q̃uis

C ab Apostolis eorumq̃ue successoribus sanctis patribus statutum fuerit, quo deinceps ordine,quibus solennitatibus tam grande mysterium frequentaretur in ecclesijs. In officio missæ omnia primò nuda erant, & simpliciter tractabantur.Petrus vbi consecrauerat, oratione Pater noster vsus est. Anacletus beati Clemẽtis successor immediatus, adhuc viuentibus Apostolis in epistola quam scripsit omnibus ecclesiarum episcopis: Sacerdotes, inquit, ipsi sacrificantes quando Domino sacrificant, testes secum adhibeant,vt Domino perfectè in locis sacratis sacrificare probentur,ministrosque secum habeant sacris indutos vestibus,peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. sic enim Apostoli statuerunt. Statuit & pontifex iste,ne clerici comã & barbã nutrirent,& ne episcopus à paucioribus q̃ à tribus episcopis ordinetur. Euaristus martyr in epistola ad vniuersos Aphricæ episcopos de sacramento eucharistiæ sic

D loquitur: A patribus,inquit, accepimus,& à sanctis Apostolis,eorumq̃; successoribus traditum inuenimus,legitimum non fieri coniugium,nisi vxor petatur ab his, qui super eam dominationem habere videntur,& suo tempore sacerdotaliter, vt mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & solenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, castitatem custodiant, vt bonæ soboles generentur. Glorioſus martyr Alexander, septimus à Petro pontifex, quem alij extra ordinem pontificum, prætermisso Lino & Cleto, quintum in ordine ponunt: Nihil in sacrificijs, inquit, maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi: nec vlla est hac potior, quæ pura cõscientia, puraque mente Domino est offerenda. Hic pontifex primùm sacrificio missæ addidit, Qui pridie quàm pateretur:vsque ad hanc clausulã:Hoc est corpus meum. voluitque aquam admisceri vino in consecratione, & oblationem fieri non ex fermentato, sed ex azimo.Instituit aquam,quam benedictam appellamus, sale admixtam, interpositis sacris orationibus, in templis & in cubiculis, ad fugandos dæmones retineri. Sixtus martyr,octauus Romanæ ecclesiæ pontifex,mandauit in officio missæ can-

Quadragesimale ieiunium vnde habeat ortum.

Aug.li.2. c.19. ad inquis.Ian.

Missæ officiũ à Christo institutum, à patribus in orationibus & ritibus auctum.

Clerici nec comam nec barbam nutriant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sæ cantari, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. constituit ne à quoq; A
nisi ministris sacrorum, mysteria & vasa sacra tãgerentur: maximè verò ne à fœ-
minis, & ne quod sacerdotes corporale vocant, ex alio quàm ex lino fieret. Teles-
phorus martyr supradicti immediatus successor, instituit vt septem hebdomadi-
bus obseruaretur ante pascha ieiunium, & vt in natali Iesu Christi tres missæ ce-
lebrarentur, & vt in sacrificio hymnus ille cantaretur, Gloria in excelsis Deo.
Omnes martyres isti secundùm seriem successionis sedentes in cathedra Petri,
non dubitauerunt sacerdotes consecrãtes eucharistiam sacrificare Deo, & eucha-
ristiam esse verum corpus Domini, atq; sacrificium. Ex supradictis ergo consi-
derare possumus antiquum ecclesiæ statum à temporibus Apostolorum custodi-
tum super sacrificio missæ, super cultu sanctorum martyrum, super suffragijs de-
functorum, super quadragesima & ieiuniis, super septem sacramentis, & super ri-
tibus & cæremonijs in sacramentorum ministerijs, super festorũ solẽnitatibus, su- B
per seruandis votis perpetuæ continentiæ, super cœlibatu episcoporum & sacer-
Quã vim ha- beat cõsuetu- do à tempori- bus apostolo- rum custodita dotum. Insuper colligere possumus antiquã consuetudinẽ à temporibus Apostolo-
rum custoditã per vniuersas ecclesias sufficiens esse argumentum ad demõstran-
dum hanc suscepisse originem ex Apostolorũ traditione. Nam & sic Irenæus, Ter-
tullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus hæreticis & contentiosis obiece-
runt, vniuersalis ecclesiæ consuetudinem ex antiquo custoditam, tanquã põdus &
momentum ex apostolica traditione initiatũ, æstimantes talẽ consuetudinẽ tanquã
testem fidei ab Apostolis traditæ. Consuetudinem aũt antiquam esse ab initio cu-
stoditam discimus ex sententijs patrum secundũ seriem successionis scribentium,
quas in sequenti parte ex diuersis libris collectas in medium proferemus.

Sequitur pars quinta huius capituli, in qua recitantur antiquorum doctorum
ecclesiasticorum sententiæ, quibus res ipsæ, quas contemnunt C
huius temporis Romanæ ecclesiæ aduer-
sarij, demonstrantur.

Vemadmodum scripturam aliquam vel epistolã demonstrauimus
esse pauli Apostoli, ex eo quòd omnes antiqui maiores nostri ab
initio semper illã vt Pauli Apostoli susceperunt, semper vsi illa tan-
quam ab eodẽ Paulo æditam: ita & res has vel alias quas ab initio cu-
stodiuit ecclesiæ consuetudo, probamus originẽ habere ex Apostolo-
rũ doctrina, eò q venerãda patrũ antiquitas ecclesiaq; in omnibus locis ab initio
semper tales res custodierũt, & obseruauerunt tanq; Apostolorum traditionẽ,
ad se secundùm seriem successionis deuolutã. Super rebus multis, quæ ex scripturis
sacris demonstrari nequeunt contra hæreticos quosq; & contentiosos, poterimus
perspicere ecclesiæ vetustissimam consuetudinem, considerantes seriem succes- D
sionis patrum scribentiũ ab initio primitiuæ ecclesiæ ad hæc vsque tempora. Ipsis
Scriptores qui tempore Apo stolorum. Apostolorũ temporibus aut viciniſſimis, fuerunt magnæ authoritatis viri scripto-
res, Ignatius, Philo, Policarpus, Clemens, Dionysius. Primùm beatus Ignatius
discipulus Iohannis euangelistæ, ordinatus secundus Antiochenæ ecclesiæ episco-
Doctrina Ig- natij. pus, anno altero quo Petrus & Paulus passi sunt martyriũ, intellexit distinctionem
ordinũ & graduum in ecclesia, & alios esse laicos, alios clericos: & inter hos alios
pontifices, alios presbyteros, alios diaconos, aliosq; infra diaconos diuersorum or-
dinum clericos. Meminit & celebrandæ missæ eucharistiæ, ac sacrificij immolan-
di, quadragesimæ, hebdomadæ passionis, ieiuniorũ sextæ & quartæ feriæ, & solen-
nitatis Paschalis celebrandæ, non cum Iudæis, sed ipso die post sabbathũ parasce-
ues, hoc est, ipso die resurrectionis, & diei dominicæ celebrandæ in locum sabba-
thi. Meminit & virginitatis præferendæ nuptijs, & concursus populi in tem-
plum Dei. In epistola ad Smyrnẽses ex Troia: Nemo, inquit, præter episcopũ ali-
quid

A quid agat eorum quæ ad ecclesiam pertinent. Firma eucharistia reputetur, quæ
ab episcopo concessa fuerit. Non licet sine episcopo neque sacrificium immola-
re, neque missas celebrare. Illic plebs congregetur vbi fuerit episcopus, cui &
oportet plebem obedire in his, quæ ad ecclesiam pertinent. En vides tempo-
ribus Iohannis Apostoli præceptoris Ignatij fuisse vsum celebrandæ missæ, & in
illa eucharistiam appellari sacrificium. Et ne captiosus quispiam calumnie-
tur, hanc non esse diui Ignatij epistolam, sed ab alio quodã ęditam, & illi attributã,
sciat probatissimum Hieronymum in libro de viris illustribus, hanc epistolam
ex Troia ad Smyrnenses æditam, diuo Ignatio tribuisse. Item in epistola ad
Magesianos, cuius & idem Hieronymus meminit, docet obediendum esse epi-
scopo tanquam Dei vicario, & omnem populum vnanimiter concurrere ad
templum Dei, & pro sabbatho celebrandum esse diem dominicum, propter
B resurrectionem Domini, eminentissimum dierum, de qua propheta dicebat,
Expectans pro octaua, cuius dominicæ meminit & ipse Iohannes in Apocaly-
psi. In epistola ad Philippenses, planè explicat fidem trinitatis, & aliũ quen-
dam esse patrem, alium filium, alium spiritum sanctum, non vnum quendam tri-
nominem, sed tres esse vnum Deum, solum filium factum hominem. Dies festos
esse honorandos: Dies festos, inquit, nolite inhonorare, quadragesimam nolite
pro nihilo habere, hebdomadam passionis nolite despicere, quarta & sexta feria
ieiunate, reliquias pauperibus erogate. Adhuc dico episcopis & presbyteris in
Domino: Quicunque cum Iudæis pascha egerit, aut solennia festiuitatis eorum
susceperit, comparticipabit eis, qui Dominum & apostolos occiderunt. In epi-
stola ad Trallianos, cuius epistolæ meminit & ipse Hieronymus, iterum atq; ite-
rum inculcat, plebem oportere et episcopis obedire, & honorare illos sicut Chri-
C stum, & seruare præcepta eorum. Sine episcopis & presbyteris, neque ecclesiam
esse electam, neque collectionem esse sanctorum, neque congregationẽ sanctam,
& diaconos esse ministros, non in cibo & potu, sed in ministerio ecclesiæ Dei.
Quid (inquit) diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes episcopo, sicut Chri-
stus patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatã? quomodo san-
ctus Stephanus beatissimo Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Cle-
mens Petro. Docet & Christum esse verum Deum, qui per Mariã factus est ho-
mo ex semine Dauid, ab æterno natus à patre. Coarguit insuper & eos qui Chri-
stum alienant à patre, & eos qui ipsum dicunt esse patrem, traditq; ibidem totius
Christianæ fidei symbolum, de Christo Iesu dicens, quòd Deus verbũ verè susce-
pit corpus, verè lactatus est & nutritus, sicut nos, cibo & potu. Triginta annos a-
gens, à Iohanne baptizatus est, tribus annis prædicauit euangelium vitæ, die pa-
D rasceues hora tertia accepit sententiam à Pilato, hora sexta crucifixus est, nona
emisit spiritum, ante solis occasum de cruce depositus est & sepultus in monumen-
to nouo, sabbatho mansit in sepulchro sub terrra, Dominica die resurrexit à mor-
tuis, secundũ quod dictum est ab eo: Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, Matth 12.c
Descendit in infernum solus, ascendit verò cum multitudine, & dirupit mace-
riam, quæ erat à seculo. Hæc & alia incarnationum mysteria multa tradidit Igna-
tius in eadem epistola. En vides totius fidei nostræ summam, vniuersalisque ec-
clesiæ statum temporibus diui Ignatij conuenire cum rebus fidei huius seculi.
Vnde in epistola ad Philidelphienses, commendat virginitatem tanquam nuptijs
præferendam, Virgines tamen non debent execrari nuptias, sed vt melius bonum
honorare. Asserit ibidem, quòd Melchisedech & Iosue filius Naue, & Helias, He-
lisæus, Ieremias, Iohannes Baptista, Timotheus, Titus, Clemens, in castitate ex
hac vita exierunt. Docet insuper quòd pœnitentes si ad vnitatem ecclesiæ con-
currunt, & ad consensum episcopi, cum omni mansuetudine sunt suscipiendi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Philo de eccle siæ ritib. & c.

Philo quàmuis Iudæus fuerit, tamen testimoniũ dat de ritibus & cæremonijs, quæ custodiebantur in ecclesia Christiana ipsis Apostolorum temporibus. Nam & is, vt ex antiquissimis libris recitat Eusebius libro secundo ecclesiasticæ historiæ, Romam veniens, vidit Petrum, eiusque colloquijs adhæsit, qui & omnia primitiuæ ecclesiæ instituta complectens, asserit quosdam illis seculis primùm renunciare omnibus facultatibus, omnes vitæ solicitudines abijcere, extra vrbes vitam ducere, & in multis regionibus id genus hominum inueniri in Græcia, in Ægypto, in Barbaria, & maximè circa Alexandriam, & in singulis locis esse consecratam orationis domũ, & in hanc nihil prorsus inferri eorum, quæ ad cibum potumque pertinent, sed tantùm legis codices, prophetarum volumina, hymnosque in Deum, eosque etiam nouos in Deum hymnos componere, & continentiam seu castitatem, veluti primum fundamentum ponere, & ante solis occasum non sumere cibum: complures etiam grandes virgines integritatem casti corporis custodire, non vlla necessitate, sed spontanea voluntate sese Deo consecrare, nec vinum bibere, nec carnes comedere, eosque habere ministros, sacerdotes & pontifices ritè illis exhibentes ministeria. Hactenus Philonis sententiæ, quas, vt inquit Eusebius, certum est eum dixisse & intellexisse de euangelicis & apostolicis viris. Vnde consequens est ipsis Apostolorum temporibus fuisse abstinentias ciborum, dedicationes virginum, & consecrationes oratoriorum, renunciationes rerum temporalium per abdicationem proprietatis & dominij. Quemadmodũ legimus Actuum 4. Multitudinis credentium erat cor vnũ, & anima vna in Domino, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, quotquot enim possessores agrorum & domorum erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Verùm hic sciendum est hoc dictum esse de Apostolis, & de his qui se iunxerunt Apostolorum collegio in Hierusalem: sed non inde consequens est omnes Christianos sic oportuisse facere, quemadmodum ex eodem Actuum libro patet. Iudas Christianus erat, propriam habens possessionem in Damasco, in cuius domum infertur Paulus, Act. 9. Petrus in domo Simonis coriarij hospitio suscipitur. Lydia Philippis cum tota domo regenerata domum habuit, Act. 16. & Paulus Corinthijs scribit: Nunquid domos non habetis ad manducandũ? Dat Paulus Christianis diuitibus præcepta, constituens per singulas ciuitates presbyteros, iubens vt bene sint præpositi domui suæ atque familiæ, præcipiens etiam diuitibus ne alta sapiant, Proinde vtrumq; hæresis est pertinaciter asserere, videlicet & non licere omnibus renunciare per abdicationem proprietatis & dominij: & non licere Christianis aut presbyteris & episcopis habere possessiones proprias. Ex testimonio igitur Philonis Iudæi, possumus conijcere statum monachorum per abdicationem proprietatis & dominij, in cœlibatu, in obedientia, non aliunde quàm ex Apostolorum traditione sumere originem. Dionysius Ariopagita Pauli discipulus, in libro de ecclesiastica hierarchia docet ecclesiæ sacramenta, baptismum videlicet, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, sacrum ordinem, docet & purgatorium esse post hanc vitam, & suffragia viuorum prodesse defunctis: Venerandus antistes precem, inquit, sacram supra mortuum peragit, vt cuncta Deus dimittat peccata per infirmitatem humanam commissa defuncto, eumq; in luce statuat in regione viuorũ, in sinu Abrahæ, Isaac & Iacob, vnde aufugit dolor & tristitia. Et ne quis calumnietur hos qui feruntur libros non esse editos à Dionysio, qui Actuum 17. cognominatur Ariopagita, sciat diuum Gregorium ante annos nongentos citasse ex libro cœlestis hierarchiæ tanquam ædito à Dionysio Ariopagita, vt in superioribus diximus. Liber recognitionum Clementis discipuli Apostolorum, quàmuis sit apocryphus, eo

A

Castitas velut fundamẽtum vitæ monasticæ.

B

Act. 4. f.

Nõ omnes credentes vendebant sua, ĩpo re apostolorũ.

Act. 5. b

Act. 10. b

C

1. Cor. 11. e

1. Timoth. 6. d

Status vitæ monasticæ ex apostolorum traditione.

Doctrina Dionysij ecclesiast. hierar. parte 3. cap. 1.

D

A quòd in eo sunt quædã ex persona Petri dicta, quibus assentitur Eunomij dogmati, tamẽ antiquus est liber ad Hieronymi tempora in vsu apud multos. Vnde Rufinus temporibus Hieronymi hunc librum ex Græcis in Latinum vertit. Proinde quæ in illo libro scribuntur de obseruationibus officiorum ecclesiasticorum, confirmant antiquum ecclesiæ morem super his rebus, quæ in hodieruum vsque diem per vniuersum orbem custodiuntur, super quo vide, si placet, apologiã Hieronymi aduersus Ruffinum. Iste Clemens tertio libro recognitionũ, tradit suo tempore baptismum fieri in aquis, inuocata trinitate, & facta vnctione olei per orationem sanctificati. In sexto recognitionum libro, interrogantibus, quid aquæ baptismus conferat ad Dei cultum: respondet primo quidem, quod Deo placeat, impletur. Secundò, quia regenerato ex aquis, & Deo renato, natiuitas fragilitatis prioris, quæ tibi per hominem facta est, amputatur, & ita demũ poteris perB uenire ad salutem, aliter verò impossibile. Sic enim nobis de vero sacramento testatus est Christus: Amen amen dico vobis, inquit, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnũ Dei. Est in aquis quædã misericordiæ vis, quæ ab initio ferebatur super aquas, eripiens eos de supplicijs futuris, offerens Domino animas per baptismum cõsecratas. Confugite ergo, inquit, ad aquas istas quæ solæ sunt, quæ possunt vim futuri ignis extinguere, & salutem conferre. Siue iustus fueris, siue iniustus, baptismus tibi semper est necessarius. Iusto quidem est necessarius, vt in eo adimpleatur perfectio, & regeneretur Deo. Iniusto verò, vt peccatorum quæ in ignorantia infidelitatis gessit, tribuatur remissio. Eandem sententiam tradit in epistola, quam teste Merlino ad Iulium & Iulianum scribit, addens: Iam autem baptizatus postmodum ab episcopo septiformi gratia consignetur: aliter perfectus Christianus esse nõ poterit, nec sedem habere inter Chri-
C stianos, si non necessitate, sed incuria aut voluntate talis permanserit: quemadmodum à beato Petro accepimus, & cæteri sancti apostoli, Domino præcipiente docuerunt. Cùm autem fuerit baptizatus, & postmodum septiformi gratia ab episcopo confirmatus, demum operibus bonis ostendat in se similitudinem patris, qui genuit, & ita viuat, sicut ipse vult. Homicidium & adulterium nesciat, odium & auaritiam fugiat, iram, inuidiam, superbiam, iactantiam respuat. Castimoniam custodiat, ne passionis solius libidinis causa coëat, sed posteritatis reparandæ gratia.

Primùm obseruet ne mulieri menstruatę misceatur. Hoc enim execrabile dicit lex Domini. Irenæus Lugdunensis episcopus circiter annum à passione Domini quinquagesimum supra centesimum, libro quarto, capite quadragesimo tertio & sexagesimo tertio aduersus Valentinum, de obedientia præpositis exhibenda loquens. Oportet, inquit, obaudire presbyteris, his qui successionem habẽt ab apo-
D stolis, reliquos qui absistunt à principali successione, quocunque loco colliguntur, suspectos habere quasi hæreticos, & malæ sententiæ. De sacrosancta eucharistia, inquit, Is qui à terra est panis percipiens vocationem Dei, iam non panis communis est, sed eucharistia ex duabus rebus cõfecta, terrena & cœlesti, quam offerimus Deo, non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius sanctificantis creaturam. Iesus enim qui ex creatura est, panem accipiẽs, & gratias agens, dixit: Hoc est corpus meum, & calicem similiter, qui ex eadem creatura est, quæ secundùm nos est, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo. De quo Malachias: ab ortu solis vsque ad occasum, incensum offertur nomini meo. De baptismo infantum libro secundo contra hæreses Valentini, in capite 39. sic loquitur. Omnes Christus per seipsum saluare venit. omnes, inquam, qui per illum renascuntur in Deum infantes, & paruulos pueros, & iuuenes & seniores. Ideoq; per omnem ætatẽ venit: infantibus factus est infans, sanctificans infantes, paruulis factus

Clementis doctrina super ritibus ecclesiæ.

Non coëatur causa libidinis sed posteritatis propagandæ.

Irenæus Lib. 4. cap. 32

Mal. 1. o

Universidad de Deusto
Biblioteca

paruulus,iuuenibus iuuenis, ſenior ſenioribus,vt omnes ſanctificaret. Ex doctri- A
na igitur antiquiſſimi Irenæi habemus, infantes eſſe baptizandos, epiſcopis eſſe
obediendum,qui ordinem habent ab eccleſia apoſtolica, & euchariſtiam in ſacra-
mento altaris, iam non eſſe communem panem, ſed cœleſtem, eamque eſſe obla-
tionem & ſacrificium purum & mundum, de quo apud Malachiam prænuncia-
tum eſt,vbi reprobatis Iudæorum ſacrificijs,approbatur ſacrificium eccleſiæ tunc
futuræ,non in ſola Hieruſalem, ſed omni loco per vniuerſum orbem diſperſa ec-
Doctrina Tertulliani. cleſia. Amplius autem Tertullianus presbyter quàmuis poſt ætatem ſuam me-
diam, turbatus propter inuidiam & contumeliam clericorum Romanæ eccleſiæ,
in Montani hæretici dogma delapſus, aduerſus eccleſias volumina ediderit,dam-
nans ſecundas nuptias, commemorans & prophetiam nouam per ſpiritum ſan-
ctum in alios quàm in apoſtolos miſſam: multa tamen priuſquam ſic delapſus eſ- B
ſet, volumina ſcripſit, ex quibus ſimul & ex alijs facile eſt conſiderare antiquum
eccleſiæ morem ſuper his rebus, quas iam ſchiſmata inter eccleſiæ membra fa-
cientes moliuntur contemnere. Vnde in libro quarto aduerſus Marcionem:
Chriſtus qui deſiderauit deſiderio edere Paſcha, acceptum panem & diſtributum
diſcipulis, corpus ſuum fecit illum, dicendo: Hoc eſt corpus meum, id eſt figura
corporis mei. Figura autem non ſuiſſet,niſi veritatis eſſet corpus,vacuitas quæ eſt
phantaſma figuram capere non poteſt, aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit,
quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Vetus iſta
fuit figura corporis Chriſti, dicentis per Hieremiam: Aduerſus me cogitauerunt
Hier. 11.d cogitatum,dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, hoc eſt, faciamus li-
gnum crucis in corpus eius, & eradamus eum de terra. Vinum inſuper vetus fuit
figura ſanguinis Chriſti. Lauabit, inquit patriarcha, in vino ſtolam ſuam, & in
Gene. 49.b ſanguine vuæ pallium ſuum, hoc eſt, carnem ſuam lauabit in ſanguine, qui nunc C
ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, tunc vinum in ſanguine figurauit.

Ex hiſce Tertulliani ſententijs patet corpus Chriſti eſſe ſub ſpecie panis, &
ſanguinem eſſe conſecratum ſub ſpecie vini. Quòd ſi obieceris Tertullianum
ſenſiſſe in ſacrificio altaris eſſe non verum corpus Chriſti, ſed figuram corporis
eius, pro eo quòd ipſe ibidem verbum Chriſti dicentis, Hoc eſt corpus meum,
interpretatur, id eſt figura corporis mei. Reſpondeo: Ex his quæ & præmittun-
tur & ſequuntur,ſatis patet mens illius. Nam præmittendo dixit, quòd ipſe Chri-
ſtus acceptum panem,& diſtributum diſcipulis, corpus ſuum fecit,dicendo: Hoc
eſt corpus meum. In ſequentibus dicit,quòd hoc non ſic eſt figura corporis, vt ſit
vacuum veritate, ſed quòd ſit figura veri corporis, quod pro nobis tradetur, &
quòd ipſe Chriſtus in vino conſecrauit ſanguinem ſuum. Quòd ſi cuiquam vi- D
deatur hoc in loco obſcurum eſſe ſermonem Tertulliani, & ex eo etiam poſſe con
trariam ſententiam defendi,is audiat eum alio in loco expreſſius loquentem. In li-
bro ſecundo ad vxorem, de muliere loquens quæ gentili nupta ſit, planè indicat
alium hunc panem eſſe, quàm gentiles credunt: Non ſciet, inquit, maritus quid
ſecreto ante omnem cibum guſtes,& ſi ſcierit,panem non illum credit eſſe qui di-
citur. Item in libro de corona militis,de ſacramentis ſic loquitur: Aquam baptiſ-
Ritus baptiſmi. matis adituri, aliquanto prius ſub antiſtitis manum conteſtamur nos renuncia-
re diabolo & pompis & angelis eius: dehinc ter immergimur, nihil amplius re-
ſpondentes, quàm quod Dominus in Euangelio determinauit. Et paucis interpo-
ſitis addit: Euchariſtiæ ſacramentum, & in tempore victus, & omnibus manda-
tum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præſi-
dentium accipimus, oblationes pro defunctis, pro natalicijs annua die facimus.
Die dominico ieiunium nephas ducimus,vel geniculis adorare. Eadem immuni-
tate à die Paſchæ, vſque in Penthecoſten gaudemus, calicis etiam aut panis no-
ſtri ali-

A ſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem aditum & exitum,ad veſtitum,ad calceatum,ad menſas, ad cubilia frontem ſignaculo terimus. Et obijci-
entibus hæreticis,quonam ſcripturę loco hæc monſtrentur: reſpondet,iſtarum &
aliarum diſciplinarum ſi expoſtulas legem, nulla legis traditio tibi prætendetur.
Auctrix eſt conſuetudo,confirmatrix eſt, & fidei obſeruatrix conſuetudo, idonea
eſt teſtis traditionis veteris. Antiquas obſeruationes eccleſiæ ſi nulla ſcriptura de-
terminauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione mana-
uit. Hactenus ille. Item in libro de præſcriptionibus hæreticorum tradit apoſto-
los Petrum & Paulum ſuo ſanguine fundaſſe totam Romanæ eccleſiæ doctrinam,
& illic Petrum dominicæ paſſioni, Paulum verò in exitu Iohannis baptiſtæ adæ-
quari, hoc eſt, Petrum eſſe crucifixum, Paulum autem capite truncatum, & Ioan-
B nem apoſtolum in oleo merſum nihil mali ſenſiſſe. Item in libro contra Praxeam
docet,patrem,filium,& ſpiritum ſanctum,tres eſſe vnum Deum: nec tamen patrē Duplex pœ-
eſſe qui filius eſt: nec patrem, ſed filium eſſe paſſum. Item in libro de pœniten- nitentia.
tia,docet eſſe geminam pœnitentiam: vnam,quam vocat primā,ſecundùm quam
pœnitent baptizandi.alteram,quam vocat ſecundam,oſtendens ex libro Apoca-
lypſis,& ex parabola de filio prodigo, Deum ignoſcere pœnitentibus, & hanc o-
ſtendi actu aliquo, quæ vocatur exomologeſis, id eſt, confeſſio, quæ eſt diſciplina
hominis proſternendi & humiliandi ſe in cinere & cilicio,in ieiunijs ingemiſcere,
lachrymari, dies ac noctes ſuſpirare Dominum Deum, presbyteris aduolui, al-
taribus Dei adgeniculari, vt temporali afflictione æterna ſupplicia expugnet.
Poſt multa tandem concludens: Igitur cùm ſcias aduerſus gehennam, poſt prima
illa intinctionis dominicæ monumenta adhuc eſſe in confeſſione peccati ſecun-
da ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? cur ceſſas aggredi quod ſcias mederi tibi?
C Hæc ille. Quonam autem pacto ſit accipiendum, quòd dicit hanc pœnitentiam
tantùm ſemel admittendam, & amplius nunquàm, alibi docuimus eſſe de ſolen-
ni pœnitentia intelligendum: quàmuis enim eis in eccleſia locus humillimæ pœ-
nitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliuiſcitur,
quemadmodum docet Auguſt. in epiſtola ad Macedonium. Item ſacrificium eſſe
apud Chriſtianos, & id quidem fieri pro imperatore ac alijs, vnum, planè indi-
cat,cùm dicit: Sacrificamus pro ſalute imperatoris,ſed Deo noſtro & ipſius, & id
quidem pura prece, quæ ſcilicet fit in ſacrificio altaris. de qua oblatione alibi di-
cit: Non permittitur mulieri in eccleſia loqui, nec tangere, nec offerre: non ve-
tuit mulieribus ne offerrent Deo preces, aut ſacrificium contriti cordis, ſed ne of-
ferrent ſic vt miniſtri offerunt, altaris videlicet ſacrificium. Sunt & apud Tertul-
lianum alia multa antiquitatis documenta, quæ breuitatis gratia præterimus:
D nunc ſaltem ex eiuſdem ſententijs ſuprà dictis colligimus, iam ante annos mille
& trecentos ritum fuiſſe baptizandi ſub renunciatione ſatanæ, & ſub atteſtatio-
ne fidei, & terna merſione, & euchariſtiam eſſe ſacrificium, & quòd eam ſumi-
mus de manu ſolius ſacerdotis, & quòd ipſe non eſt talis panis, qualem eum
æſtimant gentiles, ſed eſt corpus Chriſti, & orandum eſſe pro defunctis, & feſti-
uitates diei dominicæ, & Penthecoſtes ac Paſchæ celebrandas, & conſuetudinem
vniuerſalem venire ex apoſtolica traditione, eamque eſſe fidei cuſtodiam, & pur-
gatorium eſſe. Vnde & in libro de Monogamia dicitur: Enimuerò pro anima e-
ius orat, & refrigerium interim poſtulat, & offert annuis diebus dormitionis
eius. Et poſt baptiſmum eſſe pœnitentiæ remedium, per actum confeſſionis:
Et Petrum Romæ crucifixum, Paulum capite truncatum, & eos illic fundaſſe ec-
cleſiam. Origenis doctrinam non oportet aſſumere ad comprobandum poſt
hanc vitam eſſe purgatorium, cùm ipſe planè tradiderit omnem afflictionem,
etiam poſt hanc vitam eſſe medicinalē, & ad purgationem proficere animarum,
omneſq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnesq; damnatos spiritus, tandem per Dei misericordiam esse saluandos. Prætermittamus igitur sententias Origenis de purgatorio, & alias ex eo accipiamus antiquitates fidei nostræ. In lib. primo super Iob, citans verbum Apostoli, dicit: Probet seipsum homo, hoc est, mũdet seipsum, & ita de sanctissimis Domini sacrificijs fruatur. Sic & Iob pridem faciens, mundabat primùm filios, & ita demum hostias offerebat. Vides Origenem appellare venerabilem eucharistiam sanctissimum sacrificium. Sed & alia multa habemus antiquitatis documenta ex eiusdem Origenis doctrina. Tractans illud Matthæi, Rachel plorans filos suos, &c. Bene, inquit, secundùm Dei voluntatem horum innocentium memoriam sancti patres celebrare mandauerunt sempiternam in ecclesijs, veluti pro Domino morientium, vt primorum martyrum pro Domino occisorum, vt ipsis parentibus intercessio filiorum apud Deum prodesset plurimùm. Hic primùm habes festiuitates antiquitus fuisse institutas, & orationes sanctorum defunctorum prodesse viuis. Deinde ipsius Origenis seculo, Christianorum ecclesia, fide plenissima credidit verum corpus Christi in sacramento altaris esse, magnaque reuerentia venerabatur illud, æstimans grande esse piaculum, si quid eucharistiæ in terram decideret, quod homilia super Exodum decimatertia: Volo, inquit, vos admonere religionis vestræ exemplis, nostis qui diuinis mysterijs interesse consueuistis, quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur: reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat: quòd si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela, & meritò vtimini, quomodo putatis minoris esse piaculi, neglexisse verbum Dei, quàm corpus eius? Item super epistolam ad Romanos: Secundùm typum, inquit, ecclesiæ traditum, omnes baptizati sumus in aquis istis visibilibus, & in Chrismate visibili. Alia multa possunt ex eiusdem libris colligi antiquitatis documenta, de ritu baptizandi, exorcizandi, inungendi oleo, confitendi peccata, de chrismate, de ieunijs, de quadragesima, de sacrificio missæ, de cœlibatu sacerdotum. Theophylactus super epistolam ad Hebræos, ante annos mille & centum sæpe explicat missæ sacrificium, illũd nunc offerri quotidie, quod semel oblatum est in cruce. Vnde & Leuita Laurentius ad beatum Sixtum iam properantem ad crucem, dixit: Quò progrederis sine filio pater? quò sacerdos sancte sine diacono properas? tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras.

Doctrina Origenis. 1. Cor. 11. g Matth. 2. c

Corp⁹ domini cum omni cautela seruandum.

Theophylacti doctrina.

Doctrina Cypriani.

Accedentes ad Cyprianum, qui circiter quinquaginta annos scripsit ante concilium Nicænum, eiusque libros diligenter euoluentes, poterimus considerare veteris ecclesiæ morem & statum ante mille ducentos & quinquaginta annos, in sacramentorum ritibus, talem fuisse, qualem in hodiernum vsque diem seruat per vniuersum orbem Christianorum ecclesia, de baptismo, de infantibus baptizandis, de confirmatione, de pœnitentia, de sacramento ordinis, de eucharistia, de missæ sacrificio, de purgatorio, de cultu sanctorum martyrum defunctorum, de veneratione reliquiarum sanctorum, de primatu Romanæ ecclesiæ. Vnde in epistola ad Iubaianum, & in epistola ad Pompeium, baptismi & pœnitentiæ, & confirmationis sacramenta tradit, de quibus in superioribus patuit. Item libro secundo, epistola tertia, quæ est ad Cecilium, testatur sacerdotem sanctificantem panem & vinum, in corpus & sanguinem Christi Deo sacrificare, neque calicem cum aqua sine vino, nec rursus vinum sine aqua rectè posse offerri, & secundùm scripturam aquam significare populum, & Christo populum adunari, quando aqua cum vino in calice miscetur. Si vinum tantùm quis offerat, sanguis, inquit, Christi incipit esse sine nobis. Si verò aquam solam, plebs incipit esse sine Christo, & corpus Domini nostri non esse farinam solam, nec aquam solam, sed oportet vtrunq;

De sacramẽto baptismi, pœnitentiæ & cõfirmationis.

vtrunq; esse adunatum, & vnius panis compage solidatum. Et quàmuis aliter forsan per ignorantiam sit factum à quibusdam: nobis tamen, iam si aliter facimus, non posse ignosci, & quàmuis Christum oportuerit offerri circa diei vesperam, vt hora ipsa sacrificij ostenderet casum & vesperã mundi, nos tamen illud post cœnam celebrare non posse. Item epistola tertia libri ij. Non potest videri sanguis quo redempti sumus & viuificati, esse in calice quando vinum deficit in calice, quo Christi sanguis ostenditur. Vide & reliqua multa de corpore Christi per epistolam totam. Item epistola xij. libri primi docet aquam baptismi prius à sacerdote sanctificari, & baptizatum vngi chrismate seu oleo in altari sanctificato. In sermone de oratione dominica, meminit præfationis & aliorum quorundam quę seruantur in missa. Sacerdos ante orationem, præfatione inquit præmissa, parat fratrum mentes, dicendo: Sursum corda. dum respondet populus: Habemus ad Dominum. admonetur nihil aliud quàm Dominum cogitare debere. Ignis purgatorij ex Cypriani doctrina ostenditur multis in locis. Primùm ex epistola ad Antonianum: postquam docuerat ecclesiam adulteris & mœchis concedere pœnitentiæ tempus, subdit, aliud esse ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire: aliud missum in carcerem non exire donec soluat nouissimum quadrantem, aliud statim accipere fidei atq; virtutis mercedem: aliud in die iudicij pendere ad sententiam iudicis, aliud statim à Domino coronari. In eadem epistola adulteris, mœchis, & lapsis agentibus pœnitentiam, & dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentatione testantibus, pacem esse dandam, probat ex Apocalyp. Ioannis, dicentis: Memento vnde excideris, & age pœnitentiam. Et ex euangelio: Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente. Et ex Iohelis secundo. Reuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu & planctu. & ex Apostolo, ij. ad Corint. xij. Deinde in epistola nona libri primi dicit: Iam pridem in concilio episcoporum statutum est, ne quis de clericis & de ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, causam subijciens: quia singuli diuino sacerdotio honorati, & cuncti in clericali ministerio constituti, non nisi altari & sacrificijs deseruire, precibusque & orationibus vacare debent. Scriptum est enim: Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus. Quod cùm de omnibus, inquit, dictum sit, quanto magis de his, qui diuinis rebus & spiritualibus debent esse occupati, vt sunt episcopi & sacerdotes: cuius ordinationis formam prius in lege tenuerunt Leuitæ, qui altaribus ministerijsque diuinis vacantes, alijsque terram colentibus decimas percipiebant, vt in nulla re auocarentur, nec cogitare aut agere secularia cogerentur. Quòd episcopi antecessores, inquit, nostri religiose considerantes statuerunt salubriter, ne quis frater excedens de seculo, ad tutelam vel curam clericum nominaret, quia si quis hoc fecerit, non offeratur pro illo, nec sacrificium pro dormitione eius celebretur, neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui sacerdotem ab altari voluerit auocare. Et ideo Victor cùm contra formam nuper a sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum, ausus sit actorem constituere, non est quo pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua in ecclesia eius nomine frequentetur, vt sacerdotum decretum religiose & necessitate factum seruetur à nobis, simul & cæteris fratribus detur exemplum ne quis sacerdotes Dei ad seculares molestias deuocet. Hactenus Cyprianus. Hic habes veteris ecclesiæ mores, Cypriani seculis, videlicet & in episcoporum concilijs facta esse & noua decreta & suffragia pro defunctis in sacerdotum prece, & in missa offerri sacrificium pro defunctis. Item libro tertio epistola sexta, docet commemorationes sanctorum celebrandas, mandans presbyteris & diaconis dies quorundam morientiũ pro Christo, adnotare: vt commemorationes eorum, inquit, inter memorias sanctorum marty-

Aqua baptismi debet ante ipsum sanctificari, & baptizatus chrismate vngi.

De purgatorio.

Apoc. 2. a
Luc. 15. b

Cypriani tempore nullus sacerdos poterat fieri tutor, aut executor testamenti.

2. Timo. 2. a

Memorię martyrum celebrãtur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

martyrum celebrare possimus. Celebrantur apud nos, inquit, oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum. Item in epistola ad Fidem fratrem, docet infantes ante octauum diem posse baptizari, quàmuis apud Iudæos octauus dies pro circuncisione obseruetur, docet & lapsis pœnitentibus pacem non esse dandam ante legitimum tempus satisfactionis, nisi vrgente infirmitate aut alia necessitate: pacem tamen quomodocunque à sacerdote semel datam, non esse auferendam. Et in epistola ad Cornelium docet hæreticorum crimina omnibus esse publicanda, vt tanquàm pestis omnibus innotescãt. In sermone quinto de lapsu recitat miracula super indigna tractatione sacrosanctæ eucharistiæ, asserens etiam suo tempore peccatores confiteri apud sacerdotem peccata occulta cogitatione sola siue interiori consensu concepta, & apud Deum gratam esse satisfactionem, & grauiora peccata grauioribus lamentis diluenda, & accessurum ad sacrosanctam eucharistiam debere discutere conscientiam suam, vt accedat mundus & impollutus. Insuper in omnibus passim epistolis, & in ea præsertim quæ nunc est quarta, libro quarto, nos admonet vt ad placandum Deum non voce sola, sed & ieiunijs & lachrymis, & omni genere deprecationis ingemiscamus. Item in libro ad Quirinum probat credendum vel non credendum libertatem esse in arbitrio positam, per verbum Deuteron. xxx. Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem. Et per verbum Isaiæ: *Si* volueritis & audieritis me, & per verbum Christi: Regnum Dei intra vos est. Probat & ibidem vota esse seruanda tam ex nouo quàm ex veteri testamento: Quod quis Deo vouerit, citò, inquit, reddendum. apud Salomonem: Pro vt voueris votum Domino, ne moram feceris illud reddere. In Deuter. *Si* voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere. Item in Psalmo: Redde altissimo vota tua. De hoc ipso in Actibus Apostolorum: Cur tentauit satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto, cùm esset fundus in tua potestate? non hominibus mentitus es, sed Deo. Hæc ille. Et ibidem ex Paulo Apostolo pri. ad Corinth. vij. & ex alijs scripturis commendat bonum virginitatis & continentiæ. In tractatu de habitu virginum: Virgines, inquit, quæ se Christo dedicauerunt, & tam carne quàm mente se Deo deuouerunt, quæ se castrauerunt propter regnum Dei, si virgines esse desinant, non mariti sed Christi adulteræ sunt. Prima sententia, crescere & generare præcepit: secunda, ad continentiam suasit. Cùm adhuc rudis mundus & inanis est, crescimus ad humani generis augmentũ: cùm iam refertus est orbis, quæ capere possunt continentiam, spadonum more viuentes, castrantur ad regnum Christi, cùm habitationes multas apud patrem esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat: quæ si petitis, carnis desideria castrantes, maioris gratiæ præmium in cœlestibus obtinetis. Hæc Cyprianus. Ex cuius sententia patet continentibus maiora esse in cœlis præmia. quàm matrimonio iunctis. Item epistola xj. libri primi: Si de virginibus talibus aliqua deprehendatur corrupta, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est. Et ideo iusto tempore æstimato, postea exomologesi, id est confessione facta, ad ecclesiam redeat: quòd si obstinata perseueret, nec se à masculo separet, sciat se cum hac impudica obstinatione nunquàm à nobis in ecclesiam admitti posse, ne exemplum cæteris ad ruinam delictis suis facere incipiat. Nec putet sibi vitæ aut salutis constare rationem, si episcopis & sacerdotibus obtemperare noluerit. Quod autem idem dicit Cyprianus de eisdem virginibus: *Si* autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quàm in ignem delicijs suis cadant, continuò adiecit: Certè nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Videtur in hac epistola Cyprianus loqui non de monialibus, quales nunc professione solenniter vouent, sed de virginibus, quæ semel statum suum continenter & firmiter tenere decreuerunt, quemadmodum dicitur in prin-

Lucæ 17. Eccles. 5. a Deut. 23. d Psal. 49. c Act. 5. a

in principio eiusdé epistolæ. Ex hisce Cypriani sententijs consideramus ante mille annos & ducentos sanctos martyres honorari, & pro defunctis supplicationes fieri, & in missæ oblatione esse sacrificium, & in sacrificio missæ oportere aquam misceri vino, & hoc sacrificium per sacerdotem ex pane & vino consecratum, esse corpus & sanguinem Christi, & sanguinem, quo redempti sumus, esse in calice: & hoc sacrificium non posse celebrari post cœnam, sed ieiuno stomacho, & vota esse Deo soluenda, & virgines Deo dicatas, si desinant esse virgines, esse Christi adulteras, & Romanam ecclesiam habere primatum super cæteras ecclesias. Sunt & alia multa antiquitatis ecclesiæ documenta, ex Cypriano de distinctione sacramentorum, baptismi, confirmationis, & ordinis, & de distinctione ordinum, acolithi, diaconatus, presbyterij, & episcopatus, & publicè pœnitentem esse reconciliandum per ecclesiæ episcopum, & quòd clerus Romanus, vacante sede episcopali, suspendat absolutiones seu reconciliationes, ac donationes pacis super lapsos pœnitentes, & q. Cyprianus in Aphrica obediebat decretis Romani pontificis, & quòd episcopus Romanus est catholicæ, id est, totius vniuersalis ecclesiæ episcopus, & quòd soli sacerdotes habeant facultatem celebrandi diuina officia, & dandi lapsis pœnitentibus reconciliationem & pacem, & quòd non solùm qui fidem negant, aut idololatriam fecerunt, sed & adulteri atque periuri reconciliantur per ecclesiæ pontifices, facientes exomologesin, id est, confessionem & satisfactionem. Vnde & Nicænum concilium omnium celeberrimum, celebratum iam ante annos mille & ducentos, statuit vt diaconi secundùm ordinem post presbyteros accipiant sacrosanctam communionem, vel ab episcopo, vel à presbytero, addens neque regulam vllam, neque consuetudinem tradidisse, vt diaconi, qui offerendi sacrificij potestatem non habent, porrigant corpus Christi presbyteris, qui ipsius sacrificij offerendi potestatem habent. Insuper de morituris statuit antiquæ legis regulam obseruari, vt si quis fortè ex corpore decessurus sit, necessariò vitæ suæ viatico non priuetur. Reliquum est iam videre de antiquitatibus & legibus ecclesiæ, Magni Basilij temporibus. In libro de sancto spiritu, capite xxix. affirmat apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo (inquit) vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis traditiones obtinetis, siue per sermonem, siue per epistolam: & citat patres aliquos, Irenæum, Clementem Romanum, & Alexandrinum, Dionysium, & Eusebium Palestinum, Origenem, Gregorium Magnum. Idem in libro eodem, capite xxvij. sic loquitur: Dogmata, quæ in ecclesia prædicantur. quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec in his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanq̃ haud multum habentes momenti conemur reijcere imprudentes, & ea dãnabimus, quæ in euangelio necessaria ad salutẽ habẽtur, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudũ nomẽ cõtrahemus. Quod genus est, vt eius quod primum est & vulgatissimũ primo loco cõmemorẽ, vt signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Vt ad orientem versi precemur, quæ nos docuit scriptura? Inuocationis verba, cùm ostenditur panis eucharistiæ & poculum benedictionis, quis sanctorum in scripturis nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut euangelium. Verùm & alia quoque & antè, & pòst dicimus, tanq̃ multum habẽtia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquã baptismatis & oleum vnctionis, præterea ipsum, qui baptismum accipit, ex quibus scripturis? nunquid à tacita secretaque traditione? Ipsam porrò

Non post cœnam, sed stomacho ieiuno celebrandum.

Doctrina Nicæni concilii. Canon. 18.

Canon 13.

Doctrina Basilii.

2. Thess. 2. c

Universidad de Deusto
Biblioteca
PARS V.

olei inũctionẽ,quis sermo scripto proditus docuit? Iam ter immergi homines vnde traditum? reliqua item,quæ fiunt in baptismo,veluti renunciare satanæ & angelis eius, ex qua scriptura habemus? nónne ex priuata & arcana hac traditione? nonne ex doctrina, quã patres nostri in silentio, quòd curiosos & ociosos submouet,seruarũt? Pulchrè quidẽ illi,nimirũ docti arcanorũ venerationẽ silentio conseruari. Nã quæ nec intueri fas est non initiatis,qui cõueniebat horũ doctrinã publicitus circũferri scripto? aut quid tãdẽ sibi voluit magnus ille Moyses,qui nõ omnia, quæ erant in tẽplo passus sit omnibus esse peruia, sed prophanos extra sacros cancellos statuit, priora atria purioribus permittens, Leuitas solos dignos censuit numinis ministerio,mactationes aũt & holocaustomatũ oblationes, reliquũque ministerium sacerdotibus assignauit,atq; vnum ex omnibus selectũ in adyta recepit,ac ne id quidẽ semper, sed vno tantùm die quotannis, rursus & huius diei certã horã, qua fas esset ingredi præstituit, quo propter nouitatẽ & inconsuetudinẽ cũ stupore intuerentur sancta sanctorum,probè sciens pro sua sapientia res vsu tritas,& vndecunq; parabiles expositas esse cõtemptui. Cæterùm ei, quod sepositum est,quodq; ratum est,huic natura coniunctũ esse summã admirationẽ ac studiũ. Ad eundẽ profectò modũ & qui in primordijs ecclesiæ certos ritus præscripserũt, apostoli & patres in occulto silentioq; mysterijs suã seruauere dignitatem. Neque enim omnino mysteriũ est,quod ad populares aut vulgares aures effertur. Hæc est ratio,cur quædã citra scriptũ sunt tradita,ne dogmatũ cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in cõtemptum. Aliud autẽ est dogma,aliud edictum: nã dogmata silentur, edicta publicantur. Est autẽ species silentij etiam obscuritas, qua vtitur scriptura,mentẽ ad cõtemplationem dogmatum inhabilem exercens, idq; ad vtilitatem versantium in scripturis. Hactenus Basilius, qui & multas illic alias tradit antiquitatum obseruationes, citra scriptum ab apostolorũ temporibus custoditas,tandem concludens: Deficiet,inquit,me dies, si ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere. Item Athanasius lib. quæstionum ad Antiochum principẽ,quæst.xxxiiij. docet sanctorũ animas sentire beneficia,cùm super illis fiunt conuentus & peractiones bonorum operum & oblationum. Nam si non aliquo, inquit, beneficio participarent ex illo,nõ fieret vtique in cura & in exequijs commemoratio. Item & in libro de vita solitaria demonstrat vota perpetuæ castitatis seu continentiæ seruanda esse, & Ananiam non inuenisse pœnitentiæ locum, quia in voto facto de sua possessione non perseuerauit. Videamus iam obseruationes ecclesiasticas ex Hieronymi libris. Hieronymus ad Hedibiam quæst.ij. Nos autem audiamus panem, quẽ fregit Dominus,deditq; discipulis suis,esse corpus Domini saluatoris,ipso dicente: Hoc est corpus meum, accipite & comedite. Et calicem illum esse, de quo iterum locutus est: Hic est sanguis meus,calix de quo Propheta: Calicem salutaris accipiam, calix præclarus & inebrians. Non Moyses dedit vobis panem verum,sed Dominus Iesus, ipse conuiua & conuiuium,ipse comedens & qui comeditur, illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus, & quotidie in sacrificijs eius de genimine vitis veræ & vineæ sorec, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus, & nouum ex his vinum bibimus de regno patris, nequaquam in vetustate literæ, sed in nouitate spiritus cantãtes canticũ nouum,quod nemo potest canere, nisi in regno ecclesiæ,quod est regnum patris. Hunc panem & Iacob patriarcha comedere cupiebat, dicens: Si fuerit Dominus Deus mecũ,& dederit mihi panẽ ad vescẽdum,& vestimẽtum ad operiendũ,desiderãs indutũ habere Dominũ Iesum Christum: quotquot enim in Christo baptizamur,Christum induimus. Item in epistola contra Vigilantium: Romanus pontifex offert Domino sacrificia super mortuorũ hominũ Petri & Pauli ossa veneranda, & tumulos eorum arbitratur altaria Christi.

Cap.vltimo.

Hieronymi doctrina.

Pſal.115.22.

Gen.28.d Galat.3 d Rom.pontifex offert super ossibus Petri & Pauli.

Christi. Constantinus imperator sanctas reliquias Andræe, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam cõfitentur. Vide reliqua in epistola, & planè disces Constantini seculis sanctorum martyrum reliquias venerari, & opertas precioso velamine custodiri in vniuersis ecclesijs, & portari ab episcopo, populis conuentum & processionẽ facientibus. Item sanctos orare pro nobis precantibus,vigilias quoq; & pernoctationes in basilicis sanctorum martyrũ celebrare,neque abusum iuuenũ & vilissimarũ mulierum esse religiosis hominibus imputandũ. Contrà, Vigilantius hæc oĩa contẽnebat,quamobrem reiectus est tanq; hæreticus. Habuit autẽ ipse sua quædã argumẽta: Ritus,inquit, gentilũ est sub prætextu religionis introductus in ecclesijs sole fulgente moles cereorũ accẽdere, & puluerẽ in precioso vasculo, precioso linteamine circundatum, osculando adorare,& æstimare inde honorẽ petere sanctis martyribus,tãquã nostro lumine illustrãdis, quos agnus in medio throni cũ omni fulgore maiestatis suæ illustrat, qũo animæ confident viuentes vel in sinu Abrahæ,vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei, quæ nõ possunt suis tumulis, vbi voluerũt,esse præsentes. Proinde dum viuimus, inquit,mutuò pro nobis orare possumus,postquã autẽ mortui fuerimus,nullius est oratio pro alio exaudienda, præsertim cũ martyres vltionẽ sui sanguinis obsecrãtes impetrare nequeunt. Huiusce modi argumenta reijciẽs Hiero,soluit: Quis,inquit,martyres vnq; adorauit,aut martyrũ ossa? Nõ omnis,qui colit aut veneratur aliquid mox illud adorat: veneramur martyrũ reliquias,nõ adoramus. Si Sacrilegi sunt qui venerantur illa,ergo sacrilegus fuit Constantinus imperator, ergo oẽs ecclesiarum episcopi nõ solũ sacrilegi,sed & fatui,qui reliquias in serico & vase aureo portauẽre. Addit præterea Hiero. sanctorũ martyrũ animas nõ tanquã in vinculis vsque in diẽ iudicij teneri in locis vllis inclusos & custoditos,sed eos cũ Domino semper esse, de quibus & scriptum est: Sequuntur agnum quocunq; ierit. Si agnus vbiq; est, & hi qui cum agno sunt vbiq; esse credendi sunt: & cùm diaboli & dæmones toto vagẽtur in orbe,& celeritate nimia præsentes sint,qũo martyres post effusionẽ sanguinis in arca inclusi tenebuntur, vt exire non possint? Deinde apostoli & martyres, si adhuc cùm essent in corpore constituti, potuerunt orare pro cæteris, quando adhuc pro se debebant esse soliciti, quanto magis orant pro alijs post coronas, post triumphos & victorias? Vnus Moyses sexcentis milibus armatorum impetrauit à Deo veniã. Stephanus imitator Domini sui, & primus martyr, pro persecutoribus veniam deprecabatur: quomodo minus valebunt iam cum Christo regnantes? Causabãtur olim Iudas & apostoli,quòd periret vnguẽtum perfusum in capite Domini, sed voce illius correpti sunt. Neq; Christus indigebat vnguento, neque martyres lumine cereorum, qui accenduntur nõ ad illuminandum martyres,non ad fugandas ab illis tenebras,sed vniuscuiusque deuotio recipitur à Deo,& sub typo luminis corporalis lux æterna ostenditur. Sic per totas orientis ecclesias, quando legitur euangelium, accenduntur luminaria, iam sole rutilante. Postremùm, neque oportet martyrum animas circumuolare suos cineres,aut semper esse præsentes vt audiant homines precantes, nam & absentes audire possunt,& cernere in Deo quæ ad se pertinent. Hæc Hieronymus. Vnde & contra hanc eandem hæresim, inquit Hierony. scripsit Tertul. vir eruditissimus insigne volumen. Item in commentarijs Isaiæ cap.lxv. quosdam habet tanquam hæreticos, qui contemnebant sanctorum martyrum basilicas, quales nuper, inquit, sub magistro cerebroso in Gallia pullularunt, qui basilicas martyrum declinantes, nos qui ibi orationes ex more celebramus, quasi immundos fugiunt. Super Ezechielem quoq; cap. xliij. de voto sic loquitur: Nazaræi sponte offerunt,& quicunque aliquid vouerit, & non impleuerit, voti reus est.

Reliquiæ ab episcopis portantur.

Apocaly.14.a

Exod.32.e

Actuum 7.g

Matth.26.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS. V.

2.Timo.5.b

Vnde & de viduis dicitur: Cùm luxuriatæ fuerint,in Christo nubere volunt, habentes damnationẽ quia primam fidem irritam fecerunt:melius est enim nõ promittere,q̃ promittere,& non facere. Et ne quis arbitretur votum perpetuæ continentiæ esse illicitũ, lib.1.aduersus Iouinianũ interpretans illud verbũ Apostoli:Si nupserit virgo,non peccat: nõ illa virgo,inquit,accipienda est quæ semet Dei cultui dedicauit, harum enim si qua nupserit habet damnationẽ,quia primam fidem irritã fecit:virgines,quæ post consecrationẽ nupserint, non tam adulteræ sunt,q̃ incœstæ.Quòd symbolum fidei sit ab apostolis æditum, patet ex epistola eius ad Pammachium: Symbolum fidei spei nostræ ab apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus,in quo post confessionem trinitatis, & vnitatem ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione includitur.Sunt & alia multa apud Hieronymum documenta super ritibus & obseruationibus,quæ nunc custodiuntur in ecclesia secundùm antiquum ecclesiæ morem, veluti de cœlibatu episcoporum & sacerdotum,custodito à temporibus apostolorum, & de votis perpetuæ castitatis, in libro contra Iouinianum,de quibus & latiùs, omnes difficultates & hæreticorum argumenta dissoluuntur in libro de Christiana libertate. Deinde Ambrosius iam mortuus, priusquàm Augustinus in Pelagium scriberet, in quæstionem vertere non dubitauit, imitatus antiquum ecclesiæ morem de sacramentis ecclesiæ,de sacrificio missæ, de eucharistia, de cultu sanctorum martyrum,de purgatorio, & de suffragijs viuorum pro defunctis, de cœlibatu sacerdotum, de votis monasticis Quid de cultu sanctorum senserit, licet considerare ex libro de viduis, tractans illud Lucæ iiij.cũ socrus Simonis febribus magnis cruciaretur,Petrus & Andreas rogauerunt pro illa: Habes proximos, inquit, qui Deo pro te supplicent: habes apostolos proximos, habes martyres proximos, ti ipsa martyribus deuotionis societate, misericordiæ quoque muneribus appropinques.Petrus & Andreas tunc sancti cùm viuerent, poterant rogare pro viduis, nunc omnia possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Obsecrandi sunt angeli, qui possunt pro peccatis nostris orare, sunt præsules & speculatores vitæ nostræ, actuum quoque nostrorũ: non erubescamus illos adhibere intercessores nostræ infirmitatis, qui infirmitatem corporis dum viuerent cognouerunt.Hactenus ille. Deinde suffragia viuorum prodesse defunctis, docet lib.ij. epistolarum, in epistola ad Faustinum contristatum propter germanæ obitum: Ego eam (inquit) non tam deplorandam, quàm orationibus prosequendam reor, non mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror. Rursus in oratione de exitu vitæ, & virtutibus Theodosij imperatoris, ipse Ambrosius orat pro ipso Theodosio iam defuncto: Tu Domine, inquit, da perfecto seruo tuo Theodosio requiem, quam præparasti sanctis tuis, vt illò cõuertatur anima eius, vnde descenderat. Dilexi eum, & idcirco prosequor eum vsque ad regionem viuorum: nec deseram, donec fletu precibusque inducam virum, quo illum sua merita vocant in montem Domini, Ambrosius pro defunctis animabus orauit, credidit igitur locum esse purgatorij. In sermone de mysterijs ad Neophytos multis sermonibus inculcat & ingerit veram Christi carnem esse, quam sub forma panis opertam accipimus, & verum sanguinem eius esse, quem sub specie vini bibimus, & sibimetipsi opponens, fortè dicas, (inquit) aliud video, quomodo tu mihi asseris,q̃ Christi corpus accipiam? Respondet: Quantis, inquit, vtimur exemplis ad probandum corpus hoc non esse id,quod natura formauit,sed quod benedictio cõsecrauit,maioremq; esse vim benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur? Virgam tenebat Moyses, quæ proiecta in terram facta est serpens, quæ rursus in virgæ naturam vertitur, aquarum

Virgines cõsecratæ si nupserint,fiunt adulteræ & incœstæ.

Symbolum fidei ab apostolo traditum.

Ambrosij doctrina,

Orant pro nobis sancti. Lucæ.4.f

Lib.2.epist.8. Orandũ pro defunctis.

Lib.5.epist.34

Lib.4.de sacra.cap.4.5.

Exod.4.a

A

B

C

D

A aquarum flumina in sanguinem. Si tãtùm valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicis de ipsa consecratione diuina vbi ipsa verba Domini saluatoris operantur? Non erat corpus Christi ante consecrationem,sed post consecrationem tibi dico corpus Christi est. Ante verba Christi quòd offertur panis dicitur, vbi autem Christi verba deprompta fuerint, non iam panis, sed corpus Christi est,quẽadmodũ ipse dicit, Comedite & bibite ex eo omnes, hoc est enim corpus meũ. Ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus, vbi verba Christi operata fuerint,ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Sunt & alia diuersa antiquitatis documenta ex Ambrosio manifesta de baptismo, de exorcismo,de sacramẽto ordinis per manuũ episcopi impositionẽ, de distinctione ordinum,de cultu sanctorum martyrum. Ex doctrina Ioannis Chrysostomi, quondam ante mille

B & x.annos episcopi Constantinopolitani homilia. lib.super Matthæum, & super euangelium Matth.de cœna Domini,& super 9.cap.ad Hebræos, planè discimus Christum semel oblatum passibiliter in cruce,quotidie offerri seu sacrificari in altari,& idcirco quando videmus sacerdotis manũ nobis porrigere corpus Domini,oportere nos arbitrari nõ sacerdotis,sed Christi manũ ad nos porrigi.Item homilia 17.ad Heb. Hoc sacrificium nostrũ exemplar illius in cruce semel oblati ipsum semper offerimus,nec nunc quidem aliũ agnum,crastino die alium,sed semper idipsum:nec quia in multis locis offertur, multi sunt Christi, sed vnus, vbiq;, & hic plenus existẽs.Præterea in homilia. lx.sumentibus indignè sancta mysteria, docet Christum per res sensibiles donare nobis res intelligibiles,per sensibilẽ baptismum fieri intus intelligibilẽ regenerationẽ ac renouationẽ, & in eo quòd dicit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, dare nobis semetipsum, & oportere nos credere illi, licet cogitationibus & oculis nostris aduersari videatur.Ei autem qui dicit, vellem ipsius formam videre,figuram, vestimenta, calciamenta, respondet. Ecce eum vides,ipsum tangis,ipsum manducas. Et homilia sequente manifestissimas habes de hac re sententias.Item in oratione de beato Philogenio, dicit mensam dominicam explere vicem præsepis. nam & in hac ponitur corpus dominicum, non quidem fascijs inuolutum, sed vndique spiritu sancto conuestitum. Item homilia lxxxiiij. super Iohannem.Eam moriẽtium curam habeamus quæ & nobis & illis conferat ad gloriam Dei, largas pro his eleemosynas faciamus, mittamus eis pulcherrima viatica. De quadragesima, & hebdomada sancta ante Pascha, habes veterem ecclesiæ morem apud Chrysostomum homilia xxix.super Genesim. Ecce tandem ad finem, inquit, sanctæ quadragesimæ venimus, & ieiunij nauigationem perfecimus, verùm non ideo negligentes simus, sed hac de causa iterum maius studium, maioremque vigilan-

D tiam exhibeamus,& infrà. Quemadmodum naucleri,athletæ,& cursores,vbi ad finem veniunt, magis enituntur & vigilant, eodem modo & nos facere oportet,quia in magnam, inquit, hanc hebdomadam peruenimus, Dei gratia, nunc maximè & ieiunij cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque est diligentius pura peccatorum confessio. Magnam vocamus hebdomadam, non quòd plures horæ in ea sint, neque quòd plures dies habeat, sed quia magna quædam & ineffabilia contigerunt nobis in ea. In ea enim solutum est bellum diutinum, extincta mors, maledictio interempta, diaboli tyrannis dissoluta, vasa eius direpta, Deus hominibus reconciliatus, cœlum penetrabile factum, spes sublata, fenestra remota. Deus pacifica facit omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris, & hac de causa magnam hebdomadam vocamus, quia tantam nobis donorum multitudinem in ea largitus est Dominus. Et idcirco fideles populi & ieiunium intendunt,& vigilias, & pernoctationes sacras, & eleemosynas faciunt, vt hebdomadæ huic honorem habeant. Nam si Dominus talia bona in ea nobis

Doctrina Chrysosto.

Matt.26.a

Matt.26.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

donauit, quo modo non & nos debemus, quantũ possumus reuerentiã & honorẽ ostendere? Enimuero illum & reges ipsi declarãt, vt venerabiles illos dies habeãt, mandantes, vt omnibus sint induciæ & feriæ, qui ciuilibus funguntur negotijs, claudendo fores iudiciorum, & auferẽdo omnes litiũ & contentionũ species, quò magna tranquillitate & quiete liceat ad spiritualia rectè perficienda festinare: sed & aliam libertatem ostendunt, soluunt enim vinculis eos qui habitant in carcere, imitantes Dominũ suũ, qui hac septimana graui nos peccatorum carcere exoluit. En vides ante mille & ducẽtos annos antiquum ecclesiæ morem de obseruatione ieiunij quadragesimalis cum veneratione sanctæ hebdomadæ, & cõfessione pura & indultis, alijsq; multis, quæ in hodiernum vsq; diem sancta mater obseruat ecclesia. Item Homilia sexagesimaquinta super Genes. Paulus capite truncatus est, Petrus autem modo contrario, quàm Dominus est crucifixus. Augustini doctrina iã scripta ante annos cẽtum & mille, adeò est manifesta ex diuersis ipsius libris, vt non sit opus recitare loca, quibus pateat ecclesiam, quemadmodũ & tunc, obseruare veterem morem, antiquam fidei regulam, de baptismo paruulorum, de purgatorio, de cultu sanctorum martyrum, de suffragijs viuorum pro defunctis, de distinctione sacramentorum, de eucharistia, de sacrificio missæ, & id genus alijs multis antiquitatibus in hodiernum vsque diem, per vniuersam ecclesiam custoditum. In epistola ad Bonifacium, docet paruulos regenerari ex aqua & spiritu sancto, per officium voluntatis alienæ, & verum illis datur baptisma, etiam quàmuis parentes non ea fide vel opinione eos deferri iubeant, neque deferentes ea fide deferant, neque ministri baptizantes ea fide & intentione sacramentum dispensent, cùm sufficiat fides, id est fidei sacramentum, ad quod percipiendum offeruntur à tota ecclesia cui placet quòd offeruntur. Paruulus autem & si fidem non habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit. Proinde & sacramentum eius salubriter percipit. Hæc ille. Item ibidem de quotidiana immolatione Christi corporis: Semel immolatus est, inquit, Christus in semetipso, & tamen in sacramento non solùm per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur, nec mentitur sacerdos, qui interrogatus respondet eũ immolari. Hic iã si dixeris secundũ Augu. ibidẽ sacramẽta rerũ spiritualiũ plerunq; accipiũt nomina earũ rerũ, quarũ sunt sacramẽta: sic in altari, corpus Christi appellatur, quod est sacramentũ corporis Christi, & sanguis Christi, quòd est sacramentũ sanguinis eius, sicut paruulus dicitur habere fidem Christi in eo q̃ sacramentũ fidei habet. Respõdeo. Quàmuis interdũ sacramentũ corporis Christi appelletur corpus Christi, non tamen inde consequens esse sub ipso sacramento non esse verum corpus Christi. Vnde ipse August. homilia 33. Accesserunt Iudæi ad Christum vt crucifigerẽt, nos ad eũ accedamus, vt corpus & sanguinẽ eius accipiamus. Ipse dedit nobis manducare corpus, in quo tanta perpessus est, & bibere sanguinem, quem fudit. In sermone ad Neophytos, Hoc accipite in pane quod pependit in cruce, & hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. hom. psal. 98. Adorate scabellũ pedum eius, De carne Mariæ carnem Christus accepit, in ipsa carne hic ambulauit, ipsam carnẽ nobis manducandã ad salutẽ dedit, nemo illam carnẽ manducat, nisi prius adorauerit. Et paulò pòst, quãdo Dominus hoc commendans, de carne sua loquutus erat & dixerat: Nisi quis mãducauerit carnem meã, non habebit in se vitam æternã, scandalizati discipuli eius sunt quidã, septuaginta fermè, & dixerunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? & recesserunt ab eo. Durũ illis visum est, acceperũt enim illud stultè cogitantes carnaliter, quòd præcisurus esset particulas quasdam de corpore. Spiritualiter intelligite quod loquutus sum, Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illũ sanguinẽ quẽ fusuri sunt, qui me crucifigent. In his postremis

A

B

C

D

Augusti. doctrina.

Iohan. 6. f

Aug.

A Aug. verbis exultant hæretici, hic se vicisse gloriãtur, sed mirabili cæcitate fallũtur. Qui enim superiùs testatus erat q̃ carnẽ quã de virgine sumpsit, nobis ad manducandũ tribuit, quomodo huic tam præclarę sententię mox alia sententia potuit obuiare? Intelligant igitur Augustinũ docuisse Christũ dedisse nobis ad manducandũ ipsum verũ corpus, & quodã modo non ipsum, id est, non ipsum visibile, & carnaliter dentibus lacerandũ. Sic carnẽ manducare intellectũ nõ prodest quicq̃. Itẽ in lib. de cura pro mortuis agenda, cuius libri ipse meminit in retractationibus suis, recitat sententiam Paulini dicentis suo seculo fuisse consuetudinẽ ecclesię per vniuersum orbem orare pro defunctis. Per vniuersum orbem, inquit, ecclesia pro defunctis supplicare cõsueuit. Citat & Aug. ibidem ex lib. Machabæorũ oblatum fuisse sacrificiũ pro mortuis. Addit nõ paruã esse huius consuetudinis authoritatẽ,

B vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad altare fundũtur, locũ suũ habeat etiam cõmendatio mortuorum. Docet insuper sepulturis & exequijs honoranda esse defunctorum corpora, quibus vsus est spiritus sanctus ad omne opus bonum, quæ & in resurrectione futura sunt gloriosa, & pium esse morientibus, si desiderẽt sepulturas in basilica huius vel illius martyris, & secundũ quorundam fideliũ hominũ scripta defunctos sępe viuentibus apparuisse, aut dormientibus eis, aut vigilantibus, aut alibi quomodocunq; aliter se habentibus. In euangelio, Moyses qui mortuus est, cum Helia qui mortuus non est, legitur apparuisse Apostolis adhuc in carne viuentib⁹. Samuel etiam mortuus apud Ecclesiasticũ legitur prophetasse, & apparuisse Sauli. Ex quibus cõsequens est secundũ scripturas, quosdã ex mortuis interdũ missos esse ad viuos. Docet præterea q̃ animæ defunctorũ nõ intersunt viuentibus, neq; viuorũ rebus actibusq; cognoscendis adiuuandisq; miscẽtur. Nam si interessent malis nostris, mater mea, inquit Aug. nulla nocte me desereret. Proinde videtur dicere, eos nescire quid hic agitur, scilicet dũ agitur, sed illos vel audire ab eis qui hinc moriendo ad illos pergũt, vel spiritu reuelante, cognoscere ea quę necessariũ vel congruũ est scire illos. Item super Ioan. tract. 84. de oratione pro defunctis, de cultu sanctorũ martyrũ sic loquitur: Ad mensam Domini nõ sic sanctos martyres cõmemoramus quemadmodũ illos, qui in pace requiescunt, vt etiã pro eis oremus: sed magis vt orent ipsi pro nobis, vt eorum vestigijs inhæreamus. Deinde illud verbũ Apostoli: Saluus erit quasi per ignẽ, ipse interpretatur de purgatorio igne. Item in lib. de 8. Dulcitij quæstionib⁹, quæst. 2. docet defunctorũ ąas releuari pietate viuentiũ, dum pro ipsis vel sacrificiũ mediatoris offertur, vel eleemosynæ in ecclesia fiunt. Itẽ in epist. ad Aureliũ episcopũ affirmat oblationes pro spiritibus dormientium verè aliquid iuuare, & dies solennes celebrare in honorem ipsorũ martyrũ, & populum solere cõuenire ad sanctorũ corporũ sepulchra,

D ad loca sacra, & ad domos orationum, & solere in cœmiterijs fieri abusus, vt commessationes, ebrietates, quorũ malorũ tantam, inquit, fuisse suo seculo petulãtiam, vt arbitraretur ea non nisi cõcilij authoritate sanari posse. Item docet vtrunq; esse sacramentũ irreiterabile, & baptismũ videlicet & ordinationẽ, secundũ quam est ius dandi baptismum. & vtrumq; quadam consecratione homini dari. Istud cùm ordinatur, illud cùm baptizatur, & idcirco neutrum licet à catholico reiterare. Item alibi docet post baptismum relapsis necessarium esse sacramentũ pœnitẽtiæ per sacerdotis ministeriũ, in libro de pœnitẽtiæ medicina, cuius & meminit venerabilis Beda, distinguẽs triplex pœnitẽtiæ genus. Primum eorũ qui sunt baptizãdi Secundũ de minutis leuibusq; peccatis. Tertium de peccatis criminalib⁹ post baptismũ perpetratis contra decalogi præcepta, pro quibus diluẽdis oportet hoẽm accedere antistitẽ ecclesiæ. De quibus & Fabianus martyr: Qui post baptismũ crimina perpetrãt, de quib⁹ Apost. Qui talia agũt, regnũ Dei nõ possidebũt, valde cauendi sunt, & ad emendationẽ, si noluerint venire, compellendi. Quia in barathrũ

Sepulturis & exequijs honoranda esse sanctorum defunctorũ corpora

Mat. 9. a
Eccliast. 46. b
1. Reg. 28. b
Ex mortuis secundũ scripturas quidã redierunt.

Aug li. 2. c. 13. cõtra Parmenianum.

Pœnitentiæ triplex genus.

Galath. 5. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

dilabuntur,niſi illis ſacerdotali authoritate fuerit ſubuentum. In epiſt.ad Armenranum, & Paulinã planè affirmat ſeruãda eſſe vota perpetuæ cõtinentiæ,nec aliud licero ſacere,addens eum qui vouit, debere aggredi votũ ſuũ intrepidè, & ꝙ Deus ipſe adiuuabit,qui vota expetit,& ꝙ felix ſit neceſsitas,quæ ad meliora compellit. Itẽ in lib.de adulterinis coniugibus indiſſolubilitatẽ matrimonij ſimul & indiſſolubilitatem voti perpetuæ caſtitatis probat ex ſcripturis, docetq; baptiſmatis eandem & reconciliationis eſſe cauſam,ſi fortè pœnitentẽ finiendæ vitæ periculũ occupauerit,neq; turpis,neq; difficilis erit poſt perpetrata, atq; purgata adulteria reconciliatio,vbi per claues regni cœlorũ non dubitatur fieri remiſſio peccatorum. In 9.libro confeſſionũ meminit ſacrificij miſſæ,& in lib.10. de ciuitate Dei. In epiſtola ad Macedoniũ tractat de poteſtate principũ, qui gladiũ portant corporalẽ, & de poteſtate epiſcoporũ,qui virgã habent ſpiritualem, docens principum officium eſſe, metu legum coërcere improborũ audaciam, vt & quietiùs viuat piorũ innocentia, & metu gladij frænare improborũ voluntates, vt tandem fiant etiam ſanæ, & poteſtatem regis, ius gladij,vngulas carnificũ, arma militũ diſciplinamq; dominandi habere ſuos modos,ſuas cauſas, ſuas rationes & vtilitates,propter quas per Dei prouidentiam ſunt ordinata in republica,& epiſcoporũ officium eſſe diligere inimicos, orare pro perſequentibus, interuenire pro reis, quæ tamen epiſcoporum interceſſiones non ita fiunt vt contrariæ ſint aut humanis legibus,aut principum poteſtatibus,ſed vt ſint indicia Chriſtianæ manſuetudinis,vt per epiſcopos qui parcunt, veritas prædicata non ſolùm timeatur,verũ etiam diligatur,dum inquantum in ipſis eſt,cupiunt reos à temporali morte liberare,non ad hoc,vt liberati rurſus turbẽt plurimos,non vt illorum immunitate propoſita,cæterorũ malè viuentium foueatur audacia,ſed vt liberati,deinceps rectè viuant, & ipſi in ſe malum quod fecerunt impunitum eſſe non ſinant.Proinde nec epiſcopos pro reis intercedere,vt peccatis vel parcant,vel faueant. Nam qui pro homine reo apud iudicem ad hoc interuenit, nec adulterium cogatur deſerere, aut malè ablata reſtituere, & qui ad ſe confugientem talem reum, quantum honeſtè poteſt ad reſtituendum non cõpellit,ſocius eſt fraudis & criminis,quamobrem & epiſcoporũ officium eſt,etiam reos tales, ſi res magis curanda nõ impedit, cõmunione ſancti altaris priuare. Docet inſuper Aug.ibidẽ ſalubriter eſſe prouiſum,vt locus humilimæ
Damaſcenus. pœnitentiæ ſemel tantùm in eccleſia concedatur. Iohannes Damaſcenus theologus inſignis ante mille annos, proximus temporibus diui Auguſtini, qui Græcè edidit quatuor ſententiarum libros, in quibus omnes fermè ſacræ theologiæ difficultates & quæſtiones tractat, quas ex diuerſis patrum ſcripturis collegit in quatuor libris eximius ille theologus,quem appellamus Magiſtrum ſentẽtiarum.Hic Damaſcenus in primo libro tractat de patre, filio, & ſpiritu ſancto, vno incomprehenſibili Deo,& de trium harum perſonarũ diſtinctione ac ratione. In ſecundo autem de creatione mundi, & de angelis,& de dæmonibus, corporibusq; cœleſtibus ac elementis,de libero arbitrio,de Dei prouidentia,præſcientia,ac prædeſtinatione. In tertio, de filij Dei incarnatione,& de vnione duarum naturarum in Chriſto in vnitate perſonæ, & de duabus voluntatibus, creata videlicet & increata in ipſo, & de myſterijs paſſionis, mortis, reſurrectionis, deſcenſionis ad inferos, & aſcenſionis illius, & quòd beata virgo Maria ſit vera Deipara, id eſt, vera Dei genitrix. In quarto, de fide & Baptiſmate, de ſanctorum & reliquiarum honore, de veneratione imaginum, de ſanctis & incontaminatis Chriſti myſterijs creditis ac traditis à ſanctis patribus, ab exordio naſcentis eccleſiæ, quorum omnium rationes, prolixas difficultates, & quæſtiones contra hæreticos illuſtrauerunt recentiores ſacræ theologiæ tractatores, Altiſsiodorenſis diuus Thomas, Bonauentura, & cæteri poſteriores, quibus & hæretici ac infideles ſuis captioſis ar-

ſis argumentis,& curioſi homines ſuis quæſtionibus,& etiam plerunq; ſtudioſi ſuis ſcrutinijs ad penetrandũ intellectum ſcripturarum in medium adductis,præſtiterunt cauſam & occaſionem multiplicandi quæſtiones, dogmata, & componendi nouos libros, ad illuſtrandum ſcripturas, & ad ſoluendum hæreticorum ac curioſorum hominum argumenta,ad defendendum Chriſtianæ fidei ſimplicitatẽ,non ſolùm inter ſimplices & idiotas, ſed & inter ſapientes atq; philoſophos,quibus iuxta Apoſtoli Petri doctrinam,oportet eccleſię epiſcopos paratos ſeſe exhibere ad reddendum rationẽ de ea,quæ in nobis eſt,ſpe & fide. Præfatus Damaſcenus inter cætera ſuarũ antiquitatum dogmata, lib.4. cap.14. tractans de ſanctis incontaminatis Chriſti myſterijs,planè docet, ꝙ natiuitas nobis per aquam & ſpiritũ ſanctũ,donata eſt,per ſanctũ dico baptiſma: cibꝰ verò nobis donatus eſt panis iſte,& ꝙ ipſe panis & vinum trãſmutãtur in corpus & ſanguinẽ Domini.Si autẽ modum, inquit,requiris, quonam pacto ſit, ſat ſit tibi audire, quoniã per ſpiritum ſanctum, quemadmodum omnia quæ fecit Deus,ſpiritu ſancto operante fecit,ſic & ſpiritus ſancti operatione hæc ſupra naturam operatur Deus,quę non poteſt niſi ſola fides capere. Quomodo fiet mihi iſtud, dicit ſancta virgo, quoniã virũ non cognoſco? Reſpondet angelus: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Si ergo nunc interrogas, Luc.1.d
Quomodo panis ſit corpus Chriſti? & vinum & aqua ſit ſanguis Chriſti? Reſpondeo,inquit,tibi & ego, Spiritus ſanctus obumbrat,& hæc operatur ſuper ſermonẽ & intelligentiam: panis autem & vinum tranſmutantur,& quemadmodum in baptiſmate,quia cõſuetudo eſt hominibus in aqua lauari,& oleo vngi,cõiunxit aquæ & oleo gratiam ſpiritus ſancti,& fecit illud lauacrum regenerationis,hunc in modum, quia mos eſt hominibus panem manducare,& vinum & aquam bibere,coniunxit his ipſis ſuam diuinitatem,& fecit hæc ſuum corpus & ſanguinem,vt per aſſueta, & quæ ſunt ſecundùm naturam, in his quæ ſunt ſupra naturam colloceamur. Corpus enim ſecundùm veritatem coniunctum eſt diuinitati, quod ex ſancta virgine corpus eſt,non quòd ipſum corpus aſſumptum ex cœlo deſcenderit,ſed quòd ipſe panis & vinum tranſmutatur in corpus & ſanguinem Dei. Si verbo Dei,cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum, ſi ex puriſſimis & illibatiſsimis ſanguinibus, ſine ſemine verbum Dei factum eſt homo, non poteſt panem, ipſius corpus facere? & vinũ & aquam,ſanguinem? Dixit in principio Deus,Pro- Geneſ.1.b
ducat terra herbam virentem,& vſq; nunc depluta,producit germina,diuino co- Matth.26.e
adiuta & vigorata præcepto, Dixit Deus: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus,hoc facite in meam commemorationem,& omnipotenti eius præcepto donec veniat,efficitur. Si autem modum requiris,quonam pacto fiat,ſat ſit tibi audire,quoniam per ſpiritum ſanctum, quemadmodum ex ſancta Deipara ſeipſo & in ſeipſo Dominus carnem ſuſtentauit, modus autem eſt inſcrutabilis. Et quemadmodum naturaliter panis per comeſtionem, vinum & aqua per potionem in corpus & ſanguinem comedentis & bibentis tranſmutatur, & non fit aliud corpus præter id,quod prius erat ipſius. Sic & propoſitionis panis vinumque & aqua per inuocationem & aduentum ſpiritus ſancti, tranſmutatur in corpus & ſanguinem Chriſti,& non ſunt duo,ſed vnum & idem. Non eſt figura,panis & vinum corporis & ſanguinis Chriſti (abſit enim hoc) ſed eſt ipſum corpus Domini Deificatũ, ipſo dicente: Hoc eſt corpus meum,non,inquit,figura corporis, ſed corpus: non figura ſanguinis,ſed ſanguis. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus,hunc panem,panes figurabant propoſitionis. hæc eſt pura ſcilicet hoſtia & incruenta, quam ab ortu vſque ad occaſum ipſi offerri per prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & ſanguis Chriſti in ſtabilimentum animæ noſtræ & corporis, inconſumptum, & incorruptum, non in ſeceſſum iens: abſit enim, ſed in noſtram ſubſtantiam & conſeruationem, omnis nocumenti reparatio, omnis Malach.1.c
ſordis

Universidad de Deusto
Biblioteca

sordis purgatio. Etsi quidam exemplaria corporis & sanguinis Domini panem & A
vinum vocauerunt, vt Deifer vocauit Basilius, non tamen post sanctificationem
dixit, sed priusquam sanctificaretur ipsa oblatio, ita vocabant. Fit igitur his qui
digne assumunt in remissionem peccatorum, & in vitam æternam, & in custodiam
animæ & corporis: his autem qui in infidelitate indignè sumunt, in punitionem &
1.Cor.11.f supplicium. Qui manducat & bibit indignè, iudicium, id est, damnationem sibi
manducat & bibit. Proinde omni cum timore, & conscientia pura, & indubita-
bili fide accedamus, veneremur ipsum omni puritate animi & corporis ardenti
desiderio, manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus, diui-
num carbonem concipiamus, vt ignis desiderij nostri sumens ex eodem carbone
ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione
diuini ignis igniamur & Deificemur. Carbonem vidit Isaias. Quemadmodũ car- B
bo simplex non est, sed vnitus igni: sic panis communionis non simplex est, sed
vnitus diuinitati. Hactenus Damasceni sententiæ de sacramento eucharistiæ.

Philippus presbyter, Philippus presbyter, discipulus beati Hieronym. super librum Iob, cap.12. pro-
bat purgatorium & peccata quædam remitti defunctis animabus, & post hanc
vitam homines in die iudicij posse super quibusdam peccatis inuenire misericor-
diam, secundùm quem sensum dicitur illud, inquit, Apostoli 2. ad Timoth.1. de
Onesiphero: Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in die illa.
Quæ autem illa peccata, vel cuiuscemodi sint, solus Deus nouit, qui illa remissu-
rum se esse promittit. Ex doctrinis patrum quæ ab hinc octingentos annos suis
dogmatibus ecclesiam illustrauerunt, non est opus adducere testimonia multa ad
comprobandum omnia supradicta, quæ iam hæretici reijciunt, cùm adeò sint om-
nia ex scriptis eorum manifestata, detecta, & custodita, vt nulla valeant tergiuer- C
satione cælari. Quamobrem & Bernardus ipse suis seculis non dubitauit hæreti-
cos reputare quotquot in rebus supradictis consuetudini ecclesiæ ab initio custo-
ditæ fuerint pertinaciter reluctati, quemadmodum & ante mille annos Tertullia-
nus, Hieronymus, & August. æstimauerunt & reputauerunt hæreticos eos qui suis
seculis fuerant sic pertinaces, vt docerent contemnendam esse vniuersalis eccle-
siæ consuetudinem, quæ ab initio semper obseruata, idonea est testis veteris tradi-
tionis ex Apostolorum doctrina descendentis. Vnde & venerabiles patres, Irenæus,
Tertul. Cypria. Orig. Ambro. Hieron. August. non ex opinionibus suis confinxe-
runt sanctos esse colendos, pro defunctis esse orandum, & fieri sacrificium Deo in
officio missæ, sed innixi fuerunt authoritati ecclesiæ Christianæ, & consuetudini,
quam inuenerant obseruatam fuisse ab ecclesia, quæ ante se fuerat, serie protracta
ascendendo vsque ad Apostolorum tempora. Et idcirco Hieron. August. cæteriq; D
patres venerabiles ante mille annos in hæreticorum numero annumerarunt ho-
mines arrogantes, contrarium docentes, vt Iouinianum, Vigilantium, Arrium, cæ-
terosq; contra ecclesiam sese animositate erigentes, qui solam scripturam sacram
appellantes, secundùm suas adinuentiones, eam interpretari præsumpserunt, reij-
cientes veterem sanctæ matris ecclesiæ morem, venerandam patrũ antiquitatem.
Quòd si dixeris, ecclesiæ consuetudo est super res multas, quæ siue sic, siue aliter
obseruentur, nihil præiudicij est, neq; legi diuinæ, neq; fidei Christianæ, euange-
lijq; doctrinæ, sed ecclesia non debet à se mox reijcere, aut schisma facere, pro-
pter huiuscemodi indifferentia, cùm doceat Apostolus, infirmos in fide esse sus-
cipiendos. Responde o duplex esse ecclesiasticarum consuetudinum genus. Est
Consuetudinum ecclesiasticarum duplex genus. super quibusdam rebus interdum consuetudo vniuersalis ecclesiæ, non eius solùm
quæ nunc est, sed & eius quæ olim fuit, & ab initio semper, & in dubium vertere,
aut dubitare, an hæc, inquit August. sint facienda. insolentissimæ insaniæ est. Est
& consuetudo super quibusdam rebus non sic ab initio custoditis, sed vel consti-
tutione

A tutione, vel lege institutis, vel consensu hominũ longo vsu corroboratis. Duplex
insuper genus est hominum propter consuetudinem, ecclesiam perturbantium.
Sunt qui innixi solis scripturis contentiosa obstinatione, nihili faciant veterem ec-
clesiæ cõsuetudinem, maiestatem, & authoritatem. Sunt alij qui superstitiosa qua-
dam tumiditate mordicus & immobiliter adhærent cuilibet consuetudini eccle-
siæ in his rebus, quæ pro conditione temporum & personarum salua fidei vnita-
te variantur, contendentes pertinaciter defendere suam consuetudinem tanquam
diuinæ legis traditionem. Verum quidem est ecclesiæ pontificem oportere non
esse nimis præcipitem ad resecandum ab ecclesia infirmos in fide, sed verum etiam
est, & inuictum apostoli præceptum, hæreticum hominem post vnam aut alteram
admonitionem deuita, Paulus iussit infirmos suscipiendos esse in fide non disce- Tit.3.c
B ptationibus cogitationum. Sic Irenæus monet Victorem Romanæ ecclesiæ epis- Rom.14.a
copum, ne facilè ab vnione ecclesiæ scinderet eos, qui paschã decima quarta luna
celebrabant, habentes pro se in Asia sic obseruandi consuetudinem. Sed qui po-
tuit fieri, vt his temporibus non scinderentur ab ecclesia qui semetipsos separa-
runt ab illa, ex pertinacia animi, contemnentes omnem veterem ecclesiæ consue-
tudinem, venerandam insuper patrum antiquitatem, vniuersalis ecclesiæ conci-
lia. An qui tales sunt, æstimandi sunt ex eorum numero quos Paulus vocat infir-
mos in fide, & non potius tales, de quibus Christus loquitur, Si ecclesiam non au- Matth.18.a
dierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus? de quibus & apostolus Ioannes: Si quis 2.Ioan.1.c
venit ad vos, & cæt. Non propter nudas ceremonias hac nostra ætate venit eccle-
sia in hoc amplissimum schisma, sed propter contumaciam & superbiam hominũ,
qui sua nouitate perturbantes ecclesiam contemnunt antiquas ecclesiæ consuetu-
dines super rebus fidei, quæ nisi subsisterent, falleretur ecclesia per vniuersum or-
C bem, & pro defunctis iuuandis tot suffragia totque adminicula quotidie admini- C
strans, & sanctos martyres inuocans, cupiens illos habere intercessores, adorans
eucharistiam, deciperetur, veniretque deridenda, nisi esset purgatorium, & oratio-
nes sanctorum pro viuis, ac verum corpus Christi in eucharistia. Certum est in
Christianorũ ceremonijs custodiri multa, quæ neq; fidem vllius particularis cre-
dibilis, neq; necessitatem diuinæ legis complectuntur, quæ obseruantur, non tan-
quam sine illis non possit esse aut fides, aut fidei sacramentum, aut vita Christiana,
sed tanquàm vtilia, aut fidem in Iesum & deuotionem excitantia. Et illa quàmuis
non sint per seipsa de necessitate Christianæ vitæ, asserere tamen illa sic per vni-
uersam ecclesiam obseruata, esse ridicula, friuola, inutilia, & ecclesiam talia obser-
uantem errare, & malè agere, hæresis est: quemadmodum cœlibatus virginalis,
non est de necessitate vitę Christianæ, attamen hęresis est, asserere virginalem cœ-
D libatum, aut non placere Deo, aut non esse præferendum vitæ coniugali. Neq; est D
vlla obseruatio sic per vniuersum orbem in prouentum fidei, aut castitatis custo-
dita quantumlibet fuerit in sacris literis suppressa, cui contra dicere non sit hære-
sis, si fuerit admixta pertinacia animi contemnentis, non esse standum definitioni
ecclesiæ catholicę, quam Paulus Apost vocat firmamentum & columnam verita-
tis fundatam super firmam petram, aduersus quam neq; portæ inferi vnquam po-
tuerunt præualere. Sed hic ne fallamur, oportet distinguere tria quædam distin-
cta, quòd videlicet aliud est non obedire ecclesiæ, aut negligere siue contemnere, Differunt non obedire, negligere, & contẽnere ecclesiam.
aut nihil facere vniuersalis ecclesiæ determinationes seu obseruationes, quas iubet
ecclesia, aut is in quo est totius ecclesiæ consensus, qualis est vicarius in cathedra
Petri. Aliud est substrahere se ab ecclesia aut velle se non esse membrũ vel se non
gerere vt membrum sub cathedra Petri. Aliud verò non credere vnitatem eccle-
siæ, aut nullũ vigorem esse clauium ecclesię in cathedra Petri, & idcirco æstimare
ea quę disponit & ordinat Petri cathedra esse friuola, inutilia, aut nullius momẽti.

Primum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primum est peccatum contemptus, aut inobedientiæ, aut superbiæ. Secundū est schismatis quod contingit absq; hæresi. Tertium est hæresis. Fient autem manifesta hæc considerantibus. Nam contingit quempiam nolle obedire, & nolle exequi præceptum seu sententiam cathedræ Petri, qui tamen non hoc intendit, vt sese diuidat vel separet ab vnitate ecclesiæ. Manifestum est non idcirco quempiā esse reputandum & habendum vt schismaticum, quòd præcepta ecclesiæ, vel decretum, & sententiam cathedræ Petri non seruat, sed quòd diuisionem ab vnitate pacis ecclesiæ catholicæ facere intendat. Ad hoc enim efficaciter operatur schismaticus, vt destruatur vnitas ecclesiæ catholicæ. Potest quis victus aut ira, aut concupiscentia, aut auaritia, aut timore, non seruare ea quæ præcepit ecclesia, & non parêre sententiæ & decreto cathedræ Petri, vtpote non restituere iniustè ablata vel detenta, non derelinquere adulteram sibi cohabitantem, aut non seruare ecclesię ieiunia aliaq; decreta: sed non idcirco reputandus est vt schismaticus, quem plerunque contingit nihil cogitare de diuisione vnitatis ecclesiæ facienda. Deinde potest quis intendere scissuram ab vnitate ecclesiæ catholicæ sub cathedra Petri, & tamen credere vnam esse sanctam ecclesiam catholicam, & vigorem clauium regni cœlorum, & ecclesiæ vniuersalis curam esse apud Petri cathedram. Quamobrem & contingit quempiam esse schismaticum, qui tamen non mox hæreticus est, vtpote deprauatus non errore fidei in intellectu, sed prauo amore disidij congregationis seu vnitatis ecclesiæ in affectu. Sic Hieron. inter hæresim & schisma distinguit. Schisma, inquit August. est eadem opinantem atq; eodem ritu colentem quo cæteri, solo congregationis disidio delectari. Hæresis verò diuersa opinantem ab his quæ ecclesia credit, &c. Proinde quāmuis omnis hæreticus sit schismaticus, non mox tamen omnis schismaticus hæreticus est, dicente Hieronymo in epistola ad Galath. Schisma à principio aliqua ex parte potest intelligi diuersum ab hæresi. Cæterùm nullum schisma est, nisi sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab ecclesia recessisse videatur. Supradictis omnibus consideratis potest esse manifestus antiquus ecclesiæ status, de sacrificio missæ, de purgatorio, de cultu sanctorum, de corpore & sanguine Christi, de sacrosancta eucharistia, de votis castitatis perpetuæ, de cœlibatu sacerdotis, de infantibus baptizandis, de primatu cathredræ Petri, de solennibus ieiunijs, de septem sacramentis. Perspicuum insuper est pijs lectoribus quanta cæcitate, quantaque præsumptione & arrogantia delirent huius temporis schismatici, qui rumpentes catholicæ pacis & vnitatis concordiam, Romanam ecclesiam irridentes, & docentes res huiuscemodi esse friuolas, inutiles, & contra libertatem euangelij, & neque in scripturis fundari, neque fuisse apud veteres in vsu, sed per humanum spiritum adinuentas aut excogitatas, cùm iam luce clarius sit demonstratum ex patribus secundùm seriem successionis hæc omnia fuisse ab initio custodita, & descendisse ab Apostolorum doctrina.

Schisma & hæresis quomodo differant.

Sequitur huius libri caput sextum, in quo soluuntur argumenta in principio libri adducta.

IAM restat soluere argumenta quædam in principio huius libri facta. Ad primum pro intellectu propositionis antecedētis, dicimus, quòd Christus non iussit suis Apostolis, vt euangelium scriberent omni creaturæ: neq; item dixit, vt in scripturis ederent omnia quæcunque mandauerat illis: sed voluit quòd euangelium prædicarent omni creaturæ, & docerent omnia quæcunq; mandauerat illis. Et ita ex verbo Christi non oportet consequens esse, quòd doctrina in quatuor euangelijs palàm, dilucidè, & sufficienter expressa, doceat omnia quæ Christus mandauerat, sed quòd Apostoli docuerint omnia quæcunq;

cunq; Christus mandauerat illis. Priusquàm scriberetur euangelium Iohannis, iam longè antea erant scripta tria cætera euangelia, ex quibus non tam dilucidè ac euidenter quàm ex euangelio Ioannis demonstratur quòd Christus factus homo fuerit verus Deus, vnus cum patre & spiritu sancto. Deinde cōcedamus quòd doctrina Christi & apostolorum in libris canonicis expressa sufficienter nos doceat, continens omnia dogmata ad salutem humani generis necessaria, nō tamen inde consequens est, aut apocrypha, aut superflua esse sanctorum patrum scripta. Nam & sathanas humani generis inimicus, se transfigurans in angelum lucis, huiusmodi dogmata sacrarum scripturarum in sententias ab intētione diuini spiritus alienas deprauat. Ipse enim dum apertis incursionibus non potuit populo Christiano persuadere scripturas sacras, aut esse falsas, aut confictas, mox incœpit vti insidijs, proponens sententias falsas & impias tanquam intellectas in scripturis canonicis, ex eisdem testimonia aliorsum, quàm sint dicta, detorquens. Huiusmodi iaculo & aggressus est ipsum Christum dicens, Si filius Dei es, mitte de deorsum, scriptum est enim, Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Serpens dum apertis (inquit Cyprianus) persecutionibus homines, à Christo non potest auertere, nouam excogitat fraudem, constituens hæreticos & schismaticos sub prætextu Christiani nominis, qui cùm se iactitant seruare quatuor euangelia, cæteraſque canonicas scripturas, & credere Christo, non tamen verè credunt Christo, sed Diabolo, qui se Christum fingit. Habet Diabolus iacula multa, quibus interficiat innocentum corda, sed huiusmodi iaculum est omnium periculosissimum longè & pernicioſissimum. Hæretici igitur quia ex eisdem scripturis sententias præsumunt accipere, alienas à religione Christiana, idcirco Christus iam in cœlum ascensurus, non reliquit nos orphanos, mittens spiritum veritatis, qui manens nobiscum vsque in consummationem seculi, non sinit nos in ecclesia permanentes errare in his quæ ad salutem sunt necessaria, per saluberrima ecclesiæ concilia, per doctrinas sanctorum patrum secundùm successionis seriem tradens earundem scripturarum verum sensum. Et ita inde consequens non est sanctorum patrum, & ecclesiæ dogmata esse aut superflua, aut apocrypha, aut extra authoritatem reijcienda canonicam. Neque enim solas sententias in libris canonicis euidenter expressas debemus recipere vt canonicas, verùm etiam eas, quæ ex scripturis ipsis per necessariam consequentiam sunt demonstratæ. Et eas item, quas vel ecclesia, vel generale concilium, vel tota ecclesiasticorum patrum schola docuit in eisdem scripturis canonicis intellectas. Easque rursus, quæ & si non videantur aut explicitè aut implicitè in eisdem scripturis designatæ, tamen quia custodiuntur per vniuersam ecclesiam, & in toto terrarum orbe semper custoditæ obseruantur, non nisi ab ipsis Apostolis traditæ & emanatæ creduntur. & huius quoque tertij generis esse habendas, vt diuinas, semper ab initio tradiderunt ecclesiastici patres, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Et ipsa quoque docet scriptura canonica, saltem tacitè, dum præcipit vt apostolos & ecclesiam audiamus. Proinde quāmuis Apostoli nulla nobis scripta reliquissent, tamen oporteret nos ecclesiam audire Apostolicam. Tali argumento vsi sunt iam olim contra hæreticos, Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, & Augustinus, quemadmodum in superioribus longè lateque demonstrauimus. Ad secundum argumentum sumptum ex verbo Apostoli dicentis, Si quis vobis euāgelizauerit præterquàm quod accepistis, anathema sit. dicimus per sententiam in solutione superioris argumēti datam verbum illud Apostoli omnino esse alienum ad id concludendum, quod in argumento infertur, quòd videlicet nihil aliud sit euangelizandū præterquàm quod in quatuor euāgelijs sit scriptū. Aliud significamus dicētes, euangelizare su-

Lucæ 4. d

Gala. 1. b

Universidad de Deusto
Biblioteca

pra quàm quod accepistis, Aliud autem dicentes euangelizare supra quàm quod
A scriptum est in euangelijs. Cùm Apostolus epistolam illam ex Epheso ad Galatas
scriberet, nondum erant scripta sancta quatuor euangelia. Manifestum est non-
dum Iohannis scriptum fuisse euangelium, & forsitan neque Marci, neque Lucæ
euangelia adhuc erant ædita. Aliud est euangelium, aliud scriptura euangelij. Vi-
des ergo quàm alienum sit à mente Apostoli intelligere sententiam eius, acsi vel-
let dicere anathema esse, quisquis euangelizauerit præter quam quod scriptum
est in quatuor euangelijs, aut in libris canonicis nondum æditis, cùm hoc diceret
euangelijs. Primùm æditum est euangelium Matthæi, sed nonnulla in illo sunt
prætermissa, quæ supplevit Lucas. Vnde sententia illa Pauli ex Epheso ad Gala-
tas scripta stans integra suo erat in vigore, æditis iam euangelijs per euangeli-
stas Matthæum, Marcum & Lucam. Nunquid ergo post illos euangelista Iohan-
nes scribens euangelium, & multa adijciens, quæ in supradictis tribus euange-
B lijs scripta non erant iuxta sententiam Pauli tunc scriptam, anathema erat euan-
gelizans, præterquàm quod euangelizatum erat in euangelijs antea scriptis?
Absit. Vnde sicut posteriores in suo euangelio multa expressit Iohannes quæ il-
li prætermiserunt, ita post quatuor euangelia Paulus, Petrus, Iacobus, & Io-
hannes in suis epistolis nonnulla palàm & dilucidè expresserunt, quæ tamen in sa-
crosanctis quatuor euangelijs non sic palàm, euidenter declarantur. Demum se-
cundùm doctrinam omnium ecclesiasticorum patrum, Irenæi, Tertulliani, Cy-
priani, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, antiquus ecclesiæ status ex Apostolica
traditione ducens originem nonnulla docet, quæ in canonicis libris expresse &
palàm non inueniuntur. Vides ergo quòd longè à vero intellectu detorquent
aduersarij doctrinam Apostoli pauli. Sed iam videamus quo nam pacto ad il-
lud argumentum hæreticorum respondeat Augustinus tractatu. 98. super Ioan-
C nem, docens aliud esse hoc quod dicimus euangelizare plusquam accepistis, ali-
ud euangelizare præter quàm quod accepistis. Euangelizare præter quàm quod
accepistis, est transgredi fidei regulam, & recedere de via euangelij semel per a-
Gal. 1. b. postolos prædicata. Non ait Apostolus plusquàm accepistis, sed prçterquam quod
1. Thess 3. d accepistis. Nã si illud diceret, sibi ipsi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thes-
salonicenses, vt suppleret quæ aliorum fidei defuerant. Qui supplet, non quod in
erat tollit, sed vel quod minus erat addit, vel quod implicitum erat explicat, vel
quod tectũ erat detegit & reuelat. Vnusquisq; sermo diuinæ scripturæ similis est,
inquit Origenes, alicui seminum, cuius natura hæc est, vt cùm iactum fuerit in
terram, generat, & vel in spicam, vel in aliam quampiam sui generis speciem
multipliciter diffunditur, & tanto cumulatius, quanto peritus agricola, vel plus
laboris impenderit, vel beneficium fœcundiori terræ indulserit. Sic sermo vnus-
D quisque diuinæ scripturæ breuis quidẽ videtur & exiguus, qui si spiritũ Dei ha-
beat, colonum qui excolat, & spiritualiter retractet in publicum plures salutares
parit sententias, quæ intus erant. Ad scripturas veteris testamẽti in eodem secun-
do argumento citatas, videlicet ad verbum Dei in Deuteronomio quarto dicen-
Deut 4.a tis. Audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te, non addetis ad verbum quod vo-
Deut.12.d bis loquor, nec auferetis ex eo, & Deuteronomij. 12. Quod ego præcipio tibi,
hoc tantùm facito nec addas quicquam nec minuas. Dicimus huiusmodi scri-
pturas esse omnino alienas ad concludendum id quod infertur. Neminem credo
tam stupidi esse ingenij, vt credat ex verbis illis Iudæorum populo olim dictis,
consequẽs esse nos duntaxat oportere & facere, quæ Deus illic prçcepit, & habere
pro sacris Dei verbis quæ illic loquutus est. Alioqui deberemus nunc paruulos
circuncidere, offerre vitulos, agnos, & arietes, celebrare neomenias & sabbata.
Quid ergo hoc, quòd nihil addendũ erat verbis Dei super iudicijs & ceremonijs
olim

A olim dictis, veteris legis populo attinet, ad concludendum omnia, quæ locutus
est Deus per Christum aut per Apostolos, aut per semetipsum, scripta esse in qua-
tuor euangelijs? Vides q̃ absurda sit consequentia. Olim præceptum erat populo
veteris legis, verbis Christi neque addere quicq̃, neque auferre, ergo omnia quæ
iam locutus est Deus per Christum & Apostolos, scripta sunt in euangelijs, & in
Apostolorum scripturis. Certò scimus quòd olim non licuit addere quicquã ver Minuere vel ad
bis Dei nec auferre ab eis, ita vt nec nunc licet. Nam ad verbũ Dei addit, qui di- dere scripturæ
cit Deum aut dixisse, aut præcepisse, quod neq; dixerat, neq; præceperat. A verbo quid sit.
Dei aufert, qui aut sententias subtrahit, aut docet Deũ neq; dixisse, neq; præcepis-
se, quæ aut dixerat, aut præceperat, quemadmodum faciunt hæretici scripturã sa-
cram falsis interpretationibus deprauantes. Quis non impudentissimũ & men-
dacem argueret eum, qui hoc pacto verbis Dei aut adijceret aliquid, aut auferret
B ab eis? Neque Apostoli, neque ecclesia, neque pontifices, neq; ecclesiastici patres
hoc pacto aliquid adiecerunt, aut verbis, aut præceptis, quæ vel per semetipsum,
vel per apostolos loquutus est Dominus. Sed quemadmodum apud veteris le-
gis populum erant constituti põtifices, sacerdotes, iudices, legisperiti, quorum of-
ficium erat populum in his quæ ad Deum sunt gubernare, ius decernere, decla-
rare, legem Dei explicare, certum reddere si quid ambiguũ emersit, Erant & du- Apud synago
ces & principes, quorum officium erat populum in pace & tranquillitate dirige- gæ prælatos
re secundùm Dei & naturæ leges, & ex potestate illis data, nonnulla etiam pro lu- erat facultas
cro & custodia pacis, ac reipublicæ ad communem vtilitatem populo impone- statuẽdi leges
re, nec tamen hoc facientes addebant aliquid Dei verbis aut præceptis, cùm hæc
naturali iure comitẽtur potestatem præsidendi, quod & ipse Dei spiritus in scri-
pturis illorum non tacuit, Exodi 12. & Deuteronomij 17. vnde & in lege, cùm
C pater secundùm ius suum paternum aliquid imperabat filio, tenebatur filius ob-
temperare, ad quod alioqui non tenebatur: & tamen non inde consequens est,
vel patrem sic iubendo aliquid addere, aut verbis Dei, aut præceptis illius,
vel filium sic obtemperando agere contra verbum Dei, dicentis: Quod ego præ- Deut.12.f
cipio tibi, hoc tantùm facito. ita & nunc apud ecclesiam Christianam, Deo iu-
bente, sunt constituti pontifices, prælati, & potestates, per quos Deus suam gu-
bernari vult ecclesiam, quæ tamen si secundùm potestatem eis datam pro lucro
& custodia fidei ac pacis, aut iubeant, aut statuant quicquam, & id quidem se-
cundùm mutationem humanorum morum & temporis conditiones mutabiles,
& variabiles, non ob id dicuntur aliquid addere aut verbis Dei, aut præceptis,
sed vtuntur officio & potestate data. Tractauimus de his latiùs in his quæ di-
ximus de libertate Christiana. Ad illud quod in tertio argumento adduc-
D tum est, doctores sanctosque patres in suis libris inter sese esse contrarios, etiam
super his quæ æstimantur ad salutem necessaria, quemadmodum Stephanus Ro-
manæ vrbis episcopus, & Cyprianus Carthaginensis, contrarij erant super ba-
ptismo ab Hæreticis suscepto. Respondeo ex hoc vtique consequens esse san-
ctorum patrum libros non esse habendos tanquam canonicos scripturæ sacræ li-
bros. De istorum enim canonicorum librorum vniuersis & singulis sententijs as-
sertis dubitare non licet, quia illic assertæ sunt. De sententijs autem patrum non
debemus sic credere eas esse veras, idcirco quòd aut in libris illis, aut ab ipsis
fuerunt assertæ. Neque enim ipsi omnes suas sententias suis in libris dictas tradi-
derunt nobis tanquam fidei sententias, dicentes quidem vel per æstimationem,
vel per opinionem, vel per rationem solùm ipsis probabilem ac verisimilem su-
per rebus gestis, innixi interdum solis hominum quorundam testimonijs, quos
credíderunt veraces, & tamẽ potuisse & falli, & fallere. Proinde & de multis sen-
tentijs in libris patrum possumus interdum ratione aliqua commoniti dubitare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. VI.

Ad alias sententias Augustini: Primo ad primam quæ est ex epistola ad Hieronymum, dicimus quòd Augustinus ibidem duas præcipuè docet sententias. A
Vnam qua dicit se non ideo credere aliquid, scilicet in fide & moribus Christianis verum esse, quia sancti scriptores ita senserunt. Alteram, qua docet se ideo credere scriptoribus sanctis, quia ipsi vel per canonicos authores, vel per rationem probabilem sic esse persuaserunt. Ex quibus planè vides Augustinum credere dictis sanctorum non solùm cùm per canonicos authores suas sententias probauerunt: verùm & tunc etiam cùm eas probabili ratione persuaserint. Et hanc caudam hæretici subtrahentes à verbis Augustini conantur decipere mundum. Vnde & authoritas catholicorum scriptorum est authoritas Apostolorum, propterea quòd id quod ex Apostolorum traditione habemus, etiam sine expressione scripturæ sacræ in ecclesia custoditum, per canonicos authores reputatur esse dictum. Nihil iam dubitamus de Cypriani, Gregorij, Hieronymi, Augustini assertionibus, docentibus baptismum prodesse infantibus, & pium esse in ecclesia colere & orare sanctos martyres defunctos, & purgatorium ignem esse pro animabus quibusdam defunctis, quibus prodesse possunt viuorum suffragia, & B
id genus alia, quæ immutabili fide credimus, non quòd Augustinus & Hieronymus ex suis ipsorum opinionibus hæc senserunt, sed quia ipsi ratione & argumento ita esse nobis persuaserunt, demonstrantes vniuersalem ecclesiam, per vniuersum orbem sic credidisse, simul & tenuisse, & obseruasse, & definiuisse contrarium sentientes, habendos tanquam hæreticos, quemadmodum Bernardus docet homilia 65. & 66. in Cantica, Et ante eum Hiero. de cultu & intercessionibus
Aug. contra epist. fundamẽtum, cap 3. sanctorum, in epistola contra Vigilantium. Et Augustinus de purgatorio, de suffragijs pro defunctis, & de cultu sanctorum martyrũ, multis in libris. Et ita authoritas, quæ suadet nobis esse quatuor sancta euangelia, quibus oporteat credere, de C
qua inquit Augustinus: Ego euangelio non crederem, nisi me authoritas ecclesiæ admoneret. Eadem & nobis persuadet baptismum prodesse infantibus, & viuorum suffragia defunctis, & vtile esse in ecclesia orare, & colere sanctos martyres defunctos. Et in his vult Augustinus suis dictis haberi fidem, non vt suis so-
Quo loco, quaqi autoritate sint S. patrum scripta: vtpote alis aliis esse certiora. lùm, & à se dictis, sed vt ecclesiæ sententijs & Apostolorum ac veterum patrum traditionibus. In sententijs ergo fidei & morum Christianæ religionis ad salutem attinentibus credimus Cypriani dictis, Augustini & aliorum patrum, quorum scripturas ecclesia legendas suscepit: non quia Cyprianus & Augustinus dicunt, sed quia iam persuasum est nobis Augustinum & cæteros patres ab ecclesia receptos, in quibus & Christianæ fidei pietas reperta est non vacillare, in huiusmodi rebus non asserere, nisi quod vel ex scripturis sacris est elucidatum, D
vel quod secundùm antiquum ecclesiæ statum ex Apostolica traditione venientem, sit obseruatum. Cæteras autem eorum sententias, quas ipsi neque ex scripturis canonicis, neque ex veteri traditione ecclesiæ definiunt, suis freti ingenijs, licet examinare, excutere, & ex aliquo experimento vel argumento contrariũ sentire, velut dum vel interpretantes sermonem Dei, afferunt talem vel talem illius intellectum, recitantes res gestas, aut temporum rationes, & supputationes, quæ citra periculum fidei & morum licet ignorare. Verum quidem est ipsos patres in scripturarum expositionibus variare, dum vnus scripturam sic intelligit, alius autem aliter. Sed nihilominus verum est huiuscemodi varias expositiones in spiritu charitatis & fidei concordare, dum vtriusque partis sententiæ in fide & moribus veræ sint, & catholicæ, quemadmodum in præcedenti capitulo latius diximus. Ex his possumus & cæteras Augustini sententias in argumento assumptas intelligere. Verum enim est Cypriani & Hilarij, cæterorumque patrum literas non esse legendas vt canonicas scripturas, neque sic vt contrarium sentire

CAP. VI.

A sentire non liceat, sed non inde consequens est extra scripturas sacras non esse vllam Christianam & catholicam veritatem. Non enim vspiam legimus euangelistas & Apostolos scripsisse omnia quæ Iesus Christus & fecit, & docuit, quin potius contrariũ legimus, multa Iesum fecisse, quæ non sunt scripta. Sunt ergo nonnulla, quæ licet in canonicis non inueniantur scripturis, tamen quia custodiuntur per vniuersam ecclesiam, & toto terrarum orbe semper custodita obseruantur, non nisi ab ipsis apostolis commẽdata creduntur. Huius generis exempla tradit Augustinus in epist. ad inquisitiones Ianuarij, & in libro primo contra Donatistas, corpus Domini ieiuno stomacho manducare, baptismum ad remissionẽ peccatorum prodesse infantibus, qui neq; propter ætatem adhuc credere possunt, neque ad interrogationes respondere, & adultum interdum posse fieri saluum, nõ suscepto baptismo, contempto autẽ baptismo non posse: & id genus alia nonnulla, de
B quibus in parte præmissa huius cap. latius tractauimus. Post apostolorum igitur & euangelistarum scripturas æditas, non habemus vllos quantumlibet laudatorum hominum libros vt canonicos. Non enim quia ipsi authores eorum sunt librorum, nõ quia ipsi sic senserunt, idcirco fide tenenda sunt. Proinde non est consequens sic aut sic esse credendum fide, quia Aug. aut Cypria. aut Hiero. sic dicit, eorum enim authoritas non est sic idonea ad ea quæ in contentionem veniunt roboranda. Sed nõ inde sequitur doctrinas eorũ non esse sententias diuinas & canonicas. Absurdissimum est argumentum, si dixero: Huius libri nulla est canonica authoritas, ergo huius libri nulla est canonica veritas. Cõtingit interdum librum aliquem nihil continere, nisi diuinas sententias, canonicas & catholicas veritates in scripturis sacris tacitè vel explicitè significatas, alio verborum ordine, vel dictatas, vel abbreuiatas, vel elucidatas, non tamen inde mox consequẽs est librum
C illum recipiendum vt canonicum. Sententiæ enim non quia vel in illo libro aut ab illo authore scribuntur, idcirco eas fide credere oportet veras esse, sed ideo veræ sunt, quia in canonicis scripturis, vel apostolicis traditionibus creduntur veræ, expressè vel tacitè asseruntur. Iam olim opuscula & tractatus orthodoxorum patrum, Cypriani, Athanasij, Gregorij Nazianzeni, Basilij, Chrysostomi, Hilarij, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Leonis, Prosperi, cæterorumque orthodoxorum patrum in ecclesijs recipienda & legenda docuit Gelasius primus, iusta ac certa ratione motus, quòd longo iam temporis vsu compertũ est in eorũ scriptis non vacillare fidei pietatem, nec eos à consortio & fideli prædicatione Romanæ ecclesiæ vspiam seiungi. Proinde nihil amplius dubitamus de Cypriani, Basilij, Hilarij, Hieronymi, Augustini, cæterorumque patrũ assertionibus, de his, inquàm, quas de fide & Christianis moribus ad salutem attinentibus tradiderunt, quia iam
D olim eas multifariam examinatas credimus non aliud esse quàm aut veteres Apostolicæ ecclesiæ traditiones, aut expressiones earum rerum, quæ vel expressè, vel tacitè insunt in scripturis canonicis, exceptis paucis locis iam olim in vno aut altero libro per censuram ecclesiæ notatis. Et hinc iam mos per vniuersas inoleuit Christianorum scholas, quòd in disputationibus pro indaganda veritate ex Hyeronymo, Cypriano, aut Augustino citata nobis de fide & moribus testimonia, non contemnimus, non reijcimus, non temerè eisdem reluctamur, sed piè reuerenterque tractantes exponimus, & ex sanctis ipsorum sententijs aut elucidamus, aut retractata, vel aliter intellecta, aut non pertinaciter, sed per solam opinionem probabiliter asserta deducimus, In cæteris autem velut in scriptu-
Dissentire à patribus in his quæ non sunt fidei vel morũ habita ratione licet. ris obscuris aut interpretationibus, translationibus, aut expositionibus, aut in quæstionibus, super quibus salua pietate fidei licet dubitare, non arbitramur absurdum, si fortè melius aliquid, aut rectius, aut per nos, aut per alios inueniatur. Aliud est errare in expositione, seu intellectu alicuius scripturæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& non assequi verum illius scripturæ sensum, aliud est errare in regula fidei, aut in via morum. At id autem, quod in argumento dicitur, In scripturis sacris quicquid est vtile, inuenitur, & quicquid est noxium, damnatur: Dicimus verum esse in scripturis sacris id reperiri vel expressè vel tacitè, non enim ofa Christianæ religionis dogmata euidēter & dilucidè sunt in canonicis libris expressa, sed quædam clarius, quædam autem obscurius. Deinde quod manifestissimè in vno videtur loco scripturæ expressum, per aliam scripturam quæ videtur illi contraria, interdum fit obscurum, cùm etiam in locis quibusdam manifestissimis videntur scripturæ inter se contrariæ. Proinde nihil tam rectè, tam dilucidè, tam apertè in vno scripturæ loco dicitur, quod non interdum à malignis interpretibus per alias scripturas perperam intellectas in alienum sensum deprauatur. Sic Arriani omnes scripturas indicantes Christum esse verum Deum & hominem, & Nouatiani omnes scripturas indicantes post baptismum relapsis dandum esse reconciliationis sacramentum, maligna interpretatione deprauabant: ex alijs scripturis accipientes suæ malignitatis ansam. Sic Pelagiani, Luciferiani, & quotquot olim fuerunt hæretici suas hæreses ex scripturis sacris defendere præsumpserunt. Sciendum est autem quòd multifariam tacitè aliquid in scripturis sacris inuenitur. Primùm, cùm illud nec expresse in scripturis significatur, nec adeò euidenter pendet ex illis, vt ipsis admissis cogatur quisquam non dissentire, sed tamen necessitate quadam consequitur ex illis secundùm traditionem vniuersalis ecclesiæ intellectis, aut secundùm antiquā Christianorum scholam interpretatis, qualis est hæc sententia: Tres personæ, pater, filius, & spiritus sanctus, sunt vnus Deus. Huius generis sunt omnes articuli fidei contra hæreticos æditi in symbolo Nicæno, quod in missa canitur, & in symbolo quod inscribitur Athanasij. Hæc enim tametsi in scripturis sacris significantur, non tamen tam euidenter, & dilucidè quàm ea quæ leguntur in apostolorum symbolo, quæ ex necessitate & euidenter ex eisdem scripturis consequuntur intellectis propriè & absolutè secundùm propriam ipsarum significationem. Et propterea hæretici, admisso apostolorum symbolo, admissis & omnibus scripturis canonicis, nihilominus in articulis de trinitate personarum, & incarnatione filij Dei, de gratia Christi, de libero arbitrio, de sacramentis baptismi, pœnitentiæ, & eucharistiæ, à recta fide deuiarunt, & dum prætermiserunt expositiones, & interpretationes à patribus & prædecessoribus datas, proprijs innixi prudentijs, susque freti ingenijs, continuò ex scripturis sacris intellexerunt sententias, non spiritus sancti, sed suas, & à religione Christiana prorsus alienas. Priusquàm Vrbicus cognomento Manius suam hæresim de duobus principijs contrarijs fingeret, omnis prædecessorum doctorū chorus, ex scripturis sacris intellexit liberum hominis arbitrium licet in Adam vitiatum, Dei gratia & liberante & adiuuante posse cooperari suæ conuersioni, & ita hominem ex vna eadem vi, atque potentia, posse bene & male viuere. Sic crediderunt Dionysius, Ignatius, Ægesippus, Irenæus, Tertul. & Orig. & cæteri vsque ad Manichæorum tempora. At verò Manichæi hæresis iá exorta, ipsas scripturas sacras, ex quibus comprobatur liberum hominis arbitriū, cœpit in sensus à religione Christiana alienos deprauare, contra quā hæresim rursus vigilātes posteriores ecclesiæ patres Basil. Athan. Chryso. Amb. tam validas, tamque efficaces accumulauerunt scripturas sacras, liberū hominis arbitriū cōprobantes, vt ex eisdem prauè rursus intellectis, hæresiarcha Pelagius cœperit pertinaciter defendere liberum hominis arbitrium, cum iniuria diuinæ gratiæ, perperam docens homines ex viribus liberi arbitrij, absque Dei gratia bene viuere, & mereri gratiā ac remissionē peccatorū: cōtra quam hæresim rursus scribētes Hiero. Aug. & Prosper, cęteriq; illius seculi patres demonstrarunt homines, absq; gratia Dei

Dogmata quæ non possunt clarè & euidenter inferri ex scripturis nisi secundùm patrum interpretationē & antiquā ecclesiæ traditionē

Ostenditur homine liberum habere arbitriū

Dei, nihil boni posse, & si qua sint hominum merita, illa esse Dei dona, & pro hac sua sententia tam lucidas, tamq; validas adduxerūt scripturas, vt ex illis rursus prauè intellectis seculo Augustini adhuc viuentis, alia exurgeret hæresis quædam monachorū, qui propter Dei præscientiā, prædestinationē & gratiā, arbitrati sunt prorsus sublatum esse liberū hominis arbitrium, quam hæresim & August. validissimis refellit scripturis in epistola ad Valentinum, quæ sanè hæresis olim extincta, rursus iam vnà cum alijs hæresibus Lutheranis reuiuiscit. Harum & omnium similium inuentrix fuit præsumptio vana & superba, secūdum quam quisq; hæresiarcha reiectis sententijs patrum, nouas expositiones scripturarum præsumpsit confingere, alienas à traditionibus secundùm antiquum ecclesiæ statum. Sic antequàm hæresis exurgeret Arriana, omnes ecclesiastici patres, Igna. Diony. Polycar. Ire. Tertul. Cypria. & Origenes, ex scripturis intellexerunt Christū esse verum Deum & hominem, etiam contra hæreticos tunc exortos, nec articulus ille in quæstionem vllam aut dubitationem, vt inquit Ruffinus, apud ecclesiam venerat. At verò Arrius prætermissis prædecessorum suorum sententijs, in scripturis intelligendis suo fidens ingenio, mox omnia turbans, omnia confundens, magnam ecclesiæ partem in suam traxit perfidiā, separans filiū ab æterna Dei patris substantia. Proinde Nicæna synodus hac in re non nouū statuit fidem, sed eam quæ antiqua fuerat, & apud omnes ecclesias obseruata, confirmauit, impiam Arrij damnās insaniam. Neq; Arrius hanc sibi hæresim confinxit, siquidē & ipsis apostolorū temporibus, antequàm Ioannes suum scriberet Euangelium, Corinthus & Hebion, huius hæresis sparserunt semina, negantes Christum esse verū Deum & hominem, contra quos tunc exortos Ioannes suum scripsit euangelium, in illo declarans æternū Dei verbū, verum Deum & hominem, diuinarum personarum trinitatem in vnitate substantiæ, non tamen adeò euidenter & dilucide, quin hæretici Arriani pertinaces huiusmodi euangelium admittentes, malignis suis interpretationibus hoc ipsum deprauant, concedentes Deum æternum, verbum factum carnem, & Iesum filium Dei vnum esse cum patre, missum in hunc mundum, & spiritum sanctum à patre procedere, & mitti à filio, & nihilominus cum his non esse consequens, patrem, filium, spiritum sanctum, tres esse personas eiusdem substantiæ. Vides quonam pacto aliquid tacitè ineat scripturis, & necessitate quadam consequitur ex illis, secundùm ecclesiasticam traditionē intellectis, quod tamē non euidenter & manifestè patet in illis. Deinde aliquid tacitè in scripturis inuenitur, quod non sic immediatè ex scripturis sacris secundùm traditionem ecclesiæ intellectis ex necessitate cōsequitur, sed vel indicatur magis quàm explicatur, vel quia inuenitur per vniuersam custoditum ecclesiam, ortum esse creditur ab Apostolis, quorum doctrinas scriptura sacra in omnibus commendat. Qui vos audit, me audit, inquit Saluator, & qui vos spernit, me spernit. Manifestū est autem Apostolos multas traditiones diuini iuris in sacramentorū officijs & tradidisse, & obseruasse, quæ ex sacris scripturis euidēter demonstrari non possunt. Et ex multis sumamus exempli causa baptismum vnum, de quo sunt sententię ex Apostolica obseruatione venientes, quòd interdum adultus non baptizatus ex aqua, non cōtempto baptismo, intrat in regnum cœlorum, quòd legitimus atq; irreiterabilis sit baptismus, ab hæreticis, & schismaticis dispensatus. Deinde quòd verus & irreiterabilis est baptismus, ab hęreticis siue nō credentibus, susceptus, & quòd propterea adultus, qui inter suscipiendum baptisma, respondet verbo se credere in Deum patrem, non credens corde, & qui verbo renunciat seculo, non renuncians mente, verum suscipit sacramentum, licet non suscipiat baptismi gratiam & spiritum fidei: & quòd paruulis qui credere non possunt, qui & adhuc propria voluntate non peccauerunt, prodest baptismus tam ad remissionem peccatorum, quàm ad regnū cœlorum, & quòd eisdem paruulis

Epistola. 46. & 47.

Cap 1. lib. 10. ecclesiast. historiæ. De hæresi Arriana.

De baptismo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. VI.

baptizandis non sit necessaria, nec fides parentum, nec bona voluntas, nec fides A
eorum, qui vel ad fontē baptismi illos deferunt, vel pro illis in fonte respondent, huiusmodi sententiæ de baptismi sacramento ex scripturis sacris euidenter ex necessitate non cōsequuntur, tamen quia consuetudo in talibus fuit obseruata à primordijs ecclesiæ Christianæ, idcircò hæc credimus. Quòd autem illa consuetudo sic fuit à principio ecclesiæ obseruata, credimus per irrefragabiles testes, Hieronymum, Augustinum, cæterosq; patres idipsum in scripturis suis nobis testificantes. Vnde & plurimi, inquit Hieronymus, hæretici emerserunt, adhuc viuente Ioanne apostolo, videlicet Nicolaus, vnde Nicolaitæ & Simon Magus, ac discipuli
Apocaly. 2. b eius, qui & ipsi erant baptizati, à quibus & alij multi fuerunt baptizati, & tamen nullum eorum legimus rebaptizatum, quin potius in libro Apocal. sic baptizati, non ad reiterandum baptisma, sed ad pœnitentiam exhortantur. Nunquid dicit B
scriptura, Rebaptizentur qui in Nicolaitarum baptizati sunt fide, quin potius, inquit, pœnitentiam agite. Hactenus Hiero. doctrina. Sic ergo circa baptismi sacramentum multæ sunt sententiæ diuini iuris, & idcirco immutabiles, quas credimus ecclesiam ex Apostolorum traditione suscepisse, quæ tamē ex scripturis sacris euidenter demonstrari non possunt. Ita contingit & in alijs sacramentis, de quibus latius in lib. de libert. Christ. Deinde quòd nonnulla statuta ac præcepta pro varietate locorum, temporum, personarum mutabilia susceperit ecclesia, ex apostolorum traditione patet. Nam apostoli atq; seniores in Hierusalem, cùm declarassent, salutem, iustificationem, seu purificationem cordis, non ex operibus legis esse, sed per gratiam ex fide in Iesum. Nihilominus tamen supra præcepta & naturalis & euangelicæ legis decreta, quædam positiua, ex lege Moysi posuerunt Christianis seruanda ad tempus, videlicet, abstinere ab immolatis simulachrorum, à sanguine, à suffocatione, & fornicatione, quæ & Paulus euangelizans, prædicauit obser- C
Actuum 15. g uanda, quemadmodum dicit scriptura: Paulus perambulabat Syriam & Ciliciā: confirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta apostolorum & seniorum, & capite sequenti. Paulus & discipulus Timotheus, qui propter Iudæos erat in illis locis circuncisus, cū pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab apostolis & senioribus, qui erant Hierosolymis. In scripturis ergo sacris, quicquid est vtile in religione Christiana, cōmendatur, & quicquid noxium damnatur, siue tacitè, siue expresse, quia illic traduntur consilia & præcepta de audienda ecclesia apostolica, & de præpositis audiendis. Patet igitur ex sententijs Augustini, non esse cōsequens, extra scripturas sacras non esse vllam Christianæ religionis veritatem, & non esse canonicam authoritatem in vllo libro aut concilio, extra scripturas sacras tradito. Ex quibus manifestum est, veras esse sententias Gregorij de quatuor cōcilijs. Et item Gelasij de epistola Leonis ad Flauianū, alio- D
rumq; similium docentium eadem quatuor concilia, dogmataq; Leonis in epistola ad Flauianū, esse recipienda vt canonicas scripturas, vt sancta quatuor euangelia. Quandoquidē ecclesia certò edocta, declarauit illorum conciliorū dogmata, simul & Leonis Papæ in epistola illa non esse aliud, quàm eorum expressionē, quæ de trinitate personarum, de Christi diuinitate & forma humana assumpta, vel expresse vel tacitè insunt scripturis canonicis, secundùm apostolorum traditionē intellectis atq; interpretatis. Ad verbum Hieronymi ex commentarijs super Matthæum dicentis hoc, quia de scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate cōtemnitur qua probatur. respondeo, neminem in doctrina Hieronymi esse tam stupidi ingenij, qui ex huiusmodi verbis Hieronymi intelligat, docuisse vnumquemque omnia posse contemnere, quæ in sacris literis non explicantur. An liceat contemnere omnes rerum gestarum historias post canonem bibliæ scriptas, continentes sanctorum martyrum passiones, quarū nōnullas & ipse beatissimus,

scripsit

scripsit Hieronymus, qui & in epistola ad Letam de institutione filiæ, adhortatur A
eandē, vt vnà cum scripturis canonicis, semper in manibus teneat Cypria. opuscula, Athanasij epistolas, Hilarij libros. Vt ergo planè videamus quàm insulse & corruptè verbum illud Hieronymi citatur ab hæreticis, subscribamus verba eiusdem super cap. xxiij. Matthęi, tractantis illud saluatoris. Vt veniat super vos omnis sanguis iusti, qui effusus est in terram à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ, quem occidistis inter templum & altare. Quærimus, inquit Hieronymus, quis sit Zacharias iste, filius Barachiæ? alij dicunt eum esse Zachariam, qui inter duodecim prophetas vndecimus est, alij Zachariam patrem Ioannis intelligi volunt, ex quibusdā apocryphorū somnijs, approbantes quòd propterea occisus sit, quia saluatoris prædicaret aduentum: hoc quia de scripturis non habet veritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Hæc ille. Planè vides Hieronymum
B non velle posse contemni quicquid in scripturis sacris non inuenitur: Ipse enim neq; adiecit notam vniuersalitatis quicquid, nec nomen sacris, nec hoc verbū inuenitur aut reperitur, sed singulariter loquitur de quādam particulari sententia ex apocryphorū somniis accepta. Hoc, inquit, scilicet ex apocryphorum somniis assumptum, quia de scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Aliud est habere authoritatem de scripturis, aliud habere authoritatem ex scripturis sacris, aliud reperiri in scripturis sacris. Multa sunt quæ authoritatē habent ex scripturis authenticis, quæ tamen in scripturis sacris nō reperiuntur. Vnde & ipsa sacra scriptura docet non esse contemnenda probatorū hominum testimonia. Ad verbum eiusdem Hieronymi in prologo Galeato, Quic- Nota sensum verborum Hieronymi.
quid extra hos inter apochrypha ponendū esse dicimus. illic vniuersalem loquu-
C tionem non fieri pro omnibus extra illos supra nominatos viginti duos libros testamenti veteris, alioqui sancta quatuor euangelia, & omnes nouæ legis libri inter apocrypha censerentur. Deinde & ipse Hieronymi prologus, cæteraq; illius & sanctorum prædecessorum scripta forent inter apocrypha numeranda: quod falsissimum esse nemo ambigit, sed vniuersalis intelligitur loquutio secundùm materiam subiectam, pro his duntaxat, qui inter veteris legis libros ex Hebręo in Latinum versos consueuerunt numerari, & ob id vult Hieronymus prologum illum quasi galeatum, principium omnibus libris versis de Hebræo in Latinum conuenire, vt nos sciamus omnia, quæ consueuerunt libris illis veteris legis connumerari, vt Iudith, Tobiam, Ecclesiasticum, Sapiētiam Salomonis, Machabæorum & Pastorem, inter apocrypha ab Hebræis connumerari, quos tamen excepto Pastore, iam Christianorum schola tanquam diuinos libros honorat & prædicat.

Ad quartum argumentum quo dicitur: Ecclesia est societas hominum, qui &
D fallere & falli possunt, quia omnis homo mendax. Respondeo homines ex se posse & falli & fallere, sed per spiritum sanctum loquentes, neque fallunt neque falluntur vnquam. Omnis homo ex se mendax, Deus autem qui in homine & in ecclesia loquitur verax, mittens ecclesiæ paracletum spiritum veritatis, vt maneat cum eadem ecclesia vsque in consummationem seculi. Vnde & simili argumento concluderetur, apostolorum & prophetarum ecclesiam in docendo aut scribendo doctrinam fidei Christianæ, potuisse errare, vel eorum doctrinam tanquam incertam posse propterea haberi à nobis suspectam, tanquàm ęditam aut scriptam per homines qui falli potuerunt. Ad illud quod in argumento illo assumitur, Totam ecclesiæ authoritatem residere in concilijs, cōcedimus. Nam & hanc fiduciam de generalibus concilijs habuerunt ante nos omnes patres à principio. In exordio religionis Christianæ quæstio erat inter apostolos & fratres Christianos de præceptis in lege Moysi, an videlicet oporteret ea seruare cum euangelio: quę sanè quęstio non reperitur soluta in vllo ex quatuor euangelijs. Paulus igitur & Bernabas

apostoli,

Universidad de Deusto
Biblioteca

apostoli, spiritu sancto iam pleni, expectantes super hac quæstione definitionem A
totus concilij apostolici, ascenderunt ad Petri cathedram, ad apostolos & presby
teros in Hierusalem, vbi erat Petrus, qui etiam post spiritum sanctum in die Pen
tecostes acceptum, videtur dubitasse de lege Moysi, an esset necessaria cum euan
gelio, dum Act. 10. in visione horruit, & refutauit edere animalia lege Moysi pro
hibita, dicens: Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & im
mundum. quam Petri opinionem corrigit Deus, illi dicens: Quod Deus purifica
uit, tu commune ne dixeris. Ad id quod vltra in argumento assumitur, conci
lia generalia interdum errasse. Respondeo hoc falsum esse. Concilia particularia
inquit Augustinus, interdum errauerunt, & reformantur plenariorum concilio
rum authoritate. Augustinus autem cùm alibi dicit: plenaria concilia sæpe à po-
Conciliorum authoritas & veracitas. steriorib⁹ emendantur. Respondeo Augustinum loqui de emendatione, non in B
credendis, seu in articulis fidei, vel in alijs ad salutem necessarijs, sed de emenda
tione in his quæ sunt aut facti, aut directionis ecclesiæ in constitutionibus, quas
pro qualitate temporum, locorum, personarum, expedit immutare, sed de his ali
bi latius. Ad id quod in argumento assumitur; oportere nos magis stare vnius
hominis sententiæ, scripturam sacram sufficienter allegantis, quàm sententiæ ge
neralis concilij sine scripturis sacris aliquid definientis. Respondeo argumen
tum nihil concludere contra ea quæ diximus: Nam si concilium aliquod, definiat
contra sententiam vnius demonstrantis illam sententiam ex scripturis sacris, iam
totum hoc concilium, secluso vno illo, non est concilium generale, neque ecclesiæ
Galath. 1. b Dei, sed ecclesiæ satanæ concilium. Et ad illum intellectum dicit Paulus apos
tolus: Si nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis præter id quod accepistis, ana
thema sit. tanquam dicat: doctrina per nos vobis prædicata, tam veraciter, tan
que infallibiliter est à spiritu veritatis profecta, qui in nobis loquutus est, vt etiam C
nos tanquàm homines ex nobis mendaces, vel angelus de cœlo, erimus anathema
si euangelizemus aliam fidei regulam, per quam supple discedatis à via semel à
nobis prædicata. Verùm quemadmodum Paulus hæc dicens, intendebat nihilo
minus euangelizare illis aliquid plus quàm acceperant, cupiens vel supplere ea
quæ deerant, pluraq; ac sublimiora quædam explanare, ea insuper quę dicta erant
declarare: ita & ecclesia post apostolorum tempora multas fidei sententias nouas
olim occultas, elucidauit, docuit & probauit, aut ex scripturis sacris, aut ex anti
qua consuetudine per vniuersum orbem custodita. Dicuntur autem hæc latius
in libro de captiuitate & redemptione generis humani, ac in tractatu de libertate
euangelica. Hunc igitur in modum de scripturis apochryphis, & de authori
tate librorum sanctorum patrum, & de Christi ecclesia, quæ nam sit, & apud quos D
sit, & de vnitate ecclesiæ à principio mundi, & de Romana ecclesia, in qua est Pe
tri cathedra, quòd sit omnium ecclesiarum caput, & quòd errare non possit in fi
de, & de authoritate ecclesiæ, simul & authoritate scripturæ sacræ, vtra
sit maior, an videlicet ecclesiæ authoritas, an scripturæ sacræ, &
de multis rebus propter authoritatem ecclesiæ orthodoxa
fide tenendis, quas ex scripturis sacris demonstra
re non possumus, dicta sufficiant.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca